81482

THEOLOGICA

DOGMATA

DIONYSII PETAVII

E. SOCIETATE JESU

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE JULES MOUREAU, GRAND'PLACE, 7.

DOGMATA

THEOLOGICA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

EDITIO NOVA

DISSERTATIONIBUS AC NOTIS F. A. ZACHARIÆ, ALIORUMQUE, NECNON ADRIANI LECLERC SELECTIS NOTIS, ALIISQUE NONNULLIS NUNC PRIMUM EDITIS ILLUSTRATA ET ORNATA, CUI ACCESSIT INDEX GENERALIS TUM VERBORUM, TUM RERUM LOCUPLETISSIMUS, NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS, CURANTE

J.-B. FOURNIALS

PAROCHO S. SATURNINI, CANONICO HONORARIO INSIGNIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ALBIENSIS, OLIM MINORIS SEMINARII CASTRENSIS MODERATORE.

TOMUS SEPTIMUS

IN QUO RURSUM DE INCARNATIONE VERBI POSTEA DE DIVERSIS ET PRIMUM DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA AGITUR.

BOSTON COLLEGE
IHS
UNIVERSITY HEIGHTS

L.V.

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVII.

BT
70
.P4
V.7

81482

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE INCARNATIONE VERBI

LIBER DECIMUS TERTIUS

CAPUT XIII.

1. *Quemadmodum Augustini sententiam de prædestinatione, ac reprobatione interpretati sint qui ad quintum fere ab ejus obitu sæculum floruerunt, ut Prosper, Fulgentius, etc.* 4. *Maxime Lugdunenses, Florus, Remigius, et alii.* 6. *Reprobos adultos ex illorum opinione potestatem habere perseverandi; et an originale peccatum causa sit reprobationis illorum.* 7. *Ex quo illud consequens est, posse reprobos ab illo statu transire ad alterum, si ipsi velint.* 8. *Notatur Apologetici scriptor, ac docetur ex Augustinianorum sententia secretionem a massa perditionis per gratiam, et sanctitatem fieri.* 9. *Quod ex Prospero probatur.* 10. *Qua ratione conciliari cum Augustino sententia ista possit.*

Quomodo doctrinam Augustini de prædestinatione interpretati sunt auctores supra citati.

I. Postrema restat animadversio rei oppido necessariæ, quam ex superiorum capitum disputatione colligimus : cujusmodi divinæ prædestinationis in utramque partem, hoc est ad vitam, et interitum, rationem ac modum constitui putaverint ab Augustino omnes illi, quorum hactenus usi testimonio sumus, Prosper, Fulgentius, Hypognostici auctor, Florus, Remigius, aliique Lugdunensis ecclesiæ nomine comprehensi : Valentinæ synodi Patres : tum illi quoque, qui his adversati videntur, Hincmarus, Rhabanus ; ac Moguntina, Carisiacensis, cæteræque synodi. Qui quidem omnes ex uno pendere se Augustino, et ejus decreta persequi constanter asseverarunt ; nec aliter de arcanis istis Dei consiliis, quam ut e sacris ille litteris interpretatus est, sentire ac loqui velle sunt professi. Magna profecto res, ac vulgo etiam incredibilis, sed optanda tamen hic a nobis suscipitur, ut illos omnes in eamdem sententiam, et Augustiniani sensus interpretationem convenisse monstremus : præsertim vero Gallicanos illos antistites, qui bifariam divisi, ac velut in partes factionesque distributi, de illa ipsa quæstione summis inter se studiis, et vehementi contentione certarunt. Quos etiam synodalibus decretis, et sententiis sese invicem notasse, ac privatim contrariis scriptis exagitasse, illorum temporum *Annales* loquuntur. Quis igitur tot ac tales viros, tam eruditos, tam in Augustini lectione assiduos et exercitatos aut speret, aut non miretur in eamdem illius opinionis conspirasse summam, nec nisi de verbis, ac loquendi formulis controversiam habuisse? Hoc ut probare hactenus cœpimus, sic evincere penitus hac explicanda, quam proposuimus, quæstione conabimur. Ex quo insuper illa magis enitebit, quam in præsenti disputatione potissimum adstruere cupimus, generalis omnium, etiam reproborum, servandorum voluntas in Deo ; quam, ut ignotam Augustino, detrahunt, et impugnant Armacani discipuli.

Summa doctrinæ illorum.

II. Quocirca de prædestinatione bonorum, et malorum reprobatione, sic sentire secum Augustinum, illi omnes, quos attigi paulo ante, significant. Postquam primi peccato parentis generis totius humani massa coacuit, ac sempiternæ rea damnationis est facta, Deum omnibus in commune statuisse consulere, ac liberandis iis, et ad vitam, salutemque revocandis redemptorem destinasse filium suum. Hunc velut primum gradum beneficæ in humanum genus providentiæ constituere nos oportet, ac *ratione*, et, ut Græci theologi loquuntur, ἐπινοίᾳ discernere. Non enim alio modo capere ista, vel loqui de iis possumus, quam momenta quædam æternitatis, et, ut vocant. *instantia* cogitantes, quasi fictas, et percipiendi gratia usurpatas antecessiones operum, et successiones. Ut in re proposita primum sit hoc *instans*, quo generali, non tamen absoluta voluntate decrevit Deus homines necessariis auxiliis

gratiæ suæ, ac remediis eripere. Post illud consilium suum apud se quodammodo reputans, et ad exequendi ordinem particulatim applicans; certis ex massæ illa fæce selectis ejusmodi adjumenta gratiæ suæ dare constituit, quibus bene usuros ipsos, et ad finem usque perseveraturos esse præscivit. Quod bene de illis merendi propositum ex gratuita, nec ullis eorum prævisis officiis elicita propensione concepit. Cæteros porro in eadem massæ corruptela deprehensos communi illa voluntate complecti, et idoneis ad emergendum præsidiis subornare satis habuit; quibus commode, si ita vellent, niti et adjuvari possent. His in altero *momento rationis* ordinatis, tertium deinde successit: quo supremam de utrisque sententiam fixit: ac prioribus illis, quia perseveraturos esse vidit, sempiternam salutem: reliquis, quos culpa sua oblatæ gratiæ defuturos animadvertit, pœnam assignavit æternam. Hunc ex Augustini mente prædestinationis, ac reprobationis ordinem circa eos duntaxat, qui grandiores sunt, et libertate uti sua possunt, supra commemorati a me scriptores instituunt.

III. Etenim quatuor sunt indubitatis argumentis ex illorum omnium collecta testimoniis: quæ prædestinationis positum a nobis ordinem certissime declarant. Primum communis erga homines omnes Dei voluntas, qua et liberare illos cupit ab originali pernicie, et ad æternam salutem adducere. Alterum, generali hac voluntate non effici, ut omnes a damnatione liberentur; sed nihilominus perire, damnarique plurimos. Tertium, non pari et eodem voluntatis proposito Deum velle, aut procurare omnium hominum salutem: verum alios absoluto, nec ex illorum prævisis meritis, tanquam ex causa, pendente consilio ac decreto, ad vitam ordinari sempiternam. Quartum, reliquos Adami posteros, qui in damnationem incidunt, adultos et rationis compotes, suapte perire culpa: quod oblatam sibi gratiam, aut respuerint funditus, aut acceptam retinere noluerint; cum eos perseverare vellet Deus, et quibus erat necesse modis ad id studeret impellere. Cum hæc scriptores illi, quos in superioribus capitibus citavimus, disertis sententiis, quarum momenta singillatim expendemus, testificari, affirmareque constet: cumque ex Augustini placitis eadem se illa proferre prædicent, prorsus Augustinum ita, ut dixi, de prædestinatione sensisse, et eo, quem designavi, ordine arcana Dei consilia digessisse confirmant. Neque vero aliter descripta percipi a nobis ista possunt, quam illo a nobis constituto modo. Siquidem electos ac prædestinatos ad vitam absoluta Dei voluntate, et gratis, ac sine meritis expressa, ordinari ad æternam salutem capiendam, postrema fuit Augustini, nec in dubium vocanda sententia: quod in libro nono tomi primi invictis rationibus ostendimus. Quam eamdem opinionem approbant auctores a nobis allati, qui se Augustinum sequi profitentur: ac vel contrariarum alioqui partium defensores Gallicani præsules. Ex quibus qui Gothescalco patrocinati sunt, dubitante nemine, idipsum secundo capite sanxerunt: ubi sic loquuntur: « In electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: » tum prædestinationem ad vitam *gratuitæ misericordiæ* tribuunt. Hæc est *electio gratiæ* [1], ut eam Apostolus vocat, Augustino sic interpretante, ut sit *gratuita*, et ex nullis bonorum operum meritis, tanquam causa aliqua, suscepta. De Carisiacensi synodo, et Hincmaro major erat dubitandi ratio, sed nec ipsi dissentiunt. Quippe capite primo synodi illius « Deus elegisse dicitur ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam. » Itemque capite tertio: « quod quidam salvantur, salvantis, inquit, est donum. »

IV. Eadem passim et Hincmarus affirmat, ut in libro *de Prædestinatione* capite XVIII. « Præscivit, inquit, et prædestinavit sine tempore, quia ante omnia tempora, ex eadem massa quosdam per gratiam se ad eamdem æternam vitam reparaturum, ad quam primum hominem consistere voluit, etc. et eadem gratia præscivit et prædestinavit ante tempora sæcularia, præscitis et prædestinatis suis æternam vitam se donaturum. » Hæc est *prædestinatio gratiæ*, sive *gratuita* bonorum, itidem ut Adami fuerat, quem ex nullis prævisis meritis in eo statu collocaverat, et in eodem perseverandi facultatem concesserat. Nam quod ad pereuntes, ac reprobos attinet, perspicuum est ex eorumdem scriptorum, qui Augustinum secutos se esse præ se tulerunt, manifestis et expresis locis, quæ affatim supra congessimus, sic eos existimasse, Deum perseverare illos, et ad æter-

[1] Vide tom. II, lib. IX, cap. XIII, § 5.

nam vitam pervenire voluisse, et quod ipsi noluerint, ideo non pervenisse.

In quo multum ista ponderanda vox est Valentini capituli primi : « Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt ; sed quia boni esse noluerunt, » ex quibus, ut identidem animadvertimus, efficitur, reprobos, si voluissent, perseverare potuisse.

Quamobrem subductis illis omnibus, et in certam rationem coactis, relinquitur, primam hanc in Deo voluntatem fuisse generalem, et nondum absolutam, qua salvos omnes, quantum in se erat, fieri voluit. Hanc deinde consecutam esse magis expressam, et absolutam voluntatem quorumdam liberandorum ; non enim omnium. Nam non omnes eximuntur, sed ii tantum, qui electi, prædestinatique dicuntur ; quos « Deus misericordia gratuita præparat, id est prædestinat ad vitam æternam, » ut ex *Hypognostico* Rhabanus ait in epistola *ad Notingum*. Cæteris porro, qui ex massæ corruptela absoluta illa voluntate non sunt erepti, necessaria gratiæ sufficientis auxilia divinitus attributa fuisse consentaneum est priori dogmati, quod omnium hominum salutem communi, et antecedenti illi voluntati subjicit. Etenim non otiosa, nec sterilis esse potest ista qualiscumque Dei voluntas, sed actuosa, et quantum ex se est, efficax, id est efficiens propositi sibi operis. Itaque divino hoc adjumento sublevati possunt illud assequi, quod reipsa, vitioque suo non adipiscuntur, ut perseverent, et salvi fiant.

V. Dabo hujus erga reprobos divini consilii, ac totius opinionis nostræ suffragatorem idoneum, non Hincmarum aliquem, aut Rhabanum, at alium quempiam Carisiacensium partium : sed harum alioqui vehementem adversarium, et Gothescalci defensorem Remigium Lugdunensem in libro *de tribus epistolis* ; qui, quod amborum partium commune dogma, ac tanto idcirco certius esse docui, de Dei in omnes salvandos propensa voluntate, luculenta oratione confirmat, ita scribens : « Etsi illa verba Apostoli simpliciter intelligantur [1], quibus de Deo dicit : *qui vult omnes homines salvos fieri ;* duobus modis hoc Deum agere certissimum est : dum alios ita vult salvos fieri, ut ipse omnino faciat salvos : sicut omnes electos : alios vero ita velit salvos fieri, ut eos omnino non salvet, sed in æternum perire permittat : sicut utique omnes reprobos, quos, juxta hunc sensum, et ut benignus creator salvari voluit, et ut justus judex æternæ perditioni tradidit. Sicut ergo et bonitatem suam eis ostendit, quia eos salvari voluit : et tamen bonitas ejus non impedivit severitatem ejus, qua eos juste damnavit : ita eadem bonitas ejus nullatenus impedivit prædestinationem ejus justitiæ, dum quos ille salvos fieri voluit, et iniquos futuros semper præscivit, et in iniquitate sua permansuros, juste ad interitum prædestinavit. Ita etsi pro omnibus etiam in sua impietate perituris Christus mortuus est, sic eis exhibuit bonitatem passionis suæ, ut tamen hujusmodi impios in sua impietate permansuros justo suo judicio condemnaverit. Sicut ipse ait ; *Qui non credit, jam judicatus est.* Et ideo bonitas ejus, quia etiam pro talibus passus creditur, non evacuavit erga eos prædestinationem ejus : quia eos semper et præscivit in sua impietate permansuros, et prædestinavit juste perituros. » Ergo omnes, adeoque reprobos ipsos, ad salutem perducere voluit Deus, nempe antegresso illo, generalique proposito, et in primo illo velut cardine, ac momento, quod animo describimus. æternitatis. At in secundo, voluntatis illius effectum, gratiæ videlicet adjumentum, destinavit iisdem; tum in tertio, prævidens male ipsos usuros oblata gratia, in æternum damnare decrevit.

Adultos reprobos ex illorum opinione potestatem habere perseverandi.

VI. Ex his autem ab Augustini discipulis, et ex ejus opinione positis ; illud præterea sequitur : Deum in seligendo ex massa perditionis electorum numero, prius certa illa, et effectu minime caritura destinare ipsis auxilia gratiæ, quam fixo et peremptorio decreto sempiternam eis salutem despondeat. Sufficit enim antecedens illud, et generale propositum, quod ipsum per se est efficax, ad inclinandam Dei voluntatem, ut inæqualia gratiæ subsidia pro arbitrio constituat, majora nempe, vel opportuniora quibusdam, quos impensius amet; aliis aut minora, aut non tam opportune submissa.

Hujus me cautionis admonuit, primum series, et ordo divinorum consiliorum ex Augustini sectatorum, præsertim eorum ; qui accuratissimi omnium habentur, placitis proxime ante deductus : in quo præire debet *mediorum*, quæ vocant, ordinationi, communis illa servandorum omnium voluntas ; tum donorum gratiæ partitio subsequi. Deinde

1 Lugdun. Eccl. *de Tribus epist.* tom. IV *Bibl. Patr.*

quod iidem illi in declaranda prædestinatione bonorum, prius gratiam, qua extra massam locantur, et boni fiunt, quam æternam vitam commemorant. Florus Magister in sermone *de Prædestinatione :* « Ergo bonos, inquit, præscivit omnino et per gratiam suam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos, id est, et in præsenti sæculo bene victuros, et in futuro feliciter remunerandos ; utrumque tamen ex dono misericordiæ. » Et paulo post : « Prædestinavit itaque electos suos, ut et nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, et in futuro efficiantur conformes imaginis filii sui, per eamdem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati, et glorificati. Prædestinavit omnino ut et hic essent boni, non ex se, sed ex illo ; et illic beati non per se ; sed per illum. » Valentina quoque synodus capite secundo, Deum asserit ; « bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos. » Et capite tertio. « In electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum. » Quam Dei misericordiam, gratuitam ac liberalem ejus voluntatem intelligo, qua hujusmodi suppeditantur auxilia, « quibus certissime liberantur, quicumque liberantur [1]. » ut loquitur Augustinus, Hoc est perseverantiæ donum illud, quod solis electis, ac prædestinatis a Deo præparatur, id est constans et perpetua in officio manendi voluntas : quæ certis, et ab fine non aberrantibus gratiæ permotionibus elicitur : reprobis vero, necessariis opitulantis gratiæ præsidiis obtinenda proponitur, sed quæ illorum culpa, et voluntaria delectione, quam ἐθελοκακίαν Græci vocant, fructu suo, effectuque frustrantur.

Nec culpa originalis causa est illorum reprobationis.

VII. Cum sic auctores illi de reprobis ex Augustini doctrina sentire dicant, ut in eorum sit potestate perseverandi facultas, nec aliam ob causam, quam quod ita ipsis placet, tanti boni jacturam faciant : hinc illud consectarium oritur ; quicumque ex adultis, maxime fidelibus, minime perseverant, non eo fieri quod originali culpa implicati nascantur ; nec ab infecta damnataque massa divina sint prædestinatione secreti, hoc est non eam esse tantæ ruinæ proximam causam, atque propriam : sed longinquam, ac velut accidentem. Nam si propterea damnandi essent, et perseverantia cärituri, quod electi a Deo non sunt ; sed in originali labe derelicti ; non esset in eorum optione salus, perseverantiaque posita ; nec iis vitio verti jacturam illius oporteret : sed Dei potius voluntati tribui, quæ sola fatalem apud Christianos necessitatem facit. Quinetiam, si quis ex illis, uti sit, Baptismi sacramento, vel quovis alio modo purgatus, ac Deo reconciliatus esset, nihilominus adhuc originali macula teneretur : quam tamdiu hærere necesse est, quamdiu sempiternæ pœnæ reatus manet ; qui quidem in reprobo etiam justo minime tollitur, si hæc illius propria causa est, non fuisse prædestinatum. Quamobrem quod Augustinus sæpe, ac diserte significare visus est, ob id reprobis interclusum esse salutis aditum, ac perseverantiæ donum negari, quia non sunt ex electorum numero, « nec sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam [2] : » id Augustini sectatores illi sic intellexisse videntur, ut ea longinqua sit accidensque causa : perinde ac pessum eunte lapide, causa lapsionis esse dicitur, qui eam non impedit. Nam vera, et propria citimaque causa tum reprobationis in regeneratis, tum desertionis, qua fit, ut minime perseverent, mala cujusque voluntas est, et privatum ac personale delictum : longinqua autem illa sic ex Augustini sensu declarari potest. Etenim cum prævenientis, et opitulantis gratiæ diversa genera sint, et opportunitates variæ : nec dubitare liceat, quin ut necessaria, et idonea non desint adultis reprobis auxilia, quibus perseverare si velint possint, non ea tamen suppetunt interdum, quæ si adessent, reipsa perseverarent ; cur hæc ex se sufficientia tantum, sed quæ novit irrita fore, præbeat Deus, alia neget, quæ si daret, effectum habitura scit ; causam esse putat Augustinus Adami peccatum, quod in posteros generatione transfusum pœna in reprobis hujusmodi plectitur : « Nunc autem quibus deest tale adjutorium (perseverandi, nam de eo illic loquitur) jam pœna peccati est [3] : quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum : et tanto amplius datur (quam Adamo datum est) per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possimus etiamsi velimus, verumetian tantum, ac tale sit, ut velimus. »

Et Gregorius Papa in *Psalmum quintum Pœnitentialem* [4], « Ex peccato primi parentis,

1 Lib. *de Dono persever.* — 2 *De correptione*, cap. vii — 3 Lib. cap. xi in fine. — 4 Greg. Tom. ii.

inquit, accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus. » Quinetiam Augustinus libro *de Prædestinatione Sanctorum*, capite VIII, causam quærens cur non doceat omnes, hoc est gratia illa, quam efficacem scholæ nominant, non omnes ad perseverantiam, et salutem attrahat; nullam reddit aliam, nisi quod plerique vasa sunt iræ ad interitum destinata.

Culpa originalis reprobationis causa remota et per accidens.

VIII. Ad hunc modum intellecta Augustini sententia, ut illa tantummodo *remota* sit in reprobis, accidensque causa, cur non perseverent, haud absurdum esse judicarunt Augustiniani, quos supra nominavi, dogmatis fautores, quod de reprobis ediderunt decretum duplex; et utrumque summo hic a nobis opere notandum: Alterum, grandiores omnes, et libertatis suæ compotes, præsertim fideles (De his enim expressius loquuntur) sic in damnata relinqui massa, ut ab ea, si velint, extricari queant: vel, quod eodem spectat, ex *vasis ignominiæ* fieri *vasa electionis*, ut ex Apostolo dicere solet Augustinus. Alterum, secretionem a massa corrupta probo, ac legitimo sensu fieri dici per infusam homini justitiam, et sanctitatem.

Horum prius persuadent illa testimonia discipulorum et interpretum Augustini in antecedentibus adducta capitibus, quæ generalem Dei voluntatem erga omnium salutem adstruunt: necnon ejusmodi [1], qua in adepta gratia perseverare vult omnes, etiam reprobos. Ac demum aliqui disertis verbis illud affirmant, vasa, quæ a Deo finguntur ad interitum, mutari posse, si velint; et in honorata transferri. Vide quæ ex Floro Magistro supra commemoravimus, præsertim capite XIX, ne eadem repetendo longior sim [2], et molestus. Certe Gregorius Magnus in expositione *Psalmi* centesimi primi [3], qui est quintus Pœnitentialium. « Redemptorem nostrum, ait, in hunc mundum venientem vasa iræ fecisse vasa misericordiæ. » Quocirca *vasa ista*, quæ dicuntur *contumeliæ*, vel *honoris*, non semper accurata illa, et ab Augustino celebrata notione sumuntur, ut prædestinatos, reprobosque significent fixa, et irrevocabili Dei sententia suæ quosque sorti destinatos, et addictos.

Orat Ecclesia velut si numerus prædestinatorum accrescere vel decrescere possit.

IX. Temere itaque posterioris auctor *Apologetici* damnat eos [4], *qui vas contumeliæ* dicunt *assurgere posse*, ut *sit vas in honorem*. Id enim verissimum est, et ab Floro, aliisque Augustini doctrinæ studiossisimis vel aperte pronuntiatum, vel ex positis ab illis principiis necessario deductum. Cui et Ecclesiæ catholicæ consuetudo suffragatur, quæ de electis, et prædestinatis sic interdum loquitur, tanquam non omnino fixus, et immobilis sit eorum status: sed ad illorum numerum aliqua possit accessio fieri, vel decessio: sic enim inter mysticas orationes postulandum a Deo præscribit; « ut ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum suorum jubeat grege numerari; » ut est in *sacramentario* Gregorii Papæ, et in libro, qui *Ordo Romanus* inscribitur. Et in alia oratione, eaque publica petimus, ut « universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina beatæ Prædestinationis liber adscripta retineat » Quare non est improbanda vox illa, quæ in istiusmodi vicissitudinem aliquam mutationemve designat. Hanc nostram de discrimine vasorum non semper rigide ac præfracte ab Augustini fautoribus constituto utilem animadversionem confirmat Eligii Noviomensis locus ex homilia tertia. Ubi postquam ex Augustini præscripto secretionem a massa perditionis omnino gratuitam his verbis exposuit, « Cum itaque in fovea perditionis prostrati jaceremus, et suo merito pereundum esset omnibus; divina non tulit bonitas suum irremediabiliter perire opus: sed elegit ex ipsa perditionis massa quos gratis salvaret, et sua solummodo justificaret gratia; » subinde tamen eamdem illam exemptionem a massa haud adeo fixam, et immutabilem esse significat, ut non contrariam in sortem transire possint, qui segregati antea fuisse dicuntur: Quippe Apostoli hac allata sententia ex secundæ *ad Corinthios* capite sexto: *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, ita deinceps pergit: « Quibus monitis ad omnem Dei mandatorum obedientiam provocamur, ut quia de massa peccati segregati, et per fidem vocati sumus, remissionemque peccatorum in Baptismo percepimus, digna fidei opera faciamus; ne fides per gratiam Dei nobis attributa, si fuerit sine operibus, non solum otiosa, sed etiam mortua judicetur.

Relative.

Et ut plenius hoc intelligi possit: scire debes, *vasorum* nomen, cum de prædestinatione Dei sermo est, σχετικῶς usurpari, referrique divinum ad consilium, et voluntatem, velut ad molitionem, et effectionem opificis. Est au-

1 Vide cap. XV, § 8 et Prosp.—2 Max. § 4,5 et 2.—3 Greg. tom. II *ad Ps.* CI, ver. 10.— 4 Lib. IV. cap. XIX, et lib II, cap. XIII.

tem ista duplex. Nam altera est præscientia, sive prædestinatio ejus operis, quod reipsa futurum est, non tamen perpetuum, sed in tempore desiturum, altera ejus est, quod in fine temporis, adeoque per omnem æternitatem uniusmodi fore prævidetur. Cum igitur ex malis, et corruptis, boni justique fiunt homines, ad eum statum prædestinati dicuntur, ut ex *vasis iræ*, *vasa sint misericordiæ*; et vicissim cum ab meliori sorte in deteriorem prolapsi sunt, in iræ vasa finguntur. Quod si ejus præscienfiæ rationem habeas, quæ in vitæ novissimum tempus intenta divina consilia moderatur, nemo vas est misericordiæ, qui non ad finem usque vitæ perseverat : nec iræ, qui ante mortem mutata in melius volnntate convertitur,

X. Ex quo alterum explicatur, quod ab Augustinianis asseri diximus, eximi ab massæ corruptela, et damnatione omnes illos, quorum *fide corda purificantur* [1], ut Scriptura loquitur; hoc est qui sanctitate accepta ex iræ filiis in adoptionem transeunt filiorum Dei : tametsi prædestinati non sint, nec in eo statu perpetuo mansuri. Quod Valentina synodus capite quinto non affirmat solum, sed firmissima quoque ratione approbat his verbis : « Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium, ex aqua, et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, et juxta doctrinam Apostolicam, in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta : quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio : cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium; sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate, ac sinceritate subnixum. » Quamobrem quisquis baptizatus, ac regeneratus est, ab omni reatu damnationis æternæ solutus est; nec amplius inquinatæ massæ corruptela detinetur. Alioqui, ut paulo ante dixi, non esset ab originali peccato et ejus reatu penitus redemptus, contra quam Augustinus, ac fides ipsa docet, qua Christiani catholici sumus. « Omnia prorsus delicta, ait Augustinus[2], delet sanctum baptisma, et originalia, et propria ; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur, » Et alibi[3]. « Lavacro regenerationis, verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundantur, atque sanantur, non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo ; sed etiam, quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur : non ut baptisma quotiens peccatur, totiens repetatur : sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verumetiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. »

Atque hæc expressius, et impensius asserit Prosper in *Responsione ad secundum capitulorum Gallorum;* in quo illud objectum fuerat. « Quod ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum. » Cui sic ille respondet : « Omnis homo, qui credens in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, regeneratur in baptismo, tam a propriis peccatis, quæ mala voluntate, et actione contraxit, quam originali, quod a parentibus traxit, absolvitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatem et impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quam qui eumdem asserit non æterna morte esse damnandum. Qui enim recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit, sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur : qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinavit, et periturum nunquam ab æterna perditione discrevit.

Huc alia Prosperi ejusdem testimonia pertinent, quæ in capite v libri hujus adscripsimus : præsertim illud ex responsione tertia [4] : ubi reprobos negat pereundi necessitatem habuisse ex eo, quod prædestinati non sunt : sed ideo prædestinatos non esse, quia præscivit Deus illos non esse perseveraturos, « Ideo, inquit, prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. »

Qua ratione hæc sententia cum Augustino conciliari possit.

XI. Verum cum Augustinus causam reprobationis in præteritionem referat, qua in corrupta massa destituti sunt, et in primi parentis peccatum, quod ab origine contraxerunt; ut in libro nono tomi primi, capite nono demonstratum est : ne ab auctore, ac patrono suo dissentire tot eruditos viros arbitremur, plane ita cum illo conciliandos existimem, ut quod paulo ante notavimus, non eam proximam, ac proprie dictam esse causam velint reprobationis illorum, et exitii;

1 *Act.* xv, 9. — 2 Lib. III *de Symb.* cap. x. — 3 Lib. I, *de Nuptiis* cap. xxxiii.— 4 Vide cap. v, § 8.

sed duntaxat remotam, et ab alto repetitam; et quodammodo *accidentem :* quod propter originalem culpam, certiora Deus illis, commodioraque gratiæ suæ præsidia, sed indebita, denegarit.

Hoc equidem modo, quem toto præsenti capite proposuimus, Augustini de prædestinatione, ac reprobatione sententiam interpretatos esse veteres illos existimo, qui tum ita ipsi de arcano illo Dei consilio statuerunt : tum ejus sibi opinionis auctorem vindicarunt et antistitem Augustinum, et in illo ipso declarando, cæteroqui discordes, et altercandi cupidi, reipsa consentientes fuerunt. Utrum porro verus, et germanus iste sit Augustini sensus, de quo pluribus alibi disputatum est [5] : non est hujus loci, et instituti dicere. Hoc enim impræsentiarum satis esse duxi, explicare ac tradere quemadmodum illius sententiam intellexerint graves et insignes viri, et ejus dogmatum apprime studiosi :ut hoc unum testibus illis approbarem, et ipso imprimis Augustino; Deum omnes, quantum in ipso est, homines salvos velle facere : non absolutæ quidem voluntatis decreto : quo solos electos amplectitur : sed antecedente, ac conditionali. Quod genus voluntatis cum priore comparatum, voluntatis pene nomen amittit, et in contrariam transit speciem : cujusmodi loquendi ratio tam sacris litteris, quam Augustino familiaris est; ut alias observavimus. Ex quo illud effectum est, ut quos optima illa, et præstantissima voluntate salvos esse neutiquam voluit Deus, prorsus nolle salvos esse, summus doctor affirmare sit visus.

In scriptis Patrum difficilia et in speciem contraria quædam inveniuntur.

XII. Postremo illud observatione dignissimum est, quod non solum in Augustino, sed etiam in aliis Patribus, et eorum tractanda sententia, doctrinaque maximo usui esse potest; nonnunquam fieri, ut qui inter illos decretum aliquod plane, aperteque tueatur; ac plerisque in locis scriptorum suorum illud asseveret; in eo probando, et illustrando, vel adversantium diluendis argumentis adspergat aliquid, ex quo ratiocinatione facta id sequi, colligique monstretur, quod cum priori sententia si non manifeste dissideat, ægre certe, nec nisi adhibita diligenti interpretatione cohæreat. Ostendatur hoc in uno, alterove Augustini dogmate. Quidquid ab homine fit experte fidei peccatum esse, sæpe ex illo Apostoli [1] loco probavit Augustinus [2]. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* At in libro *de Spiritu, et littera*, capite XXVI et XXVIII, contrarium sensisse videtur : aut ea certe scripsisse, quæ nisi commode sint explicata, vix conciliari possint. Quod idem et alibi fecit.

Rursus Baptismi sacramento peccatum omne, tam originale scilicet, quam quod vocatur *actuale*, deleri penitus, certissima est Augustini sententia, quam in primo *de Nuptiis, et concupiscentia*, capite XXXIII diserte tradidit, et pluribus aliis in locis : ita quidem ut nihil expiandum maneat [3]. Verum ex alia ejusdem opinione, perplexa, nec satis explicata quæstio oritur. Etenim duo in peccato quovis agnoscit, *actum*, et *reatum*. In peccatis quæ *actualia*, et *personalia* dicuntur, transeunte *actu*, manere ait *reatum*, *donec indulgentia remittatur* [4]. At in originali *reatum* per Baptismum deleri : manere tamen *actum*, hoc est concupiscentiam ipsam. Atqui cum de reprobatione agit, quæ prædestinationi ex adverso respondet; prorsus eos omnes, qui per gratuitam electionem, et prædestinationem non sunt ab massa illa perdita segregati, damnationis æternæ reos esse pronuntiat : qua quidem in massa propter originalem noxam collocari homines asserit, nec inde nisi per prædestinationem eximi; quod in tomo primo, libro nono, capite IX demonstravimus ab Augustino esse traditum. Jam vero posteriore ab hac sententia contra priorem argumentari sic aliquis poterit : In reprobis, qui per Baptismum regenerantur, peccatum originale nullo modo prorsus aboleri : non actu; quia manet hoc modo etiam in prædestinatis, quamdiu in hac vita remanent; non reatu : quia cum prædestinati non sint, nunquam sunt ex massa perditionis exempti; et in fine damnandi sunt. Hunc nodum, si de eo cogitasset Augustinus, solvisset utique : quod et nos conamur facere, siquidem possumus.

Ad hunc porro sane probabiliter extricandum utilis est ratio illa, quam hoc capite paulo superius exposuimus [5], ex qua duplex in massam implicatio, duplex item ab ea secretio constitui potest : et consequenter duplex reatus dimissio : quarum una proxima est, et in reprobis temporaria : altera remota, quam *finalem* vocant; quæ est electorum propria, et sempiterna.

1 Lib. IX, tom. II.— 2 *Rom.* XIV.— 3 Lib. *de Nupt. et Conc.* cap. III : lib. IV *cont. Jul.* cap. III; lib. *de Gestis Pelag* cap. XIV. — 4 Serm. XXVIII de *Diver.* cap. VII et XI. — 5 Aug. I *de Nupt.* cap. XXVI et XXVII. — 6 § 7 et seq.

CAPUT XIV.

Controversia quædam de Mediatoris officio, quatenus ad eos pertinet, quibus est impensum. An pro omnibus omnium temporum reprobis passus sit Christus. 1. Carisiacensis Synodus affirmasse videtur. 2. Valentina reclamavit. Et Remigius Lugdunensis: cujus explicatur opinio, et refellitur. 4. An pro infidelibus ante passionem suam damnatis passus sit. Remigii de hoc sententia. 5. Et Gothescalci. 6. Deciditur quæstio. 7. Qua ratione Christus pro illis etiam reprobis, et pro cæteris quoque passus dicatur.

An pro omnibus retro infidelibus passus sit Christus.

Est quædam minime contemnenda Catholicos inter de Christi redemptione controversia, quæ huic adversari videtur, quod fuse, operoseque disceptavimus. Nam ab Christi meritis nonnullos excipiendos esse faciunt aliqui disputando, ut non improbabile videatur. Qui sic ratiocinationem instituunt : non esse consentaneum, ut vel pro infidelibus passus sit, eosque liberare voluerit Christus, quos nulla cœlestis unquam aura gratiæ, neque fidei Christianæ scintilla perstrinxerit : vel pro illis saltem, qui ante Salvatoris adventum ex hac vita subtracti pœnis sempiternis addicti sunt. Et ut certam velut in litem inclusa, circumscriptaque nostra disputatio pleniorem et explicatiorem habeat exitum, revocetur in medium Gallicanarum ecclesiarum superior illa contentio, quam supra capitibus aliquot exposuimus : et quidnam præter ea, quæ illic enucleata sunt, ad augendam dubitationem accesserit, in hoc caput referatur.

Affirmant Carisiacenses.

Carisiacensium canonum, quibus condendis præfuit Remensis episcopus Hincmarus, postremi duo præcipuam dedere bellandi materiam : quorum in altero, qui ordine tertius est, decreverunt ita : « Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri : licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum. » In altero vero, « Christus Jesus, inquiunt, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo adsumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit : licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quia vero omnes passionis ejus mysterió non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, et pretii copiositatem, sed ad infidelium, et non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem : quia poculum humanæ salutis, quod confectum est ex infirmitate nostra, et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. » Christum arbitrantur passionis suæ fructum ad universos, quantum in ipso erat, pertinere voluisse : sed idéo non ad omnes pervenisse, quod plerique uti illo noluerint; partim quoniam non crediderunt; partim quoniam non ea fide crediderunt, quæ per caritatem operatur.

II. Huic Carisiacensi decreto Lugdunenses, et Valentini concilii Patres intercesserunt : sed eo plane modo, ut rei nullum sit inter utrosque dissidium ; verborum perexiguum : ut supra capite XX pluribus ostendimus[1].

Remigius Lugdunensis in libro *de tribus epistolis*, contra epistolam Hincmari *ad Amulum*, ut jam diximus[2], scribens, quatuor veluti classes, et ordines distinguit hominum, quibuscum Christi merita comparantur : « Primus, inquit[3], ordo est electorum, et prædestinatorum ad vitam æternam : de quibus perire nullus potest, et qui omnino omnes salvantur. Secundus ordo est eorum fidelium, qui recta fide, et pietate accedunt ad gratiam baptismi, et per eam accipiunt indulgentiam peccatorum : » sed non perseverant.

Tertius ordo eorum est, « qui adhuc in infidelitate positi, vocandi tamen sunt per misericordiam Dei, et hoc sine dubio in Ecclesia consecuturi, quod consecuti sunt; et illi duo ordines sive perseverantium, sive non perseverantium in gratia Christi. » Quartus ordo est infidelium, qui nunquam credituri sunt. Ex iis quatuor ordinibus priores tres ad Christi gratiam pertinere dicit, et pro iis crucifixum esse Dominum, « ut eos redimeret, eosque in sua morte baptizaret ; » pro quarti ordinis infidelibus negat esse passum. — Remigii Lugdunensis expenditur et refellitur contraria opinio.

Sed in hac distinctione graduum, et ad eos applicatione Christi meritorum minus accuratus fuit iste Remigius. Primum quid attinebat tertium ordinem a primis duobus separatum ponere? Cum enim duo genera in illo

1 § 6. — 2 Cap. VII, § 2. — 3 Lugdun. eccl. lib. *de trib. epist.* tom IV, part. II *Bibl. Patr.*

constituat, alterum perseveraturum in fide; alterum defecturum ab ea; priores utique ad primum ordinem referendi sunt, qui ex electis, prædestinatisque constat: posteriores, ad secundum, qui reprobos continet. Deinde qui sunt illi fideles secundæ classis, qui ad Christi gratiam accedunt, nec in ea constanter manent: et quo pacto secernuntur ab illis tertii ordinis infidelibus, qui vocati minime perseverant? Nonne utrique infideles sunt, cum ad Christi fidem accedunt? Aut quis fidelis ad Baptismi gratiam adit: vel, ut cathechumenus, et fide præditus jam sit; non infidelis ante primam illam gratiam fuit? Certe quisquis hoc quærit, an pro omnibus passus sit Christus, si non ineptus esse velit, hunc sensum inquisitionis illius in mente sua concepit: utrum Christus, quum pateretur, prodesse voluerit omnibus sanguinis sui, passionisque meritum, sive ad vitam æternam, sive ad certi temporis fructum; nec in illis, quorum ætate vivit, infideles credituros olim; nondum tamen credentes ab iis, qui præsentem habent fidem distinguere: cum utrique patienti Christo ac fidem promerenti nonnisi infideles objecti sint. Quare perplexa, et implicata est, ac, si verum quærimus, inscita Remigii illa divisio. Deinde cum ad eam comprobandam quamplurima sanctorum testimonia Patrum adduxerit; horum pleraque, imo ex illorum mente, omnia de prædestinatis intelliguntur; pro quibus solis passum esse Dominum significant, eo videlicet sensu, ut ad remedium, et salutem comparandam solis illis profuerit. Atqui non unum genus prædestinatorum complexus est in sua divisione Remigius: sed majorem reproborum ex fidelibus partem. Itaque aliud proposuit; aliud ratiocinatione sua concludit.

III. Est et alia Remigii neutiquam vera, nec sincera ratio ad eludendum Hincmari, et Carisiacensium canonem tertium, qui Deum *sine exceptione* velle salvos omnes fieri statuit. Imo vero ad sanctorum Patrum, qui, itidem ut Carisiacenses, Apostoli sententiam illam universe, ac simpliciter acceperunt, reprehensionem et injuriam spectat; ac minime idcirco dissimulanda. « Quarto autem modo, inquit[1], ita a sanctis Patribus intellectum invenitur quod dictum est, *qui vult omnes homines salvos fieri*, ut simpliciter accipiatur hoc de omnibus hominibus, quantum in ipso est, Deum velle, eo quod omnes salvari velit bonitate creatoris: sed quia liberi arbitrii eos condidit, expectet ut hoc etiam ipsi velint; et si voluerint, juste salventur: si noluerint, juste puniantur. Sed huic sensui imprimis illud videtur esse contrarium, quomodo omnipotens Deus eorum, quos vult salvos fieri, expectet voluntatem; ut et ipsi scilicet propria arbitrii libertate salvi esse velint; cum velle fideliter salvum fieri sit per redemptionem Domini Jesu Christi. » Hoc loco manifeste aberrat, ut dixi, Remigius, dum communem illam Apostolici dicti interpretationem studet refellere: tanquam Patres isti, qui Deum velle omnes homines salvos facere dicunt, si salvi esse velint ipsi, voluntatem hanc, qua salvi esse cupiunt, itidem ut Pelagiani, citra Christi gratiam, haberi putent propriis naturæ viribus. Quod non est ita: nam ex gratia provenire, Christique beneficio eam obtineri sentiunt, dum præeuntis, et aspirantis divini spiritus motioni liberæ consensu voluntatis obtemperant.

IV. Paulo distinctius vero in sequentibus idem Remigius de infidelibus ita pronuntiat: neque pro omni illa innumerabili, « et infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi usque ad passionem Domini per quatuor ferme annorum millia in sua impietate sunt mortui, et apud inferos æterna perditione damnati, passum esse Christum, » nisi si qui venturum eum esse crediderant, ac speraverant, quales justi omnes fuerunt, patriarchæ, prophetæ, ac cæteri: neque pro iis infidelibus, « qui post passionem ejus, usque ad mundi terminum aut exstiterunt, aut existunt, aut futuri sunt, in quibus utique et homo ille, nondum natus Antichristus erit. » Auctor libri *de tenenda veritate Scripturæ*, qui nomine Lugdunensis ecclesiæ est editus, idem confirmat de iis, qui ante Christi adventum *irrevocabiliter damnati sunt*. Porro « de cæteris hominibus, qui ab ejus passione usque nunc fuerunt, aut sunt, aut usque in finem sæculi futuri sunt, catholica, inquit, fides tenet, et Scripturæ sanctæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus, et per gratiam baptismi ex aqua et sancto Spiritu regeneratis, et Ecclesiæ incorporatis vere Dominus, et salvator noster sit passus: » tametsi gratiam illam « postea suo vitio in se irritam faciant.» Qui autem *in ipsa infidelitate*, atque impietate sua perseverantes sunt perituri, pro iis etiam negat esse passum, uti et pro dæmonibus.

An pro reprobis ante passionem suam mortuis passus sit Christus.

1 Lib. *De trib. epist.*

Valentinum quoque concilium capite quarto, Carisiacenses reprehendit, « quod pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini, in sua impietate mortui, æterna damnatione puniti sunt, effusum sanguinem Christi diffiniant. » Ipsum vero pro illis solis hoc datum pretium decernit, de quibus Dominus cum Nicodemo colloquens dixit : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*[1]. Ubi potest ambiguum videri, utrum pro iis solis mortuum velit esse Christum, qui revera salutem adipiscuntur; an pro credentibus, id est fidelibus omnibus duntaxat, quibus ad salutem aditus patefactus est per fidem, etsi culpa sua non eam assequantur. Quod posterius asserere videtur Prudentius Tricassinus in epistola *ad ordinatores Æneæ*.

Horum fluctuans incertaque sententia qui negarunt Christum pro omnibus esse mortuum.

V. Gothescalcus vero in libello, quem obtulit Rhabano, ut refert Hincmarus[2], pro electis tantummodo passum esse docuit Christum. « Absit procul a me, inquit, ut vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, ut nullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo Patri Domini Dei nostri filii sui fusus est sanguis. » Nam de baptizatis reprobis ita subinde asserit : « Baptismi enim sacramento eos emit, non autem pro eis crucem subiit, nec mortem pertulit, neque sanguinem fudit. » Adeo fuit illorum incerta, fluctuansque sententia, qui pro omnibus passum negarunt esse Christum, ut alias reprobos omnes excluderent : alias solos eos, qui nunquam in illum crediderunt, neque baptismo sunt initiati. Nam et Lugdunensis ecclesiæ nomine inscriptus liber in eo loco, quem paulo ante citavimus, ut illa sunt argumenta, testimoniaque, quibus utitur, pro solis prædestinatis passum esse significat.

Ac si diligenter hæc animo reputare volumus, inveniemus omnes illos, qui se Augustinum sequi profitentes, ejus auctoritate persuaderi dicunt, ut Deum non putent omnes homines salvos esse velle, neque pro omnibus passum esse Christum; minus constare sibi, si quos de numero reproborum exceptos, utriusvis voluntati salvificæ subjiciant. Etenim si Augustini verba spectentur, ac nuda et simplex illorum notio; itemque qua de causa ita se loqui ac sentire præ se ferat; nullum omnino participem benignæ voluntatis illorum esse patiemur reprobum; siquidem idcirco Deum velle salvum esse quemquam negavit, nisi qui reipsa salutem obtinet, quod alioqui Dei omnipotens voluntas non quod vellet efficeret : et *ei derogaretur*, ut in *Enchiridii* capite centesimo tertio scribit. Et in capite XCV libri ejusdem, « certam, et immutabilem, et efficacissimam esse voluntatem Dei » adstruit, quæ nihil velit, quod non possit : ut ex *Psalmo* centesimo decimo tertio confirmat, ubi ita legitur : *Omnia quæcumque voluit fecit.* « Quod utique non est verum ; ait Augustinus, si aliqua voluit, et non fecit; et, quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. » Eadem et ab cæteris adhibetur ratio, qui, perinde ut ille, negare videntur communem in Deo voluntatem salutis omnium. Quæ sane ratio generatim de omnibus reprobis, sine quorumdam exceptione procedit.

In omnes retro homines etiam reprobos merita Christi redundarunt.

VI. Equidem, quod in superioribus capitibus studiose est effectum, verissimum id esse arbitror, neque vel Augustini, vel ejus vestigiis inhærentium placitis alienum, ut omnium, etiam reproborum, salutem voluntate quadam antecedente Deum amplecti : sic *Mediatorem Dei et hominum Jesum Christum*, omnibus, quoad ejus fieri potuit, prodesse morte sua voluisse, eorumque saluti consulere. Sed cum uniusmodi ratio sit in Deo voluntatis *salvificæ* (faciamus enim hoc vocabulum usu tritum; etsi non satis Latinum est; quod nullum aptius occurrit) una est, et simplex illius assertio. Mediatoris autem cum sit officium multiplex, non idem parque de omnibus est judicium. Quamobrem dici hoc universe potest; Christi mortem, ac merita omnibus ad salutem adducendis hominibus divina destinatione contulisse. Etenim quidquid opis, et gratiæ ab humani generis primordio ad finem usque largiri constituit Deus, hoc totum unius redemptoris Christi meritis acceptum referri placuit, *Nec enim aliud nomen est sub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*[3], de quo alibi diximus[4]. Quocirca non solum post adventum Mediatoris, et pretium ab eo pro humana salute persolutum; sed etiam præteritis retro sæculis in omnes homines sive prædestinatos, sive reprobos, ex uno, eodemque fonte Salvatoris,

1 *Joann.* III, 14. — 2 Hincm. *de Præd.* cap. XXIX. — 3 *Act.* IV, 12. — 4 Vide lib. II *de Lege et gratia* cap. X, et lib. II, cap. III.

salutaris beneficentiæ largitas emanavit. Sed hujus applicandæ paululum diversa ratio est, cum ab eo, quatenus est Deus, ac cum, ut homo est, adhibita cogitatur. Nam si ratio in Christo divinitatis habetur, eadem personarum trium est voluntas, idem consilium quo ex omni æternitate propter Redemptoris mortem, idonea cunctis adjumenta gratiæ decreta sunt, et suo tempore, ut erant destinata, promuntur : nec interest, ante, an post illius adventum auxiliaris gratia ista donata fuerit. Sin ut homo est spectetur Christus, et quatenus voluntate ipsius, ac dispensatione, redemptionis nostræ fructus in humanos usus impenditur; non videtur ad universos singulosque salvandos, passionis suæ merita retulisse.

Pro retro damnatis nec oravit actualiter, nec passus est Christus.

VII. Etenim quis ad eos reprobos servandos, qui antequam pateretur, fato jam perfuncti erant, et ad inferos detrusi, Christum ordinasse mortis pretium suæ suspicetur? An vero pro illis orasse credi potest, ut salvi fierent, minimeque damnarentur, qui hoc ipsum jam erant, æterna morte damnati? Hoc esset Christo Dei sapientiæ illud affingere, quod ne vulgarem quidem in hominem cadere potest, paululum judicii compotem, nec prorsus amentem. Itaque recte Valentini concilii Patres isto sensu « nimium errorem vocant eorum, qui etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio, usque ad passionem Domini, in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum Christi sanguinem diffiniant. » Quo decreto notatur, ut supra dixi, Carisiacense capitulum quartum. Sed parum sincera fide, quippe non de applicatione Christi passionis ad singulos agitur in illo capitulo : sed hoc tantum, quod est verissimum, traditur, pro omnibus illam esse susceptam : hoc est ejus gratia omnibus hominibus aditum ad salutem esse patefactum. Dici hoc tamen haud absurde fas est, Christum Dominum eatenus pro reprobis, qui antea decesserant, pati voluisse, quod ratum illud habuerit; ac pro eo gratias etiam egerit Patri, quidquid sua causa, et propter merita passionis, mortisque suæ, bene reprobis istis, ac damnatis in eorum vita fecisset.

Futuris reprobis applicatum est pretium mortis Christi.

At vero si de illa parte humani generis agitur, quæ post Christum deinceps futura erat, ad usque mundi terminum; consentaneum id mihi videtur, ad eos redimendos non pretium tantummodo, fructumque pertinuisse mortis illius, sed etiam applicationem, et, ut illorum ad salutem quodammodo prodesset, Redemptoris orationem; non eam tamen absolutam; cujusmodi pro electis ab eodem est exprompta Christo : verum hoc pacto, ut necessaria illis impetraret adjumenta gratiæ, quibus si bene uti vellent, salutem possent adipisci. Quare uti voluntas illa, qua reprobos nondum mortuos Deus salvos fieri vult, non est absoluta, sed conditionalis, in qua tacite hoc implicatum tenetur, si et ipsi velint, et opitulanti gratiæ voluntariam navent operam : sic accommodatio illa passionis Christi ad reproborum emerendam salutem, voto ipsius, et oratione facta, simili conditione temperata fuit : non autem absoluta : qualem utique nec ipsi nos haberemus in vivos adhuc homines, si divinitus nobis de eorum damnatione constaret. Quæ sine dubio mens fuit Augustini in libro *de Civitate Dei* vicesimo primo, capite XXIV, ubi pro reprobis angelis, et hominibus negat esse Deum nobis orandum. « Denique si de aliquibus, inquit, ita Ecclesia certa esset; ut qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. » Pro reprobis itaque non sategit absolute Christus, neque de eorum salute directe Patrem interpellavit; sed tanquam ex obliquo, quatenus ea illis exoravit auxilia gratiæ, quibus certa ipsis ad salutem via sterneretur, si deesse sibi nollent.

VIII. Neque vero, quod ad istos reprobos attinet, quidquam facit discrimen illud fidelium, et infidelium, quod ex Remigio, et Lugdunensibus aliis supra memoratum est. Est enim omnium causa communis. Nec si qui forte reproborum infidelium Baptismi, aut fidei Christianæ penitus expertes mortui sunt : ideo non pro eis passus est Christus; aut nihil iis Redemptoris merita profuerunt : siquidem nec illis occulta deerant adminicula gratiæ Christi, quibus quasi e longinquo curari, et ad robustiora promoveri poterant auxilia : si non illa priora irrita culpa sua fecissent. Quam ad rem utilis est observatio duplicis generis gratiæ, quam alibi proposuimus, præsertim in secundo libro *de lege, et gratia* [1] : ex quo facile erit agnoscere; quænam vel ante fidem auxilia gratiæ suppetere potuerint impiis, et infidelibus, quibus ad salutem paulatim obtinendam Deus illos præ-

1 Vide cap. VI, § 7 et 8.

parare studuit. Atque hoc Lugdunenses illos, et si qui exstiterunt alii, qui Mediatoris pretium in salutem omnium impensum fuisse negarent, fefellisse videtur : quod nullum omnino fructum infideles aliquos ex illius cepisse sanguine putarent, eo quod caruissent interiore illa permotione gratiæ, quæ a fide incipit. Ex quo recte sibi argumentari visi sunt, non impensum esse passionis Christi pretium talium in hominum salutem, in quos nihil esset illius meritis gratiæ collatum. Verum *gratiæ* nomen non eo semper modo sumitur, quo isti volunt ; sed nonnunquam remotiora quædam, ac fidem antegressa significat auxilia : quibus præculti, ac velut subacti infidelium animi præparantur ad fidem ; de quibus non est hujus loci disputare pluribus. Erit autem cum de gratia proprie agetur.

CAPUT XV.

An Christus post mortem ad inferos descendit. 1. *Quæstionis illius occasio, et in partes distributio.* 2. *Quibus e Scripturæ locis descensus ille comprobetur, ac de vocabulis duobus, quæ controversiam faciunt, ac primum de Hebraica voce Nephesch.* 3. *Tum de Scheol, quæ sepulcrum significare monstratur.* 4. *In quo Beza ab Calvino vapulat. De symbolis, in quibus descensus ad inferos Christi siletur.*

Occasio quæstionis hujus: An Christus post mortem ad inferos descenderit.

I. In superiori capite [1], cum illud inquireretur utrum Christus in eos etiam redimendos, qui antequam moreretur æternis erant cruciatibus addicti, pretium sanguinis sui contulisset, in sermonem quemdam incidimus Remigii Lugdunensis, qui pro illis passum esse duntaxat Christum Dominum asseverat, qui in eum venturum crediderant ac speraverant : pro reprobis vero nullo modo esse mortuum. Hæc nos sententia disputationis alterius admonet, tum præsenti opportunæ tractationi ; tum vero necessariæ, et ad fructum officiumque Mediatoris illustrandum accommodatæ : ecquid obita morte Christi anima descenderit ad inferos, et quod ibi vestigium, et exemplum salutaris humano generi functionis ediderit. Latissima ista quæstio est, atque in plura scissa capita : et, ut paucissima sint, tria quatuorve ; quorum primum sit, omniumque præcipuum, an ad inferorum sedes corpore functa Christi anima pervaserit. Secundum, quosnam illinc exemptos in domicilium cœleste transtulerit ; tertium, de Paradisi loco, in quo sancti Latronis animam eodem secum die fore pollicitus est Christus ; quartum an intervallo illo, quo ab corpore sejuncta fuit anima Christi, cum eodem, a quo erat assumpta, Verbo pars utraque copulata manserit.

De primo capite major est, quam de cæteris, exquisitiorque controversia ; nec illa sane plurimum antiqua. Nam etsi de professione ipsa delapsi ad inferos Christi, hoc est ejus in *Symbolo fidei* expressa mentione diversa veterum ratio fuerit : de re ipsa tamen fere consentiebant : donec superiore sæculo novarum cupidi rerum homines extiterunt, qui communem, ac velut per manus traditam a majoribus fidem aspernari penitus auderent ; aut saltem elevare dubitando. Atque hoc non modo manifesti catholicæ communionis hostes ; sed eadem etiam nobiscum tessera sociati aggressi sunt facere. Me quidem, ut in hanc tractandam quæstionem diligentius incumberem, multum est hortata viri cujusdam assertio catholici, et eruditi : qui de hoc argumento disserens nuper, sententiam tulit parum æquam orthodoxæ professioni ; et in eam propensum se esse monstravit, cui nemo, nisi illarum partium, hactenus est assensus. Quamobrem de hac controversia sic agam deinceps, ut, quoniam ex auctoritate potius, quam conclusa ratione, disceptari eam oportet. Est autem illa duplex : nam et ex sacris litteris, tanquam legibus : et ex Patrum, velut consultorum, ac prudentum responsis, testimonia petuntur : attingam prius illam, quam hanc, explicemque quid ex Scripturis liquidi ac certi de ea possit afferri.

II. Duo sunt præcipua Scripturæ loca, quibus descensus ad inferos ille Christi aperte significari videtur. Primus est *Actorum* secundo capite, isque geminus : Nam et *Psalmi* decimi quinti verba ibi citantur ab Apostolo Petro : quæ sic habent. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et Petrus enarrans illa verba [2]. *Providens*, inquit [3], *locutus est de resurrectione Christi : quia ne-*

Quibus ex Scripturæ locis ille descensus probetur.

1 § 4. — 2 *Act.* II. — 3 *Act.*. IX, vers. 31.

que derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Alter locus est primæ epistolæ Petri, capite quarto : ubi Christus legitur [1] in *Spiritu veniens, prædicasse spiritibus, qui erant in carcere.*

De vocabulo Hebraico Nephesch.

Ut a priore ordiar; utrobique, hoc est tam in Psalmo, quam in *Actis*, *inferni* vox diversas in notiones interpretando trahitur; quarum maxime trita et celebris est ista, ut sit idem ac *sepulcrum :* quod Hebræi שאול vocant. Notum est quantam in ea voce licentiam usurparit sibi Theodorus Beza : qui in Latina sua versione ausus est locum illum sic exponere : *Non derelinques cadaver meum in sepulcro :* quasi et נפש, quod est ψυχή, id est, *anima*, pro *corpore*, vel *cadavere* sumatur : et שאול, ut jam dixi, pro *sepulcro*.

Innovandi studium.

Sed illi τὸ καινόσπουδον hoc magno constitit; quippe omnium risu ac conviciis exceptus est, etiam suorum, quibus novitas illa displicuit. Itaque vapulando id à se tandem extudit, ut in aliis deinceps editionibus, mutato consilio ad priorem, et usitatum sensum rediret. Nolo hic esse longior in lite ista plusquam satis est explicanda. Hoc unum ad illam comprimendam flagitiosam temeritatem minime prætererim : quamvis id quod impetrare studet, ultro concessum a nobis fuerit, tam Hebræa, quam Græca nomina utriusque contextus, sic, ut illi commodum est, accipi posse ; ut *Nephesch* et ψυχή *cadaver* interdum significent *Scheol* item, et ᾅδης *sepulcrum :* negare tamen minime poterunt, eadem vocabula plerumque, ac sæpius nativam et usitatam retinere potestatem. Imo hoc ipsum Beza, cæterique, quibus commentum istud placuit, ingenue fassi sunt. Reliquam igitur erit, ut id statuatur, utris tandem potius auscultandum sit, paucis illis, et recentioribus, nec valde idoneis auctoribus : an veteribus omnibus, Græcis ac Latinis : quos et summa doctrinæ copia ; et par, aut major etiam vitæ sanctitas : et omnium sæculorum approbatione constituta deinceps auctoritas commendat . De horum multitudine testium post viderimus.

Item. Scheol.

Quid illa significent vocabula.

III. Quod ad nomina illa pertinet, primum asserimus, non pati linguæ utriusque proprietatem, ut ejusmodi significatio locum illic habeat: Vox נפש licet pro funere mortui hominis, et pollinctura nonnunquam posita legatur, adeoque pro mortuo homine : non tamen pro *corpore* ipso, vel *cadavere* sumitur : quod recte Genebrardus observat ad *Psalmum* secundum.

De altero nomine *Scheol*, quem Græci ᾅδην nominant, acrior et paulo justior est contentio. Hebræorum doctores aliqui *sepulcri* notionem illi subjecere. Veteres autem fere pro infernis sedibus, ac gehennæ loco magis usurpari crediderunt, Hujus rei testes adhibebo duos, quos Magistri citant ad *Psalmum* nonum : cujus insignis est locus, nec mysterio vacuus, ut illis videtur. *Convertantur* ait Propheta *peccatores in infernum* [a]. Observant vocabulum *Scheol* duabus stipatum esse litteris, ל et ה, quarum singula vim habet præpositionis *ad* vel *in*. Proinde satis esse potuit alterutra , ut ita scriberetur לשאול vel שאולה. Quorsum igitur geminata est ibi præpositio? R. Selomoh ad illum locum, R. Aba filii Zabdi sententiam refert his verbis. « Dixit R. Aba filius Zabdi ; ad gradum inferiorem Orci. Et quare scriptum est, *Convertentur* ? Quoniam cum egressi fuerint e gehenna, et steterint in judicio, ac damnati fuerint, revertentur ad gradum inferiorem gehennæ [b]. »

Idem habet et liber, qui inscribitur *Deruscḥ*, hoc est *allegorica expositio*, quem citat ad eumdem *Psalmum* R. David : « In libro, inquit, expositionis allegoricæ, vox inferni pro gehenna sumi dicitur. Cur autem dixit, in gehennam ? Nonne littera He ubicumque ponitur in fine dictionis, idem valet ac Lamed ejusdem initio? sed hoc perinde est ac si diceret, in gradum infimum inferni [c]. » Græci Interpretes ᾅδην solent vertere : quæ dictio neutiquam *sepulcrum* significat : sed inferorum locum *.

Beza a Calvino vapulat.

IV. Quin Theodori Bezæ opinionem, et interpretationem refellit Calvinus [2], et inceptam

a *Psalm.* IX, 18. ישובו רשעים לשאולה :

b R. Selom. *ad Psal.* IX, vers. 18. אמור רבי אבא בר זבדי למדריגה התחתונה של שאול ומהו ישובו לאחר שיצאו מגיהנם ויעמדו בדין ויתחייבו ישובו למדרגה תחתית מלגיהנם :

c R. D. Kim. in eumd. *Psal.* ובדרש לשאולה

* Multa de voce *Scheol* contra Joh. Phereponem, seu Clericum, qui Bezæ crambem recoxit, disputat Muratorius in commentario, *de ingeniorum moderatione in Religionis negotio* lib, III cap. IX. Z.

1 *Pet.* III, 19 et cap. IV, 6. — 2 Calv. II *Instit.* cap. XVI, paragr. 8

judicat: quod verisimile non sit, « rem minime difficilem verbis expeditis, et claris demonstratam, obscuriore deinde verborum complexu indicari magis, quam declarari » in Symbolo : ubi postquam dictum est, *et sepultus est*, statim subjungitur, *descendisse ad inferos :* quæ locutio cum antecedentis explicatio sit, ea debet esse clarior; et tamen esset obscurior, tum superflua foret ista battologia in compendio fidei minime toleranda. At idem Calvinus cum *inferos* illic significari putet, subinde nefariam ac detestandam suam hæresim expromit, et *inferorum* nomine pœnas ipsas designari putat, quas cum damnatis communes tunc sustinuisse Christum asserit: quam blasphemiam alibi confutavimus [1].

Sed et Petrus martyr utriusque, Calvini ac Bezæ, sententiam castigat. Nam et ad inferos [2], ubi sanctorum detinebantur animæ, venisse Christum ex communi sententia docet : et absurdum judicat, quod nonnulli dicunt, eumdem Christum « pertulisse pœnas, et tormenta impiorum; quo nos ab iis malis eriperemur. »

Nec huic obstare debet, quo minus verum, ac fide dignum habeatur, quod in veteribus symbolis, maxime Orientalis Ecclesiæ, prætermissus ille sit *descensus ad inferos :* quo argumento recentior quidam nuper est usus *. « Nam et hodie, inquit, Ecclesiæ catholicæ symbolo descensum non audimus. » Itane descensus ille non hodie usurpatur in symbolo? Non quotidie privatim fideles, dum solemnem fidei tesseram memoriter reddunt, ita profitentur, « Crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos » ? Fatendum id quidem est, in antiquis plerisque symbolis, Græcis ac Latinis non illud expressum fuisse; uti nec in Nicæno, et Constantinopolitano, quod in Ecclesia publice cantari solet. Verum in aliis perantiquis positum fuit: ut in eo, quo Aquileiensis usa est ecclesia, quodque Ruffinus exposuit: ubi et lectorem admonet, « neque in ecclesiæ Romanæ symbolo illud additum haberi: *Descendit ad inferna;* neque in Orientis ecclesiis haberi hunc sermonem. » Et quamvis nominatim hoc in symbolis complurium ecclesiarum declaratum non fuerit, in illis ipsis tamen vulgo, et communi fuisse fide receptum, arguunt qui ubique terrarum, et in iisdem ecclesiis floruerunt, aut iis etiam præfuerunt, innumeri Patres, quorum aliquot audiemus postea, qui de aditis a Christo inferis consentaneum hodiernæ fidei testimonium tulerunt. Ac de symbolis istis eorumque varietate non in hoc solum, sed etiam in aliis capitibus, proprias lucubrationes paucis abhinc annis eruditi, accuratique homines ediderunt : ut necesse modo non sit supervacaneam in illis operam insumere. Nos, quod instituimus, deinceps prosequemur, et præcipuorum ex omni antiquitatis memoria Patrum responsa proferemus : ut ex incredibili eorum consensu Catholici juxta, et hæretici recognoscant, quanto periculo per speciem inquirendi dubitandique de hac re controversia moveatur.

CAPUT XVI.

Recensentur aliqui ex antiquis qui Christum ad inferos descendisse testantur. 1. *Ac primum Græci, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes,* 2. *Eusebius Cæsariensis, Athanasius.* 3. *Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, et Nyssenus.* 4. *Epiphanius.*

Patres Græci qui Christum ad inferos descendisse testantur.

Græcorum Patrum (nam ab illis auspicari convenit) primus audiendus est Justinus martyr. Hic in dialogo *cum Tryphone* Judæo, inter alia Scripturæ loca de Christo, quæ ab Judæis abrasa queritur, unum recenset Jeremiæ Prophetæ, in quo descensus ille manifeste declaratur. « Quinetiam ex ejusdem Jeremiæ similiter dictis, inquit, detruncarunt istud : *Memor fuit Dominus Deus, ex Israele mortuorum, qui dormierunt in terra aggeris, et descendit ad ipsos, ut evangelizaret*

הוא גיהנם ואמרו למה אמר לשאולה והלא כל . אמר לשאולה כלומר למדרגה התחתונה של
הא בסוף הטיבה הוא במקום למד בתחלתה למה שאול :

* Joh. Georgius Weberus in libello, cui titulum fecit: *Doctrina tutior de Descensu Christi ad inferos* etc. cap. II. argumentum e Symbolorum silentio ductum pluribus enervat. Z.

1 Tom. I, lib. X, paragr. 8. — 2 Vide locos com. Petri martyr. clas. II et clas. III, cap. XV.

eis salutare suum[a]. » Cujus auctoritas loci ad hoc saltem valet, ut hanc Justini sententiam fuisse constet, Christum Dominum post mortem ad inferos venisse, ibidemque mortuis prædicasse : quod et Petrus Apostolus confirmat. Irenæus libro quarto, capite XXXIX, « Propter quos, inquit, et descendit in inferiora terræ, id quod erat inoperatum conditionis visurus oculis. » Et capite XLV. « Eapropter Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissam peccatorum existentem his, qui credunt in eum. » Et disertissime in libro V, capite XXXI, Christum docet post mortem suam « tribus diebus conversatum esse ubi erant mortui et descendisse ad eos, extrahere eos, et salvare eos. » Ad idque refert quod Dominus ait, « *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus* [1]. » Et quod Apostolus dicit : « *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ.* » Ac paulo post : « Cum enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit. »

Justinus.

Clemens Alexandrinus in sexto *stromateo* « Christum asserit non alia de causa descendisse ad inferos, nisi ut Evangelium prædicaret [b]. » Cujus discipulus Origenes idem testatur in secundo libro *contra Celsum*, nempe Christum post obitum « nuda anima cum nudis versatus esse spiritibus [c]. » Et Homilia XV *in Genesim* « Dei filium, ait, pro salute mundi usque ad inferna descendisse, et inde Protoplastum revocasse. » Item Homilia VI *in Exodum* , « sed et nos omnes, inquit, puto quod aliquando terra devoratos in inferni penetralibus retinebat, et propterea Dominus noster descendit non solum usque ad terras, sed usque ad inferiora terræ. »

II. Sic Eusebius in libro IV *de Demonstratione Evangelica* latissime id explicat. « Quemadmodum ad mortem usque, et ad mortuos ipsos humanitatis illum leges vocaverint, ut eorum, qui olim mortui erant, animas revocaret [d]. » Et in libro octavo, « carnis expers, ait, et nudatus corpore, quod assumpserat, ad hostium regionem descendit ille. qui est ipsa vita, ut mortem destrueret, et insurgentes in se virtutes [e]. »

Rursus in libro decimo ejusdem operis, *Psalmum* enarans XVI, qui est de Christi passione : « Hic, inquit, ob salutem animarum, quæ apud inferos detinebantur, aderat : quæ quidem a multis jam sæculis illius adventum præstolabantur; ac descenderat æneas contriturus fores, et vectes confracturus ferreos; ut qui apud inferos vincti prius erant, liberos dimitteret [f]. »

Idem etiam ex Thaddæi discipuli ad Abgarum missi prædicatione refert in calce libri primi *Ecclesiasticæ historiæ*.

Athanasius vero eidem præclare suffragatur opinioni : maxime in libro de *Incarnatione Christi* adversus Apollinarem : et inde petito insuper argumento hæretici hujus redarguit errorem, qui præstantiorem animæ partem, quæ est *mens* assumptam negabat a Verbo : sed solam ejus expertem mentis animam illi tribuebat. Atqui interior homo quem Christo detrahebant Apollinaristæ, anima est ipsa, quam a corpore disjunctam in Christo separatus locus excepit « Persuasum igitur habetote, inquit, interiorem nostrum hominem esse animam. Quod et prior formatio hominis indicat, et hac posterior dissolutio. Nec id tantum in nobis, sed etiam in ipsa Christi morte demonstratum est : in qua alterum, id est corpus, pervenit ad se-

a Justin. dialog. Καὶ ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ αὐτοῦ Ἰερεμίου ὁμοίως ταῦτα περιέκοψαν. Ἐμνήσθη δὲ Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος. καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ.

b Clem. Alex. VI *Strom.* Εἴ γ' οὖν ὁ κύριος δι' οὐδὲν ἕτερον εἰς ᾅδου κατῆλθεν, ἢ διὰ τὸ εὐαγγελίσασθαι.

c Orig. II *cont. Cels.* Καὶ γυμνῇ σώματος γενόμενος ψυχῇ ταῖς γυμναῖς σωμάτων ὡμίλει ψυχαῖς.

d Eus. IV *de Dem.* Καὶ γὰρ μέχρι θανάτου, καὶ αὐτῶν νεκρῶν οἱ τῆς φιλανθρωπίας αὐτὸν ἐκάλουν νόμοι, ὡς ἂν καὶ τῶν πάλαι τεθνεώτων τὰς ψυχὰς ἀνακαλέσοιτο.

e Ibid. lib. VIII. Ἄσαρκος καὶ γυμνὸς οὗ ἀνειλήφει σώματος, ἐπὶ τὸ τῶν ἐχθρῶν κατῄει χωρίον, αὐτοζωὴ τυγχάνων. Θάνατον καταλύων, καὶ τὰς ἐπανισταμένας αὐτῷ δυνάμεις.

f Ibid. lib. X. Ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἐν ᾅδου ψυχῶν παρῄει, ἐκ μακρῶν αἰώνων τὴν ἄφιξιν αὐτοῦ περιμενουσῶν, κατῄει γε θύρας χαλκᾶς συντρίψων, καὶ μοχλοὺς σιδηροῦς συνθλάσων, καὶ τοὺς πρὶν δεσμίους ᾅδου ἐλευθέρους ἀνήσων.

1 *Matth.* XII, 40.

pulcrum: anima vero ad inferos usque penetravit. Cum autem ambo ista loca longo intervallo separentur, ac sepulcrum quidem corporei capax sit adventus, eo corpus pervenit: et quoniam inferi incorpoream præsentiam capiunt: quo tandem pacto Dominus incorporeo modo illuc penetrans, tanquam homo est a morte reputatus: ut animabus, quæ in vinculis habebantur, formam propriæ animæ, quam nulla mortis vincula detinere poterant, præsentem præsentibus exhibens, vincula disrumperet animarum, quæ apud inferos attinebantur [a] ? »

Christi sepultura descensusque ad inferos corruptionis mortisque dominatum solvit.

Item in alio libro, qui est *de salutari adventu Christi*, post hujus obitum corpus in sepulcro locatum fuisse scribit, animam apud inferos, nec ab utraque divulsam esse divinitatem; atque huc pertinere vult locum istum Davidis e Psalmo xv. *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*. Ex quo ita colligit: « Propterea in anima quidem Dei, mortis dominatio solvebatur, et ab inferis resurrectio fiebat, ac nuntiabatur animabus. In Christi vero corpore, corruptela delebatur, et incorruptibilitas ostendebatur e sepulcro [b]. » Tum postea: « Ex inferis quidem, animam; e sepulcro vero corpus exhibens: ut in morte destrueret mortem per exhibitionem animæ; in sepulcro vero corruptelam extingueret, in corporis sepultura: ex inferis, et sepulcro immortalitatem et incorruptionem ostendens [c]. »

De Christi descensu ad inferos testimonia Græcorum Cyrilli, Basilii, Gregorii Naz.

III. Cyrillus etiam Hierosolymitanus in catechesi quarta, « Christum ait in monumento petræ revera collocatum, velut hominem; et ad inferna descendisse, ut inde justos redimeret [d], » qui ab Adamo innumerabiles illic inclusi tenebantur. In catechesi itidem decima quarta fuse idipsum explicat, et hujus ad inferos animæ Christi descensionis in Jonæ figura rationem explicat.

Basilius *in Psalmum* XLVIII, ad hæc verba, *Verumtamen redimet Deus animam meam de manu inferi*, significari putat hic prophetico afflatu descensum ad inferos Christi, quo sua cum cæteris anima liberanda sit.

Gregorius quoque Nazianzenus in calce orationis XXXV. « Sepelitur, inquit, verum resurgit: ad inferos descendit: verum animas sursum educit [e]. » Sic in oratione XLII, « Si ad inferos descendat, inquit, una cum illo descende. Ea quoque mysteria cognosce, quæ Christus ibi designavit [f]. »

Gregorii Nysseni.

Consentit et Gregorius Nyssenus in libro primo *contra Eunomium*; ubi copiose disputat adversus Arianos; Christum uti verum, ac nostri simile corpus, sic veram animam habuisse, quæ ab corpore disjuncta sit in morte. Quinetiam locum illum *Actorum* secundi capitis, in quo *Psalmi* verba ista [1]. *Non derelinques animam meam in inferno*, etc. ad Christum accommodantur, ex communi et recepta sententia Catholicorum interpretatur de Christi anima, quæ ab inferis est erepta, nec diu ibi permissa consistere. Quare cum illam descensionem ad inferos animæ Christi Davidis et Petri auctoritate comprobatam ad id assumat, ut quod in controversia erat Catholicos inter et hæreticos adstruat; veram in Christo fuisse animam: consequens est, prius illud omnium Christianorum assertione constitisse, ac pro certo, confessoque ab universis habitum. Oportet enim ex notioribus, et omnium assensione certis argumenta proficisci. Igitur neque de inferis ab anima

a ATHAN. Πείσθητε οὖν, ὅτι ὁ ἔσωθεν ἡμῶν ἄνθρωπός ἐστιν ἡ ψυχή. τοῦτο καὶ τῆς πρώτης πλάσεως δεικνυούσης, καὶ τῆς δευτέρας διαλύσεως δηλούσης· οὐ μόνον ἐφ' ἡμῖν τούτων δεικνυμένων, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ θανάτῳ τοῦ Χριστοῦ ἐδείκνυτο. τὸ μέντοι μέχρι τάφου φθάσαν, ἡ δὲ μέχρι ᾅδου διαβᾶσα. διαιρετῶν δὲ ὄντων τῶν τόπων πολλῷ μέτρῳ, καὶ τοῦ μὲν τάφου σωματικὴν ἐπιδεχομένου τὴν ἐπίβασιν, ἐκεῖσε παρῆν τὸ σῶμα· τοῦ δὲ ᾅδου ἀσώματον· πῶς ἐκεῖ παρὼν ὁ Κύριος ἀσωμάτως ὡς ἄνθρωπος ἐνομίσθη ὑπὸ τοῦ θανάτου, ἵνα ψυχαῖς ταῖς ἐν δεσμοῖς κατεχομέναις μορφὴν ἰδίας ψυχῆς ἀνεπίδεκτον τῶν δεσμῶν τοῦ θανάτου παραστήσας παροῦσαν παρούσαις, διαῤῥήξῃ τὰ δεσμὰ ψυχῶν τῶν ἐν ᾅδου κατεχομένων;

b ATHAN. lib. *de Salut. adv.* Διὰ τοῦτο ἐν μὲν ψυχῇ Θεοῦ ἡ κράτησις τοῦ θανάτου ἐλύετο, καὶ ἐξ ᾅδου ἀνάστασις ἐγίνετο, καὶ ταῖς ψυχαῖς εὐηγγελίζετο· ἐν δὲ σώματι Χριστοῦ ἡ φθορὰ κατηργεῖτο, καὶ ἡ ἀφθαρσία ἐκ τάφου ἐδείκνυτο.

c Ibid. Ἐξ ᾅδου μὲν τὴν ψυχὴν, ἐκ τάφου δὲ τὸ σῶμα ἐπιδεικνύμενος· ὅπως ἐν θανάτῳ καταλύσῃ τὸν θάνατον ἐν ἐπιδείξει ψυχῆς, ἐν δὲ τῷ τάφῳ καταργήσῃ τὴν φθορὰν ἐν ταφῇ σώματος, ἐξ ᾅδου, καὶ τάφου τὴν ἀθανασίαν, καὶ τὴν ἀφθαρσίαν ἐπιδεικνύμενος. Vide et orat. IV *cont. Arian.*

d CYRILL. cat. IV. Ἐν μνήματι πέτρας ἐτέθη ἀληθῶς ὡς ἄνθρωπος, etc. Κατῆλθεν εἰς τὰ καταχθόνια, ἵνα κἀκεῖθεν λυτρώσηται τοὺς δικαίους.

e NAZIANZ. Θάπτεται, ἀλλ' ἀνίσταται· εἰς ᾅδου κάτεισιν, ἀλλ' ἀνάγει ψυχάς.

f Id. orat. XLII. Ἂν εἰς ᾅδου κατίῃ. συγκάτελθε, γνῶθι καὶ τὰ ἐκεῖσε τοῦ Χριστοῦ μυστήρια.

1 *Psalm* xv.

Christi aditis, neque de communi Catholicorum interpretatione locorum illorum ex secundo *Actorum* capite, et *Psalmo* xv dubitatum est per illud tempus : de quo litem nobis hodie movent hæretici : et qui plus quam probos, ac frugi Catholicos deceat, indulgent illis Romanæ cæteroqui professionis homines. Atque hoc sequentia magis illustrabunt testimonia, quæ deinceps pertexemus.

Epiphanii. IV. Epiphanius in hæresi vicesima, quæ est *Herodianorum*, aperte, ac citra ambiguitatem id explicat ita scribens ; « In cruce suspenditur, sepelitur, ad inferos cum divinitate sua, animaque descendit : captivam ducit captivitatem [a].» Et in hæresi LXIX, quæ est *Arianorum*, sepultum ait esse Christum, « et ad inferos cum anima et divinitate descendisse, ut stimulum mortis infringeret, fœdusque cum inferis initum dissolveret [b]. » sed multo accuratius hoc affirmat in eadem hæresi, sectione LXII ; « Ubi divinitatem Christi cum anima sua descendisse ait ad inferos, ut eos, qui ante mortui erant, hoc est sanctos Patriarchas in salutem assereret [c] : » atque ut inferorum ipse princeps, et mors animam hominis videntes, et eam sibi captivam subjicere volentes, caperentur ipsi potius ; et in illis hoc impleretur, quod scriptum ; *Non relinques animam meam in inferno* [1] *; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Non enim sanctum Dei Verbum animam suam reliquit, nec destituta est anima ejus in inferno. Addit triduo jacere corpus in sepulcro debuisse, ut illud expleretur : *Factus sum inter mortuos liber* [2]. Porro in illo loco *Psalmi* xv ubi ait: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, nomen *sancti* significare corpus, quod in sepulcro interim jacebat, dum apud inferos anima versabatur. Hæc latius disputantur ibidem ab Epiphanio. Qui et in hæresi *Dimœritarum* [3], id est *Apollinaristarum*, quæ est LXXVII, ex eo quod anima descendit ad inferos, hæreticorum istorum castigat insaniam, qui Verbum dicebant in carnem, et ossa mutatum fuisse. Nam si verum id esset, frustra Christi corpus in monumento positum narrarent Evangelistæ : cum satius foret affirmare, corpus ipsum per sese inferos adiisse, ut iis, qui ibi erant, velut in custodia, prædicaret. Rursus in eadem hæresi, « corpus Christi revera de cruce depositum, captum, involutum ab Josepho, et in monumento collocatum fuisse dicit, ac lapide munitum. Ipsum porro Christum descendisse ad inferos divinitate sua cum anima, ut vinctos fortitudine sua, et potentia liberaret [d].

V. Joannes Chrysostomus homilia secunda *in Matthæum*, sub initium : « Cogita, inquit, apud te, quantum sit audire, quemadmodum e cœlis, ac thronis regiis exurgens, in terram et in inferos ipsos exiliit Deus, et in acie stetit [e]. » Tum homilia LXXXI tomi quinti, quæ est *de nomine cœmeterii, et de cruce.* « Hodie, inquit, infernorum Dominus noster totum domicilium lustrat : hodie portas ferreas confregit : hodie vectes ferreos disrupit [f]. » Ac deinde latius istud exequitur, docetque, cur et ferreas portas vocet, et confractas illas dicat. Item Dominum ipsum per sese loca hæc adiisse, et captivum abduxisse tyrannum ipsum. J. Chrysostomi.

Ad hæc in homilia LXI tomi VI, cujus titulus est, *quod Deus sit Christus :* explicans illum Isaiæ locum [4] : *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum* : de Christo intelligit, et ejus ad inferos adventu : quos thesauri nomine appellari idcirco dicit, « quod etsi inferi essent, tamen animas sanc-

a EPIPH. Σταυροῦται, θάπτεται, κατέρχεται εἰς τὰ καταχθόνια ἐν θεότητι, καὶ ἐν ψυχῇ, αἰχμαλωτεύει τὴν αἰχμαλωσίαν.

b Idem hær. LXIX, § 52. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ σὺν τῇ ψυχῇ κατελθὼν ἐν τῇ θεότητι κλάσῃ τὸ κέντρον τοῦ θανάτου, καὶ διαλύσῃ τὴν πρὸς τὸν ᾅδην διαθήκην.

c Ibid. § 62. Ἤμελλε γὰρ ἡ θεότης τελειοῦν τὰ πάντα, τὰ κατὰ τὸ μυστήριον τοῦ πάθους, καὶ σὺν τῇ ψυχῇ κατελθεῖν εἰς τὰ καταχθόνια, ἐπὶ τὸ ἐργάσασθαι τὴν ἐκεῖ τῶν προκεκοιμημένων σωτηρίαν, φημὶ, τῶν ἁγίων πατριαρχῶν.

d Idem hær. LXXVII, § 25. Ἐν ἀληθείᾳ τὸ σῶμα καθαιρούμενον, καὶ λαμβανόμενον ἐν ἀληθείᾳ, καὶ ἑλισσόμενον ὑπὸ τοῦ Ἰωσὴφ, καὶ ἐν μνήματι τιθέμενον ἐν ἀληθείᾳ, λίθῳ ἠσφαλισμένον. κατερχόμενος ἐν θεότητι σὺν ψυχῇ εἰς ᾅδου, καὶ λύων πεπεδημένους ἐν ἀνδρείᾳ, καὶ ἐν δυνάμει.

e CHRYSOST. Ἐννόησον γὰρ ἡλίκον ἐστὶν ἀκοῦσαι, πῶς μὲν ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ τῶν θρόνων ἀναστὰς τῶν βασιλικῶν, καὶ εἰς τὴν γῆν, καὶ εἰς αὐτὸν τὸν ᾅδην ἥλατο ὁ θεὸς, καὶ ἐπὶ τῆς παρατάξεως ἔστη.

f Idem. Σήμερον γὰρ τὰ ἐν ᾅδου περιπολεῖ πάντα ὁ δεσπότης ἡμῶν· σήμερον τὰς χαλκᾶς πύλας συνέκλασε· σήμερον τοὺς μοχλοὺς τοὺς σιδηροῦς συνέθλασεν.

1 *Psal.* xv, 10. — 2 *Psal.* vxxxvii, 6. — 3 Epiph. Hær. LXXVII paragr. 7 et 8. — 4 *Isa.* XLII, 2.

tas, et vasa pretiosa condebant, Abraham, Isaac, et Jacob [a]. »

Theophili Alex.

Theophilus Alexandrinus in epistola prima Paschali [1], quam Latine interpretatus est Hieronymus, Apollinarem refutat asserentem, Verbum assumpsisse animam rationis, ac mentis expertem; quem errorem ex ipsa descensione ad inferos animæ Christi redarguit, ac primum locum illum Davidis affert e *Psalmo* XV. *Non derelinques animam meam in inferno;* deinde sic disserit: « Nec credibile est, quod ad inferos caro ejus descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit anima, inferis apparuerit : sed quod corpus ejus positum in sepulcro sit; et ipse nec de corpore, et sapientia carnis, nec de divinitate sua dixerit, *Non derelinques animam meam in inferno ;* sed vere de nostræ naturæ anima, ut perfectam, ac rationalem, et intelligibilem, atque sensibilem ad inferos animam descendisse monstraret. »

Subjungendus avunculo Alexandrinus et ipse præsul Cyrillus : qui non uno in loco animæ ad inferos Christi descensionem approbat. Velut libro *in Joannem* XII. « Post triduum, inquit, revixit, postquam spiritibus, qui erant in custodia prædicavit. Sic enim plenissime suam ostendit humanitatem, quod non solum iis, qui adhuc in terra degebant, salutem attulit : verumetiam iis, qui jam vita functi erant, et in abyssi penetralibus sedebant in tenebris, ut ait Scriptura [2], prædicavit indulgentiam [b]. » Et in dialogo *de Incarnatione*, locum illum pertractans *Actorum* secundi capitis, in quo Petrus Apostolus *Psalmi* decimiquinti verba hæc expendit. *Non derelinques animam meam in inferno*, etc. ex Apostoli mente sic illa declarat; ut neque anima Christi in inferis relicta sit : neque caro ejus in sepulcro corrupta : « Nam anima divina conjunctionem, et unitionem cum Verbo sortita, ad inferos quidem descendit, inquit, et divina potentia facultateque utens, spiritibus, qui illic erant, apparuit [c] » Tum ex alio loco prioris *Canonicæ* Petri, ubi Christum ait *in spiritu venientem iis* , *qui in carcere erant*, *spiritibus* [3], *prædicasse*, hæc in animam illius convenire, non in divinitatem probat.

Cyrilli.

VI. Philo Carpathius in commentario ad *Cantica Canticorum*, verba hæc enarrans capitis sexti, *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum*, sponsi descensum interpretatur de Christi descensu ad inferos. « Tunc enim hortum, seu paradisum triumphator ingressus est, cum ad inferos penetravit. » Gregorius Thaumaturgus (ut quidem inscribitur) oratione *in Theophania* Christum ita loquentem introducit : « Oportet me descendere et ad ima Tartari profunda, propter mortuos, qui ibi detinentur [d]. »

Philonis Carpathii.

Gelasius Cyzicenus in parte secunda *Nicænorum Actorum*, Macarium Hierosolymorum episcopum ita cum philosopho disputantem inducit : « Deferebamur nos ad inferos post mortem. Hoc in seipsum Christus suscepit, et illo sponte descendit. Non delatus est, uti nos : sed descendit. Non enim morti subjectus erat, sed morti dominabatur , ac solus ille descendens, cum pluribus ascendit [e]. »

Gelasii Cyziceni.

Leontius Byzantinus libro secundo *contra Nestorium*, *et Eutychem* [4] ex illo eodem *Actorum* loco, Christi animam apud inferos fuisse ; sed non illic mansisse docet. Tum ex Athanasii libro secundo *contra Appollinarem* idem adstruit.

Leontii.

Anastasius Sinaita in libro, qui inscribitur ὁδηγός, contra Monophysitas disputans utramque naturam hac argumentatione comprobat. « Si sola divinitas est Christus, tanquam humana natura absorpta sit a divina :

Viæ dux. Anastasii Sinaitæ,

a Chrysost. hom. lxi. Εἰ γὰρ καὶ ᾅδης ἦν, ἀλλὰ ψυχὰς ἐκράτει ἁγίας, καὶ σκεύη τίμια, τὸν Ἀβραὰμ, τὸν Ἰσαὰκ, τὸν Ἰακὼβ, διὸ καὶ θησαυροὺς ἐκάλεσε.

b Cyrill. II *in Joan.* Τριήμερος γὰρ ἀνεβίω, κηρύξας καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. πληρεστάτη γὰρ οὕτως ἡ τῆς φιλανθρωπίας ἐπίδειξις ἦν, τῷ μὴ μόνον ἀνασῶσαι, φημὶ, τοὺς ἔτι ζῶντας ἐπὶ τῆς γῆς. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἤδη κατοιχομένοις, καὶ ἐν ταῖς τῆς ἀβύσσου μυχοῖς καθημένοις ἐν σκότῳ, κατὰ τὸ γεγραμμένον διακηρύξαι τὴν ἄφεσιν. Vide et lib. XII, et Pasch. orat. ii et orat. xx.

c Cyrill. Ψυχὴ δὲ ἡ θεία τὴν πρὸς αὐτὸν λαχοῦσα συνδρομήν τε, καὶ ἕνωσιν, καταπεφοίτηκε μὲν εἰς ᾅδου, θεοπρεπεῖ δὲ δυνάμει, καὶ ἐξουσίᾳ χρωμένη, καὶ τοῖς ἐκεῖσε πνεύμασι κατεφαίνετο. Idem habet et in libro *de Recta fide ad Theodos.* num. 22.

d Thaumat. Δεῖ με κατελθεῖν καὶ εἰς τὸν τοῦ ᾅδου πυθμένα διὰ τοὺς ἐκεῖ κατεχομένους νεκρούς.

e Gelas. lib. II, cap. xxiii. Κατεφερόμεθα μετὰ τὸν θάνατον εἰς τὸν ᾅδην. ἀνεδέξατο καὶ τοῦτο καὶ κατῆλθεν ἑκουσίως εἰς αὐτόν. οὐ κατηνέχθη καθάπερ ἡμεῖς, ἀλλὰ κατῆλθεν. οὐ γὰρ ἦν ὑποκείμενος τῷ θανάτῳ, ἀλλ' ἐξουσιαστὴς τοῦ θανάτου, καὶ μόνος κατελθὼν, μετὰ πλήθους ἀνελήλυθε.

1 Theophil. tom. III *Bibl. Patr.* — 2 *Isa.* lxi, 1. — 3 I *Pet.* iii, 19. — 4 Leont. tom. IV *Bibl. Patr.*

quomodo in cruce suspensus non habebat speciem, neque decorem; et in sepulcro jacens non habebat animam; delapsus autem ad inferos, corpore carebat: ita ut sepulcrum solum illius corpus exciperet: inferi vero solam animam: ac neque corpus quod materiale, visibile, et attrectabile habet amitteret: nec anima proprietates animæ: cum interim utrique esset copulata divinitas [a]? »

Cæsarii. Ita Cæsarius dialogo tertio, in responsione ad quæstionem CXLIII. « Dei ac Verbi incarnati animam ad inferos venisse, ait, ac nihilominus in paternis manibus exstitisse[b]. »

Auctoris dial. II. c. Maced. Auctor dialogi secundi *contra Macedonianum*, cui vulgo nomen Athanasii præfigitur, et Maximi martyris a quibusdam esse creditur, ex eo demonstrat « Christum anima opus habuisse, ut contristari, et angi, et inferos adire posset [c]. »

Hippolyti. Sic Hippolyti nomine vulgatus liber *de consummatione mundi* sub initium, Prophetas ait Christianæ fidei dogmata tradidisse, et inter alia, « descensum, et animarum, quæ a sæculis erant, ascensum et redemptionem [d]. » Agnoscit et illum ad inferos descensum Jobius monachus apud Photium codice CCXXII, cujus postea meminerimus; ut et Damascenus libro terrio, capite XXIX, et in oratione *de mortuis*, necnon commentarius *in Lucam* Titi Bostrensis nomen præferens, in *Lucæ* caput XXIII [1].

Theodori Abucaræ. Theodorus Abucara in calce opusculi primi; « Quoniam, inquit, impossibile erat cum carne apud inferos versari; idcirco per mortem anima Domini a carne divulsa inter eas quæ in tenebris degebant, animas commorans, easque luce divinitatis suæ collustrans; quæ ex illis in se crediderant, in paradisum transtulit, et inferorum regiam demolitus est. Ut enim tanquam porta et ingressus ad mundum adeundum fuit Deo Verbo sanctissima Virgo, sit et mors porta illi, et ingressus fuit descendendi ad inferos [e]. »

Andreæ Cretensis. Andreas denique Cretensis oratione prima *de Dormitione S. Mariæ*, perinde Christi descensum ad inferos, ut superiores illi omnes, explicat. « Ipse, inquit, communi nobiscum lege censeri voluit, vadens in medio umbræ mortis, uti scriptum erat, et triduo commorans in infimis terræ partibus: ubi jam ante mortuorum animæ detinebantur inevitabilibus alligatæ catenis: quibus et nuntiatum est Evangelium, ut ait sanctus Petrus. Nam et spiritibus, qui erant in carcere prædicavit [f]. » Sed Græcorum Patrum abunde est; nunc Latinos audiamus.

CAPUT XVII.

Latinorum Patrum de eodem ad inferos Christi descensu testimonia.

Testimonia Latinorum Patrum de Christi descensu ad inferos. I. Non minor, nec infrequentior est auctoritas Latinorum de eadem Christi descensione Patrum, qui ad fidei regulam, illam ipsam pertinere putant. Ex iis Tertullianus libro *de Anima*, cap. IV, egregie communem de inferis, eorumque situ, et in illos relegatis ante Christum Patriarchis, cæterisque sanctis,

Tertulliani.

a ANAST. citatus ab Euthym. *Panop.* tit. XV. Εἰ μόνη θεότης ἐστὶν ὁ Χριστὸς, οἷον καταποθείσης τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ὑπὸ τῆς θείας, πῶς ἐν μὲν τῷ σταυρῷ κρεμάμενος οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος, ἐν δὲ τῷ τάφῳ κείμενος οὐκ εἶχε ψυχήν· εἰς τὸν ᾅδην δὲ κατελθὼν οὐκ εἶχε σῶμα; καὶ ὁ μὲν τάφος αὐτοῦ σῶμα μόνον ὑπεδέξατο, ψυχὴν δὲ μόνην ὁ ᾅδης· οὔτε τοῦ σώματος τὸ ὑλικὸν, καὶ ὁρατὸν, καὶ ἁπτὸν ἀποβάλλοντος, οὔτε τῆς ψυχῆς τὰ τῆς ψυχῆς ἰδιώματα· εἰ καὶ ἀμφοτέροις ἡ θεότης συνῆν;

b CÆSAR. Ὥστε οὖν καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ φοιτήσασαν τὴν τοῦ θεοῦ καὶ λόγου σαρκωθέντος ψυχὴν ἐν ταῖς πατρῴαις χερσὶν αὐτὴν ὑπάρχειν φαμέν.

c ATHAN. Εἰς τὸ λυπηθῆναι, καὶ ἀδημονῆσαι, καὶ ἐθαμβηθῆναι, καὶ ἐν ᾅδου γενέσθαι χρείαν εἶχε ψυχῆς.

d HIPPOL. Τὴν εἰς ᾅδου κατάβασιν, καὶ τῶν ἀπ' αἰώνων ψυχῶν ἀνάβασίν τε, καὶ ἀπολύτρωσιν.

e ABUC. tom. II *Bibl.* Ἐπειδὴ ἀδύνατον μετὰ σαρκὸς ἐνδημῆσαι τοῖς ἐν ᾅδου, τῷ θανάτῳ διαιρεθείσης ἐκ τῆς σαρκὸς τῆς τοῦ Κυρίου ψυχῆς, γυμνὴ ταῖς ἐν σκότει ψυχαῖς ἐνδημήσασα, καὶ φῶς αὐτοῖς τὸ τῆς θεότητος ἀπαστράψασα, καὶ εἰς αὐτὸν πιστευσάσας εἰς τὸν παράδεισον μετατέθεικεν, καὶ τὸ τοῦ ᾅδου βασίλειον καταλέλυκεν. ὥσπερ γὰρ πύλη, καὶ εἴσοδος τῆς εἰς τὸν κόσμον ἐπιδημίας τοῦ θεοῦ λόγου ἡ παναγία παρθένος γέγονεν οὕτω καὶ ὁ θάνατος πύλη, καὶ εἴσοδος τῆς εἰς ᾅδην καταφοιτήσεως.

f ANDREAS. Καὶ αὐτὸς ἡμῖν τὸν ἴσον εἵλετο θεσμὸν, πορευθεὶς ἐν μέσῳ σκιᾶς θανάτου, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἐπὶ τρισὶ θ' ἡμέραις ἐνδιατρίψας εἰς τὰ κατώτατα μέρη τῆς γῆς· ἔνθα τῶν ἤδη θανόντων αἱ ψυχαὶ προκατειχόντο σειραῖς ἀφύκτοις σφιγγάμεναι. αἷς καὶ εὐηγγελισθη, κατὰ τὸν μακάριον Πέτρον. καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ γὰρ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρηξε.

1 Titus Bostr. tom. XIII *Bibl. Patr.*

et ad eosdem Christi descensu fidem confirmat. Et inter alia sic scribit ; « Siquidem Christo in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est in recessu intimo, et interno, et in ipsa terra operto, et intra ipsam clauso, et inferioribus adhuc abyssis superstructo. Quod si Christus Deus, quia et homo, mortuus secundum Scripturas, et sepultus secus easdem, huic quoque legi satisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus; nec ante ascendit in sublimiora cœlorum, quam descendit in inferiora terrarum; ut illic Patriarchas, et Prophetas compotes sui faceret. »

Lactantii. Sic Lactantius libro IV, capite VI, causam hanc susceptæ carnis a Verbo fuisse scribit, « ut suscepta hominis figura, et conditione mortali, doceret homines justitiam : et cum mandatis Dei functus, veritatem gentibus revelasset, multaretur etiam morte ; ut inferos quoque vinceret, ac resignaret, atque ita demum resurgens ad Patrem proficisceretur in nube sublatus. »

Firmici. Julius Firmicus Maternus libro *de Errore profanarum religionum*, « Fecit, inquit, Filius Dei quod ante promiserat, clausit januas sedis infernæ, et duræ legis necessitatem calcata morte prostravit. Per triduum recens ita ab eo justorum turba collecta est, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas ; ne justorum meritum ex longa desperatione concideret; fregit claustra perpetua, et ferreæ fores Christo jubente collapsæ sunt. »

Hilarii. Hilarius item [1], « Numquid ambigitur, inquit, quin Jesus Christus homo ex mortuis resurgens, super omnes cœlos ascendens, a dextris Dei sit ? Numquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro jacuit, dicetur ? Si itaque qui descendit, ipse et ascendit, ut neque corpus descendisse ad inferos credatur; et resurgens ex mortuis corpus ascendisse in cœlos non ambigatur : quæ hic præter occulti sacramenti, et incogniti mundo, ac principibus sæculi fides relicta est, » etc. Si ergo corpus ad inferos minime descendit, evidens est, sepulcrum non esse inferos; cumque non ut Deus descendisse dici possit; necesse est animam eo descendisse : Siquidem omnino ut homo descendit; ut in commentario ad *Psalmum* LIII testatur his verbis : « Morte enim non interceptus est unigenitus Dei filius : ad explendam quidem hominis naturam etiam morti se, id est discessioni se tanquam animæ corporisque subjecit : et ad infernas sedes, id quod homini debitum videtur esse, penetravit. » Non potest Deus ad inferos descendisse dici, nisi quatenus eo delapsa est anima : quia nec totus homo descendit, nec sola, quæ in sepulcro detinebatur, caro. Igitur cum anima, et propter animam, quacum ab carne divulsa nihilominus copulabatur, descendisse Deus ad inferos creditur. »

Hunc Hilarii locum declarat similis Ambrosii locus ex cap. V libri *de incarnatione*, ubi primum ita loquitur : « Nam cum esset unctus a Joseph, et in ejus monumento sepultus, novo opere quodam ipse defunctus, defunctorum sepulcra reserabat : et corpus quidem ejus jacebat in tumulo : ipse autem inter mortuos liber remissionem in inferno positis soluta mortis lege donabat. Erat ergo caro ejus in monumento, sed virtus ejus operabatur e cœlo. » Hic etsi animam nominatim non exprimit, eam tamen his verbis intelligit, cum ait, *ipse inter mortuos liber*, etc. adeo ut potior et principalis pars hominis, quæ apud inferos versatur, in appellationem cedat Christi totius (ut etiam in superiore Hilarii loco) quæ ibidem subjicit Ambrosius, (itidem ut de posteriore Hilarii loco diximus) ostendunt : ubi ad illud alludens Jobi ; *Abyssus dicit, Non est in me* [2], sic loquitur : « Non dicit cœlum, *non est in me* : sed abyssus dicit, *non est in me*. Non enim abysso, sed Patri dixit, *In manus tuas commendo spiritum meum* [3]. Ipsa anima etsi fuit in abysso, jam non est, quia scriptum est : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* [4], etc. Ambrosii.

Idem libro *de fide* tertio, cap. III, enarrans illa *Psalmi* LXXXVII verba [5] : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* : hæc ad rem nostram spectantia posuit : « Liber igitur est, qui mortis vincula nescivit, non captus ab inferis ; sed qui operatus sit in infernis : sine adjutorio est, quod neque per nuntium, neque legatum : sed ipse per se Dominus salvum fecit populum suum[6]. »

Item ad *Psalmum* CXVIII, octonario decimo nono, et ad illa verba ; *Prope es tu Domine*, etc. alio *Psalmi* CXXXVIII allato loco ,ubi ita scriptum est, *Quo ibo a spiritu tuo?* etc. hæc adnotat [7] : « Siquidem hæc per os Prophetæ locutus est Dei filius, in persona hominis locutus qui per incarnationem descen-

1 Hilar. X *de Trinit.* — 2 *Job.* XXVIII. — 3 *Luc.* XXIII. 4 *Psalm.* XV. — 5 *Psal.* LXXXVII. — 6 *Isa.* LXIII. — 7 Amb. tom. II.

dit in terras, per resurrectionem ascendit in cœlum; per corporis mortem penetravit infernum, ut solveret, alligatos. »

III. Citatur et alius Ambrosii locus ex libello *de mysterio Paschæ*, quem tamen haud puto germanum Ambrosii esse fetum : ac de eo paulo post agemus. Quinetiam ex commentariis in epistolas Pauli afferuntur alii : qui citra controversiam alterius sunt auctoris; et quidem perantiqui, quem Ambrosii æqualem fuisse alibi diximus; quare hic illi locus post verum Ambrosium merito tribuendus est.

ctor m. in Pauli. Igitur auctor illius Commentarii, in caput XIV epistolæ *ad Romanos*, ad hæc verba [1] : *In hoc enim Christus, et mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum, et vivorum dominetur*, de Christo istud adnotat [2] : « Propter quod et occidi se passus est ab inimicis, ut descendens ad inferos, quia innocens erat occisus, reum faceret peccatum, ut quos tenebat apud inferos, amitteret. »

Et rursus in epistolam priorem *ad Timotheum* ; « Quoniam homo jam reconciliatus Deo obnoxius erat morti infernæ, ne ad eum, cui reconciliatus erat, posset ascendere, Salvator ut arbitrium suum ad effectum perduceret, mori se passus est contra jus, ut descendens ad inferos, mortem de impietate, quam in eo gesserat, damnaret, auferens ei quos tenebat : ut de cætero quisquis signum ejus haberet, ab ea teneri non posset. » Hunc locum ut ab Hincmaro lib. *de Prædestinatione* citatur [3], descripsimus; qui in editis mendose legitur. Hoc enim, ut et proxime antecedente utitur Hincmarus, ut probet Christum generatim pro omnibus esse passum.

Idem auctor in illa verba capitis quarti epistolæ *ad Ephesios* [4], *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ*. « Triumphato ergo diabolo, inquit, descendit in cor terræ, ut ostensio ejus prædicatio esset mortuorum, ut quotquot cupidi ejus essent, liberarentur. Nec poterat non ascendere, qui ad hoc descenderat, ut vi potestatis suæ calcata morte cum captivis, quorum causa pati se permisit, resurgeret, » etc. Deinde : « Hic ergo descendens e cœlis in terram homo natus est : post mortem descendit ad inferos ; ex quibus tertio die resurgens, ante omnes mortales ascendit super cunctos cœlos, ut illusam mortem ostenderet creaturæ. »

IV. Quid de Augustino dicam; quo nemo gravius, copiosius, ac disertius vulgatæ apud theologos, imo Catholicos omnes, opinioni suffragatus est? Hanc enim ex professo disceptavit aliquot in locis, e quibus carptim nonnulla libabimus. Maxime autem in epistola undecentesima propositam sibi ab Evodio episcopo tractavit illam de obscurissimo Petri Apostoli loco quæstionem, de quo mox. Ibidemque communem, quam dixi, sententiam de Christi anima inferos adeunte ita comprobat, ut neminem, nisi infidelem, dissentire putet. « Dominum, inquit, carne mortificatum venisse in infernum satis constat. Neque enim contradici potest vel prophetiæ quæ dixit, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno :* Quod ne aliter quisquam sapere auderet in *Actibus Apostolorum*, idem Petrus exponit, etc. Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum. » Et postea : « Quamobrem teneamus firmissime quod fides habet fundatissima auctoritate firmata : quia Christus mortuus est secundum Scripturas, et cætera, quæ de illo testatissima veritate conscripta sunt. In quibus etiam hoc est, quod apud inferos fuit solutis eorum doloribus, quibus eum erat impossibile teneri : a quibus etiam recte intelligitur solvisse, et liberasse quos voluit, corpusque, quod in cruce reliquerat, in sepulcro positum recepisse. » Augustini.

In libro quoque duodecimo *de Genesi ad litteram*, capite XXXIII, ubi de inferis et illis ad Latronem sanctum Christi verbis disserit, *Hodie mecum eris in Paradiso,* « Nec ipsam tamen, inquit, rerum partem, (id est inferos) noster Salvator mortuus pro nobis visitare contempsit, ut inde solveret, quos esse solvendos secundum divinam, secretamque justitiam ignorare non potuit. »

Sic in epistola LVII *ad Dardanum*, de eodem argumento late disputat. Cujus sub initium epistolæ de iisdem agens verbis. *Hodie mecum eris in paradiso*, negat hominem Christum Jesum in cœlo tunc fuisse. « Sed in inferno secundum animam; in sepulcro autem secundum carnem » exstitisse confirmat ex vulgatis illis Apostolicisque testimoniis.

Idem ad *Psalmum* LXXXVII : « Et quod Dominus penetravit inferna, atque inde victor ascendit, magnum mortuis miraculum

1 *Rom.* XIV. 9. — 2 Tom. III *Amb.* — 3 Hincm. *de Prædest.* c. XXXIII. — 4 *Eph.* IV, 9.

factum est. » Idipsum et in libro vicesimo *de Civitate Dei* tradidit, capite XV.

Rursus ad illa *Psalmi* LXXXV. *Et eruisti animam meam ex inferno inferiori :* « Sed rursus, inquit, ab hoc inferno, id est ab hac parte inferni, est aliud inferius, quo eunt mortui, unde voluit Deus eruere animas nostras, etiam illuc mittendo filium suum. Etenim fratres, propter ista duo inferna missus est filius Dei, undique liberans. Ad hoc infernum missus est nascendo, ad illud moriendo. » Item, « Ideo, inquit, ille pervenit usque ad infernum, ne nos maneremus in inferno. » Et de Lazaro in sinu Abrahami posito loquens, « Nondum, ait, Dominus venerat ad infernum, ut erueret inde omnium sanctorum præcedentium animas. »

Est et alius Augustini nomini inscriptus olim sermo, qui et secundus erat *in Pascha*, ac *de Tempore* CXXXVII, ubi Christi ad ima tartara descensus, et diaboli de eo querela, dæmonumque collocutio, poetico propemodum more describitur, Sed ille ab Lovaniensibus in appendicem est rejectus, et ejus numeratur quinquagesimus secundus. Erat et alius sermo *de symbolo*, qui inter Augustianos numerabatur CLXXXI *de Tempore ;* et est appendicis quinquagesimus nonus : ubi symboli caput illud explicatur, quod est de inferis. Unum alterumve, non amplius, addam germani Augustini locum, ex libro XII *contra Faustum*, capite XXXV. « Ab eis, inquit, interveniente passione, spiritus corpus ipsum deseruit, in inferni profunda descendit. » Idem et in sermone CXCVII *de Tempore*, « Tunc, inquit, et leonem, et ursum strangulavit, quando ad inferna descendens, omnes de eorum faucibus liberavit. » Alludit enim ad Davidem, quocum Christum comparat, quod ut ille leonem, atque ursum, ita hic diabolum premens, prædam illius e faucibus revellit.

Hieronymi. V. Assentitur et Hieronymus variis in locis, In epistola CLI *ad Algasiam*, quæstione prima, Joannis Baptistæ verba, quæ discipulos suos ad Christum perferre jussit, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus* [1] ? hunc habere sensum ait : « Scio quod ipse sis, qui tollere venisti peccata mundi : sed quia ad inferos descensurus sum, etiam hoc interrogo, utrum et illuc ipse descendas : an impium sit, hoc de filio Dei credere, aliumque missurus sis ? Hoc autem scire desidero, ut qui te in terris hominibus nuntiavi, etiam inferis nuntiem, si forte venturus es. Tu enim es, qui venisti demittere captivitatem, et solvere eos, qui in vinculis tenebantur. Cujus sciscitationem Dominus intelligens, operibus magis, quam sermone respondet : et Joanni præcipit nuntiari, videre cæcos, ambulare claudos, leprosos mundari, surdos audire, mortuos surgere, » etc. Illam ergo Dominus de se Joannis opinionem, quod ad descensum illum attinet, factis, et miraculis confirmare voluit.

Rursus in commentario in epistolam *ad Ephesios*, hæc Apostoli verba, *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia* [2], sic exponit, ut descensum ad inferos Christi significari putet. « Descendit ergo, inquit, in inferiora terræ, et ascendit super omnes cœlos filius Dei ; ut non tantum legem, Prophetasque compleret, sed et alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum Patre. Neque enim scire possumus, quomodo et angelis, et his, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit : et tamen quin profuerit nescire non possumus. Descendit quoque ad inferos, et ascendit ad cœlos ; ut impleret eos, qui in illis regionibus erant, secundum id quod capere poterant. » Igitur quod Apostolus ibi *descendisse* Christum ait, *in inferiores partes terræ*, hoc Hieronymus de inferis intellexit ; ut et Theophylactus ex Græcis : ex Latinis Primasius : cujus hæc sunt verba, « Qui descendit cum anima in infernum, ipsum cum anima, et corpore ascendisse in cœlum. » Commentarius item ille, qui inter Hieronymi rejicula est editus, qui *inferiores partes terræ* interpretatur infernum : *quem sub terra esse nemo jam ambigat*, inquit.

VI. Ruffinus in *expositione symboli*, cujus mentionem supra fecimus, capite XXIV, in eo symbolo, quo Aquileiensis ecclesia, in qua natus erat, utebatur, testis est descensionem illam Christi ad inferos fuisse comprehensam : quam ex Scripturis affirmat. Nec minus ille, qui eodem, quo Augustinus, et Hieronymus, tempore vixit Leporius presbyter ; qui ab hæresi ad catholicæ fidei salubritatem revocatus Augustini opera, librum scripsit emendationis, in quo fidei suæ professionem edidit. Cui quidem libro subscripti leguntur episcopi cum Augustino quinque : ut quod in eo continetur, Africanorum illorum præsulum, et Augustini cum primis auctoritati tribuatur. Ille igitur Christi carnem in morte disjunctam

1 *Matth.* XI, 3. — 2 *Eph.* IV, 10,

ab anima fuisse docet; et in sepulcro mansisse: animam vero divinitati conjunctam, ad inferna descendisse. « Tam Christus, inquit[1], filius Dei tum mortuus jacuit in sepulcro, quam idem Christus filius Dei ad inferna descendit, sicut beatus Apostolus dicit. (Cujus verba ex capite quarto epistolæ *ad Ephesios* proxime ante citavimus.) Ipse utique Dominus, ac Deus noster Jesus Christus unicus Dei, qui cum anima ad inferna descendit, ipse cum anima et corpore ascendit ad cœlum. »

Capreoli. Æqualis item illorum Capreolus Carthaginensis episcopus in epistola *ad Vitalem, et Constantium*, luculentissime idem istud asseverat: « An dicimus, inquit[2], Deum in suscepto homine etiam apud inferos non fuisse? etc. Ipse in homine est visitare inferorum dignatus obstrusa, et præpositos mortis præsentia invictæ majestatis exterruit; et propter liberandos, quos voluit, inferorum portas reserari præcepit, etc. Tantum igitur abest, Deum Dei filium, incommutabilem, atque incomprehensibilem, ab inferis potuisse concludi; ut nec ipsam assumptionis animam credamus aut exitiabiliter susceptam, aut tenaciter derelictam. Sed nec carnem ejus credimus contagione alicujus corruptionis infectam; » quod ex Petri testimonio probat, quod ex *Psalmo* decimo quinto sumptum est, ut in *Actorum* secundo Lucas refert.

Prudentii. VII. Sic Prudentius in nono hymno *Cathemerinon* idem cecinit his trochaicis:

« Quin et ipsum, ne salutis Inferi expertes [forent,
Tartarum benignus intrat; fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.
Illa prompta ad irruentes, ad revertentes te- [nax,
Objice extrorsum recluso, porta reddit mor- [tuos,
Lege versa, limen atrum jam recalcandum [patet.
Sed Deus dum luce fulva mortis antra illu- [minat:
Dum stupentibus tenebris candidum præstat [diem,
Tristia squalentis æthræ palluerunt sidera. »

Gaudentii Brixiani. Gaudentius Brixianus in tractatu decimo, « Quoniam Dei operosa quies est, inquit, ipsa requies otiosa esse non potuit. Nam corpore in sepulcro seposito, Divinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocavit de locis suis animas Sanctorum, quorum corpora surrexisse Matthæus Evangelista testatur, etc. Descendisse autem Salvatoris animam ad inferos visitandos, non solum B. Petri epistola; verumetiam beati Davidis prophetia testatur, cum dicit; *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, » etc.

Cassiani. Cassianus libro tertio de *institutis cœnobiorum*, ubi de canonico modo agit diurnarum orationum, et psalmorum, capite tertio, horam nonam idcirco in Ecclesia celebrari ait, quoniam hac ipsa Christus « inferna penetrans, inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portasque ejus æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captivitatem sanctorum, quæ clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam transvexit secum ad cœlos, igneaque rhomphæa summota, antiquum incolam paradiso pia confessione restituit. »

Leonis Papæ. Leonis Papæ eadem professio est in epistola XCIII *ad Turibium*, capite XVII, ubi fidei Christianæ illud caput adscribit his verbis; « Miror, inquit, cujusquam Catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulcro: quæ sicut vere et mortua est, et sepulta, ita vere est tertio die resuscitata. »

Maximi Taurinensis. VIII. Maximus item Taurinensis in *expositione symboli*, eidem, capiti suscribere videtur, cum ab inferis reversum asserit resurrexisse Christum. « Nec magnum sane est, inquit, si dicamus; potuit Christus resurgere; cum impossibile fuerat, ut auctor vitæ non rediret ad vitam: Aut quomodo poterat inferni legibus detineri, qui idcirco est mortuus, ut mors amitteret potestatem? » etc. Tum, « Nec impossibile ei fuit cœlum ascendere, cui possibile fuit inferos triumphare. »

Vigilii. Vigilius quoque sub finem libri secundi[2], Dominum Jesum Christum crucifixum ait ipsa die ad infernum descendisse in sola anima, et in sepulcro jacuisse in sola carne. Et in libro quarto[3], « Noveris tamen, inquit, te contra tuam professionem venire, dum dicis de Christo; qui in inferno descendit, ut obnoxius nostræ naturæ sine peccato. »

Fulgentii. Ita Fulgentius in libro tertio *ad Trasimundum*, capite XXX. « Restabat tamen, inquit, ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato a Deo suscep-

1 Lepor. *in opusc. dogm.* — 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* — 3 Ibid.

tus descenderet, quousque homo separatus a Deo peccati merito cecidisset, id est ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri; et ad sepulcrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi : sic tamen ut nec Christi caro in sepulcro corrumperetur; nec inferni doloribus anima torqueretur : quoniam anima immunis a peccato non erat subdenda supplicio, et carnem sine peccato non debuit vitiare corruptio.» Qui locus ad retundendam Calvini impietatem pertinet, qui inferni cruciatus animam Christi pertulisse docuit; cum utique solus ad inferiora illa loca descensus satis esse « potuerit, ut per morientem temporaliter carnem justi, donaretur vita æterna carni, et per descendentem ad infernum animam justi, dolores solverentur inferni.» Idem tradit et capite sequenti.

Ad hæc *in Responsione ad quæstionem secundam Ferrandi:* «Jam vero tum Christus, ait, uno eodemque tempore, et in sepulcro jacuit, et in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ utriusque opus videat? et quis in ipso uno, atque inseparabili opere propria carnis, et animæ, ac divinitatis non evidenter agnoscat? Ut enim secundum carnem, in sepulcro jaceret, totus Christus fecit : sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque ut secundum animam Christus descenderet, naturæ utriusque, id est divinæ, atque humanæ unum fuit opus : sed solius animæ naturaliter fuit ille descensus. »

Tum in libro *de fide ad Petrum*, capite secundo : « In sepulcro idem Deus homo factus jacuit : et ab infernis idem Deus homo factus tertio die resurrexit. Sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus jacuit; et in infernum secundum solam animam descendit. »

Idem docet in libro *contra Fastidiosum*[1].

Ferrandi IX. Ferrandus diaconus Carthaginensis, in epistola *ad Severum*, a magistro, (fuit enim Fulgentii discipulus) non dissentit; quippe ita disputat : « Totus ergo Christus ubique est secundum Verbum : sed non totum ubique est; quia non est ubique anima rationalis, et caro; cum quibus est totum totus Christus. Apud inferos fuit secundum animam rationalem : sed non totum : quia caro non fuit, cum qua totum est. Totus Christus in sepulcro fuit secundum carnem : sed non tantum (*cor.* totum) quia anima rationalis ibi non fuit, cum qua est totum. Verbum tamen Dei, et cum anima sua apud inferos, et cum carne sua in sepulcro fuit, quia naturaliter ubique diffusum, nec animæ suæ, nec carni suæ aliquando defuit. «

Faustus Regiensis in libro de *ratione fidei*[2], « Quo tempore corpus Domini, inquit, in sepulcro fuit, anima in inferno, divinitas in paradiso, in cœlo, et ubique intra se, omnia super eminenti majestatis immensitate complectens. » Ita Cæsarius Arelatensis homilia prima *de Paschate* : quæ eadem fere est cum illa, quam apud Augustinum inter sermones de tempore olim centesimam tricesimam septimam numerari solere diximus; in qua dæmonum de Christo ad inferos delapso querela describitur. Fausti.

Arnobius quoque junior in *Disputatione cum Serapione*, de duabus agens naturis in Christo[3] : « Habet, inquit, unde vere immortalis sit : habet unde vere sit mortuus, et sepultus : habet unde nunquam cessavit vivere, et vitam omnibus, qui vivunt, suo arbitrio dispensare ; habuit etiam unde inter animas defunctorum animam corporis sui defuncti ire ad inferos permitteret, et redire. » Arnobii.

X. Gregorius Papa libro XII *Moralium*, capite VII. « Qui tamen, inquit, iste furor Dei, quantum ad electorum animas, in Redemptoris nostri adventu pertransiit ; quia eos ab inferni claustris ad paradisi gaudia Mediator Dei, et hominum dum ipse illuc pie descenderet, reduxit. » Et libro XIII, capite XV : « Conditorem ac redemptorem nostrum, ait, claustra inferni penetrantem, electorum exinde animas eduxisse.» Item libro primo *in Ezechielem*, homilia prima, Joannem Baptistam scribit, cum discipulos suos ad Christum mitteret sciscitatum, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*[4]? «in terris quidem venisse Redemptorem novisse ; sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitasse. Ex præsenti enim prophetiæ Spiritu tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, et divinitatem ejus intelligens, confitebatur agnum, qui peccata mundi tolleret; sed tactus ex futuro non fuerat ; quia adventum illius in inferno nesciebat. » Sic in libro primo *expositionis* in lib. I. *Regum*[5]. «Electos, inquit, Judææ, quos apud inferos reperit, ad paradisi gaudia reportavit, » Denique in libro XXIX *Moralium*, capite VII, fuse idem istud exponit ; « Profundum, inquit, maris Dominus petiit, cum inferni novissima electorum Gregorii Papæ.

1 Tom. III *Bibl. Patr.* — 2 In hæres. — 3 Arnob. in calce Iren. — 4 *Matth.* XI. — 5 Greg. tom. I.

suorum animas erepturus intravit, etc. Quia illuc veniens, electos suos a claustris inferni ad cœlestia transire concessit. » Et ad *Psalmum* sextum Pœnitentialem, ejusque versum sextum; « Ante adventum Christi vitæ viam omnibus, ait, ignotam fuisse tendentibus cunctis ad mortem, et ad inferos descendentibus etiam electis, donec ille veniret, qui et impios ad justificationem, et mortuos vocaret ad vitam. » Isidorus Hispalensis; « Ideo Dominus, ait[1], in inferno descendit; ut his, qui ab eo non pœnaliter detinebantur, viam aperiret revertendi ad cœlos, juxta testimonium Isaiæ dicentis : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent profundum liberati.* Viam quippe Christus in profundum maris posuit, cum in infernum descendens, sanctis iter ad cœlos revertendi monstravit. » Quam Propheticæ sententiæ interpretationem ex Gregorii libro illo *Moralium* vicesimo nono mutuatus est.

Isidori.

Juliani Toletani.

Julianus Toletanus episcopus in secundo *Prognosticon*, « Antiqui Patres, inquit, usque ad adventum Domini, quamlibet juste vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus sua morte aperiret. » Porro descensus iste non carnis duntaxat assumptionem ; sed ad ima terræ penetralia Redemptoris adventum ex Juliani mente significat. Nam supra capite quarto Augustini locum affert[2], quem ante descripsi : in quo cum duo inferna esse dixisset; unum supra terram, aliud sub terra, « Propter duo ista inferna missum esse filium Dei scribit : et ad inferius moriendo venisse. »

Albini Flacci.

XI. Albinus Flaccus in libro *de divinis officiis* capite XLI, ubi agit de symbolo, hujus caput istud exponens. « *Descendit ad inferna*; In anima sola, inquit, Quare? Ut electos, qui ibi detinebantur injuste propter originale peccatum, liberaret, et ad cœlos reduceret. » Vide et librum *de Trinitate*, capite XV.

Ecclesiæ Lugdunensis.

Ecclesia Lugdunensis libro *de tenenda veritate Scripturæ*. « Dominum nostrum asserit suam passionem, et mortem, atque ad inferos descensionem illis solis jam defunctis, et quamvis apud inferos, tamen in locis tranquillitatis, et lucis, constitutis exhibuit, qui in fide futuri adventus ejus, ac redemptionis suæ per passionem, et descensionem ad eos Domini pro desiderio expectabant. »

Ruperti Tuitiensis

Rupertus Tuitiensis libro XII *de victoria Verbi Dei*, capite XII. « Illis qui mortui fuerant, fidelibus, ait, miro modo in illa specie, qua pependit in cruce, factus, vel datus est cibus : ita ut anima ejus ad animas illorum in infernum, et corpus ejus ad corpora illorum descenderet, essetque tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ, » etc.

Egberti.

Egbertus Schonaugiensis sermone nono *contra Catharos*, sive Manichæos, hujusmodi errorem istorum redarguit : « Primum, inquit, dicito mihi : an creditis, quia Dominus Jesus Christus in passione crucis emisit spiritum, et secundum corpus quidem sepultus est, secundum animam vero descendit ad inferna, et spoliavit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legem, vel sub lege Moysi, quæ salvare neminem poterat, ab hac vita migraverant, » etc.

Guitmundi.

Nec omittendus Guitmundus Aversanus episcopus, qui in *fidei Confessione*, quæ edita est tomo sexto Bibliothecæ Patrum ita scribit: « Corpus quidem in cruce mortuum, in lapide sepeliri permisit : anima vero una cum Deo permanens, in infernum, non ut pateretur, sed ut dominaretur, descendit ; quæ liberatis inde quos dignos judicaverat, cæteros vero dimissis, corpus suum tertia die resumpsit*. »

Sed verendum est, ne in infinitum disputatio nostra procedat, ac lectoribus tædio sit, si in percensendis testibus nimius esse pergam : maxime cum aliorum pars ista sit illustrata diligentia, qui ingentem illorum copiam suppeditare poterunt. Nos vero duntaxat eos citavimus, qui hæc ipsa commentantibus ad manum fuerunt, quorum satis magna copia est, ut tum hæreticos, tum vero Catholicam communionem præ se ferentes, qui rem adeo insitam Christianis sensibus, ac tantopere

* Non aliter loquitur Vigilius Tapsensis in *enarratione Symboli* ab Josepho Blanchinio V. C. primum vulgata ex Veronensi pervetusto codice, ubi Athanasii nomine falso inscribitur, quum et Latini hominis certo sit, et a Vigilii, quem alia sub Athanasii nomine edidisse in vulgus compertum est, stylo cæterisque libris non discrepet. Ait ergo cap XXXVI. « Descendit ad inferna. Ne in filio Dei Deo pleno dubitaretur fuisse hominis plenitudo, insinuat nobis descendisse ad inferna Confessio : vacaret enim tanti mysterii gratia, si caro solum inanima, id est quæ animam non haberet, cruci fuisset affixa : nam cujus præmii Dominus noster posset imputare mercedem, si nihil in eo fuisset, quod aut doloris sensum haberet, aut mortis, cum ab utroque eorum et majestas Domini, et carnem insensibilitas vindicaret, »

1 Lib. I *Sent.* c. XVI, sent. XV. — 2 Supra, paragr. 4.

testatam inficiari, vel dubitando labefactare conati sunt, aut temeritatis pœnitere suæ debeat, aut certe levitatis. Quod quidem una cum reliquis consectariis hujus controversiæ, pluribus insequens caput ostendet.

CAPUT XVIII.

Ex superiorum capitum disputatione colligitur, descensum Christi ad inferos rem esse fidei catholicæ. 2. Quod strictim probatur, et castigantur e Catholicorum numero qui aliter sentiunt. 3. Imprimis Erasmus cujus hallucinatio notatur. 4. Tum qui eidem astipulantur. 5. Duplicem inferorum esse locum ex antiquis Patribus astruitur. Utrum ad inferiorem damnatis attributum venerit haud adeo exploratum. 6. Quinam ab inferis liberati adveniente Christo. Omnes prorsus hinc eductos esse nonnulli putarunt. 9. Maxime philosophos. 11. Sed vera communis est sententia, solos illos esse servatos, qui in gratia Dei mortui erant. 13. De philosophis superior opinio refellitur. 14. Petri Apostoli perobscurus locus exponitur.

Descensus Christi ad inferos, res est catholicæ fidei.

I. Tot illa sanctitate, doctrina, antiquitate venerandorum Patrum testimonia, quæ duobus antecedentibus capitibus attulimus; et illis plura, quæ prætermisimus, ad eorum refrenandam audaciam, temeritatemque faciunt, qui pro ludicris, et anilibus commentis habere pleraque non verentur, quæ illorum ex auctoritate communis Christianorum omnium sensus ascivit. Horum primum ac præcipuum istud est, cujus potissimum causa tantam copiam testium adhibuimus; animam Christi corporis nexibus explicatam, ad inferos, hoc est subterraneas latebras demigrasse. Cujus mysterii professio tum antiquissima fuit in Ecclesia catholica; tum insequentium deinceps sæculorum usu ad hodiernam usque diem est recepta; quod citati a nobis vetustissimi testantur auctores, Justinus martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes. Ignatium martyrem consulto prætermisimus; cujus ex epistola ad Trallianos disertissimam eadem de re sententiam a plerisque commemorari video: nec utique omittendus erat; nisi et epistolas illas compluribus in locis interpolatas esse scirem. et illum ipsum de descensu ad inferos Christi locum in editione illa, quæ ex Florentino exemplari omnium castigatissimo nuper prodiit desiderari cernerem. Sed dubiorum, et controversorum apud eos, quibus cum disputamus, scriptorum fidem appellare consilii non fuit. Jam secundum antiquiores illos omnium, qui in aliquo numero deinceps, et in omnibus regionibus, quæcumque patet christianum nomen, exstiterunt, producta sunt a nobis testimonia: et produci insuper, ut dixi, haud paulo plura poterant. Ex quibus apparet, rem esse non in opinione positam; nec ejusmodi hactenus habitam in Ecclesia catholica, ut in utramque partem de ea sentire, ac serio disputare integrum fuerit: quod in plerisque de schola quæstionibus solet fieri: sed ratam, et constitutam fuisse. Nam et hoc nonnulli antiquorum expressis asserunt verbis: ut Augustinus[1], qui dubitare de eo solo ait infideles: et Leo Papa[2], qui Catholicis incertum illud videri non patitur. Ac fere omnes, iisdem Scripturæ locis declarari confirmarique putant, ut observavi antea; quibus hodie catholica utitur Ecclesia; nec pauci ex illo Christi ad inferos descensu minime dubium caput Christianæ fidei probare instituerunt adversus Arianos, et Apollinaristas; perfectam, integramque naturam hominis assumptam fuisse, quæ carne, animaque constaret. Quod quidem argumento sit, rem apud omnes Christianos olim dubitatione caruisse. Non enim adhiberi solet ad quippiam probandum, nisi quod est eo, ad quod assumitur, exploratius ac manifestius.

Quamobrem de alienis ab catholica, et Romana communione minus queror (tametsi negari hoc ne ab illis quidem citra temeritatis notam, inscitiæque potest, in quod tam incredibili consensu incorrupta illa, ut quidem prædicare isti solent, conspiravit antiquitas). In catholicæ communionis hominibus nullo id modo tolerabile videtur * : qui tum Tridentinæ synodi auctoritate teneri se velle debent, si hoc, quod dici cupiunt, catholici esse perseverant: tum huic illius obtemperare decreto, quod ante omnia sanciendum putavit[3], « Ad coercenda, ut ibidem Quod strictim probatur.

* Ut in Chlichtoveo serm. I *de Symb.* Z.

1 Cap. XXVI, § 4. — 2 Leo, ib. § 7. — 3 Trident. syn. sess. IV.

scriptum est, petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, et morum ad ædificationem doctrinæ Chistianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » Quod de Patrum auctoritate retinenda septima synodus nominatim ante constituit : ut alibi notavimus [1]. Atqui nulla professionis pars est catholicæ ; nullus, ut vocant, articulus fidei, quem crebrius et constantius, ac plurium Patrum testificatione comprobatum afferre possis. Certe, quod sciam, in fidei regula, ejusque breviario, quod *symbolum* vocant, reponi minime consueverunt controversa, et nondum liquido definita capita; quæ scholasticis altercationibus relicta in utramque partem agitantur. Cujusmodi illud non est, de quo modo agitur ; quod et in legitimo, ac populari symbolo continetur, (*Legitimum* voco, quod lege quadam discendum omnibus, ac velut ordinarium traditur, quemadmodum Dominicam orationem Tertullianus[2] *legitimam* appellat) et in Athanasiano quoque publice ac passim canitur : et synodorum, ac Romanorum pontificum adstipulatione firmatur. Etenim in Lateranensi concilio generali, quod sub Innocentio tertio Romæ celebratum est in celeberrima illa fidei professione, quæ in primo capite ponitur, et inter *Decretales Constitutiones* principem locum obtinet [3], ille ipse Christi descensus ad inferos exprimitur. Tum in Toletano quarto [4], quod anno Christi 633 habitum est : et latius, ac distinctius in Toletano XVI anno 643, cujus hæc verba sunt : « Tartara penetravit in anima, et sanctorum animas, quas illic hostis vinctas tenebat, morsu potentiæ suæ exemit : ut Prophetale vaticinium inquit: *O inferne! ego morsus tuus.* »

Jam quod ad Romanos pontifices spectat, præter Leonem primum et Gregorium Magnum, quos suo loco recensuimus; Symmachus etiam Papa Christum post passionem apud inferos agnoscit [5] : nec non Hormisda Symmachi successor in epistola LXXIX *ad Justinum imperatorem.*

III. Quocirca nemo, nisi Christianæ institutionis rudis omnino, nescire potest, certissimum id esse fidei catholicæ decretum, quo Christum post mortem apud inferos fuisse jubemur credere. Nec audiendus Erasmus, qui in *Catechismo*, capite IV, ad illud Symboli, *Descendit ad inferna*, eo rem deducit, ut etsi non improbandam penitus particulam istam putet, nec temere damnandam, propter auctoritatem Ecclesiæ : non tamen adeo certo constare velit. Quam etiam ad symbolum adjunctam fuisse suspicatur. Et ad hunc locum multa congerit, absurda sane, et non levi castigatione digna. Horum primum est, quod « Cyprianum ait dicere, illum articulum in symbolo Romano non haberi, ac ne apud Orientis quidem ecclesias addi. » Quem Cyprianum ibi nominat, Cyprianus non est; sed Ruffinus; quod hodie nemo paululum eruditus ignorat. Atque hic lapsus in alio dissimulari poterat : quem existimare possemus, cursim tantummodo peragrantem opusculum illud inter Cypriani opera ex eo decerpsisse periodum istam, nec cætera legisse : At in Erasmo locum non habet hæc excusatio : qui Cyprianum edidit accurateque recognovit. Quis igitur ἀπροσεξίαν et *incogitantiam* hominis, ne quid dicam asperius, non miretur : qui non animadverterit, quam in illo tractatu multa sint, quæ non prorsus hebetem admonere possent, non eum Cypriani esse, sed alterius ætate longe posterioris ? Nam et Sabellii, ac Pauli Samosateni meminit : qui vita jam functo Cypriano emergere cœperunt : et quod excusationem omnem eripit Erasmo, Arii, Eunomii, Photini, Donati, Aquileiensem item Ecclesiam nominat, in qua baptismo se initiatum asserit. Hæc sane quamlibet stupidum hominem docere poterant non illud opus esse Cypriani. Reliqua, quæ ad eumdem locum disputat Erasmus, non sunt nauci. « Ipsa, inquit, inconcinnitas sermonis arguit ab alio quopiam intertextum emblema. Sepultus est ad corpus pertinet, quod morte sopitum resurgit, hoc est velut expergiscitur. At descendere ad inferos, ad animam referunt, quæ nec sepulta fuit, nec resurrexit, sed ad tempus sejuncta mox in corpus exanime rediit. » Futilis argumentatio. Nam ad Christum ipsum referendus est totus hic articulus; qui corpore jacuit in sepulcro; anima vero apud inferos interim versatus est. Neque vero inconcinnum ali-

Castigatur Erasmus.

1 Tom. II, lib. III *de Trinit.* c. VIII, paragr. 1. — 2 Lib. *de Fuga* cap. II. — 3 Cap. firmiter *de sum. Trin. et fide cath.* — 4 Tom. IV concil. — 5 Sym, in ep. *ad Anast. Imper.* tom. III concil.

Inconsequens.

quid, et ἀνακόλουθον subest illi sententiæ; quippe recte congruenterque sepulturæ corporis subjuncta est animæ ad inferos descensio. Quod vere *subdubitare* se dicit, *an Thomas Aquinas addiderit* istam particulam; prorsus est ineptum. Etenim longe ante S. Thomam, constat illam in symbolo fuisse, quo nonnullæ utebantur ecclesiæ : et in vulgari, quod Christianis ediscendum proponitur, ex antiqua traditione locum invenit.

IV. Quamobrem quid erudito viro in mentem venerit, prorsus nescio : ut ita scriberet : « Nam et hodie in Ecclesiæ catholicæ symbolo descensum non audimus. » Atqui res omnino aliter se habet. Idem porro communi sententiæ velut illudens, « Sequens, inquit, ætas videre sibi visa est, quæ priores non viderant. » Non est ita : neque enim novum, aut veteribus inauditum est illud fidei mysterium, ut antecedentia capita demonstrant. Sed nec recentioribus theologis imputandum est, quod in auctoritatem canonicam ascitum fuerit : ut putavit Erasmus; cui et idem ille suffragatur, qui propterea sic illos notat. « Sed hæc prius fuere. Nunc recondita postquam nostris theologis patescunt, sic omnia sunt constituta, ut addubitare quidquam sit grande nefas. » Enimvero nec videre sibi visa est sequens ætas quod priores non viderant; quia non aliunde, quam ex prioris auctoritate, ac magisterio, posterior illud ætas est amplexa; nec de Christi ad inferos descensu addubitare non grande nefas est, si est nefas infidelem esse ; quales esse qui id negant, prioris ætatis Augustinus, et Leo Papa diserte pronuntiarunt, Græcis, Latinisque tanto numero adstipulantibus Patribus, quanto vix ullum fidei nostræ caput asseveratum videmus *.

V. Illud præterea ex omnium Patrum sententia constituendum est, ideo Christum ad inferna descendisse, ut sanctorum animas illinc extraheret, ac sempiterna felicitate donaret. Quo cum implicatum istud, et annexum est, ante Christi obitum, Patriarcharum, et Prophetarum animas, reliquorumque sanctorum nondum in cœlum admissas fuisse : sed in subterraneis illis egisse locis. Communis habet opinio, infernam regionem distinguendam esse duplicem : quarum una superior, inferior altera : in illa domicilium habuisse sanctos veteris Testamenti : in hac, peccatorum, ac damnatorum animas. Sic existimavit Augustinus in tractatu *ad Psalmum* LXXXV, ubi verba hæc exponit, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Ibi enim disputat infernum esse duplicem; ac primum, infernum superiorem ait esse terram : inferiorem vero, *quo eunt mortui.* Deinde *aliam opinionem dicit :* ut etiam sub terra duplex sit infernus, superior, et inferior. In priore, Abrahamum et Lazarum, aliosque justos moratos ait esse : in inferiore, impiorum animas, quæ ibidem in æternis perseverant cruciatibus. Idipsum ex aliis quoque locis ejusdem Augustini colligitur.

Duplex distinguitur infernus.

Hieronymus item in commentario ad caput tertium *Ecclesiastæ,* illa Sapientis verba declarans, quibus eamdem pecudum, hominumque conditionem post obitum videtur asserere, quantum quidem discernere sensibus licet : « Hoc autem dicit, inquit [1], non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis, et hominibus præparari locum : sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur. Unde et Jacob ad inferos pariter descensurum se dicit. »

Sic Ambrosio tributus commentarius in epistolam *ad Romanos*, duplicem infernum discernit; quorum in altero gehennæ locus sit, et sceleratorum animis : in altero superiori, justi omnes detenti fuerunt.

An Christus descenderit in infernum damnatorum non constat.

Utrum Christus adierit non idem Patrum omnium sensus exstitisse videtur. Sunt enim qui superiorem duntaxat, in quo justi detinebantur, invisisse illius animam velint. Ita Gregorius in lib. *Moralium* XXIX, cap VII, et alii qui antiquorum illorum sedes a damnatorum inferis remotissimas fuisse dicentes, ad illas dicunt pervenisse Christum; de aliis tacent : ut Augustinus *ad Psalmum* LXXV, et in libro XX *de Civitate Dei* [2].

Idem tamen in duodecimo libro *de Genesi ad litteram*, capite XXXIII, ad infernum

* Weberi nunc castiganda insania est, qui Christum totum λόγον *anima corpori redunita...* ad *inferos descendisse* ait, sicque segregari se gloriatur a *communione Pontificiorum. qui sola anima Christum descendisse volunt.* Nimirum non animadvertit miser homo, segregari se a communione Sanctorum Patrum utriusque Græcæ, inquam, et Latinæ ecclesiæ, qui unanimi consensione Christum adfirmant sola anima ad inferos descendisse. Quid? quod Evangelio ipsi, et illis, quæ de se Christus fuerat vaticinatus, dum Jonæ, qui triduo in ventre ceti sepultus jacuerat, se comparavit? Vide aliquot Patrum testimonia, quæ huc spectant, etiam lib. XII cap. XIX.

F. A. Z.

1 Hieron. tom. I.— 2 Supra, cap. XVI, paragr. 4 et lib. XX *de Civit.* cap. XV.

utrumque descendisse significat. Et Christi quidem animam « venisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret a tormentis, quos esse solvendos occulta nobis sua justitia judicabat, non immerito credimus. » Fulgentius quoque libro *ad Trasimundum* tertio [1], capite xxx. Prudentius etiam ad Tartarum descendisse asserens, locum illum torquendis peccatoribus attributum indicare videtur; tum alii quidam [2], qui congressum apud inferos Christi cum dæmonibus describunt. Sed utcumque de inferorum regione illa, ad quam delapsus est Christus, existimetur, certum est hunc ad eam saltem venisse, in qua sancti Testamenti veteris tanquam carcere claudebantur : ut Græci, Latinique tot a nobis recensiti Patres significant. Proinde castiganda est illorum audacia, qui eosdem sanctos negant in subterraneo aliquo reservatos loco, ibique inventos a Christo, et ad perennem gloriam evocatos fuisse, quod fidei nostræ est satis.

VI. Nunc de illis agendum videtur, qui Mediatoris nostri opera ab inferis extracti, una cum ipso in cœlum evolarunt. Hæc enim inquisitio magis ad susceptam de Mediatore disputationem pertinet.

Aliqui putarunt Christum liberasse omnes vel saltem aliquos damnatos.

Hoc ergo primum animadverti oportet, quosdam ex antiquis longius provectos esse, ut affirmarent, venientem ad inferos Dominum universos a pœnis exemisse peccatores. Ita quidem in libello *de Paschate* sentire videtur Ambrosius. Nam in capite tertio de Adami prævaricatione, et sententia mortis in eum, ejusque posteros lata disputans, sic scribit : « Ita per occasionem delicti in universis peccatoribus diabolus mortis est sortitus imperium, atque omnes a Deo deviantes, peccati vinculo obstrictos, squalentis tartari clausos ergastulo possidebat. » Tum capite quarto : « Ut enim incredulitas, et simulacrorum cultus, inquit, cœli aditum clauserat : ita inferni baratrum prævaricatoribus perfidia procurat. In quorum suppliciis, usque ad adventum Salvatoris Domini Jesu Christi, diabolus per mortem regnavit, donec humanæ carnis ad Deum attemperata substantia, immaculatum corpus conditioni mortis addixit. Expers peccati Christus, cum ad tartari ima descenderet, seras inferni, januasque confringens, vinctas peccato animas mortis dominatione destructa, e diaboli faucibus revocavit ad vitam; atque ita divinum triumphum æternis characteribus est conscriptum, dum dicit : *Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors victoria tua :* » Hic peccatores omnes, qui suppliciis ob sua scelera erant addicti, a Christo ad ima delapso tartara, liberatos esse testatur Ambrosius. Quanquam mihi illud opusculum; sive potius sermo, et homilia *de Paschate*, non videtur Ambrosii : sed alterius cujuspiam. Non enim stylum redolet Ambrosii. Apparet autem veteris esse scriptoris, qui eodem forte cum vero Ambrosio sæculo vixit.

VII. Rursus eodem sub Ambrosii nomine delitescens auctor commentatorium in epistolas Pauli, ad caput quintum epistolæ *ad Romanos*, non videtur abhorrere ab eadem illa sententia. Siquidem verba illa Pauli; *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, in eos qui peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ;* primum explicat sic : « Non omnes homines peccasse in similitudine prævaricationis Adæ : id est non omnes contempto Deo peccasse. Qui autem sunt, qui contempto Deo peccaverunt, nisi qui neglecto creatore servierunt creaturæ, deos sibi constituentes, quos colerent ad injuriam Dei? Nam et Thare pater Abrahæ, et Nachor, et Laban prius Deos sibi vendicabant. Et peccatum Adæ non longe est ab idololatria, Prævaricavit enim putans se hominem futurum Deum. » Ac multis interpositis, concludit, « et in iis, qui delicto Adæ mortui dicuntur, similiter peccantes, et in iis, qui non peccaverunt in hac Adæ prævaricationis similitudine, Dei gratiam abundasse. Paterno autem peccato, ex Dei sententia, erant, inquit, apud inferos, gratia Dei abundavit in descensu Salvatoris, omnibus dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in cœlum. » Vides ut illos etiam qui similiter atque Adam peccarunt, quos a justis antea discreverat, a Christo dicat esse liberatos.

Alludit ad hanc opinionem de omnibus a Christo apud inferos salute donatis Gregorius Nazianzenus oratione XLII quæ est *de Paschate;* ubi ita loquitur : « Si in infernum descendat, una cum ipso descende. Cognosce illic etiam, quænam gerantur a Christo mysteria : quid administratum sit in duplici descensu : quæve illius ratio fuerit; utrum omnes sine ulla exceptione adventu suo salvos fecerit : an illic quoque duntaxat eos, qui

1 Vide supra cap. XVI, paragr. 8. — 2 Vide ibid. paragr. 4 et 9.

crediderunt [a]. » Quem ad locum Nicetas in commentario, duplicem hunc adventum interpretatur de Christi in terras e cœlo descensione, ac de ejusdem post mortem ad inferos animæ delapsu : Tum de philosophis antiquis nonnulla disputat, quæ postea referam. Primum enim audiendus est Clemens Alexandrinus. Cujus de philosophia gentilium, deque gentilibus ipsis philosophis mirifica est, et ad præsens argumentum pertinens sententia.

VIII. Hic in libro sexto *Stromateon*, de philosophia sentit imprimis honorifice, cum sic ait : « Quemadmodum Judæos ad salutem perducere voluit Deus, Prophetas eis tribuens : sic etiam Græcos probatissimos, excitatis propriis illorum linguæ Prophetis, quatenus divinum beneficium capere poterant, a vulgaribus secrevit hominibus [b]. »

Quare « uti Judæis concessa lex est ; ita Græcis, id est gentilibus, philosophiam datam esse ad Salvatoris adventum usque [c] » ibidem latissime demonstrat : ac per eamdem philosophiam, istos ad Evangelium admittendum præparatos fuisse.

Ex quo ita disputat ; Christum Dominum, et Apostolos ejus, operam dedisse tam Judæis, quam Græcis, qui antequam carnem assumeret, impertita sibi cognitione recte usi erant, ad veram fidem, et notitiam illius adducendis, etiam apud inferos. Atque hoc in secundo *Stromateo* probat ex libro *Pastoris* [1], qui Apostolos, cæterosque doctores, qui nomen Filii Dei prædicarunt, etiam iis, qui ante mortui erant, prædicasse refert, eoque modo vivificatos esse mortuos, cum nomen Filii Dei cognovissent. Quod in sexto libro repetit [2], ac Petri testimonio confirmat : de quo postea. Addit vero , Christum non alia de causa, inferos adiisse, nisi ut mortuis nuntiaret Evangelium, et ad fidem, salutemque transferret. Videtur autem in dubio relinquere, an Christus ipse cum omnibus tam gentilibus, quam Græcis notitiam sui, ac fidem obtulerit, an solis Judæis ; quod posterius si quis malit, fateri tamen hunc ipsum vult, saltem Apostolos post obitum, gentilibus quoque mortuis idem præstitisse beneficium. Non enim interesse loci ; imo tam apud inferos, quam in terris ad fidem illos Deum potuisse perducere. Quamobrem Apostolos putat, perinde ut in hac vita, post obitum quoque, apud inferos, ex gentilibus illos Evangelica imbuisse doctrina , qui idonei erant ad conversionem [d]. Quo illud pertinere de libro *Pastoris* existimat : « Descenderunt igitur cum ipsis in aquam ; sed isti quidem viventes descenderunt, et viventes ascenderunt : illi vero, qui ante dormierant, mortui descenderunt, sed viventes ascenderunt [e]. » Hoc vero ad illud spectat, quod qui viventes adhuc ab Apostolis instituti sunt, in baptismo vivi in aquam immersi, rursus vivi ab eadem ascenderunt ; atqui apud inferos ab iisdem percepta Evangelica doctrina conversi sunt, ut illo mortui descenderunt, ita viventes ascenderunt. Qui locus in libro *Hermæ* hodieque comparet [3].

Ad hæc testimonium aliud profert ex libro, qui inscribitur, *Prædicatio Petri*, ubi Christum mandasse dicit Apostolis suis post resurrectionem, ut ubique omnibus Evangelium importarent : ne quid excusationis haberent dicendo, se non audivisse. « Quid igitur ? ait, Nonne et apud inferos eadem versata est providentiæ divinæ benignitas ; ut et illic animæ omnes audita prædicatione, vel pœnitentiam præ se ferant : vel, quia non crediderunt, justas se pœnas luere fateantur [f] ? »

a NAZIANZ. Ἀν εἰς ᾅδου κατίῃ, συγκάτελθε. γνῶθι καὶ τὰ ἐκεῖσε τοῦ Χριστοῦ μυστήρια· τίς ἡ οἰκονομία τῆς διπλῆς καταβάσεως, τίς ὁ λόγος. ἁπλῶς σώζει πάντας ἐπιφανεὶς, ἢ κᾀκεῖ τοὺς πιστεύοντας ;

b CLEM. VI *Stromat.* Ἐπεὶ ὅτι, καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἠβούλετο ὁ θεὸς, τοὺς προφήτας διδοὺς, οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν.

c Ibid. Εἰκότως οὖν Ἰουδαίοις μὲν νόμος, Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς παρουσίας.

Et. Ἀλλ' ὡς κατὰ καιρὸν ἥκει τὸ κήρυγμα νῦν· οὕτως κατὰ καιρὸν ἐδόθη νόμος μὲν, καὶ προφῆται βαρβάροις, φιλοσοφία δὲ Ἕλλησι τὰς ἀκοὰς ἐθίζουσα πρὸς τὸ κήρυγμα.

d CLEM. V *Strom.* Εἰ δὲ Ἰουδαίοις μόνον εὐηγγελίσατο (nempe Christus) οἷς ἔλειπεν ἡ διὰ τοῦ σωτῆρος ἐπίγνωσίς τε, καὶ πίστις, δῆλον που ὡς ἄρα ἀπροσωπολήπτου ὄντος τοῦ θεοῦ, καὶ οἱ Ἀπόστολοι, καθάπερ ἐνταῦθα, οὕτως κᾀκεῖ, τοὺς ἐξ ἐθνῶν ἐπιτηδείους εἰς ἐπιστροφὴν εὐηγγελίσαντο.

e Liber *Past.* cit. a Clemente II *Strom.* CCLXXVII, et lib. VI. Κατέβησαν οὖν μετ' αὐτῶν εἰς τὸ ὕδωρ· ἀλλ' οὗτοι μὲν, ζῶντες κατέβησαν, ἐκεῖνοι δὲ οἱ προκεκοιμημένοι νεκροὶ κατέβησαν, καὶ ζῶντες δὲ ἀνέβησαν.

f CLEM. VI *Strom.* Τί οὖν ; οὐχὶ καὶ ᾅδου ἡ αὐτὴ γέγονεν οἰκονομία, ἵνα κᾀκεῖ πᾶσαι αἱ ψυχαὶ ἀκούσασαι

1 Clem. II *Stromat.* — 2 Id. lib. VI. — 3 Tom. V *Bibl. Patr.* lib. III *Hermet. simil.* IX.

IX. Clementis præceptoris sui vestigia persecutus Origenes libro secundo *contra Celsum*, exprobanti huic Epicureo, Christum non multos ad sese allicere potuisse ; neque vero dici hoc posse, quod vivus præstare nequivisset, ut homines, qui in terra degebant, persuasos sibi conciliaret, id post mortem exequi volentem, ad inferos descendisse, ut eos, qui ibi erant, attraheret : talia, inquam, objicienti Celso, ita respondet Origenes : « Igitur hoc ei, tametsi nolit, ingeremus, Christum etiam in corpore degentem haud paucis persuasisse ; adeoque tot numero, ut propter eorum multitudinem, qui illi auscultabant, insidiæ sint ipsi factæ ; tum vero eumdem anima corpore exuta, cum animabus exutis corpore versatum esse, convertentem illas ex omnibus ad sese, quæ sponte vellent ; sive quas magis idoneas arcanis quibusdam de causis, ac sibi notis esse perspexerat [a]. »

Quid quod Hieronymus in commentario ad epistolam Pauli *ad Ephesios*, ejusmodi aliquid obscure significat? Quippe verba hæc enarrans ; *Qui descendit ipse est qui ascendit* [1], etc., hæc adnotat : « Descendit ergo in inferiora terræ, et ascendit super omnes cœlos filius Dei ; ut non tantum legem Prophetasque compleret : sed et alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum Patre. Neque enim scire possumus, quomodo et angelis, et his, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit : et tamen quin profuerit nescire possumus. »

Maxime philosophos

De philosophis gentilibus a Christo liberatis, postquam ei prædicanti fidem habuerint, Nicetas quiddam commemorat in commentario ad orationem XLII Gregorii Nazanzeni, ejusque verba illa, quæ paulo ante descripsi. « Quære, inquit Nicetas [2], quæ duplicis Christi descensus causa fuerit, alterius nimirum a cœlo in terram, alterius a terra in infernum; an fortasse, ut in terra quidem, per fidem, ac puram, et innocentem vitæ degendæ rationem animas cum corporibus salvas faceret : in inferno autem animas sine corporibus per fidem solam, etc. Enimvero Christus in infernum descendens, non omnes, verum eos solos, qui crediderunt, salvos facit : » Neque vero cum sic loquitur, eos duntaxat intelligit, qui ante mortem crediderunt; verum illos quoque qui in inferis ipsis prædicanti Christo fidem habuerunt. Siquidem de Platone quamdam historiam refert ex Patrum historiis. « Nam cum diu antea vita functus, ait, a quodam Christiano maledictis, conviciisque ut improbus et impius laceratus esset, noctu ad conviciatorem suum venit, hominemque accusavit, ut inique ipsum maledictis incessentem. Ego enim, inquit, me peccatorem esse haudquaquam inficias ivero ; verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit. »

Idem Jobius monachus de liberatis post mortem ab inferis quibusdam Christo advenienté statuit apud Photium [3].

X. Joannes quoque Damascenus in libro *de Defunctis*, duo genera hominum apud inferos salutem a Christo consecuta esse dicit ; alterum, ex justitia ; velut sunt Patriarchæ, Prophetæ, et alii ex Hebræorum populo, et quicumque fide ac sanctitate præditi ex hac vita discesserant : alterum, quod sola Dei benignitate servatum est, eos continet, qui integerrime vixerunt : ac recte factis commendabiles fuerunt, continentes, temperati, et a deliciis abhorrentes : neque tamen sinceram ac divinam habuerunt fidem. Hos ergo Dei notitia imbutos ac fide in salutem asseruisse Christum existimat. Quo numero philosophos illos veteres, ac Sibyllas, aliosque complectitur : qui insuper nonnulla, licet obscura, Christi notitia perfusi sunt. Quod autem sacrarum litterarum auctoritate, ac fide catholica certum est, neminem inferorum pœnis addictum, et damnatum eripi ; cujusmodi sunt infideles omnes ; hoc ita solvit Damascenus : plerasque generis illius Scripturæ sententias, quæ universe, absoluteque pronuntiantur, quibusdam interdum blandimentis lenitatis inflecti ; ut desperatis præter ordinem Dei misericordia succurrat. Atque hoc famoso illo Trajani Imperatoris exemplo adstruit. Verum tam hoc, quam cætera ejus-

τοῦ κηρύγματος, ἢ τὴν μετάνοιαν ἐνδείξωνται, ἢ τὴν κόλασιν δικαίαν εἶναι, δι' ὧν οὐκ ἐπίστευσαν ὁμολογήσωσιν;

a ORIG. II *cont. Cel.* Μετὰ ταῦτα δὲ λέγει πρὸς ἡμᾶς, ὅτι οὐ δήπου φήσετε περὶ αὐτοῦ, ὅτι μὴ πείσας τοὺς ὧδε ὄντας, ἐστέλλετο εἰς ᾅδου πείσων τοὺς ἐκεῖ. κἂν μὴ βούληται οὖν τοῦτο, φαμὲν, ὅτι καὶ ἐν σώματι ὢν οὐκ ὀλίγους ἔπεισεν, ἀλλὰ τοσαύτους, ὡς διὰ τὸ πλῆθος τῶν πειθομένων ἐπιβουλευθῆναι αὐτόν· καὶ γυμνῇ σώματος γενόμενος ψυχῇ ταῖς γυμναῖς σωμάτων ὡμίλει ψυχαῖς ἐπιστρέφων κἀκείνων τὰς βουλομένας πρὸς αὐτὸν, ἢ ἃς ἑώρα δι' οὓς ᾔδει αὐτὸς λόγους ἐπιτηδειοτέρας.

1 *Eph.* IV, 10. — 2 Nicet. ad Orat XLII Nazianz. num. 89. — 3 Photi. cod. 222.

demmodi inter fabulas censentur: nec adversus communem, et Christianam fidem præscribunt*.

Sane Philastrius Brixiensis in libro *de hæresibus*, opinionem illorum hæreticam judicavit, « qui dicunt Dominum in infernum descendisse[1], et omnibus post mortem etiam ibidem renuntiasse, ut confitentes ibidem salvarentur; cum hoc sit contrarium dicenti Prophetæ David; *In inferno autem quis confitebitur tibi*[2]? Et Apostolo, *Quotquot sine lege peccaverunt; sine lege peribunt*[3]. » Nominatim vero demonstrat, philosophos neutiquam adeptos esse salutem.

Eamdem hæresim recenset Augustinus ordine septuagesimam nonam**. Et Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus in epistola quadam *ad Zachariam Papam*[4], Clementis cujusdam Scoti hæretici hunc errorem commemorat, « Quod Christus filius Dei descendens ad inferos, omnes, quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos, et incredulos; laudatores Dei simul, et cultores idolorum. »

Christus solos justos ab inferis liberavit

XI. Quocirca mihi vulgo recepta, et plurium comprobata testimoniis placet sententia, Christum ad inferos descendentem solis iis impertiisse salutem, qui fidei, ac justitiæ merito, dum viverent, dignos se tanto beneficio præbuerunt. Ita sentit Irenæus in quarto libro, capite XXXIX, ubi propter illos descendisse Christum ait et « iis evangelizasse, qui ab initio secundum virtutem suam in sua generatione et timuerunt, et dilexerunt Deum, et juste et pie conversati sunt erga proximos, et concupierunt videre Christum, et audire vocem ejus. » Item capite XLV. « Eapropter Dominum ait, in ea quæ sunt sub terra descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissam peccatorum existentem iis, qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes, qui sperabant in eum, id est, qui adventum ejus prænuntiaverunt, et dispositionibus ejus servierunt, justi, et Prophetæ, et Patriarchæ: quibus similiter ut nobis remisit peccata, » etc.

Epiphanius in hæresi LXIX, quæ est *Arianorum*[5], ad inferos descendisse vult Christum, ut eorum, qui antea mortui erant, saluti consuleret, sanctorum nempe Patriarcharum.

Origenes homilia XV *in Exodum*; « Quod dixit ad Latronem, inquit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, hoc non illi soli dictum, sed et omnibus sanctis intelligo, pro quibus in inferna descenderat. »

Recte item Ambrosius in commentario *ad Psalmum* CXVIII. « *Avertantur*, inquit[6], *peccatores in infernum*: ut non viderent descendentem, et ascendentem animam Domini Jesu, et converterentur ad Dominum, qui converti cum viverent noluerunt. »

Chrysostomus etiam, ut testis est Nicetas ad orationem XLII[7] Gregorii Nazianzeni, « Affirmat neminem in inferno a Christo salutem accepisse, nisi qui salute dignus esset, cum ex hac vita discessisset. »

Sic et Petrus Chrysologus sermone CXXIII. «Agnoscite, fratres, ait, lætamini fratres, post triumphum Christi sanctorum custodiam dissolutam, et in sanctos ultra inferni nil deberi, quando Christus, ut justos, non injustos absolveret, ad inferos usque penetravit. Intelligamus, fratres, quantum Christus profuerit, imo quam sine Christo in nullo fuerit salus, cum præter istam corporum solutionem, Sanctorum quoque animæ apud inferos tenebantur astrictæ. »

XII. Item Gregorius Papa libro XIII *Moralium*, capite XV. « Dum conditor, ac redemptor noster, inquit, claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde alios descendendo liberavit, Hi vero qui ante ejus adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet justitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinu cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret, et justorum animas in perpetua jam sede collocaret. »

Isidorus Hispalensis, « Ideo Dominus, ait, in inferos descendit, ut his, qui ab eo non pœnaliter detinebantur, viam aperiret revertendi ad cœlos, juxta testimonium Esaiæ dicentis, *Posuisti profundum maris viam, ut*

* Trajani fabella isthæc passim ab omnibus rejicitur. Confer inter alios, Natalem Alexandrum in hist, sæc. II. Diss. I. Z.

** Et auctor *Prædestinati* c. item 79. Confer Fabricium ad eum Philastrii locum, ubi non Origeni solum, ejusque præceptori Clementi Alexandrino, sed multis etiam aliis Ecclesiæ Doctoribus placuisse hoc juxta Philastrium hæreticum dogma monet ex Allatio Diss. 2 de *libris Ecclesiasticis Græcorum*, et Cotelerio ad Hermæ Pastorem lib. III *similit.* IX. F. A. Z.

1 Philastr. lib. *de hæres.* hæresi LXXIV. — 2 *Psalm.* VI. — 3 *Rom.* II, 12. — 4 Bonif. tom. V concil. — 5 Epiph. hæres. LXIX paragr. 62. — 6 Ambr. tom. I. — 7 Tom. II Nazianz.

transirent liberati[1]. » Viam quippe Christus in profundum maris posuit, cum in infernum descendens, sanctis iter ad cœlos revertendi monstravit. »

Valentinum quoque concilium, nec non Remigius Lugdunensis, aliique, qui contra Carisiacensis synodi decreta, et alteram partem pro Gothescalco certarunt, adeo persuasum habueruut, Christum solos ab inferis exemisse justos, ut ne ipsum quidem pro multitudine impiorum passum crediderint, qui ante illius adventum ad inferos descenderunt; ut supra capite XIII fuse demonstravimus.

Ecbertus Schonaugiensis sermone nono *contra Catharos*[2]. « An creditis quia Dominus Jesus Christus in passione crucis emisit spiritum; et secundum corpus quidem sepultus est; secundum animam vero descendit ad inferna, et spoliavit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legem, vel sub lege Moysi, qua salvare neminem poterat, ab hac vita migraverant, et promissam a prioribus sæculis redemptionis suæ gratiam, quæ per Christum facta est, fideliter expectaverant? »

Lucas Tudensis libro XI *adversus Albigenses*, capite XXIII, idipsum uegantes hæreticos illos refellit. Denique complures ex Latinis Græcisque, qui descendisse Christum ad inferos testantur, illud una significant, causam ei fuisse descendendi, ut justos ex illo carcere liberatos in cœlum eveheret: ut ex antecedentibus capitibus intelligi potest.

De philosophis prior opinio refellitur.

XIII. Quod autem spectat ad priscorum Patrum opinionem illam, quæ gentibus quibusdam bene alioqui moratis, sed fide, ac veri Dei notitia destitutis, salutem ab Christo apud inferos repræsentatam asserit; non dubium est, quin ad sapientes, et philosophos potissimum pertineat; velut Platonem, cujus nominatim mentio fit apud Nicetam in commentitia illa narratiuncula. Atqui minus istos, quam alios quoslibet e vulgo, tanto afficiendos fuisse beneficio probat Apostoli Pauli de talibus querela in primo capite epistolæ *ad Romanos*: ubi memorabile Græcorum præsertim sapientum elogium perpetuæ memoriæ ab non falso teste proditum exstat; quod qui legerit, nihil contaminatius, ac depravatius genere isto bipedum fuisse cognoscet. Quamvis enim nonnulla præclare ab illis dicta, factaque leguntur, quæ videntur indicia multarum esse, magnarumque virtutum: tamen hæc ipsa non expressa, neque solida erant, sed adumbrata, et ad verorum speciem: tum multo pluribus, iisque certis, et turpissimis flagitiorum notis dedecorata sordebant. Quorum omnium nobis magis explorata fides esset, si auctorum illorum monumenta superessent, qui philosophorum veterum historias, et interiorem singulorum vitam moresque perscripserant. Ex quibus proferuntur aliqui passim apud Diogenem Laertium; et ex nostris Theodoretum in postremo sermone *contra Græcos*. Quod perexiguum specimen satis late patet, ut ex eo quales isti fuerint, qui omnium ore celebrantur, et quam impuri, indignique sapientiæ nomine ac professione viverent, conjectura capi possit.

Expenditur locus Petri obscurus.

XIV. Superest Apostoli Petri locus ille, ex quo tum Catholici omnes Christum ad inferos descendisse probant: tum qui hoc concesso, gentiles, præsertim philosophos, ex inferorum suppliciis extractos, et conversos illius prædicatione docent, potissimum argumentati sunt. *Christus*, ait Petrus[3], *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qni increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam: quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*, » etc. Item capite sequenti[4], « *Propter hoc enim et mortuis evangelizantum est; ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu.* Qui locus admodum, ut est, visus antiquis est obscurus, ac perplexus; de quo interrogatus Augustinus ab Evodio, pro responsione, nihil propemodum præter hæsitationem explicavit suam epistola undecentesima. Ac revera quidem Christum ad inferorum loca descendisse, pro certo habet; idque neminem, nisi infidelem, negare posse contendit, ut supra meminimus. Verum an de hoc ipso descensu Petrus ibi loquatur, addubitat; et multa contra communem interpretationem affert; quibus permotus, verisimile esse concludit, nequaquam de inferis mentionem illic fieri. Quamobrem quæ de Christi prædicatione, et spiritibus incre-

1 *Isai.* LI, 10. — 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* — 3 *Pet.* III, 18. — 4 Ibid. cap. IV, 6.

dulis dicuntur a Petro, non alterius temporis esse putat, quam quo diluvium accidit. Tunc enim Christum existimat Spiritu, id est divinitate priscis illis sub diluvii tempus prædicasse, qui tamen credere noluerunt. Quam opinionem Theodorus Beza secutus est.

Verum neutiquam illa probabilis est : et communi fere veterum sententiæ refragatur, quæ de Christi ad inferos adventu illic agi putat,

Omissis omnibus aliis interpretandi modis, illa maxime ratio placet, quæ in Œcumenii commentariis occurrit : Christum dici a Petro post mortem inferis illapsum, nonnullis sui notitiam, et salutem impertisse : nimirum illis, qui vitam suam recte composuerant, et sic affecti fuerant, ut si tunc Christus advenisset, ad ejus fidem accipiendam essent animo parati, « Qui enim, dum in terris degerent, vitam suam recte factis ornatam , ac florentem præstiterant, ut si tunc Christus in mundum venisset, ab ejus vivifica prædicatione neutiquam recessissent ; illi per descensum Domini ad inferos, salutem adepti sunt[a]. » Quod Gregorii Nazianzeni testimonio confirmat, qui oratione XLII quærit utrum Christus apud inferos omnes salute donaverit[1], *an credentes duntaxat*, κἀκεῖ τοὺς πιστεύοντας. Ubi Œcumenius participium ponit futuri temporis τοὺς πιστεύσοντας, hoc est *credituros*[b] : videlicet eos, qui se ita composuerant, ut si tunc advenisset, essent credituri. Sed neque varietas ista lectionis necessaria est; nec interpretatio laudanda. Christus igitur in Spiritu, id est efficaci divinitatis suæ potentia, inferos adiens, copiam sui mortuis ipsis benigne præbuit, et eos ad agnitionem sui, venerationemque convertit, non omnes quidem, sed eos duntaxat, qui ab orbe condito in Dei gratia, et amicitia decesserant, non solum per legem a Mose Judæis editam, sed etiam ex antiquissimis temporibus, et ipsa adeo prima rerum ætate, quam diluvium terminavit. Ideo potissimum illos in medium adduxit, qui Noe, ac diluvii tempore vixerunt; ut ad omnes retro ætates pertinere beneficam vim Redemptoris ostenderet : tum ut opportunum sibi transitum pararet ad baptismi faciendam mentionem ; cujus in diluvio figura transacta est.

De Paradiso, quem pio Latroni Christus ostendit, disputandum erat hoc loco. Sed ea quæstio jam a nobis est explicata libro septimo tomi primi[2]. Itaque missam eam faciemus.

a OEcum. Οἵ γὰρ ἔργοις ἀγαθοῖς τὸν ἑαυτῶν κατὰ τὸν τῆς ζωῆς αὐτῶν χρόνον, περιανθίσαντες βίον, ὡς εἰ καὶ τότε τῷ κόσμῳ ἐπεδήμησε Χριστὸς, μὴ ἂν ἀπολειφθῆναι τοῦ ζωοποιοῦντος αὐτοὺς κηρύγματος, οὗτοι καὶ τότε διὰ τῆς εἰς ᾅδου τοῦ κυρίου καθόδου, τῆς σωτηρίας ἔτυχον.

b Ibid. Διὰ γὰρ τοὺς πιστεύσοντας, σημαίνει τοὺς οὕτω παρεσκευακότας ἑαυτοὺς, ὡς εἰ καὶ τότε παρεγένετο πιστεύσοντας.

1 Supra, paragr. 7.— Tom. 1, lib. VII, cap. IV.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE INCARNATIONE VERBI

LIBER DECIMUS QUARTUS

IN QUO DE SANCTISSIMA DEI MATRE, DEQUE EJUS INTEGRITATE; AC TAM DE HOMINIS CHRISTI, QUAM ILLIUS, ET SANCTORUM CULTU AGITUR.

CAPUT PRIMUM

1. *De libri hujus argumento.* 2. *Quid sit sanctitas, et quid ei opposita macula, quæ duplex statuitur.* 3. *De priore, quæ est peccatum : quod proprium et actuale utrum penes B. Virginem fuerit, quæritur. Veteres aliquos affirmasse : ut Basilium.* 4. *Tum Chrysostomum*, 5. *Cyrillum Alexandrinum*, 6. *Et alios deinceps.* 8. *Quorum opinio parum firmis argumentis nititur, certe non necessariis; quæ singillatim dissolvuntur, ac primum quod nuntianti Angelo fidem non habuisse dicitur.* 9. *Tum quod ex Simeonis verbis deducitur. Item illud, quod a filio castigata videtur. Explicatur Joannis Evangelistæ locus ex capite secundo, ubi de nuptiis in Cana celebratis agitur.* 10. *Vera Christi verborum interpretatio, quæ ab omni peccaeo B. Virginem absolvit.* 12. *Nunquam* actuale *peccatum eam admisisse probatur ex Patrum testimoniis.* 13. *Maxime Augustini.*

I. Non est ab honore filii aliena matris, et sejuncta dignitas : sed ad hanc augendam tum naturali quodam jure, tum hominum usu, et existimatione ista refertur. Quod in Christi genitrice præsertim valere debet; vel propter excellentem ejus in omni laudum genere præstantiam : vel quod præcipua ratione; hoc est citra viri consortium; arctissimam illam cum Deo filio propinquitatem, et materni sola sibi nominis decus ascivit. Quocirca, uti recte scripsit Arnoldus Carnotensis[1]; « Cum debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cujus plenitudine roratum est desuper, quod Maria prædicatur gratia plena, manifestum est, individuam esse Matris, et Filii gloriam; et commune esse utriusque præconium. » Postquam igitur de Christi hominis ornamentis, quantum satis esse visum est, hucusque verba fecimus; nonnulla de sacrosanctæ Virginis, et Matris ipsius commendatione decimo quarto huic libro mandare decrevimus. Ac primum de sanctitate illius, et integritate dicemus : tum de ejusdem in sublevandis, Deoque conciliandis hominibus opera et advocatione; postremo de honore, ac veneratione primum hominis Christi; deinde matris ipsius; ac cæterorum adeo sanctorum, inter quos illa sine controversia principatum tenet. Sic enim theologos omnes insuevisse video, cum de Incarnatione disputant, commentationis suæ partem aliquam in incarnati Verbi sanctissimam matrem, ejusque proprium cultum, imo vero in universum genus adorationis enucleandum insumere, Quorum imitatus exemplum, haud abs re facturus esse video, si amplissimi, vel potius infiniti argumenti tractationem certis illis, quæ paulo ante præscripsi, adstrictam capitibus compendio potius exequar, quam plena et justa disputatione complectar. Libri hujus summa.

II. Ut igitur a sanctitate capiam disputationis initium, ea duplex constituenda nobis est; et cujusmodi sit, ex generis definitione perspicuum fiet. Sanctitatem universe describit ita Dionysius : « Sanctitas, inquit, ut pro captu nostro dicamus, est ab omni labe criminis libera, et perfecta, et prorsus immacu- Quid sanctitatis nomine intelligatur.

1 Arnold. tom. I *Bibl. Patr.*

lata munditia[a]. »῞Αγος ibi proprie crimen est, et scelus : tum ex eo commissum piaculum ; cujus vacuitas, et munditia sanctitatem efficit. Latius tamen hoc vocabulum sanctitatis extenditur, ut non eam duntaxat excludat maculam, quæ revera peccatum sit, et hominem Deo vel invisum, vel minus gratum, acceptumque reddit : sed illum etiam animi, et corporis affectum, qui cum summo, et exquisito decore castitatis minime consistit ; qualis est licitus alioquin, et honestus haud necessariæ voluptatis usus, qui in matrimonio conceditur. Sic enim sanctitatis nomen usurpat Apostolus, cum de virgine scribit sic : Et *mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu*[1]. Quinetiam Apostolus Joannes, usum conjugii, quem expertem esse culpæ inter Christianos convenit, *inquinationis* nomine afficit ; cum in *Apocalypsi* de virginibus ita loquitur : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. virgines enim sunt*[2]. Hic *inquinatos cum mulieribus*, virginibus opponit, adeoque legitimo etiam operatos, honestoque usu conjugii, ut ex Augustino, libro *de sancta virginitate*, Primasius, et Aretas, aliique interpretes agnoscunt : non quod malus ex sese iste sit, et labe aliqua contaminatus, sed quod cum virginum integritate comparatus maculæ instar habet : tum quod nuptiarum opus sine concupiscentia, et libidine non peragitur : quæ est macula quædam naturæ vitiosæ, atque morbus ; unde et *peccati* apud Apostolum nomine censetur[3] : non proprie dicti : sed quoniam effectus est, et causa peccati : quod caveri in nuptiali officio vix potest ; sed veniale istic est : ut passim docet Augustinus[4].

Ex quo duplex in beata Virgine considerandus est sanctitatis nitor : unus, qui peccato est adversus : alter, qui virginitati convenit. Rursus prior bifariam spectatur. Nam altera macula est, quæ actione voluntatis propria contrahitur : altera est originalis, quæ aliena culpa, et voluntate derivatur in posteros. De utraque macula, et ei opposita integritate Virginis deinceps agemus, ac primum de illa, quæ voluntate cujusque, et actione transigitur : de qua minor est, quam de posteriore controversia : imo inter Catholicos hodie nulla : quorum nemo est, qui non ab omni inquinatione peccati, etiam levissimi, puram fuisse sanctissimam Dei genitricem existimet.

III. Dixi *hodie* Catholicum de eo dubitare neminem. Nam non videtur olim id in fidei dogma fuisse receptum : cum sanctissimi, et alioqui B. Virginis studiosissimi Patres parum interdum de eo commode scripserint, levissimis inducti rationibus ; imo nullis. De quibus hoc loco paucis disseram ; ne tantorum virorum auctoritas fraudi cuipiam sit, ut de majoris omni prædicatione Dei matris existimatione aliqua fiat ex eo decessio.

Nonnulli antiqui minus bene de B. Mariæ sanctitate locuti sunt, ut Basilius.

Basilius imprimis in epistola CCCXVIII, propositæ sibi quæstioni de eo quod Simeon Mariæ dixit. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, respondens, asserit B. illam Virginem dubitatione quadam fluctuasse, et scandalo jactatam, quando supplicio vidit affectum filium. Etenim « animam ait omnem passionis tempore, dubitationi cuidam fuisse subjectam, secundum Domini vocem, qui dixerat : *omnes vos scandalum patiemini in me*[b]. » Ideo Simeonem vaticinatum esse de Maria, quod jactatione quadam fluctuaret, post Gabrielis testificationem, post mirabilis illius partus conscientiam, post ingentia quæ viderat Christi miracula. Tum rationem hanc subjicit : « Oportuisse quippe Dominum pro omnibus gustare mortem, et propitiationem factum mundi, omnes in sanguine suo justificare[c]. » Denique quod dixit Simeon, *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, eo demonstrari ait, « quod post scandalum ex Christi cruce tam discipulis, quam Mariæ ipsimet objectum, celerrimum sequetur remedium a Domino, quod illorum cor ad fidem in seipsum confirmabit[d] ; » quemadmodum Petrus a Christo in fide confirmatus, et stabilitus est.

Chrysostomus.

IV. Joannes Chrysostomus homilia XXVII

a Dion. init. cap. XII *de Divinis nominibus* ; ῾Αγιότης μὲν οὖν ἐστιν, ὡς καθ' ἡμᾶς εἰπεῖν, ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς καὶ πάντη ἄχραντος καθαρότης.

b Basil. ep. CCCXVII. ᾿Επειδὴ τοίνυν πᾶσα ψυχὴ παρὰ τὸν καιρὸν τοῦ πάθους οἱονεῖ διακρίσει τινὶ ὑπεβάλλετο, κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου φωνὴν εἰπόντος ; ὅτι πάντες σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοί.

c Ibid. ῎Εδει γὰρ τὸν Κύριον ὑπὲρ πάντων γεύσασθαι τοῦ θανάτου, καὶ ἱλαστήριον γενόμενον τοῦ κόσμου πάντας δικαιῶσαι ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι.

d Ibid. Αἰνίττεται ὅτι μετὰ τὸν σκανδαλισμὸν τὸν ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ γενόμενον τοῖς τε μαθηταῖς, καὶ αὐτῇ τῇ Μαρίᾳ, ταχεῖά τις ἴασις ἐπακολουθήσει παρὰ τοῦ Κυρίου, βεβαιοῦσα αὐτῶν τὴν καρδίαν εἰς τὴν ἐπ' αὐτῷ πίστιν.

1 *Cor.* VII, 34. — 2 *Apoc.* XIV. 4. — 3 *Rom.* VII. — 4 Lib. *de bono conjug.* cap. VI, tom. VI ; et lib. I *de nupt et concup.* cap. XIV et tom. VII et alibi sæpe.

in Matthæum, de eo disserens, quod Matthæi duodecimo scriptum est, quosdam renuntiasse Christo : *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te :* quibus ille ita respondit : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei*? hujus responsi rationem sic edisserit : « Quoniam, inquit, humani aliquid patiebantur, non utile quippiam audire volentes; sed ostensare tantum se propinquos illius esse, et ex eo gloriolam captare[a]. » Quod apertius declarat ad illud ipsum Matthæi duodecimum caput, et ista verba, *Quæ est mater mea?* etc. « Hujusmodi, ait, verba locutus est, non quod eum matris puderet, aut illam, e qua genitus erat, abdicaret, (si enim puderet ejus, neutiquam per uterum illum prodiisset in lucem) sed ut ostenderet, nihil illud eam juvare, nisi quod officii sui erat in omnibus præstaret. Nam quod illa facere instituerat, supervaneæ cujusdam ambitionis erat. Quippe volebat ostentare populo, se filio dominari, et in eum auctoritatem exercere : cum nondum de ipso magnum aliquid imaginatione sua sibi proponeret. Ideo intempestive accessit. Ac vide quæso tam ipsius, quam illorum superbiam. Cum enim par esset ingressos ipsos audire cum turba, aut si hoc nollent, expectare dum finem dicendi faceret, ac tunc adire : illi contra foras ipsum evocant[b], » etc. Quem locum ita denique concludit, ut « et vanæ gloriolæ morbum curasse illum asserat, et matri congruum honorem detulisse. »

Rursus homilia quarta *in Matthæum*, quæstionem illam movet, cur angelus non ante Josephum de nascituro Christo ex ipsius conjuge monuerit, quam in utero jam concepisset, sed post conceptum in utero filium : Deinde cur e contrario Virgini prius ortum Christi significaverit, quam incarnatus esset. Tum priori ita respondet : idcirco non antequam Virgo conciperet, certiorem fecisse Josephum : ne ut Zacharias nuntianti sibi Joannis nativitatem angelo fidem non habuerat, sic ille diffideret. Posteriorem vero quæstionem dissolvit in hunc modum : Ideo prius nuntiatum esse Virgini conceptum iri in ejus utero filium; ne si rei penitus ignara, gravidam se postea deprehendisset, in « summam perturbationem, ac metum veniret. Quippe verisimile est, si quid actum esset ignoraret, gravius aliquid in se consulturam fuisse, ac laqueo, ferrove sibi vitam erepturam quod tantæ ferendæ ignominiæ impar esset[c]:» quæ verba Nicetas ad eum locum usurpavit[1].

Ad hæc homilia XXI *in Joannem*, de primo Christi miraculo agens, causam affert ejusmodi, cur Mater Christi ab eo postulaverit, ut aquam in vinum converteret. « Volebat enim tum de illis bene mereri; tum seipsam illustriorem per filium facere, inquit. Ac fortassis humani aliquid est passa : quemadmodum et fratres illius dicentes, *Manifesta teipsum mundo*[2] : nempe cupientes gloriam ex miraculis capere. Propterea durius illi respondit[d]. »

V. Cyrillus item Alexandrinus eadem licentia de sanctissima Virgine infanda quædam in suis *ad Joannem* commentariis adspersit. « Ibi enim matrem Domini, passione illa filii, quæ nec opinato contigerat, scandalum esse passam non veretur dicere, et propemodum de statu mentis esse dejectam[e]. » Addit et « hu- Cyrillus Alexandrinus.

a Chrysost. hom. XXIX *in Mat.* vers. 28. Ἐπειδὴ ἀνθρώπινόν τι ἔπασχον, οὐκ ἀκοῦσαί τι τῶν χρησίμων βουλόμενοι, ἀλλὰ ἐπιδεῖξασθαι ὅτι προσήκουσιν αὐτῷ, καὶ ταύτῃ κενοδοξῆσαι.

b Idem hom. XLIV *in Mat.* Ταῦτα δὲ ἔλεγεν οὐκ ἐπαισχυνόμενος ἐπὶ τῇ μητρὶ, οὐδὲ ἀρνούμενος τὴν γεγεννηκυῖαν· (εἰ γὰρ ἐπῃσχύνετο, οὐδὲ ἂν διῆλθε διὰ τῆς μήτρας ἐκείνης) ἀλλὰ δηλῶν ὅτι οὐδὲν αὐτῇ ὄφελος τούτου, εἰ μὴ τὰ δέοντα ποιεῖ ἅπαντα. καὶ γὰρ ὅπερ ἐπεχείρησε, φιλοτιμίας ἦν περιττῆς. ἐβούλετο γὰρ ἐνδείξασθαι τῷ δήμῳ, ὅτι κρατεῖ, καὶ αὐθεντεῖ τοῦ παιδὸς. οὐδὲν οὐδέπω περὶ αὐτοῦ μέγα φανταζομένη. διὸ καὶ ἀκαίρως προσῆλθεν. ὅρα γοῦν καὶ αὐτῆς, καὶ ἐκείνων τὴν ἀπόνοιαν. δέον γὰρ εἰσελθόντας ἀκοῦσαι μετὰ τοῦ ὄχλου, ἢ μὴ τοῦτο βουλομένους ἀναμεῖναι καταλῦσαι τὸν λόγον, καὶ τότε προσελθεῖν, οἱ δὲ ἔξω καλοῦσιν αὐτὸν, etc. Οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα τῆς τε κενοδοξίας τὸ νόσημα ἰάσατο, καὶ τὴν πρέπουσαν τιμὴν τῇ μητρὶ ἀπέδωκε.

c Chrysost. homil. IV *in Matth.* Ἵνα μὴ ἐν ταραχῇ ᾖ, καὶ φόβῳ πολλῷ. καὶ γὰρ εἰκὸς ἦν, τὸ σαφὲς οὐκ εἰδυῖαν, καὶ βουλεύσασθαί τι περὶ ἑαυτῆς ἄτοπον, καὶ ἐπὶ βρόχον ἐλθεῖν, καὶ ἐπὶ ξίφος, οὐ φέρουσαν τὴν αἰσχύνην.

d Idem hom. XXI *in Joan.* Ἐβούλετο γὰρ καὶ ἐκίνοις καταθέσθαι χάριν, καὶ ἑαυτὴν λαμπροτέραν ποιῆσαι διὰ τοῦ παιδός. καὶ τάχα τι καὶ ἀνθρώπινον ἔπασχε, καθάπερ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ λέγοντες. δεῖξον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ, βουλόμενοι τὴν ἀπὸ τῶν θαυμάτων δόξαν καρπώσασθαι. διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς σφοδρότερον ἀπεκρίνατο.

e Cyril. Ὅτι καὶ αὐτὴν κατὰ τὸ εἰκὸς τὴν τοῦ κυρίου μητέρα τὸ ἀδοκήτως συμβεβηκὸς ἐσκανδάλισε πάθος, καὶ μικροῦ τοῦ πρέποντος ἐξέστησε λογισμοῦ πικρὸς ὢν λίαν ὁ ἐπὶ τῷ σταυρῷ θάνατος.

Ibid. Μὴ γὰρ ἐνδοιάσῃς ὅτι τοιούτους τινὰς εἰσεδέξατο λογισμοὺς, etc.

1 In cat. cordet. — 2 *Joan.* VII, 4.

jusmodi cogitationes in animo versasse. Equidem illum genui, qui nunc in Cruce ridetur. Verum cum seipsum ille verum esse diceret dominantis omnibus filium, forte fallebatur. Qui se vitam esse dixit, quomodo crucifixus est, etc. Valde quippe probabile est, mulierem istam ignaram mysterii in tales incidisse cogitationes. Atque hoc minime mirandum esse dicit, si femina paululum eo prolapsa fuit: cum Apostolorum ille princeps Petrus aliquando scandalizatus sit [a], » quando Christus passurum se esse prædixit. « Quid ergo inusitatum accidit, si tenera mens mulierculæ ad imbecilliores cogitationes abrepta sit [b]? » Atque hoc ipsum non vana se conjectura de matre Domini suspicari confirmat; verum ex auctoritate Scripturæ, quippe istud significasse Simeonem cum beatæ Virgini fore prædixit *ut ipsius animam pertransiret gladius*[1]. « Nam gladium appellari ab eo, acutam illam vim, et impetum perturbationis, quæ mulierculæ mentem in absurdas cogitationes divideret [c]. » Sed intolerabilius est quod subinde narrat; Christum in cruce languentem Joanni discipulo matrem commendasse suam, « quod cum ea in scandalum incidisset, et cogitationum perturbationibus implicata esset, providendum illi fuerit, etc. Itaque cum sciret quibus tum cogitationibus agitabatur, hanc egregio mystagogo commisisse discipulo suo, qui mysterii illius altitudinem recte, et idonee explicare posset [d]. »

Hæc trium summorum virorum præpostera sunt judicia de Dei matre sanctissima Virgine: quæ nemo prudens laudare possit; ut de utroque Homericum illud usurpare queas [e],

« Acer homo, immeritum vel qui culpaverit
[ultro. »

Tum hoc ejusdem:

« Quod foret indictum melius, verbum ore
[profudit [f]. »

VI. Secundum hos recensendus est Amphilochius oratione tertia *de Occursu Domini;* vel quicumque ejus auctor est. Is beatam Virginem scandalo affectam esse passionis Dominicæ tempore putat, idque ab Simeone prædictum. Addit insuper, «in hæc incidisse Mariam, quod vim resurrectionis nondum intelligeret [g]. » — Aliique deinceps.

Proclus item oratione sexta, quæ est *in B. Virginem*, Gabrielis cùm ea colloquium sic oratorio more describit; ut dicentem inducat ipsum, perinde ut Zachariam Joannis patrem, Mariam addubitasse ad cœlestem de Christo nascituro nuntium. « His, inquit, quæ a me dicta sunt, non tu sola diffidisti: sed et Zacharias. Ac te quidem, cum in secretioribus mysteriis infantem esse non ignorem: imo quod te velut matrem Domini reverear, castigare non audeo, mihi fidem abrogantem [h]. »

Ad idem trahi culpæ potest argumentum, quod Maximus Taurinensis homilia prima *in Epiphania Domini*, de B. Maria vinum ab filio postulante, et paulo acrius castigata prodidit, ubi « tam temere, inquit, ei mater de defectu carnalis poculi suggerebat, qui venerat totius orbis gentibus novum salutis æternæ calicem propinare. » Ergo temeritatis notam inurit sanctissimæ Virgini.

Anselmus quoque in libro *de excellentia B. Virginis*, peccati nonnihil in ea fuisse significat, cum sic scribit[2]: « Nimirum tenemus fide; ab omni, si quid adhuc in illa originalis, sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut (nec) super eam spiritus Domini, scilicet super humilem, et quietam,

a Cyr. Θαυμαστὸν δὲ οὐδὲν εἰ παρώλισθέ πως εἰς τοῦτο γυνή. Εἰ γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτος Πέτρος ἐσκανδαλίσθη ποτε, etc.

b Ibid. Τί τὸ παράδοξον εἰς πρὸς ἐννοίας ἀσθενεστέρας ὁ τρυφερὸς τοῦ γυναίου συνηρπάζετο νοῦς;

c Ibid. Ρομφαίαν γὰρ ἔλεγε τὴν ὀξεῖαν τοῦ πάθους προσβολὴν πρὸς λογισμοὺς ἐκτόπους κατατέμνουσαν τοῦ γυναίου τὸν νοῦν.

d Ibid. Ὅτι τῆς ἰδίας μητρὸς σκανδάλῳ περιπεσούσης, καὶ λογισμῶν ἀταξίαις ἐμπεφυρμένης, πῶς οὐκ ἔδει προνοεῖν τὸν κύριον, etc. Εἰδὼς οὖν ἄρα τοὺς ἐν αὐτῇ διαλογισμοὺς, ἀρίστῳ μυσταγωγῷ παρεδίδου τῷ μαθητῇ, τὸ τοῦ μυστηρίου βάθος ἐκδιηγεῖσθαι καλῶς τε, καὶ οὐκ ἀνικάνως ἔχοντι.

e Homer.
Δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

f Idem.
Καί κεν ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον.

g Amphil. Τούτοις δὲ περιέπεσεν ἡ παρθένος Μαρία μηδέπω τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως εἰδυῖα.

h Procl. Τοῖς γὰρ ὑπ' ἐμοῦ εἰρημένοις οὐκ αὐτὴ μόνη ἠπίστησας, ἀλλὰ καὶ Ζαχαρίας, καί σε μὲν ὡς νηπιάζουσαν περὶ τὰ μυστικώτερα ἐπιστάμενος, μᾶλλον δὲ ὡς μητέρα τοῦ κυρίου αἰδούμενος, οὐ τολμῶ σωφρονίσαι αἰδούμενος.

1 *Luc.* II, 34. — 2 Anselm. cap. III.

et trementem verba sua, totus requiesceret.»

His extra controversiam sanctis, et catholicis doctoribus, et eorum adstipulatoribus Theophylacto in caput *Lucæ* secundum, et Euthymio in secundum *Joannis* adjungendi sunt duo minime catholici, Origenes, et Tertullianus ; quorum ille homilia XVII *in Lucam*, eadem illa de Mariæ scandalo, et titubante tempore passionis fide refert, quæ Cyrillus aliique sunt imitati. « Quis est iste gladius, inquit, qui non aliorum tantum, sed etiam Mariæ cor pertransiit? Aperte scribitur, quod in tempore passionis omnes sint Apostoli scandalizati ; ipso quoque Domino dicente : *Omnes vos scandalizabimini in nocte hac.* Ergo scandalizati sunt universi in tantum ut Petrus quoque Apostolorum princeps tertio denegarit. Quid ? putamus quod scandalizatis Apostolis Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratia ejus, et redempti ; utique et Maria illo tempore scandalizata est. Et hoc est quod nunc prophetat Simeon. » Quem locum Origenis Theophylactus expressit, ut proxime ante meminimus. Idipsum et catena manu exarata in Evangelia reddit, quæ est in Bibliotheca Christianissimi regis.

VII. Tertullianus porro libro de *carne Christi*, capite septimo, de eo disserens quod Christus nuntianti sibi, matrem et fratres ipsius adesse, respondit[1] : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* ita scribit : « Sed quæ ratio responsi, matrem, et fratres ad præsens negantis, discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderant in illum, sicut Evangelio ante Marcionem edito continetur. Mater æque non demonstratur adhæsisse illi, cum Marthæ, et Mariæ aliæ in commercio ejus frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum, cum is doceret viam vitæ, cum Dei regnum prædicaret, cum languoribus, et vitiis medendis operaretur, extraneis defixis in illum, tum proximi aberant. Denique superveniunt, et foris subsistunt, nec introeunt, non computantes scilicet, quid intus ageretur : nec sustinent saltem : quasi necessarius aliquid adferrent eo quod ille tum maxime agebat : sed amplius interpellant, et a tanto opere revocatum volunt. » Vides ut incredulitatem matri perinde Christi, atque ejus fratribus affingat.

Auctor libri *Quæstionum ex novo Testamento*, qui inter Augustini rejicula ponitur in tomo quarto, quæstione LXIII, itidem ut Origenes, aliique supra laudati, beatam Virginem dubitasse censet patiente filio : et hunc esse gladium, quem ejus animam pertransiturum esse prædixit Simeon. « Hoc utique significavit, inquit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium Incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret : ita tamen ut resurrectione, honore et virtute firmaretur : omnes stupore quodam in morte Domini dubitarent; non tamen in dubitatione manerent. Sic enim animam pertransit gladius, si dubitatio non permaneat in cogitatione, sed pellatur superveniente reformante se pristina virtute. Quis enim non ambigeret, videns eum, qui se filium Dei dicebat, sic humiliatum, ut usque ad mortem descenderet? » Frigida et futilis argutia. Nam διελεύσεται, quod est in Græco, *penetrare*, ac *transadigi* significat. De hujusmodi Patrum sententiis fuse disputat Sixtus Senensis scriptor eruditus, in quinto[2], et sexto libro[3] : ubi et Cyrillum omisit, et Tertullianum.

Ac nonnulli excusatione quadam lenire dictorum illorum offensionem, et invidiam utcumque conati sunt : sed ita, ut conatus duntaxat in laude ponendus sit : res ipsa vero exitum non habuerit. Nam adeo disertam continent cujusquemodi delicti significationem, ut aliorsum detorqueri se minime patiantur.

VIII. Quocirca, si verum quærimus, non dubium est, veteres illos, quod eorum pace dictum velim, cur de sanctissima, et integerrima Dei matre tam indigna sentirent, ac scriberent, causam nullam probabilem habuisse. Ac si quis Scripturæ loca expendat illa, ex quibus sinistræ de ea suspicionis ansam tenuerunt, nihil argumentationibus istis levius, et imbecillius esse judicabit. Nuntianti sibi angelo conceptum prolis ac partum non statim assentitur beata Virgo : sed de rei modo, et ordine prudenter ante sciscitatur. Cur hoc incredulitati potius, ac vitio, quam circumspectæ moderationi, cautionique tribuitur ? Sane hoc posterius antiqui complures asseverant : et hæsitationem illam bonam in partem interpretantur. « Erat cogitans, ait Ambrosius[4], cum verecundia, quia pavebat : cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur ; quæ nusquam lecta est,

Talia de SS. Virgine loquentes, nullam habuere probabilem causam.

1 *Matth.* XII, 48. — 2 Lib. V, ann. 104. — 3 Annot. 58, 138, 140, 185. — 4 Amb. lib. II *in Lucam.*

nusquam ante comperta. » Et postea : « Videtur hic non credidisse Maria, nisi diligenter advertas[1]. Neque enim fas est, ut electa ad generandum Dei filium, fuisse censeatur incredula. Quo ergo modo fieri posset, (salva prærogativa matris, cui profecto fuit amplius deferendum, et ut prærogativa major, major etiam fides ei debuit reservari) ut Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur; Maria autem, si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tamen temere debuit usurpare : non credere angelo, usurpare divina : » et mox : Etenim cum dicit, *Quomodo fiet istud?* « non de effectu dubitavit : sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. »

Augustinus item, « Si verba attendamus, inquit[2], haud ambo crediderunt, Zacharias et Maria. Sed nos verba audimus : Deus potest et corda interrogare. Intelligimus carissimi, quoniam Zacharias quando ait, Per quid ego cognoscam hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea progressior in diebus suis, desperando dixit, non inquirendo : Maria vero quando e contra ait, *Quomodo fiet istud: quia virum non cognosco?* inquirendo dixit, non desperando. Dum interrogavit, non de promissione dubitavit. » Nec aliter Andreas[3] Cretensis in sermone *de Annunt.*

Sic Titus Bostrensis ad caput primum *Lucæ*; « Non diffidens, ait, Virgo ita locuta est. *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* sed ut sapiens, modum expositæ rei scire desiderans[a]. » Nullum igitur in eo delictum, nec titubantis fidei vestigium in Virgine tenemus. Vide Petrum Chrysologum sermone CXLII qui est *de Annuntiatione*. Irenæus libro III, capite XXXIII, et libro V, capite XIX, et ante hunc Justinus martyr dialogo *cum Tryphone*, pagina 256, sanctam Virginem cum Eva, et hujus incredulitatem, illius fidem et obedientiam comparantes, ab omni hanc peccati suspicione procul removent.

IX. Sed nec in illo altero, quod idem Evangelista narrat, eidem Virgini dictum a Simeone, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Quod frustra ad B. Virginis injuriam detorquetur, et incredulitatis argumentum. Quanto verius, et prudentius Beda ad dolorem refert Virginis de Christi passione susceptum? « quia non potuit videre crucifigi sine affectu materni doloris, etsi speraret resurrecturum, et mortem devicturum. » Recte, inquam, et veram gladii illius significationem aperuit, et de resurrectione filii non dubitasse confirmat. Non ut alii doloris istius causam aiunt fuisse, quod quem dirissimis cruciatibus confici, exanimarique cernebat, resurrecturum nesciret; ut in Catena illa Regiæ bibliothecæ reperi[b].

Paulo difficiliorem habet explicationem quod ex capite secundo Joannis affertur; ubi B. Virgo ab filio increpita, et paulo durius accepta videtur : quando in nuptiis vino deficiente, opem ejus pia mater imploravit : et ille cunctatus, *Quid mihi, et tibi est mulier* : inquit. Quæ verba interpretum industriam exercent. Ac nonnulli simplicius hæc accipientes putarunt sine increpatione ulla sensu hoc usurpari : Quid ad te, meque pertinet, si vinum isti non habent? Ita supposititius Justinus martyr in responsione ad quæstionem centesimam tricesimam sextam Orthodoxorum. Quod autem Epiphanio eadem tribuitur opinio fit errore interpretis Cornarii[4], qui hæc Evangelii verba ab Epiphanio relata, *Quid mihi, et tibi est mulier?* sic reddidit; *Quid mihi, et tibi curæ est?* Verum sententia ista minus congruit. Quippe loquendi genus illud, Quid mihi et tibi? cum in Scripturis usitatissimum sit; tum acrius nescio quid, et πληκτικὸν sonat; cum castigatur ac reprehenditur qui quid dixerit, aut egerit, quod minus placet. Ut cum David ita loquitur[5]; *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ?* Et alibi quidam[6], *Quid tibi*, inquit, *et paci?* Item dæmones, apud Matthæum[7], *Quid nobis et tibi Jesu?* Quasi dicatur : quid commune tecum habeo, ut cum ad præstandum nos aliquis hortatur, quod minime volumus.

Expenditur locus Joannis perdifficilis

X. Maldonatus existimat simulatam, non veram ibi esse reprehensionem Virginis : quemadmodum in istis locutionibus, *Quid est quod me quærebatis*[8]? Et, *Quæ est mater mea*[9]? ubi vera non est reprehensio, sed simulatio reprehensionis.

Non placet simulata ista reprehensio, quæ

a Titus Bostr. tomo XIII *Bibl. P.P.* Οὐκ ἀπιστήσασα καὶ ἡ παρθένος τὸ, πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; λέγει· ἀλλ' ὡς σοφὴ, τὸν τρόπον ἐκζητοῦσα μαθεῖν τοῦ λεγομένου πράγματος.

b Catena M. S. Reg. *Bibl.* Ῥομφαίαν δὲ λέγει τὴν ἐπὶ τῷ σταυρῷ θλίψιν τῆς παναγίας παρθένου, οἰομένης μὴ δεῖν αὐτὸν τοιαῦτα πάσχειν. τὸ γὰρ αὖθις ἀναστήσεσθαι αὐτὸν, ὡς ὑπέρογκον τέως ἠπιστεῖτο.

1 Vide II lib. *de Abrah.* cap. VIII et IX. — 2 Hom, XLIV *de quinquaginta* cap. IV. — 3 Andr. tom. XII *Bibl. Patr.* — 4 Hæres. LXXVIII, paragr. 12. — 5 *Regum* XIV. — 6 II *Regum* IX. — 7 *Matth.* VIII, 19. — 8 *Luc.* II XLIX. — 9 *Matth.* XII, 48.

Vera Christi verborum interpretatio.

si est ulla, vera profecto esse debet. Id modo videndum, quanam ratione citra culpam esse possit integerrimæ Virginis. Sic igitur habendum est; Verba ipsa factaque, prout ejus, animus qui ea dicit, aut facit est, sic esse laude, vel reprehensione digna; sæpe autem evenit, ut aliorum deterrendorum, vel erudiendorum gratia, sic a Deo, aliisve capiantur : non ea mente, qua ab auctore profecta sunt : sed qua ab aliis usurpantur, usurparive possunt. Itaque cum Beata Virgo, ex caritatis, et humanitatis affectu Christum esset allocuta, rogassetque ut illorum necessitati provideret, hanc ejus sedulitatem, postulationemque non reprehendit Christus; sed cum alia ratione postulari miraculum ejusmodi posset : nempe ab eo, qui minus honorifice de Christi divinitate sentiret, camque miraculorum faciendorum vim humanum esse quiddam, et parentum auctoritati subjectum: quo ab eo opinione averteret, reprehensionis aculeos non in matrem, sed in ejus verba distrinxit. Eodem prorsus modo Christus, cum pia quædam mulier Christum laudans exclamasset, *Beatus venter, qui te portavit*[1], etc., reprehendendi usus formula subjecit, *Quinimmo beati qui audiunt Dei, et custodiunt illud*, neque mulierem, tanquam male locuta esset arguit : sed ejus, ne aliter ac concepta fuerant dicerentur ab aliquo, verba correxit.

Sane *Correctio* figura quædam est, quæ cum adhibetur, non sequitur id reprehensione fuisse dignum, quod retractari videtur : sed aliquid additur tantum, quod omissum fuerat, estque eo, quod expressum est, perfectius, ac præstantius. Est etiam *anaclasis* figura sententiarum, quæ tum fieri solet, ut ait Rutilius Lupus libro primo *de figuris sententiarum*, « cum id quod ab altero dictum est, non in eam mentem, quæ intelligitur, sed in aliam, aut contrariam excipitur. » Hoc modo castigari potuit a Christo interpellatio Virginis matris : quam alioqui vitiosam, aut culpandam fuisse non necessario demonstrat illa filii correctio : sed ea quomodo perfici deberet, quidve ad eam accedere oporteret, subjicit. Laudanda B. Virgo fuit quod ex caritate pauperibus illis opem impetrare vellet a filio : sed perfectionis utique aliquid ad eam mentem, et supplicationem debuit accedere, ut intelligeretur, miraculorum hujusmodi momenta altioris cujusdam providentiæ consilio temperari. Quod etsi ne tum quidem ignorabat Virgo, non tamen satis ad aliorum usum et utilitatem expresserat. Quocirca vera, uti dixi, reprehensio, et correctio fuit, non utique culpam arguentis; sed quod perfectius erat, exprimique poterat, salubriter admonentis.

Ad hunc locum Patrum annotationes.

XI. Huc illa pertinent, quæ Patres ad illum locum adnotant : ideo locutum sic esse Christum, « ut distingueret inter Deum et hominem, ait Augustinus[2], quia secundum hominem minor, et subditus erat : secundum autem Deum supra omnes erat. » Item[3]; « quia secundum quod Deus erat, matrem non habebat, secundum quod homo erat, habebat matrem : miraculum autem, quod facturus erat, secundum divinitatem facturus, non secundum infirmitatem humanam.» Tum ideo dixit, auctore Ruperto, ut hæretici, qui ante Mariam fuisse Christum negabant, hic percuterentur. Ad hæc initio procurasse Christum ait idem, « ut Dei cura curæ carnis præponeretur; » quemadmodum in *Deuteronomio* scriptum est[4] : « *Qui dixit patri suo, et matri suæ, Nescio vos, et fratribus suis, Ignoro vos; et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum.* Magis ergo ut legem impleret, matrem suam, salvo ejus honore nescivit. »

Postremo, remotis ambagibus, simplex adhiberi ratio ista potest; verba illa, *Quid mihi et tibi?* non semper objurgationem, ac reprehensionem indicare : sed sæpe significare, suo judicio usurum in re aliqua qui sic loquitur, nec ab alieno arbitrio pendere, aut legem imponi sibi se esse passurum. Quemadmodum cum Moses *Deuteronomii* capite illo tricesimo tertio ita loquitur, *Qui dixerunt patri suo, et matri suæ, nescio vos; et nescierunt filios suos*; non hoc præfracte putandum est dicere voluisse, Levitas, de quibus loquitur, propinquos suos nescivisse; verum figuratam esse locutionem, qua sic illos sese gessisse demonstrat, tanquam alieni essent, nec ulla cum cognatis suis, et parentibus necessitate conjuncti. Eodem modo et ista dicendi formula; *Quid mihi et tibi?* proverbialis, et tropica quodammodo locutio erit, qua significatur ita nolle quemquam quod rogatur concedere, tanquam cum eo, a quo interpellatur, commune nihil unquam habuisset, habereque vellet.

XII. Nam quod ad passionis Christi tempus attinet, illius in ea spectanda et immenso

1 *Luc.* XI, 28. — 2 Aug. lib. II *de Sym.* cap. V. — 3 Idem. tract. VIII *in Joan.* — 4 *Deut.* XXXIII, 8.

Virginis constantia in passione Filii.

licet in mœrore fortiter ferenda constantiam, et invictam patientiam egregie testatur Ambrosius in epistola xxv, paulo ante finem, ubi ita scribit: «Maria mater Domini ante crucem filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Evangelista. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt; cœlum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellaverit, pluris putans quod victor suppliciorum, pietatis officia (erga) matrem exhibebat, quam quod regnum cœleste donabat, etc. Sed nec Maria minor, quam matrem Christi decebat. Fugientibus Apostolis ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Christi vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per filii mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri.» Et mox: «Hanc imitamini matres sanctæ, quæ in unico filio dilectissimo tantum maternæ virtutis exemplum edidit.»

Et in Concione *in obitu Valentiniani*: «Stabat, inquit, et sancta Maria juxta crucem filii, et spectabat Virgo sui unigeniti passionem. Stantem illam lego: flentem non lego.»

Denique Sophronius vir ut eruditissimus, ita sanctissimus, Hierosolymitanus patriarcha, in epistola synodica, quam ad Sergium Constantinopolitanum episcopum scripsit, quæ in sexta œcumenica synodo probata est, et in ejus acta relata, asserit B. Mariam «ab omni contagione, ac macula liberam fuisse corpore, anima, et intellectu[a].»

Impeccantia B. Virginem nunquam actuale admisisse peccatum probatur ex Patribus.

XIII. Omnino igitur amplectenda, et certa fide tenenda catholicæ totius Ecclesiæ rata consensu, de ἀναμαρτησίᾳ beatæ Virginis sententia. Quam ab antiquis acceptam sanctiore decreti sui auctoritate firmavit Tridentina synodus: quæ canone vicesimo tertio sessionis sextæ statuit: «Neminem posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio: quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia.»

Bernardi locus insignis.

Atque hanc ab *actuali*, ut vocant, labe puram Virginis innocentiam tuentur etiam illi, qui ab originali culpa immunem fuisse negant; ut inter alios Bernardus, qui in sermone secundo *de Assumptione* sic scribit: «Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit: sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne, Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, etc., ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit.» Idem docet et in epistola CLXXIV, ubi etsi puram ab originis vitio haberi non patitur, in utero tamen sanctificatam esse non dubitat, et quidem «copiosiorem sanctificationis benedictionem in eam descendisse, quæ et ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.»

Inquiritur Augustini quis fuerit sensus.

At ante hunc, Augustinus varie de eo sensisse potest videri. Nam omnes, excepto nemine, peccatum aliquod commisisse alias asserit: alias B. Virginem eximit. Generalis est ejus assertio libro secundo *de peccatorum meritis, et remissione*: ubi capite sexto quæstioni hoc modo propositæ, *utrum homo sine peccato possit esse in hac vita*, respondet, *posse per Dei gratiam, et liberum ejus arbitrium*. In septimo vero quærit, utrum sit aliquis ejusmodi, hoc est utrum aliquando fuerit, ut ex tota disputatione constat; et respondet non se credere esse quemquam. Atque hoc generalibus e Scripturæ locis asseverat; quæ nullum, ne sanctissimum quidem, peccati funditus expertem esse testantur. Sic in capite xx negat ullum fuisse, vel unquam esse potuisse, qui peccato prorsus caruerit. Sed ibi de peccato universe loquitur, qua originale quoque complectitur, de quo postea. Quod ipsum et in xxxv capite declarat.

Quinetiam libro primo *de Nuptiis, et concupiscentia*, capite ultimo, Ambrosium laudat auctorem in commentario *ad Isaiam Prophetam*, (qui liber excidit) ubi ille de Christi nativitate loquens, ait ipsum, quia de Spiritu sancto, non autem usitato modo ex viro et femina satus est, ideo peccato caruisse: «Servatum est igitur, ait Ambrosius, ut ex viro et muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers delicti esse.

a Tom. V conc. in synod. sex. act. II. Μαρίας τῆς ἁγίας, καὶ φαιδρᾶς, καὶ θεόφρονος, καὶ παντὸς ἐλευθέρας μολύσματος, τοῦ τε κατὰ σῶμα, καὶ ψυχὴν, καὶ διάνοιαν.

Qui autem expers delicti est, expers est hujusmodi conceptionis. » Hic generatim pronuntiat, neminem ordinario naturæ more genitum, delicti proprii, et actualis expertem esse posse. Ex quo de B. quoque Virgine idipsum efficitur, immunem eam ab culpa minime fuisse.

XIV. Verum Augustinus trita illa, et pervagata sententia, quæ ex libro *de natura, et gratia*, capite xxxvi citari solet, ab actuali peccato penitus Dei matrem Virginem liberat. Cum enim Pelagius, rt suum dogma probaret, quo posse homines, si vellent, asserebat sine omni esse peccato, multorum utriusque sexus exempla protulisset, qui in Scripturis « non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur, » quales fuerunt Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, etc. *adjunxisset* etiam feminas, Debboram, Annam matrem Samuelis, etc. « Ipsam etiem Domini ac Salvatoris nostri matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati : » cum hæc, inquam, de B. Virginis impeccantia Pelagius affirmasset, assentitur huic Augustinus, et ita loquitur : « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem ; unde enim scimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum ? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus : utrum hoc, quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus ? rogo vos. » Hinc igitur apparet, ex mente Augustini, nulli affinem peccato fuisse sanctissimam Virginem, proprio quidem et *actuali;* nam de eo loquitur. Quod autem ad generales illas pertinet Scripturæ, Patrumque sententias, quæ neminem sine proprio aliquo vixisse peccato prorsus affirmant, adhibenda illa est eorumdem Patrum regula, quam alibi memoravimus ex Hieronymo [1], et Prospero [2] : sæpe vocabulum *omnis*, vel *omnia* non ad totum referri, sed ad partem maximam : præsertim si unus duntaxat ex toto eximendus est : quod illic facit Augustinus.

XV. Merito itaque Proclus Constantinopolitanus oratione sexta beatissimam Dei matrem inter alia nomina, vocat *impeccantiæ sacrarium*[a]. Jure item Hildephonsus in sermone *de Assumptione* [3], cum Arca Testamenti veteris illam comparat, « Supra quam propitiatorium et Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur : quia Mariæ nullum intrinsecus obrepsit peccati contagium : sed intus omnis custodia legis, et manna fuit. » Qua etiam similitudine usus est Proclus, addens illud, « hanc arcam esse intus et extra deauratam, hoc est corpore, ac spiritu sanctificatam[b]. »

Talem certe, hoc est, et nulla peccati labecula fuscatam, et stupendum, ac perpetuum sanctitatis exemplar virginibus sanctis imitandum proponit Ambrosius libro secundo *de Virginibus*; ubi virtutes illius totis eloquentiæ viribus, et incredibili verborum, sententiarumque copia et ubertate describit.

Denique quod ab omni culpa suapte voluntate concepta immunis beata Virgo fuerit, saltem illa suadere possunt Græcorum, ac Latinorum Patrum elogia, quæ ἄχραντον, id est *impollutam*, et *incontaminatam* illam nuncupant, et ejusdemmodi titulis exornant, quæ antecellentem omnibus, et singularem vitæ integritatem, et innocentiam continent : quæ nonnulli ad conceptus ipsius munditiam pertinere volunt; de quo utroque, id est originali statu, et exquisitis de Matre Dei virgine sanctorum judiciis agam paulo post. Sed ad incorruptam saltem, uti diximus, et nulla perstrictam vel levissima peccati macula vitam illius accommodari par est ; utcumque se habet originalis ejusdem conditio, quam qui communi omnium lege circumscribunt, prius illud tamen obtinent, nullius unquam culpæ conscientia violatam ejus integritatem fuisse ; quod et magister sententiarum, et sancti Thomas [4], et Bonaventura, aliique vulgo diversarum licet scholarum, et partium, doctores adstruunt *.

a Procl. orat. vi. Αὕτη τὸ ἄδυτον τῆς ἀναμαρτησίας ἱερόν.

b Ibid. Αὕτη ἡ κεχρυσωμένη ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν κιβωτὸς, σώματι καὶ πνεύματι ἡγιασμένη.

* Confer Petrum Canisium L. I *de Maria Deipar.* cap. x. et Raynaudum *in dyptichis Marianis punct*; 9 n. 23. Tom, VII. oper.

1 Hier ep. cxlvi.— 2 Prosp. lib. I *de vocat Gent.* cap. ix.— 3 Tom. IX, *Bibl. Patr.*— 4 Par. III, qu. xxvii., art. 4 et in III sent. dist. iii. Item in *comp. theol.* cap. ccxxiv.

CAPUT II.

De originali labe quæritur, utrum ei fuerit obnoxia B. Virgo. 2. *Affirmat Augustinus primum generalibus sententiis.* 3. *Tum specialibus, et expressioribus.* 4. *Cur ita senserit : id est qua ratione fretus tam ipse, quam cum secuti Scholastici.* 5. *Aliorum cum illo consentiens opinio.* 8. *Sed contraria sententia plerisque postea placuit. Sixti quarti de ea re judicium.* 9. *Nonnulli in tuendo immaculato conceptu parum accurati notantur.* 10. *Propugnatur tandem hæc opinio non ut fide certa : sed ut valde probabilis, ex communi Christianorum* προλήψει, *qui a Spiritu sancto docentur.* 11. *Cujusmodi genus revelationis ab Augustino vocatur latius sumpto vocabulo.*

Utrum B. Virgo fuerit originali labi obnoxia.

I. De peccati genere illo deinceps inquirimus, quod jam tum ex ipso conceptu et origine contractum, *originale* proptea nominatur. Id utrum ad B. Virginem adhæserit, paucis explicandum videtur. Quæ quidem quæstio postremis his temporibus acrius exagitari cœpit ; et majores in quibusdam impetus excitavit animorum, quam bene consulta, et provisa ratio pateretur ; adeo ut in partes et factiones, atque indidem in simultates, et propemodum internecina odia vis contentionis, et ardor eruperit. Atqui jampridem grassantis hujus belli semina gravissima pontificum Romanorum, imo Ecclesiæ totius auctoritas compresserat, cum ita decrevere, neutrius partis fautores esse damnandos, neque pro hæreticis, aut peccati ullius reis, et convictis habendos, eo quod nihil adhuc super hac controversia Romana ecclesia, vel sedes Apostolica pronuntiarit : quod Xisti quarti decretum Tridentina synodus ratum esse jussit ; sed hac de re postea. Nunc quæ veterum Patrum de eo sententia fuerit, paucis enarrabimus ; Latinorum duntaxat. Siquidem Græci, ut originalis fere criminis raram, nec disertam mentionem scriptis suis attigerunt ; sic utrum B. Virgo affinis illi concepta fuerit, liquidi nihil admodum tradiderunt*. Princeps inter Latinos enodandi, et accuratius explicandi mysterii illius fuit Augustinus : qui et nominatim in ea pertractanda quæstione sanctissimæ Dei matris meminit : sed ita, ut hanc ipsam communi sorte, atque lege noxæ originalis includat. Cujus duplici in genere testimonia statuenda sunt, nam alias generales sunt sententiæ, quibus solum Christum a peccato illo excipit : reliquos vulgari parentis utriusque propagatos satu in illud immersos fuisse contendit ; alias de Dei genitrice privatim idem asserit. Utraque nos hoc loco proponemus ab generalibus dictis sumpto, uti par est, initio.

Affirmat Augustinus primum generalibus verbis.

II. In libro primo *de nuptiis, et concupiscentia*, capite XII, de Christi secundum carnem conceptu disputans, « Solus ibi nuptialis, ait, concubitus non fuit : quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato ; sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati ; ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati : quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. »

Idem in libro secundo *contra Julianum*, capite secundo, testem laudat Ambrosium in libro, quem *de Arca Noe conscripsit* : ubi Christum asserit «solum potuisse esse justum, cum generatio omnis erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxiæ privilegio minime teneretur, etc. Quem igitur jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant? Omnes sub peccato ab Adam : in omnes regnabat mors. Veniat solus justus in conspectu Dei, de quo jam non cum exceptione dicatur : *Non peccavit in labiis suis*, sed *peccatum non fecit.* » Ex quibus verbis ita contra Julianum pugnat Augustinus : « Huic dic, si audes,

* Patres tamen Græcos pro immaculato Deiparæ Virginis conceptu adferri aliquos non injuria posse demonstratum fuit paucis ab hinc annis, a P. Benedicto Plazza, quo nemo hactenus uberiore, ac solidiore eruditione pro pia sententia decertavit in egregio, opere quod hoc capite sæpius citabimus prænotato : *Causa immaculatæ conceptionis Sanctiss. Matris Dei Mariæ Dominæ Nostræ.* etc. Panormi 1747 f. actione I, artic. II. ; quamvis illud a præclarissimo auctore optassem, ut a defendenda S. Jacobi Liturgia, paucissimisque aliis id genus dubiæ fidei monumentis asserendis abstinuisset. Nam etsi sunt hodieque, qui id ipsum sentiunt, quemadmodum *Liturgici codicis* editor Joseph Aloysius Assemanas, tamen neque ad propugnandam hanc causam necessaria isthæc erant, et propter paucos, qui contra magnam, formidandamque Criticorum nationem vindicentur, hujuscemodi libros commentarius lectissima cæteroquin eruditione refertus apud sciolos quosdam, aut alterius partis studiosos homines in contemptionem cadit.
F. A. Z.

quod diabolum fecerit hominum conditorem, qui utriusque sexus commistione nascuntur; quandoquidem solum Christum, quia sit natus ex virgine, a vinculis obnoxiæ generationis excepit, omnibus cæteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus : quod utique peccatum diabolus seminavit. »

Et epistola LII. « Hoc ergo excepto lapide angulari, inquit, non video quomodo ædificentur homines in domum Dei, ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati : quod non possunt esse antequam nati.» Eodem spectat locus ille ex libro primo *de nuptiis* superiori citatus capite[1], ubi Ambrosii verba refert Augustinus, quæ neminem expertem esse delicti pronuntiant, qui ex utriusque sexus commistione sit genitus; tum alia ejusdem Augustini ex libro secundo *de peccatorum meritis* *.

Sic in libro secundo *contra Julianum*, capite nono, Ambrosii locum insignem profert ex libro primo *de Pœnitentia*, capite secundo, ubi ita dicit : « Unum solum hominem mediatorem Dei et hominum, eo quod sit natus ex virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri. Omnes autem homines sub peccato nasci quorum ortus in vitio est : quia concupiscentiæ voluptate concreti, prius subirent contagia delictorum, quam vitalam de hoc aere spiritum ducerent. » Habes amborum celeberrimorum in Ecclesia doctorum universe pronuntiata judicia, quibus ab originali noxæ contagione nullum penitus excipiunt communi usu, ac lege conceptum.

Tum specialibus et expressioribus

III. Nominatim porro ipsam quoque sanctissimam Dei matrem cum originali labe conceptam tradidit Augustinus libro decimo *de Genesi ad litteram*, capite XVIII, in quo ista scribit, quæ alibi citata, hic quoque necessario describemus : « Et quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit, » etc. Item; « Proinde corpus Christi, quamvis ex carne feminæ assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati **. »

Et capite XX de eo disserens, quod Apostolus scripsit[2], Levi in lumbis Abrahami decimatum fuisse, quando Melchisedec ab eo decimas accepit, hujus rei rationem hanc affert, quia secundum rationem seminalem in lumbis Abrahami Levi fuit, qua « ratione per concubitum venturus erat in matrem : secundum quam rationem non ibi erat Christi caro : quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro : » quod statim declarat sic, ut sit, « secundum concupiscentiam carnalem. Cum enim sit in semine, ait, et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ, quia et ipsum eo modo conceptum, et exortum est; Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit : ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit***.» De hac quæstione vide quæ supra libro undecimo capite duodecimo scripsimus.

Cur ita senserit tam ipse, quam eum secuti scholastici.

IV. Cur autem ita senserit Augustinus, inter alias causas, hæc præcipua fuisse videtur, quam et sancti doctores Thomas, et Bonaventura proferunt, quod alioqui non

* Lampridius quoque hoc Augustini testimonio abutitur, quod si quid probat, Virginis quoque nativitatem peccato fuisse pollutam confirmat; contra Augustini tamen sententiam, qui. ut Alexander de Hales optime notat, et vel ex ipsa Augustini epistola illa clarissime ducitur « loquitur de regeneratione, vel sanctificatione, quæ est secundum legem communem, et non secundum legem privatam. » Quocirca, ait ibidem Augustinus, nec quod factum est in Johanne, contemno, nec inde regulam, quid sentiendum sit de parvulis, figo, immo id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non invenio.» Adi Plazzam F. A. Z.

** Atqui testimonia hæc, atque alia hujusmodi id unum probant, carnem Virginis per carnalem concupiscentiam, ex semine utriusque parentis fuisse propagatam; quæ concupiscentia ex peccato primi parentis in nos derivata, nisi singulare Dei privilegium intercedat, via est, qua transfunditur in fetum, quum primum animatur, originale peccatum. Hac enim ratione caro illa sic genita, et propagata *caro peccati* merito nuncupatur, quamvis peccatum transfundi virtus divina prohibeat. Contra una Christi caro *peccati caro* non est, sed ut ait Apostolus *Rom.* VIII, 3, *in similitudinem carnis peccati*, quia Salvator ex sola Virgine corpus adsumpsit, ut ait Didymus Alexandrinus. S. Hieronymi præceptor in libro *contra Manichæos*. Vide P. Plazzam. F. A. Z.

*** Quid obsecro, inquit Plazza, ex tam prolixa sententia tandem elicimus, nisi hoc unum, quod Christus secundum carnem descendit ex Abraham, vel etiam ex Adam, non usitato modo per commixtionem sexuum, et operante concupiscentia, quo scilicet modo ipsum Mariæ corpus conceptum fuit, sed modo ineffabili per Virginem operante Spiritu sancto? Quis autem nostrum est tam insipiens ut istud neget, vel dubitet? F. A. Z.

1 Paragr. 12. — 2 *Hebr.* VII.

fuisset particeps Virgo redemptionis Christi; nec pro illa mortuus hic esset, quem pro omnibus Adami posteris esse mortuum, Scriptura, et fides Christiana testatur. Hoc enim argumento Julianum Pelagii discipulum Augustinus refellit in sexto adversus ipsum edito libro, capite quarto : *Commendat*, inquit, *suam caritatem Deus in nobis*, *quoniam cum adhuc peccatores essemus*, *Christus pro nobis mortuus est*. « Hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari. Ubi si abs te quæram, si non sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondebis non pro solis peccatoribus mortuum, quamvis sit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidem nusquam legis in divinis auctoritatibus, mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis, qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed attende, quam validis testimoniis urgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum : ego dico nonnisi pro peccatoribus mortuum : ita ut respondere cogaris; si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum. Dicit enim *ad Corinthios : Quoniam unus pro omnibus mortuus est ; ergo omnes mortui sunt*, *et pro omnibus mortuus est*, etc. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est; nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est : ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est*. » Hæc eadem argumentatio accommodari potest, et vero debere visa est sanctis illis, ad integerrimam Dei parentem, et Virginem, ut originali labe caruisse negetur.

At non adeo constanter, et præfracte originali infectam macula fuisse sanctissimam Dei matrem defendit Augustinus, ut non aliqua interim adspergat, ex quibus contrarium ratiocinando colligi possit.[1] Nam in libro quinto *contra Julianum*, capite xv, de Christo loquens : « Profecto, inquit, peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. » Quo in loco etsi B. Virginem originalis peccati maculæ videtur obnoxiam facere : nihilominus alio ex loco licet argumentando concludere ab eadem illa exceptam fuisse. Siquidem in libro *de Natura*, *et gratia*, capite xxxvi, uti antecedente capite, sectione xiii demonstravimus, nullum, quod actuale dicitur, commissum ab ea peccatum agnoscit Augustinus : idque catholica, ut ibidem ostendimus, fides amplectitur. Igitur ex superiore sententia, quæ originali ex labe semel contracta consequens esse peccatum *actuale* statuit : prorsus ab illa exemptam fuisse consentaneum est Virginem illam, quæ posteriore funditus caruisse creditur**.

V. Nunc alios subjungemus, qui Augustino in illa priori opinione subscripserunt. Eusebius falso dictus Emissenus, quem alii Eucherium, alii Hilarium Arelatensem, alii alium fuisse suspicantur; in oratione secunda *de Nativitate* : « Initiator, ait, omnium rerum abs te initiatur : et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit; ac de te sumpsit, quod etiam pro te solvat. A peccati enim veteris nexu per se non est immunis nec ipsa genitrix Redemptoris; solus ille, licet ex debito renascatur, lege tamen veteris debiti non tenetur. » Ita veteres codices; at in cusis ita legitur : *per se non est immunis*, quod a pio aliquo immaculati fautore conceptus ita conceptum videtur : tanquam id unum auctor ille voluerit, B. Virginem per se, et absque speciali gratia foret, originali implicatam labe esse debuisse***. Recensentur alii veteres ejusdem sententiæ patroni.

Idipsum et Fulgentius aperte confitetur libro *de Incarnatione*, capite sexto : « Hæc est, inquit, gratia, qua factum est, ut Deus, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur, atque nasceretur, in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta, caro fuit utique peccati; quæ filium Dei genuit in similitudine carnis peccati. » Porro *carnem peccati* capite sequenti ideo nuncupatam asserit, quoniam habet in se peccatum : « Si enim caro paccati non mendaciter dicitur, inquit, habet in se caro ipsa peccatum. Si vero pec-

* Confer Plazzam. Z.

** Argumentum ex hoc Augustini loco ductum illustrat Plazza, quem vide. Z.

*** Hæc Eusebii Gallicani, si tamen ejus est, sententia B. Virginem peccati debito obnoxiam fuisse probat, quod nisi divinitus fuisset præservata, uti cæteræ mulieres, contractura erat. Vide Plazzam. Z.

1 *Rom.* v.

catum non habet, falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam, de qua loquimur, carnem peccati verax discipulus veritatis Paulus appellat. Restat igitur, ut sicut vere caro est, cum caro dicitur; ita vere in se peccatum habeat, cum caro peccati ore Apostolico nuncupatur *.

Ferrandus diaconus magistrum suum imitatus Fulgentium, idem tradit his verbis. « In carne Christi natura est nostræ carnis, sed non reperitur culpa naturæ. Sic caro Christi carni Mariæ et similis, et dissimilis : similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatæ originis contagionem : Similis, quoniam licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates: Similis, quia passibilis, et mortalis ; dissimilis, quia incoinquinabilis, et vivificatrix etiam mortuorum **. »

Hildephonsus quoque Toletanus in libro *de perpetua virginitate B. Mariæ*, sanctificatam esse hanc in utero dicit, et ab omni originis labe purgatam. « At vero beata Maria, inquit[1], licet ipsa de carne peccati sit nata, et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc jam ex præveniente Spiritu S. gratia ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur ? *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Alioqui si non eodem Spiritu sanctificata est, et emundata, quomodo ejus caro non caro peccati fuit ? Et si caro ejus de massa primæ prævaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit; nisi quia Verbum quod caro factum est, eam primum obrumbavit, in quam Spiritus sanctus supervenit, et virtus Altissimi totam eam possedit ? Propterea vere caro ejus jam non caro peccati fuit, in qua Deus totam infundit, et Verbum, quod caro factum est, sine peccato ad vos venit ***.

At idem in sermone II *de assumptione B. Virginis*, « Caro, inquit, Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit. » Sed de originali, ut opinor, macula non loquitur : verum de vitiis, quæ Adami posteros inficiunt.

VI. Rursus Petrus Damiani opusculo sexto, capite XIX, de simoniacis agens, ut probet, illos, tametsi depravatissimi sint, at vera et bona sacramenta posse conferre, hoc utitur argumento. « Quandoquidem et ipse Dei mediator, et hominum de peccatoribus originem duxit, et de fermentata massa sinceritatis azymam absque ulla vetustatis infectione suscepit. Imo, ut expressius dicam, ex ipsa carne Virginis, quæ de peccato concepta est, caro sine peccato prodiit, quæ ultro etiam carnis peccata delevit. » Manifeste Petrus hoc loco beatam Virginem originali affectam vitio fatetur : quod et ab eo significari necesse est, ut argumentationi vis et ratio constet ****.

In eadem est causa Rupertus libro primo commentariorum *in Cantica* sub initium, ubi sic loquitur : « Et tu quidem veraciter dicere potueras, *Ecce enim in iniquitatibus concepta sum : et in peccatis concepit me mater mea.* Cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas : sed ante faciem hujus amoris peccatum nec illud , nec aliud stare potuit : ante faciem hujus ignis stipula omnis interiit ; ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus, totis novem mensibus habitaret ; tota omnino munda materia, de qua sancta Dei sapientiam domum æternam sibimet ædificaret *****. » Sic Anselmus in libro

* Fulgentii sententia isthæc eadem est, quæ Augustini illæ, in quibus ipsa quoqne B. Virginis caro *peccati caro* fuisse dicitur. Nec moveant, inquit Plazza illa verba : *quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta* ; aliud quippe significare non possunt, nisi carnem Mariæ cæterorum hominum ritu per concupiscentiam (quæ per metonymiam *peccatum* et *iniquitas* passim appellatur) propagatam fuisse; sermo enin est de conceptione carnis, quæ formalis peccati capax non est. F. A. Z.

** Hic ego, inquit Plazza Lampridium (et ille hæc Ferrandi verba objecerat) interrogo; per secundam dissimilitudinem quam adstruit Ferrandus inter Christum, et Mariam, vel intellexit quod Maria aliquas reipsa per voluntatem, aut per ignorantiam commiserit iniquitates: vel solum intellexit, quod snapte natura poterat illas committere ? Si primum; sicut in hac dissimilitudine statuenda erravit Ferrandus, ita et erravit in altera. Si secundum; ergo similiter intelligenda est prima dissimilitudo. nempe de contagione contracta in origine, et in debito. F. A. Z.

*** Non S. Hildephonsi hic liber est, sed Paschasii Ratberti etsi Ludovicus Andruzzius vindicare illum S. Hildephonso conatus est. Confer Plazzam. Debitum autem intelligit quisquis is auctor est contrahendi peccatum, a quo per gratiam prævenientem sanctificata est, ut explicat Plazza. F. A. Z.

**** Nullius tamen vis est isthæc argumentatio, si pronomen, *quæ*, non ad Virginem referas, sed ad carnem. Vide sis Plazzam. Z.

***** Suarez et plerique alii ab adversa parte stetisse fatentur. Raynaudus tamen *in dyptichis Marianis* Rupertum cona-

1 Hildeph. tom. IX *Bibl. Patr.*

secundo, *Cur Deus homo*, capite XVI, ubi Bosonem collocutorem suum quærentem sic facit; « Qualiter de massa peccatrice, et humano genere, quod totum infectum erat peccato, quasi azymum de fermentato Deus assumpsit : Nam licet ipsa hominis ejusdem conceptio sit munda, et absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta et in peccatis concepit eam mater ejus; et cum originali peccato nata est; quia et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. » Cui respondens Anselmus pro confesso ponit, hominem illum « absque peccato esse, de massa peccatrice licet assumptum : » et quo modo id factum sit deinceps explicat *.

VII. Porro idem Anselmus in libro *de Excellentia B. Virginis Mariæ*, capite tertio, in illa Angelica salutatione, quando, in Dei potestate fore se respondit, prorsus ab omnibus peccati reliquiis expiatam, et immaculatam esse factam asserit. « Cum igitur in his, quæ tantopere Deo placent, sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis illam aliqua ratione excellentius placere potuisse ; nimirum tenemus fide, ab omni, si quid adhuc in illa originalis, sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut et super eam spiritus Domini, scilicet super humilem, et quietam, et trementem verba sua, totus requiesceret. »

Eadem et Hugo Victorinus [1] ; et qui Hugonis ** sententiam ac plerumque verba ipsa reddit Petrus Lombardus *** affirmant; atque hic quidem uberius ac disertius ita rem explicat [2] : « Sane dici potest, et credi oportet, juxta sanctorum attestationes, convenientiam ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro : sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo : pœna tantum non necessitate, sed voluntate assumentis remanente. Mariam quoque totam Spiritus sanctus in eam præveniens a peccato prorsus purgavit, et a fomite peccati etiam liberavit, vel fomitem ipsum penitus evacuando (ut quibusdam placet) vel sic debilitando, et extenuando, ut ei postmodum peccati occasio nullatenus exstiterit. »

Vixit eodem sæculo, vivereque desiit Gallicanæ lumen, ac decus Ecclesiæ Bernardus ****, idemque summo in B. Virginem affectu, et pietate celebris. Hic vero conceptum Virginis minime culpæ originalis expertem fuisse non solum asseveravit : sed etiam festum illius diem agentes Lugdunenses canonicos severe castigavit ep. CLXXIV. Quinetiam in sermone secundo *de Assumptione*, perspicue originalem impegit eidem Virgini culpam : quem locum capite antecedente descripsimus [3]. Tum in sermone LXXVIII *in Cantica* : « Sine generalis velamine confusionis (id est originali macula) nemo filiorum hominum, inquit, intravit initians vitam, uno sane excepto, qui ingreditur sine macula. Emmanuel is est, » Sic Auctor sermonis quarti super *Salve Regina* [4], qui inter opera Bernardi legitur, « B. Virginem in utero matris suæ ab originalibus absolutam peccatis existimat : » id est in *utero sanctificatam ;* cum id Jeremiæ, et Joanni Baptistæ tributum fuerit.

Idem docet inter Cypriani editus opera scriptor *de Operibus Cardinalibus* in sermone *de Nativitate* [5].

VIII. Quamvis autem antiquioribus opinio illa placuit, postea tamen contrariam in par-

tur exponere; sed revera ejus mentem non est adsequutus. Plazza felicius deprehendit Rupertum *per hæreditariam peccati originalis labem* non intellexisse ipsam peccati originalis culpam, sed concupiscentiæ fomitem, quem nondum in Maria extinctum putabat, ante Christi conceptionem. F. A. Z.

* Id permittit Bosoni Anselmus collocutori suo, et discipulo, non adprobat, ne quo tempore solemnis in Ecclesia erat cultus nativitatis B. Virginis, ut vel ex ipsius Epistolis et Orationibus constat, dicamus Anselmum in ea fuisse sententia, ut B. Virginem cum originali peccato non conceptam solum, sed natam existimaret. Neque aliud exposcebat Anselmi institutum. Id enim S. D. sumpserat demonstrandum, Christum ab originali peccato prorsus alienum fuisse, quamvis non de massa tantum; sed etiam de Matre peccatrice foret conceptus; quia scilicet ante Domini conceptionem mater ejus per ipsius Christi fidem mundari potuisset. De quo plura habes apud Plazzam. F. A. Z.

** Hæc habet Hugo Victorinus de carne illa, cui unitum est Verbum, quæritur, utrum prius in Maria fuit caro illa obligata peccato? (en unum peccati Originalis debitum) Quod ita fuisse Augustinus dicit; sed in ipsa separatione per Spiritum sanctum mundata fuit, et a peccato, et a fomite peccati. Mariam vero totam prorsus a peccato sed non a fomite mundavit (præservativa scilicet mundatione, quemadmodum carnem Christi in gratiam conceptionis ipsius Christi) quem tamen sic debilitavit, ut postea non peccasse credatur. » Asperiora sunt hæc Hugonis verba, quæ indicant, carnem Christi quum conciperetur, et Mariam totam, quum primum concepit, fuisse a peccato mundatas. Cæterum vides illum, contra quam Petavius ait, multum a Petri Lombardi distare sententia. F. A. Z.

*** De Petro Lombardo legendus Plazza. Z.

**** Vide Plazzam. Z.

1 *Sum. sent.* I, I, XVI tom. — 2 Mag. lib. III Dist. III, § 1. — 3 § 12. — 4 Bernard. — 5. Cypr.

Contraria tamen sententia communior evasit.

tem complures iere Christiani ; ac paulatim tacito, pioque plurimorum assensu ita percrebuit, uti tandem in publicam professionem eruperit : adeo ut dies conceptui B. Virginis sacer publico et solemni ritu per totam Ecclesiam constitutus fuerit sexto eid. Decembres : cumque Apostolico decreto et auctoritate ratum esse voluerit Sixtus IV anno Christi 1476, ac Missam et canonicum officium proprium illi dicaverit, iisdem attributis Indulgentiis, quas Urbanus IV instituto abs se solemni festo Corporis Christi, et ejus officio Ecclesiastico concesserat, quod ex illius constitutione constat illo ipso anno edita : in qua « universos Christi fideles invitat, ut omnipotenti Deo de immaculatæ Virginis mira conceptione gratias, et laudes referant..»

Sixti IV judicium.

At idem postea, cum vehemens ea de re Catholicos inter esset orta contentio, ac mutuis altercationibus turbata pax et tranquillitas videretur, alia sanctione huic dissidio intercessit anno 1483, qua neutri parti hæresis aut lethalis criminis notam subscribendam esse decrevit sub anathematis pœna. Utraque constitutio ab Tridentinis Patribus sessione quinta confirmata est ; et rixantium impotens ardor eadem moderatione compressus. Secutæ sunt aliæ Romanorum pontificum bullæ, quibus modus quidam illi controversiæ positus est, de quibus omnibus legi possunt multorum commentarii, qui de uno hoc argumento copiosissimi hucusque perscripti sunt, et usu ac manu teruntur omnium *.

IX. In eorum vero plerisque, uti pietatem, et ornandæ sanctissimæ Dei matris conatum, et studium probare soleo ; sic in illa quæstione tractanda, diligentiam, et criticam sagacitatem requiro *. Nam nec in citandis auctoribus fidem, ac delectum adhibent, qui omnium maxime necessarius est : et quos ex antiquitate idoneos arcessunt, eorum dicta falsis interpretationibus, et alienis ab illorum mente detorquent. Non est necesse de singulis hoc loco dicere. Satis erit universe de unico capite illorum erroris admonere : quod lucubrationum istiusmodi magnam partem occupavit. Etenim si quid apud veteres, Græcos præsertim, increbuit, quod B. Virginem ἄχραντον, ἄφθαρτον, ἀμίαντον, id est *illibatam, incorruptam, impollutam* et id genus alia sonare videtur, in hoc avide tanquam secundo Mercurio sibi oblatum involant, et ad rem suam accommodant ; sed non est consequens. Siquidem illi etiam, quibus placuit originali contactam labe fuisse Virginem, partim in utero ipso antequam nasceretur, partim sub ipsum Redemptoris conceptum, tanta gratiæ sanctitatisque copia superfusam esse putant ; ut omnes originalis morbi reliquiæ, cum ipso, qui dicitur fomite concupiscentiæ, sanatæ, vel in perpetuum compressæ fuerint ; ut paulo ante ex S. Thoma, aliisque theologis ostendimus, Quam ob causam immaculata, et impolluta dici meretur, licet originali perfusa culpa fuisset, nam, et immaculati, et innocentes appellantur in Scriptura, qui præsente justitia, et sanctitate præditi sunt, cum ab originalis vitio non fuerint excepti. Sic in *Psalmo* XVIII Propheta [1], qui se *in iniquitatibus conceptum* fatetur, *Ero*, inquit, *immaculatus cum eo.* Paulus item *electos* ait *esse nos*, *ut essemus sancti*, *et immaculati.* Et in *Apocalypsi* Joannis de virginibus, *sine macula*, inquit, *sunt ante thronum Dei :* et sexcenta hujusmodi. Frustra igitur sunt, qui iis et similibus ex vocabulis, quæ summam in B. Virgine munditiam, integritatemque significant, confectum sibi negotium putant, ut apud quos ista repererint, eos sibi in testimonium asciscant illius, quem probare volunt, intacti immaculatique conceptus **.

Propugnatur hæc opinio ex communi omnium Christianorum sensu.

Equidem, ut disceptandæ quæstionis hujus finem aliquando faciam, sanctissimam Dei matrem, ac Virginem existimo non solum omni proprio et *actuali*, ut vocant, delicto caruisse, verumetiam originali : sed eatenus persuasum illud habeo, ut hoc ad fidem spectare nolim ; neque damnandum credam, aut severius appellem qui secus sentiat : nec alia ratione denique tueri sim paratus animo, quam quæ ab Romanis pontificibus et Tridentina synodo, id est ab Ecclesia catholica, Romanaque præscribitur. Movet autem me, ut eam in partem sim propensior, communis maxime sensus fidelium omnium ; qui hoc intimis mentibus, alteque defixum habent, et quibus possunt indiciis officiisque testantura nihil illa Virgine castius, purius, inno-

* Confer Plazzam *Act.* IV, et V. Z.

** Castigat hic, neque immerito, nonnulla in Petavio Plazza. Z.

[1] *Psalm.* XVII, 24.

centius, alienius denique ab omni sorde, ac labe peccati procreatum a Deo fuisse. Tum vero nihil cum inferis, et horum rectore diabolo adeoque cum qualicumque Dei offensa, et damnatione commune unquam habuisse. Admonet autem nos egregie Paulinus Nolanus episcopus gravis imprimis auctor [1], « ut de omnium fidelium ore pendeamus : quia in omnem fidelem spiritus Dei spirat. »

Quanti valeat publicum Catholicorum suffragium.

Præclare Joannes Fischerus Roffensis in Anglia quondam episcopus, quanti ponderis sit publicum istud Catholicorum omnium suffragium ; non impetratum, expressumve præscripto aliquo, sed sponte sua editum, docet in libro, quem pro Angliæ rege contra Lutherum scripsit ; cum de communione utriusque speciei disputat in tertio capite [2]. Nam inter argumenta cætera, quibus commune institutum propugnat, illud affert ; « Quod nulla præceptorum vi, sed consensu quodam tacito tum populi, quam Cleri sensim irrepsit dicta consuetudo, etc. et quasi tacitis omnium suffragiis recepta fuit, priusquam ullo conciliorum decreto legimus eam fuisse firmatam. » Tum ita pergit : « Apud eum populum hæc consuetudo nata est, qui Spiritu sancto regitur. Nemini enim dubium est Ecclesiam Spiritu sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse sanctus, spiritus, inquam, veritatis, ut in Ecclesia maneat in perpetuum, et ut eam doceat, et ducat in omnem veritatem, annuntietque quod Christi est, et quod audierit a Christo, » etc.

Duplex revelationis genus ab Augustino approbatum

XI. Scitum illud est Augustini, singulorum mentibus revelari quædam a Deo, non solum cum extraordinariis modis ; velut visis, et ostensis, et hujusmodi significationibus occultum aliquid innotescit : verum etiam usitatis rationibus : quando quod ignotum erat, vel orantibus, ac pulsantibus, vel aliud agentibus aperitur. Itaque causam hanc non semel reddit, cur priorem opinionem posteriore mutaverit ; quod cum nondum antea sibi Deus nonnulla revelasset, tandem ea patefecerit. Cujus rei unico hic, alterove exemplo contenti erimus. In primo libro *de Prædestinatiane Sanctorum*, capite primo, de illis loquens, qui, cæteroqui Catholici cum essent, et a Pelagianorum errore plurimum abhorrentes, de Christi tamen gratia non omnino recte sentiebant, quod ejus initium aliquod, et rudimentum, naturæ viribus imputarent ; hoc est fidem, vel credendi voluntatem, contra eos ergo disputans, imprimis dictum hoc illis accommodat Apostoli [3] : *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit ;* tum ista pertexit : « Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum. Sed habent unde si quid aliter in eo sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent, in quod pervenerunt, etc. Proinde si in eis ambulent, et orent eum, qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis hoc quoque revelabit. » Et capite quarto libri ejusdem, aliquando se versatum in eodem fatetur errore ; sed mutasse sententiam Apostolico illo testimonio convictum, *Quid habes quod non accepisti* [4] *;* « cum hac de re aliter saperem, ait, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum, sicut, dixi scriberem, revelavit. »

Sic in libro secundo *de Genesi contra Manichæos*, capite secundo, explicare se dicit ea, quæ in libro *Genesis* traduntur, « non præjudicantem meliori, diligentiorique tractatui, sive per se, sive per alios, quibus Dominus revelare dignetur. » Ubi revelationem appellat rei obscuræ patefactionem, quam Dominus labori, industriæque studiosorum hominum indulget.

Ad hunc itaque modum revelasse credendus est Deus Christianis integrum illum immaculatæ Virginis conceptum : hoc est ejus tum notitiam aspirasse ; tum quam Græci πληροφορίαν, Latini *firmam persuasionem* nominant : tametsi nondum plena, et quæ in Catholicum dogma transierit, facta sit illius fides *.

XII. Cum autem pro cujusque studio, tam ad propugnandam, quam ad oppugnandam B. Virginis impeccantiam, et munditiam accuratam, varia proponi argumenta soleant, de his non agam hoc loco : propterea quod uberrimis commentationibus jam ab aliis exposita sunt : quæ supervacaneam in hujusmodi commemorandis operam nostram efficiunt. Non sunt tamen prætermittenda, quæ adversus originalem Virginis integritatem potissimum allata sunt a SS. Thoma et Bona-

* Confer Plazzam ubi multa de communi sensu fidelium in hac controversia accuratissima disserit. Z.

1 Paulin. ep. IV. — 2 Cod. 234. — 3 *Phil.* III, IV, 7. — 4 I *Cor.* IV, 7.

ventura. Quorum primum istud est, quod Apostolus affirmat [1], *Omnes peccasse, et egere gloria Dei*. Item *Eramus*, inquit[2], *natura filii iræ, sicut et cæteri*. Et [3], *Per peccatum mors*, ait, *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*.

Satisfit argumentis S. Thomæ et S. Bonaventuræ.

Sed jam illud a nobis animadversum est; generales illas enuntiationes in Scripturis communi, et humano more sæpius usurpari; ut « non ad totum referenda sit vox *omnis*, sed ad partem maximam, » quam regulam enarrandæ Scripturæ prudenter Hieronymus præscribit [4]: ut cum Propheta dicit: *Omnes declinaverunt*[5]. Et alibi [6], *Non est homo, qui non peccet*. Et, *Omnes quotquot venerunt* (ante me) *fures sunt, et latrones* [7]. Cujusmodi loca tum Hieronymus, tum Augustinus ad illum sensum accommodant [8]. Enimvero si generales istiusmodi Scripturæ sententiæ ad extorquendam originalis in Virgine munditiæ fidem idoneæ sunt, multo magis ad eam, quæ proprio, et *actuali* peccato contraria est. Itaque nefas erit affirmare, B. Mariam proprium nullum admisisse delictum; ac falso iidem illi doctores existimaverint [9], non modo sanctitatem ei communicatam in matris utero jam conceptæ: sed etiam originalis delicti vestigium, id est concupiscentiæ morbum, quem *peccati fomitem* appellant, vel restinctum, et omnino sublatum fuisse; vel devinctum, ac repressum.

XIII. Nec illud omittendum est, quod S. Bonaventura sanctificatam esse B. Virginem in utero matris pro certo, et indubitato tenendum existimat « quod ejus nativitatem tota Ecclesia celebrat: » quod non faceret nisi sanctificata esset: cujusmodi argumentum SS. Hildephonsus et Bernardus usurpant. Ex quo suspicari licet, eosdem illos, si hac ætate nostra viverent, qua Conceptionis festum auctore est Ecclesia constitutum, non cunctaturos esse, quin et ab originali macula immunem illam fuisse defenderent; quod ipsum et de S. Thoma par est credere; quanquam ille conceptionis festum[10], quod in quibusdam Ecclesiis consecratum ait, ecclesia tolerante Romana, aliorsum trahit: ut *sanctificationis* tantummodo memoria, cujus certum tempus ignoratur, et diei illigata sit, et affixa, quo concepta illa creditur *.

Altera cur originali vitio non caruerit ratio sanctorum illorum est, quod alioqui non esset a Christo redempta; nec salvator iste suæ matris haberetur. Verum ad hoc parata responsio est, redemptorem, et sospitatorem nihilominus fuisse Christum immaculatæ Virginis, quatenus ipsam ab originali, non quod contraxerat, sed quo alioqui contaminanda erat, labe servavit; quemadmodum theologi nonnulli Angelos sanctos, qui nunquam peccarunt, Christi meritis id esse consecutos putant: adeoque Christum illorum fuisse redemptorem; uti libro duodecimo, capite decimo meminimus **.

* Legendus Plazza ubi postquam Festum Conceptionis Marianæ de ipsius innocentia, ac sanctitate luculentum esse catholicæ Ecclesiæ testimonium ostendit, tandem Petavianum hoc consectarium pluribus demonstrat, Patres nempe hos, ac theologos, si hodie viverent, quidquid alias olim senserint, sanctam, et Immaculatam indubitanter credituros Dei Genitricis conceptionem. F. A. Z.

** Et hic confer Plazzam. Z.

1 *Rom.* IV, 23. — 2 *Eph.* II, 7. — 3 *Rom.* V, 2. — 4 Hier. ep. CXLVI. — 5 *Psalm.* XIII. — 6 III *Reg.* VIII, 47. — 7 *Joan.* X, 8. — 8 August. tract. XXXV *in Joan.* — 9 S. Thom. III part. qu. XXVII, art. 3 et S. Bonavent. in III, dist. IV. — 10 S. Thom. III part. qu. XXVII, art. 2 ad 3.

CAPUT III.

De virginitate S. Mariæ. 1. Status quæstionis constitutus. 2. Negarunt aliqui natum Christum ex virgine: quorum argumenta refelluntur. 3. Quidam post natum Salvatorem, alios ex Josepho genuisse liberos finxerunt, An Tertullianus ita senserit. Non videri, nec ex illius verbis posse colligi. 4. Apollinari, et Eunomio tribuitur hic error. 5. Helvidius et Bonosus ejusdem hæresis accusati. 6. De Bonosianorum secta. 7. Hæresim, et blasphemiam a Patribus judicari opinionem illam, quæ alios liberos affingit B. Mariæ, cujus rei testis citatur Basilius. 8. Tum Ambrosius, et Epiphanius. 9. Quo sensu desponsatio vocetur matrimonium Mariæ cum Josepho. 10. Sponsam fuisse cum Salvatorem concepit, ac paulo post nuptam. 11. Quibus argumentis probant Veteres cum Josepho rem non habuisse B. Mariam. 12. Apocrypha historia de educatione illius; explicatur Epiphanii locus. 13. Solvuntur argumenta, quibus Helvidius, et alii suam hæresim affirmarunt.

Impeccantia

Maria antonomastice Virgo nuncupatur.

I. Dixi de ἀναμαρτησίᾳ sanctissimæ Virginis, quæ vera munditia est, et sanctitas contraria peccato. Nunc de ea disputandum, quæ libidinis sensum, cæteroqui concessum in matrimonio, coercet. Cujus summa, et quasi flos quidam virginalis est castitas: quam in B. Maria singularem exstitisse, vel ejus appellatio ipsa demonstrat. Hæc enim commune nomen sibi proprium fecit, ut antonomastice Virgo nominetur. Epiphanius certe in hæresi LXXVIII, ex isto peculiari et usu omnium contrito vocabulo *Virginis*, sine quo vix appellari B. Maria solet; purissimum, et ab omni corruptela remotissimum decus in illa virginitatis approbat. « Quis unquam, ait, aut in qua generatione, sanctæ Mariæ nomen ausus est appellare, qui non sciscitanti statim vocabulum virginis adjunxit? Nam ex epithetis istis statim lucent argumenta virtutis. Quippe justis omnibus, pro eo ac singulos decebat, sua sunt cuique dignitatis attributa nomina[a]: » quemadmodum Jacob, Israel vocatus est; Zebedæi filii, Boanerges, hoc est tonitrui filii. Sic sancta Maria antonomastice dicta est *Virgo*. Hæc Epiphanius. Hoc erit præsentis disputationis argumentum; quam aliquot capitibus absolvam. Cui quidem initium dabit hæc inquisitio; utrum non solum virgo, sed etiam perpetua virgo B. Maria fuerit: hoc est ante partum, et in ipso partu, atque secundum partum. Horum trium primum, et ultimum hoc tempore extra controversiam cessit. Nam nullus est hodie ab omni religionis sensu adeo derelictus, qui non excellentissimam Dei matrem ab omni viri consortio, et usu conjugii segregatam fuisse perpetuo censeat. De secundo quæstionis est aliquid: quatenus absque maritali commercio, solo effuso partu, patefacta virginei corporis claustra videri possunt: quod et nonnulli pridem opinati sunt; et quidam hodieque non verentur asserere. Quamobrem de duobus illis, primo, et postremo, priore loco disseremus. Medium horum trium caput, post ambo illa pertractabimus.

Præsentis disputationis argumentum.

Veteres impuri hæretici Christum e muliere non virgine natum asserunt.

II. Christum ex integra, et experte viri femina prognatum fuisse nemo Christianus unquam vocavit in dubium. Soli de eo litigant hucusque Judæi; et qui nomine solo Christum professi, revera Judæi erant, Carpocrates, Cerinthus, et Ebionitæ; aliique similes in eodem sunt errore versati; de quibus in libro primo hujus operis capite secundo satis multa dixi. Commune fuit istis omnibus argumentum, hoc sane futile, præsertim ab Christo non alienis; quod Tertullianus refert in libro *de virginibus velandis*; capite quarto, et quinto; nempe mulierem vocari Christi parentem: ut *ad Galatas* capite quarto: *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Illi autem « ita mulieris nomen usurpant, ut non putent competere, nisi ei soli, quæ virum passa sit[1], » ait Tertullianus. Nam quod virgo eadem et ab Isaia Propheta[2], et ab Evangelista dicitur[3], duplici cavillatione solebant eludere; altera ex nominis significatione petebatur. Pro *virgine* quippe in Hebræo aiebant esse עלמה, eamque vocem *juvenculam* exprimere. Itaque cæteros interpretes vertisse νεάνιδα, hoc est *adolescentulam*, scribit Hieronymus[4], qui

[a] Epiph. hær. LXXVIII, § 6. Τίς ποτε, ἢ ἐν ποίᾳ γενεᾷ τετόλμηκε καλεῖν τὸ ὄνομα Μαρίας, καὶ ἐρωτώμενος οὐκ εὐθὺς ἐπήνεγκε τὸ, παρθένον; ἐξ αὐτῶν γὰρ τῶν ἐπιθέτων ὀνομάτων καὶ τῆς ἀρετῆς ὑποφαίνει τὰ τεκμήρια. ἀξιώματα μὲν γὰρ ὀνομασιῶν εἰλήφασιν οἱ δίκαιοι ἑκάστῳ πρεπόντως, καὶ ὡς ἥρμοζε.

1 Tert. *de virgin. veland.* lib. IV. — 2 *Isa.* VII, 4. — 3 *Matth.* IV, 23 et *Luc* I, 27. — 4 *Ad Isa* cap. VII.

late de eo disserit : ut et Eusebius libro septimo *de Demonstratione Evangelica*, capite secundo : et ante hos Origenes primo *contra Celsum* [1] : soli Septuaginta παρθένον reddiderunt. Altera istorum calumnia fuit, quam refert Tertullianus [2], vocatam esse mulierem, « quasi quæ hoc futura esset, cum virginitatem resignasset. » Sed jocularia ista sunt. Nam *mulieris* nomen naturæ proprium est et sexus. Sed et *alma* idem est ac παρθένος, ut pluribus observat Hieronymus. De vi autem illius ad argumentandum contra Judæos loci, alias dicetur. Siquidem longiorem ea res operam desiderat. Vide Irenæum libro tertio, capite XXIV.

Virginem. — *Virgo.*

Alii alios post Christum filios genuise.

III. Verum Christum Dominum ex virili satu genitum adstruere, supremus in eo genere est impietatis gradus. Proximus est ab eo, virginem credere, posteaquam Dominum peperit, esse desiisse sanctissimam Mariam. Cujus erroris insimulari solet Tertullianus : et post hunc hæreseos damnati aliquot, ut Apollinaris, aliique, quos *Antidicomarianitas* nominat Epiphanius hæresi LXXVIII, tum Eunomius, Helvidius, Jovinianus, Bonosus, qui omnes Josephum, post divinum ab conjuge sua partum editum, cum eadem esse congressum, nefando errore jactarunt : indidemque appellatos alios Mariæ filios, qui Domini fratres in Evangelio cognominati sunt. Dicam de singulis istius opinionis auctoribus nonnulla. Tertullianus affirmare illud videtur libro *de Monogamia*, capite VIII. Et Christum « quidem Virgo enixa est, inquit, semel nuptura post partum; ut uterque titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur, per matrem, et virginem, et univiram. » Quanquam possit aliquis verba illa Tertulliani, *semel nuptura post partum*, interpretari sic, ut *nubere* vocet, *uterum resignari*, et virginitatis, ut appellant, sigillum aperiri : de quo postea. Sic enim in libro *de carne Christi*, capite XXIII, *etsi virgo conceperit*, *in partu nupsisse* illam asserit; quem locum paulo post expendam. Quare non satis ex illo loco libri *de Monogamia* colligitur. Tertullianum nefariam illam opinionem secutum esse; quæ post Christum in lucem editum, alios ex Josepho liberos suscepisse Virginem adstruit.

Expenditur quænam fuerit mens Tertulliani.

Alter locus Tertulliani, unde error idem colligitur, caput est septimum *de carne Christi* : ubi quos Evangelium *fratres Domini* vocat, revera fratres uterinos fuisse, et ex Josepho ac B. Maria genitos affirmare videtur. Sed non hoc aperte significat; nec ita, ut minime dubitare liceat, an hic fratres proprie dictos intelligat ; an ex sua sententia fuisse tales existimet, hoc est utero genitos eodem : vel potius ex adversariorum mente loquatur : cum in hoc intentus esset unum, ut causam probabilem edisseret, cur isti fratres Christi nominati in Evangelio, ab eodem Christo paulo severius absoluti sint. Quocirca qui ex illis tribus locis Tertullianum fœdæ illius hæresis, quæ perpetuam sanctissimæ Dei matris virginitatem abnegat, reum vulgo faciunt, haud satis manifeste convictum tenent; quamvis in alio capite minoris aliquanto impietatis arcessitur : quod exponam postmodum.

At Hieronymus in libro *contra Helvidium* illius causam ingravat, nam contra hunc hæreticum opinionis suæ Tertullianum vindicem proferentem ita præscribit [3] : « Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. » Recte id quidem Hieronymus, quod ad testis ipsius fidem, et auctoritatem pertinet : quam sane perexiguam in rebus fidei, ac dogmaticis meretur. In his enim plerumque levis est, et ἀλαζονικώτερος ; nec modum, ac rationem tenet, si quando impetu animi elatus efferbuit. Nihilominus de ea, quæ nunc agitur, integritate B. Virginis, non est temere contra illum præcipitanda sententia.

Nimium jactator.

IV. De Apollinaristis testis est Epiphanius hæresi LXXVII, numero 26, et initio hæresis LXXVIII quæ est *Antidicomarianitarum* ; ubi vel Apollinarem ipsum, vel ejus discipulos ita sensisse ex quorumdam relatu narrat, Mariam, postquam peperit Christum, cum Josepho conjuge suo consuetudinem habuisse, ac liberos edidisse. Nec est absimile vero Apollinarem hujusmodi aliquid effutisse ; ut erat intemperantis, ac profusi styli ; et in opinando mutabilis ac præceps : tum qui sanctissimæ Virginis dignitati plurimum, imo totum detrahebat, negans Verbum ex illius utero carnem sumpsisse : sed e cœlesti substantia delibatam asserens, in eam illapsam fuisse, per eamdemque, velut canalem, et fistulam manasse; ut in libro primo capite sexto diximus.

Alios de Josepho B. Mariam habuisse filios docuerunt Apollinaristæ.

Eamdem Eunomii pessimi Arianorum pestilentiam erroris exstitisse, persuadet Philostorgius, multum hæretico huic addictus ; cujus verba quia depravatissima sunt, hic referam, ut emendatiora faciam : « Narrat

Necnon Eunomius.

1 Orig. I *cont. Cels.* — 2 Tertul. *de virgin. vel* c. v. — 3 Hieron. *cont. Helvid.*

impius iste, (verba sunt Photii, qui excepta illa collegit) Deo invisum Eunomium jussu Eudoxii ad populum verba fecisse per solemne Theophaniorum : ubi illorum impietas, et atheis congruens doctrina patefacta est. Nam Josephum execrandi isti, post ineffabilem partum, cum Virgine commistum fuisse, non exhorruerunt asserere. Quinetiam majore cum impudentia, Filium Patris servum, et administrum ; ut et Filii Spiritum sanctum, sine ullo metu ausi sunt dicere[a]. » Sic emendandus, et concipiendus ille locus est, ut ad marginem adnotavimus. Sequuntur hæretici illi, qui hoc vel unico, vel præcipuo errore censentur, « quod B. Mariam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendat : » ut scribit Augustinus in libro *de hæresibus ad Quodvultdeum*[1] : qui et *Helvidianos* eos appellat, quos ab Epiphanio *Antidicomarianitas* nominari putat : de quibus est hujus disputatio, vel hæresis LXXVIII, in qua epistolam a se antea scriptam ad Arabicam ecclesiam de eodem argumentum describit. Isti igitur propter fratres Christi in Scriptura nuncupatos, affirmarunt, Mariam virginem alios ex Josepho conjuge suo liberos peperisse; cum tamen Christum in virginitate esset enixa.

Item Helvidius. V. Ex eadem secta Helvidius quidam exstitit Auxentii Ariani discipulus : ut testatur Gennadius Massiliensis[2] : homo perinde ac scriptor impurus, et putidus : quem Hieronymus luculento opere confutavit.

Jovinianus. Hanc hæreticum paulo post consecutus est Jovinianus monachus : qui apud Mediolanum in monasterio aliquanto tempore vixit ; indeque digressus voluptariam sectam instituit; ex quo *Christianorum Epicurus* ab Hieronymo vocatus est[3]. Quippe matrimonium æqualis cum virginitate meriti esse dicebat : abstinentiam, victusque parsimoniam, et virtutes cæteras, quibus corporis voluptates coercentur, velut inutiles contemnebat. Ac denique B. Virginem itidem ut Helvidius, post Christum in lucem editum, alios ex Josepho genuisse filios docebat.

Hunc hæresis convictum cum aliis octo Siricius Papa damnavit , et ecclesia ejecit, coacto Romæ concilio, e quo synodicam misit ad Mediolanensem ecclesiam, quæ inter Ambrosianas est sexta. Qua accepta Ambrosius synodo collecta, et illorum probata damnatione, epistolam vicissim ad Siricium synodicam rescripsit. Postremo variis episcoporum, et imperatorum decretis exagitati falsi isti monachi, tandem ab imperatore Honorio anno Christi 412, Honorio IX et Theodosio V coss. exilio multati sunt[4]. Jovinianus vero prius plumbatis cæsus in Boam Dalmatiæ insulam deportatus est.

His adjungendus est Bonosus in Macedonia olim episcopus : qui in Capuensi synodo ad Antiochenum schisma, quod inter catholicos episcopos Evagrium, et Flavianum erat, pacificandum collecta, judicio postulatus est; eique desceptando synodi ejusdem decreto præfectus est Anysius Thessalonicensis, ut refert Ambrosius epistola V, ubi de illius errore sic scribit[5] : « Sane non possumus negare de Mariæ filiis jure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. » Et Bonosus.

VI. Meminit ejusdem hæretici Innocentius primus Romanus pontifex, et *Photini venena sectatum* esse testatur[6] ; atque ordinatos ab eo antequam damnaretur[7], si ad Ecclesiam redeant, recipi jubet. Imo quocumque tempore ordinati ab illo fuerant, ex Anysii Thessalonicensis episcopi decreto receptos asserit epistola XXII. « Sed Anysii, inquit[8], quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. »

Arelatensis porro secunda synodus sub Leone Papa primo habita canone XVI. « Photiniacos, sive Paulianistas, secundum Patrum statuta baptizari oportere decernit. » Tum canone sequenti, « Bonosiacos ex eodem errore venientes, quos, sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, ait, si interrogati

a *Excerpt.* Philost. l b. VI, sect. II. Ὅτι ὁ δυσσεβὴς οὗτος Εὐνόμιον τὸν θεοστυγῆ κατ' ἐπιτροπὴν Εὐδοξίου δημηγορῆσαι τῷ πλήθει λέγει, τῆς τῶν θεοφανίων ἑορτῆς ἐνισταμένης, ἐν ᾗ τὸ δυσσεβὲς αὐτῶν, καὶ ἄθεον μάλιστα ἀπογυμνοῦται. τόν τε γὰρ Ἰωσὴρ οἱ κατάρατοι μετὰ τὴν ἄφραστον κυοφορίαν συνάπτειν οὐ πεφρίκασι τῇ παρθένῳ, καὶ τὸν υἱὸν ἀναιδέστερον τοῦ πατρὸς δοῦλον καὶ ὑπηρετήν. καὶ δὴ καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, φοβερὸν ἡγοῦντο λέγειν.

Corrigendum οὐ φοβερὸν, vel φοβερὸν οὐχ ἡγ.

1 Aug. lib. *de hæres* num. 84 tom. VI. — 2 Genn. *de viris illustr.* cap. LII. — 3 Initio lib. I *cont. Jovin.* — 4 Lege 53 cod. Theod. *de hæres.* — 5 Amb. tom. V. — 6 Innoc. I ep. XX. — 7 Id. ep. XXI. — 8 Innoc. ep. XXII.

fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, et manus impositione in Ecclesia recipi sufficit. »

Quanquam eosdem istos Bonosiacos rebaptizasse quos in sectam suam admitterent, argumento est canon XXXIII concilii tertii Aurelianensis, quod Justiniano imperante celebratum est anno Christi 438, in quo judicibus mandatur ut qui illud fecerint, coerceantur. Avitus quoque Viennensis Bonosiacos cum Photinianis conjungit.

At Gregorius Magnus lib. IX, epistola LXI, ubi de modo reconciliandorum hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium agit, Bonosiacos, ut et Cataphrygas, « qui in Trinitatis nomine minime baptizantur; quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt, » baptizari præcipit; at appareat Bonosiacos postea baptismi formulam immutasse, et ex toto Photinianos esse factos.

Verum de reliquis istius hæretici flagitiis, quæ cum Ebionitis ac Photinianis habuit communia, non est hic agendi locus. Unum illud tantummodo propositum est, quod ad perpetuam B. Mariæ virginitatem attinet; quam, ut Helvidius, et Jovinianus, post editum Christum, susceptis e Josepho conjuge liberis aliis, interruptam Bonosus arbitratus est; quod præter superiores illos testes, affirmat etiam Arnoldus Bonæ-vallis Abbas in calce libri *de laudibus B. Virginis*. Isidorus vero Hispalensis libro *Originum* octavo addit id [1], quod eo illius primario errore consequens est, Bonosum docuisse præterea, adoptivum esse, non naturalem Dei filium Christum.

Opinio quæ aliquid B. V. virginitati detrahit auribus Christianis ex olim detestanda.

VII. Hæc vero sententia, quæ perpetuæ virginitati sanctissimæ Dei parentis detrahit, detestanda Christianis auribus, et sacrilega est, antiquorum Patrum judicio. De quo memorandus imprimis est Basilii locus; quem nonnulli incuriosius expendentes, parum æqua notatione configunt. In homilia, quæ est *de Nativitate Christi*, ordine vicesima quinta, enarrans hæc verba, *Non cognovit eam donec peperit*, sic scribit : « Affert hic locus suspicionem, quod postquam generationi Domini per Spiritum sanctum administratæ caste pureque serviit, tum demum usitata nuptiarum opera Maria non recusaverit. Nos autem, quamvis nihil hoc doctrinæ pietatis officiat, (siquidem eo usque necessaria virginitas fuit, dum dispensationi illa serviret, quod autem deinde secutum est tanquam nihil ad mysterii rationem spectans curiosius omittamus inquirere) nihilominus quod Christum amantium aures non sustinent hoc audire, quod Dei genitrix aliquando virgo esse desierit[a], » etc., tum allata in contrarium testimonia declarat. Ad hunc locum adnotatum est in margine, *Caute legendum;* quasi ista Basilii sententia ὕπουλον aliquid, ac *periculosum* contineret. Atqui nihil habet ab fidei regula discrepans. Non enim suspicionem illam approbat violatæ B. Mariæ virginitatis; sed eam potius damnat. Verum id contendit unum; tametsi post cœlestem partum nuptiis operam dedisse illam arbitremur, nihil hoc œconomiæ Christi mysterio penitus obfuturum : dum in conceptu atque partu incarnati Verbi integra sit servata virginitas. Cæterum tale id per sese videtur ipsi, B. Virgini ereptum putare florem virginitatis, ut a Christianis auribus abhorreat; nedum ut probari posse sentiat.

Basilii testimonium.

VIII. Huic Basilii decreto sancti Patres adstipulantur, necnon sacrosanctæ synodi. Ambrosius imprimis in epistola illa quinta [2], ubi de Bonoso propugnatore nefandæ illius opinionis agit : cujus verba paulo ante descripsi. Et in libro *de institutione virginis* capite quinto, præclarum eidem dogmati testimonium præbet his verbis : « Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, et intemeratæ integritatis pium Christo vexillum levavit. Et tamen cum omnes ad cultum virginitatis sanctæ Mariæ advocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere jamdudum maluimus : sed quia vocavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum. » Tum capite sequenti :

[a] BASIL. hom. XXV. Τοῦτο δὲ ὑπόνοιαν ἤδη παρέχει ὅτι μετὰ τὸ καθαρῶς ὑπηρετήσασθαι τῇ γεννήσει τοῦ κυρίου τῇ ἐπιτελεσθείσῃ διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, τὰ νενομισμένα τοῦ γάμου ἔργα μὴ ἀπαρνησαμένης τῆς Μαρίας. ἡμεῖς δὲ εἰ καὶ μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ (μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαία ἡ παρθενία, τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν) ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοὴν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ θεοτόκος, etc.

1 Sol. LI. — 2 Vide supra § 5.

« An vero Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cœlestem, quasi eam, cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam ? Cujus exemplo cæteræ ad integritatis studium provocantur, ipsa ab hujusmodi, quod per se cæteris propositum foret, munere deviaret?» Et in capite septimo : « Claudite ora, inquit, impii, aperite aures pii : » ac deinceps in eodem pergit argumento.

Epiphanius item *blasphemiam* hanc vocat in hæresi *Antidicomarianitarum* ; « Vanum etenim, ait aliquid de sancta Maria semper virgine nescio quem meditari audio, et blasphemam quamdam audere suspicionem in eam conjicere [a]. » Gennadius quoque Massiliensis libro *de dogmatibus*, capite LXIX, eodem nomine blasphemiæ hæresim illam afficit.

Ac vox ipsa τῆς ἀειπαρθένου, id est *semper-virginis,* qua utitur Epiphanius, passimque Græci omnes, et generales etiam synodi, satis demonstrat non posse sine summo scelere huic opinioni assentiri quempiam, imo absque hæresi. Præsertim cum, ut observatum est ab eodem Epiphanio, uti supra meminimus [1] : vocabulum ipsum *Virginis*, quod antonomastice, ac velut proprium uni Dei matri per totam Ecclesiam, et ab Christianis omnibus attribuitur, argumento sit nullo unquam virili congressu pudorem illius fuisse violatum. Quin idem ex eo firmissime demonstratur, quod qui a me supra commemorati sunt perpetuæ virginitatis illius obtrectatores, eo solo nomine antiquis, et ad hoc usque tempus, ab omnibus Catholicis hæretici judicati sunt, et pro talibus damnati. Quibus addendi modo sunt illi, quorum mentionem facit Origenes homilia septima *in Lucam*, quos et ille vocat hæreticos. « In tantam quippe nescio quis, ait, prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph. » Tantum autem abest, ut Origenes hæresi huic assensus fuerit, ut eam velut impiam, ac nefariam damnaverit : et fratres illos Domini, Josephi ex alia, quam Maria, conjuge filios exstitisse crediderit. Itaque aliud agens Origenis editor ad marginem loci illius hoc adscripsit : « Helvidius post Origenem hanc hæresim tenuit. » Id vero oppido falsum est, ut res ipsa docet. At potest excusari editor, ut sit sensus, *post Origenis tempora*, etc.

Aliqui v... res Desp... sation... ultra sp... salia pro... sisse neg...

IX. Hoc præterea non inutile observasse fuerit ; veteres plerosque, quo violatæ integritatis, et maritalis consortii suspicionem longius a B. Virgine removerent, animadvertisse, cum de hujus conjugio loquitur Evangelista, *desponsationis* fere nomen usurpasse. Ut cum ab Angelo salutata est [2], et concepit Christum, μεμνηστευμένη, id est *desponsata* dicitur. Et cum prægnans est inventa, μνηστευθεῖσα vocatur [3]. Item quando Bethleemum profectus est Joseph ad nomen profitendum, *cum Maria desponsata sibi uxore prægnante* [b] ivisse fertur. Qua nominis significatione illud intelligi volunt, non ad corporum commercium, sed ad contubernium, et solatium, par illud conjugum nuptiale fœdus iniisse.

Ita sentit Gregorius Nyssenus in oratione *in Natalem Domini*, ubi B. Virginis historiam refert, quemadmodum nata, educata in templo, in manum tradita Josepho fuerit. « Quæ copulatio, inquit, ultra sponsalia non processit [c]. » Et mox, responsum illud Mariæ *Quoniam virum non cognosco* sic enarrat : « Nam Josephum sponsum quidem novi, virum autem non cognosco [d] » Sic Epiphanius « desponsatem ait ab Evangelista nominari, non nuptam [e]. » Idipsum et ante hos observaverat Cyrillus Hierosolymitanus catechesi XII. Quod et Auctor homiliæ *in memoriam martyrum*, quæ et CLXVI tomo quinto Chrysostomi , sequitur.

Probab... veru... interce... matri... niu...

Verum non est verisimile, sponsalibus solis circumscriptam fuisse perpetuo illam B. Mariæ ac Josephi individuam vitæ societatem. Imo certum est, verum fuisse matrimonium : quod non uno loco declarat Augustinus : maxime in libro primo *de nuptiis et concupiscentia*, capite XI. « Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum : fidem, quia nullum adulterium : sacramentum , quia nullum divortium. » Et in lib. II *de consensu Evangelistarum* cap. I, Beatæ Ma-

a EPIPH. hær. LXXVIII, § 5. Κενὸν γάρ τι ἀκούω περὶ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου τινὰ διανοεῖσθαι, καὶ τολμᾷν βλάσφημόν τινα ὑπόνοιαν ἐπ' αὐτὴν ἐνσκήπτειν.

b *Lucæ* II, 5. Σὺν Μαριὰμ, τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ οὔσῃ ἐγκύῳ.

c NYSSEN. Ἡ δὲ συνάφεια μέχρι μνηστείας ἦν.

d Idem. Τὸν γὰρ Ἰωσὴφ μνηστῆρα μὲν οἶδα, ἄνδρα δὲ οὐ γινώσκω.

e EPIPH. hær. LXXVIII, § 8. Μνηστευθείσης γὰρ, φησί, τῆς Μαρίας· καὶ οὐκ εἶπε γαμηθείσης.

1 Supra § 1.— 2 *Luc.* I, 26. — 3 *Matth.* I, 18.

riæ conjugem probat fuisse Josephum, « sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii. » Quare in præsens quoque tempus pactionem connubialem fecerunt, non in futurum tantum. Est autem consuetudo Scripturarum sponsam vocare, etiam quæ jam nupsit; sicut vicissim uxorem et virum eos qui nondum conjugati sunt, sed interim pacti; quod late probat Hieronymus [1].

Expenditur an nupta fuerit Virgo quando concepit.

X. Porro utrum per id tempus, quo Angelus ad Mariam venit, eaque concepit, nupta jam esset; ac de tempore, quo in præsens conjugium convenerunt, justa est dubitatio. Nondum maritum illius fuisse Josephum, cum Angelus advenit; « et post partum transiisse in conjugis nomen » existimat Hilarius canone primo *in Matthæum;* atque hoc esse, quod Matthæus scripsit; « *Non cognovit eam donec peperit.* Dehinc quia desponsata esset, inquit, in conjugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum : id est transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur, etc. Ergo et conjugis nomen sponsa suscepit, et post partum in conjugem recognita tantum Jesu mater ostenditur. » Sed non placet *cognoscendi* verbum interpretari sic. Siquidem cognoscere eadem notione sumendum est apud Matheum, qua apud Lucam in verbis illis sanctæ Mariæ : *quoniam virum non cognosco* [2], et verbum ipsum *convenire,* πρὶν ἢ συνελθεῖν, *antequam convenirent*, apud eumdem Mathæum, quod μιγῆναι Theophylactus exponit : ut et Hieronymus : qui παραμυθίαν mox adhibet : « non sequi ut postea convenerint, sed Scripturam quod factum non sit ostendere. »

Misceri.

Mollimentum.

Ambrosius libro primo *in Lucam* indicat *desponsatam* accipi ab Luca pro *uxore* [3]; sed Chrysostomus *sponsam* tantummodo fuisse credit, non uxorem : habitam tamen ab Josepho in domo sua : ut tum moris fuit, sponsas apud sponsos habitare [a].

Auctoris sententia.

Mihi Hieronymi probatur opinio [4], sponsam fuisse, pactamque Josepho, nondum uxorem, quando Salvatorem concepit : ac brevi post in manum ei convenisse. Quod autem brevi intervallo a conceptu nupserit, facile probatur ex præcipua ratione, ob quam nuptui traditam Josepho fuisse, idem Ambrosius existimat, « ut ab iis, qui Mariam gravem utero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsatæ partus legitimus crederetur. Maluit enim Dominus aliquos de sua generatione, quam de matris pudore dubitare. » Quæ causa sociandæ matrimonio Virginis a plerisque traditur. Est huic vero consentaneum, non longe dilatas esse nuptias; ne si sponsalia diutius producerentur, stupri prona esset suspicio. Non enim cum sponsa rem habere fas fuit.

Perpetua Mariæ virginitas approbatur nomine ipso *virginis* ejusque dignitate.

XI. Nunc illa subjiciam argumenta, quibus veteres suadere solent id, quod fidei Catholicæ decreto certissime constare putant; nullum usurpasse B. Virginem officium nuptiale postquam divino est defuncta partu. Quod imprimis argumento illo demonstrari mihi videtur, cujus mentionem feci initio capitis hujus. Cum enim Maria singulari, ac proprio jure *Virgo* nominetur; idque illi vocabulum peculiare sit factum : ut ex ore Christiano simul atque *Virginis* appellatio sonuit, nemo aliam sibi describat animo, quam Dei matrem integerrimam Mariam, nefas est profecto suspicari, non toto vitæ spatio illam in suscepta virginitate perseverasse; aut vacuum deinceps nomen, sine re nomini subjecta retinuisse. Bene in hoc *Virginis* vocabulo insistit Epiphanius, ut jam dixi [5] : nec non Ambrosius : cujus hæc verba sunt, digna quæ hoc loco commemorentur. « An vero Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret [6], quæ virili semine aulam posset incestare cœlestem, quasi eam, cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam ? Cujus exemplo cæteræ ad integritatis studium provocantur, ipsa ab hujusmodi, quod per se cæteris propositum foret, munere deviaret ? Et quæ esset, cui majus, quam matri Dominus meritum reponeret, præmium reservaret ? Nulli enim uberiora, quam virginitati deputavit munera. »

Idem quoque persuadent ex eo, quod neque sanctissima Virgo post divinum illum fetum ex utero profusum, nunquam passa esset degeneri se satu violari : neque Josephus vir eximiæ sanctitatis hoc unquam aggredi sustineret. « Non deficit, inquit Ambrosius [7], Maria ; non deficit virginitatis magistra : nec fieri poterat, ut quæ Deum portaverat, portandum hominem arbitraretur. Nec Joseph

a Chrysost. hom. iv *in Matth.* Ἔθος γὰρ τοῖς παλαιοῖς, ὡς τὰ πολλὰ ἐν οἰκίᾳ τὰς μεμνηστευμένας ἔχειν, ὅπου γε καὶ οὐν τοῦτο γινόμενον ἴδοι τις ἄν.

1 Hieron. *cont. Helv.* — 2 *Luc.* I, 34. — 3 Ambros. lib. *de Inst. virg.* cap. vii. — 4 Hieron. *cont. Helv.* — 5 Supra § 8. — 6 Ambros. lib. *de Institut. virg.* — 7 Ambros. ibid.

vir justus in hanc proruisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu misceretur. » Et initio libri secundi *in Lucam*. « Certe quando justum docuit Joseph, ait, satis declaravit, quod sancti Spiritus templum uterum mysterii matrem Domini violare non potuit.»

Sic etiam Epiphanius in hæresi LXXVIII, « Deinde, inquit, ambo erant utique justi : nec auderet ille, qui audierat, de sancto esse Spiritu quod in illa erat, post hujusmodi dispensationem ad hoc aggredi, ut vase uteretur isto, quod eum capere meruerat, quem neque cœlum, neque terra capiebat propter immensam illius gloriam. Etenim cum in nomine ipsius modo virgines perseverare certent, et castitatem, ac continentiam servare : quanto fidelior erat Josephus ; nec non Maria ipsa, quæ *omnia in corde suo conferebat* [1], ut scriptum est ? Cujusmodi vero illud erat; post talem, ac tantam, et tam stupendam œconomiam, commisceri rursus senem Virgini castæ, et honoratæ, ac vasi illi, quod eum ceperat, qui capi non potest, ac tale sacramentum susceperat prodigii cœlestis, hominumque vitæ [a] ?

XII. Præclare hoc Epiphanius : qui quod senem fuisse tum observat Josephum, aliud argumentum revocat in memoriam, quo hæreticos perpetuæ oppugnatores virginitatis Mariæ in eadem confutare laborat hæresi. Siquidem Josephum, quando cum Maria conjugium iniit, ætate jam provecta fuisse scribit, natum annos amplius octoginta; vixisseque postea annos duodecim [2], et in totum duos et nonaginta [b]. Quocirca non in eum finem Mariam illi esse traditam, ut prolem ex ea susciperet; cui quidem, ut et maritali usui, inutilis erat ætas decrepita. Verum ex legis eam præscripto ducere illum coactum esse credit, *sortium addicente necessitate* [c]. Quod quid sit obiter explicandum.

Sortes. Isaacii Casauboni hæc opinio fuit κλήρους illo in loco significare *bona quæ tum beata Virgo obtinebat* [3] : et ideo κλήρους in plurativo numero, non κλῆρον dixisse, « ut id innueret, una cum patris hæreditate etiam aliorum agnatorum bona ad ipsam fuisse devoluta. » *Sortes non sortem.* Atqui vera non est ista vocis interpretatio : sed ea potius, quam vetus historia suggerit, apocripha illa quidem; sed Epiphanii tempore pervagata, quam Gregorius Nyssenus exposuit in oratione *de die natali Christi*. *Historia apocrypha educationis et desponsationis B. V.* « Audivi, inquit, apocrypham quamdam historiam tales de ea prodentem narrationes [d]; » tum historiam istam refert, de B. Virginis parentibus propter sterilitatem votum Deo facientibus, ut sibi proles a Deo daretur ; cujus damnati Mariam sustulerunt, eamque jam grandiusculam in templo repræsentarunt. Quæ cum ibi adolevisset, et matura nuptiis esset; nec satis decorum videretur, in loco sacro, inter ipsos sacerdotes diutius contineri feminam ; deliberatum esse quidnam ea fieri oporteret, ac demum divinitus id illis oblatum esse consilium, uti sponsaliorum nomine ipsam elocarent ei viro qui custos illius virginitatis esset. Ita Josepho sociatam esse. Hæc fere Gregorius Nyssenus : quæ strictim attigit Epiphanius hæresi illa septuagesima octava, et qui sub ejus nomine editus est scriptor orationis *de laudibus B. Mariæ* [4]. Latius vero descripsit Joannes Damascenus libro quarto *de fide orthodoxa*, capite XV, et Nicephorus Callixti, libro septimo, capite VII. Sed omnium fusissime totam hanc narrationem de ortu, et educatione Virginis sanctæ prodidit Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus in *Encomio S. Deiparæ* : ubi nonnihil adjicit, quod ad illustrandum Epiphanium pertinet. Sacerdotes quippe de sancta Virgine consiliantes ait divino impulsu rem sortibus permisisse, quibus jactis, exisse Josephi nomen ; atque hunc sortito beatam Virginem in conjugem accepisse [e]. Hi sunt

a EPIPH. hær. LXXVIII, § 8. Δεύτερον δὲ, πάντως που καὶ αὐτοὶ ὑπῆρχον δίκαιοι. καὶ οὐκ ἐτόλμα ὁ ἀκούσας ὅτι ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐστὶ τὸ ἐν αὐτῇ, ἔτι ἐπιβάλλεσθαι μετὰ τοιαύτην οἰκονομίαν, χρῆσθαι τῷ σκεύει τῷ καταξιωθέντι χωρῆσαι ὃν οὐρανὸς καὶ γῆ οὐκ ἐχώρει δι' ὑπερβολὴν τῆς αὐτοῦ δόξης. Εἰ γὰρ καὶ νῦν εἰς ὄνομα αὐτοῦ παρθένοι διατελεῖν ἀγωνίζονται καὶ ἁγνεύειν, καὶ ἐγκρατεύεσθαι, πῶς μᾶλλον οὐκ ἦν πιστότερος Ἰωσὴφ, καὶ αὐτὴ ἡ Μαρία πάντα συμβάλλουσα εἰς καρδίαν αὐτῆς ὡς γέγραπται ; Ἀλλὰ μετὰ τοσαύτην, καὶ τοιαύτην, καὶ τηλικαύτην οἰκονομίαν συναφθῆναι πάλιν γέροντα παρθένῳ ἁγνῇ, καὶ τετιμημένῃ, καὶ σκεύει χωρήσαντι τὸν ἀχώρητον, καὶ ὑποδεξαμένῃ τοιοῦτον μυστήριον σημείου ἐπουρανίου, καὶ ζωῆς ἀνθρώπων ;

b EPIPH. hær. LXXVIII, § 8. Κατάγων ἡλικίαν περί που ὀγδοήκοντα ἐτῶν, καὶ πρόσω ὁ ἀνήρ.

c EPIPH. ibidem § 7. Κλήρων εἰς τοῦτο ἀναγκασάντων.

d NYSSEN. Ἤκουσα τοίνυν ἀποκρύφου τινὸς ἱστορίας τοιαῦτα παρατιθεμένης τὰ περὶ αὐτῆς διηγήματα.

e GERMAN. tom. IV *Bibl.* Καὶ τότε νεύματι θεοῦ, καὶ βουλῇ ἱερέων δίδοται περὶ αὐτῆς κλῆρος, καὶ κατα-

1 *Lucæ* II, 51.— 2 Id. Epiph. § 20.— 3 Casaub. exer. II *ad appar. ann. Baron.* n. 57. — 4 Epiph. tom. II.

Sortes.

κλῆροι illi, quibus *cogentibus;* ut recte verterat Interpres immerito reprehensus a Casaubono; Josephus Virginem duxit: non hæreditas, quæ eidem Virgini tanquam ἐπικλήρῳ conveniret. Protevangelium Jacob virgas ab iis, qui nuptias illius ambiebant, oblatas fuisse refert, et super Josephi virgam consedisse columbam : eoque signo sponsum esse delectum.

Ad quam omnia bona hæreditatis pertinerent.

Hanc eamdem historiam pleniore stylo prosecutus est auctor ille [1], qui Hieronymi nomen ementitus est in opusculo *de Nativitate S. Mariæ;* qui quidem ex Hebraico Matthæi Evangelistæ vertisse se dicit : unde et Seleucus Manichæus libellum quemdam edidit ; sed multa in eo falsa miscuit. Sic impostor ille. Sane hæc historia fabulis et mendaciis est referta : in quas non est otii nunc inquirere *.

II° Ex eo quod matrem Christus moriens commendavit.

XIII. Rursus plerique Patrum ex eo probant Josephum nullam ex B. Maria sobolem sustulisse, quod si quos ex ea genuisset filios, Christus in cruce moribundus neutiquam matrem alteri commendasset. Hoc pro magno argumento contra Bonosianos inculcat Ambrosius tam in commentariis *in Lucam*, quam libro *de Institutione virginis*, capite VI, ubi ita disputat, « Dicit et ad Discipulum, *Ecce mater tua.* Ipse est discipulus, cui mater commendabatur. Quomodo marito uxorem tolleret, si fuerat Maria mixta conjugio, aut usum tori conjugalis cognoverat ? »

Sed de Josepho facile absolvit Epiphanius [2]; qui hunc circa annum Christi duodecimum obiisse narrat. Hieronymus vero non ex Josepho superstite [3]: quem Helvidius mortuum tunc fuisse confitebatur; ita ut vidua tunc esset Maria quando Christus moriebatur: sed ex filiis quos hæreticus de illa genitos ab Josepho putabat, invidiam illi facit. « O furor cæcus, inquit, et in proprium exitium mens vesana ! Dicis ad crucem Domini matrem ejus fuisse præsentem, dicis Joanni discipulo ob viduitatem, et solitudinem commendatam : quasi juxta te non haberet quatuor filios, et innumeras filias, quarum consortio frueretur, »

Ita etiam Epiphanius adversus Antidicomarianitas argumentatur nullos illi fuisse liberos alios [4] : neque virum, quod illis potius commendaretur, quam Joanni.

Cæterum quod ad fratres illos attinet Domini, ex quibus solutæ virginitatis calumniam perditi hæretici importarunt sanctissimæ Virgini, Epiphanius sex in totum nominat e Scriptura collectos , mares quatuor, Jacobum minorem, Josem, Simeonem, Judam, feminas duas, Salomen, et Mariam ; de quibus accurata est Hieronymi disquisitio in libro *adversus Helvidium* [5]. Sed Epiphanius, ut jam dixi, Josephi filios ex priori conjugio fuisse credidit. Hieronymus vero non Josepho patre genitos : sed alia ratione, ac Judæis usitata, fratres habitos existimat : nempe cognatione [6]. Porro Josephum virginem fuisse [7] : quod et verisimilius arbitror , quanquam Epiphanio suffragatur Cyrillus Alexandrinus *in Glaphyris*, qui Josephum ait ex priori conjuge liberos aliquot sexus utriusque genuisse [8].

Diluuntur levissima in contrarium argumenta.

Denique quod ad illa spectat argumenta, quibus integerrimæ virginitatis hostes, impiam hæresim utcumque fulcire tentabant, ea tum levissima sunt : tum cujusquemodi tandem habeantur, valentissime propulsata sunt ab iis, quos hactenus testes illius, et patronos citavi, Græcis Latinisque Patribus, Basilio, Epiphanio, Ambrosio, Hieronymo, et cæteris. Nec operæ pretium videtur in re tam expedita et facili, et meo, et lectoris otio abutentem diutius insistere. Quare, uti cursim exequar, præter illud quod ex nominatis Christi fratribus petitur, a nobis jam extricatum : tria sunt præcipua, quibus nefariæ illi sententiæ color aliquis obducitur. Primum, quod Mathæus scribit [9], *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Convenire quippe istic est nuptiarum opus exequi, ut Hieronymus, Theophylactus, aliique censent. Ex quo consequens putabat Helvidius, postea convenisse; sed non est necesse. « Nam Scriptura tantum quid factum non sit ostendit, » ut ait Hieronymus [10], Consuetudo « autem divinæ Scripturæ est, ut scribit Ambrosius [11], ut cau-

κληροῦται Ἰωσὴφ ὁ δίκαιος, καὶ τὴν ἁγίαν ταύτην παρθένον οἰκονομικῶς ἐκ τοῦ ναοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ ἱερέων παραλαμβάνει.

* Apud Fabricium T. I. *codic Apocr. Novi Testam.* legitur ejusmodi historia in suppositis duobus omnino Evangeliis, quorum alterum *Evangelium de Nativitate Mariæ*, alterum *protoevangelium Jacobi* prænotatur. Confer autem iis locis editoris adnotationes. Z.

1 Tom. IV Hieron —2 Epiph. hæres. LXXVIII, § 10.—3 Hieron, *cont. Helvid.*—4 Epiph. hæres. LXXVIII, § 10.—5 Tom. I et seq.—6 Hier. ib.—7 Ib.—8 Cyrill. lib.VII, par. II *Glaphyr.*—9 *Mat.* I,18.—10 Hier. in cap. I *Matth.*— 11 Ambros. lib. *de Instit. virg.* c. IV.

sam, quæ suscepta est, adstruat, incidentem differat. » Usum locutionis illius pluribus confirmat Hieronymus libro *adversus Helvidium.*

Altera male suspicandi ratio ex illis verbis petitur : *Et non cognoscebat eam donec peperit*[1]: quasi particula *donec* significet post id tempus cognovisse, id est rem habuisse Josephum : sed hoc purgant Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, et Isidorus Pelusiota : hic in libro primo epistola XVIII, illi in citatis sæpius locis. Observant enim vocem hanc *donec*, non semper indicare id, quod omissum dici videtur, postea repetitum fuisse. Ut est illud Isaiæ : *Ego sum, ego sum : et donec senescatis, ego sum* [2]. Et Paulus : *Oportet illum regnare donec, ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* [3].

Postremum est, quod *primogenitus* B. Virginis illo eodem in loco dicitur Matthæi, *donec peperit primogenitum suum.* Quod ab illis omnibus, et a Basilio quoque in oratione *de Natali* refellitur. Siquidem *primogenitus* non perpetuo ille dicitur post quem alius, sed ante quem nullus est genitus.

CAPUT IV.

1. *Utrum B. Virgo, cum Josepho nupsit, voto castitatis, aut proposito fuerit obstricta. Calvinus negat.* 2. *Nec non Beza.* 3. *Centuriatores quoque Magdeburgenses.* 4. *Ex verbis Mariæ confutantur.* 5. *Non simplex propositum, sed votum habuisse docetur ex Gregorio Nysseno.* 6. *Et Augustino, aliisque Patribus.* 7. *Quorum commune dictum refertur. Apud Judæos fuisse per idem tempus, qui virginitatem servandam sibi proponerent.* 8. *Votum autem hujusmodi primam concepisse Mariam,* 9. *Quomodo in matrimonium consenserit.* 10. *Quod uberius explicatur*

Utrum cum B. V. Josepho nupsit, voto castitatis fuerit adstricta.

I. Pertinet ad integræ virginitatis decus non reipsa tantum et usu abdicare se conjugalis consortii; sed etiam voluntate. Quocirca consentaneum iis est, quæ supra disputavimus, illud inquirere, ecquid castissima Virgo, quando in matrimonium Josepho tradita est, et, quod ante fieri oportuit, eidem pacta est ac desponsa, eum attulerit animum, ut communi nuptarum lege teneri vellet. Quæ quidem quæstio in hanc etiam formulam concipi potest, soletque; utrum proposito ac voto aliquo servandæ se virginitatis obstrinxerit.

Negat Calvinus.

Calvinus [4], uti mos est ejusmodi hominum, nova et absurda comminisci potius, obscurandæ veritatis studio, quam in tritis, et ex antiquo probatis insistere, alienam nescio quam, et ineptam interpretationem excogitavit ejus loci, unde propositi illius et voti certa est fides constituta. Est autem *Lucæ* capite primo : ubi Angelo cœlestem sibi partum nuntianti, respondet, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* ? Quæ verba sic obtorquet ac pervertit, ut quem illis sensum subjiciat, liquido vix agnoscas. « Quod præter communem naturæ ordinem est, inquit, impossibile esse colligit. » Tum vero, «Rei, inquit, magnitudo, vel potius majestas, Virginem perculit, ut sensus omnes admiratione ligatos haberet, ac constrictos. Quum audit nasciturum esse Dei filium, aliquid non vulgare concipit, atque hæc ratio est, cur coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat, *Quomodo erit istud ?* » Verum quid perplexa hac ambage sibi velit, non est facile discernere. *Virum se cognoscere* negat B. Virgo. Cur sic demum loquitur? Nonne cognoscere est cum viro rem habere ? Ita certe Calvinus intellexit. Ergo *non cognosco* in futurum valet; quasi dicat, *Non cognoscam. Sic enim constitui.* Cur ergo Calvinus « objectum illud solvendum sibi esse putat, quod Virgo in futurum tempus respiciat, ideoque significet. nullam fore sibi cohabitationem cum viro ? »

Necnon Beza.

II. Magistri sui sententiam Theodorus Beza in prioribus editionibus Novi Testamenti sui secutus est, eamque sic fere concicipit[5]: « Novum ait fuisse Virgini conceptum, et partum, nulla matrimonii consummandi, vel Josephi sponsi mentione facta, perinde ut jam nuptæ, prænuntiari. » Itaque sic illam locutam, « Quandoquidem cum viro mihi negotium non est, et marito careo. » Vel, « quandoquidem in eo, quod mihi nuntias, perficiendo nullus erit vulgari, et consuetæ matrimonii conjunctioni locus; age, significa igitur mihi, quanam id ratione sit in me implendum. Et hanc quidem interpretationem , ait, in prioribus secutus, nec nunc quidem repudio, quamvis alteram in contextu

1 *Matth.* I, 15.— 2 *Isa.* XLVI.— 3 I *Cor.* IV, 25 et *Psalm.* CIX.— 4 Calvin. *in harm. Evang. ad Luc.* I, 34.— 5 In *Luc.* c. I, 34.

nunc reposuerim, quod illam alteram eruditis quibusdam viris argutam potius, quam solidam videri intellexerim. »

Sed uterque sophisticis haud dubie præstigiis illudit, ac nugas agit, dum voti illius necessariam consecutionem ex illis verbis effugere nititur. Etenim sive desponsa tantum, necdum nupta tunc esset, facile interpretari poterat et viri sibi commercio obventuram esse sobolem, si eo animo, ut illi corpus suum permitteret, cum eo convenisset, quod isti verum existimant, uti paulo post exponam. Sive jam nuptias inierat; tantumdem suspicari poterat. Quamobrem non cohæret illorum ratio, seque ipsamet elidit.

Qua ratione votum virginitatis B. M. negaverint hæretici.

III. Tanto igitur castitatis, præsertim voto nuncupatæ, odio flagrat ista natio, uti ne hanc vel sanctissimæ Virgini cogerentur adscribere, exquisitum ei florem virginitatis eripere maluerint : hoc est perpetuitatis illius gloriam destinatione saltem ac voluntate eamdem amisisse senserint. Calvinus certe « quod ex ejus verbis suspicati sunt quidam, perpetuæ virginitatis conceptum habuisse votum, nimis ait infirmum esse; imo prorsus absurdum. Perfide enim passa fuisset se marito collocari, sanctumque conjugii fœdus non sine Dei ludibrio sprevisset. » Quippe non permissum uxori esse *continentiam vovere suo arbitrio.* Quare ex eo probat non potuisse beatam Virginem castitatis voto se obligare cum Josepho nuberet. Eadem adnotavit Beza in commentariis suis ad caput primum *Lucæ*; qui et Mariæ verba ista ; *quoniam virum non cognosco*; sic accipit, ut « etsi nupturam se paulo post probabiliter sperabat, utpote quæ jam esset desponsa; tamen valde novum fuerit Virgini conceptum, et partum, nulla matrimonii consummandi, vel Josephi sponsi mentione facta, perinde ut jam nuptæ, prænuntiari. » Hoc ergo duntaxat ei mirum fuisse putat, quod Angelus nascituræ prolis eam admoneret, sine mentione consummati matrimonii. Nil hac interpretatione frigidius, ac stupidius : ex qua illud ipsum colligitur, B. Virginem solvendæ virginitatis propositum habuisse, quod in sequentibus plenius ostendit. « Cur enim, inquit, si ante sponsalia virginitatem vovisset, Josepho postea se nupturam spopondisset? Nec enim quo tenderet conjugium ignorabat : et quum liberius, ac tutius servare virginitatem aliter posset ; cur, et qua conscientia nomine conjugii ad fallendum Josephum abusa fuisset? »

Nec aliter Centuriatores Magdeburgenses ; quorum insolens nimis, et arrogans hoc judicium est. « Ineptum esse quod Augustinus [1], et alii hoc loco affirmant, Mariam castitatis voto obstrictam fuisse; atque ideo dixisse, *Virum non cognosco* ; sed testatur Lucas, eam desponsatam fuisse viro : quæ res nequaquam per jocum, aut simulate fieri potuit. » Et postea [2] : « Certo, inquiunt, affirmant Evangelia, Mariam Josepho in conjugem fuisse desponsatam. Unde liquido constat, ita utrumque fuisse affectum, ut statuto tempore more aliorum conjugum voluerint liberos dante Deo procreare. »

Hæc opinio Catholicis exosa.

IV. Hæc opinio merito Catholicis exosa, et prudentum omnium judicio rejecta, cohærere nullo pacto potest cum Mariæ verbis et interrogatione, qua propositum animi sui manifestissime testata est cum dixit ; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hoc enim absurde diceret, si virum *cognoscere*, hoc est opus nuptiarum exercere decrevisset. Intellexisset enim, ex usu conjugii prorsus futurum esse partum illum, quem Angelus significabat. Sane verbum præsentis temporis, *cognosco*, futuri temporis notionem habet : idque frequens est in Scripturis, et apud Latinos auctores. Sic in libro *Numerorum*, cum seditiosos ac rebelles populi principes ad concionem accivisset Moses, responderunt illi, *Non venimus* [3] : pro quo Hebraice legitur in futuro tempore לא נעלה *Non ascendemus.* Ac Septuaginta itidem in præsenti, οὐκ ἀναβαίνομεν, *Non ascendimus.* Sic apud Ambrosium epistola XIV, Galligonus spado præpositus Imperatorii cubiculi Ambrosio mandasse dicitur : « Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo, » pro *tollam.* Et certissime destinatum consilium, ac rem omnino fore, locutio ista demonstrat. Casaubonus certe in *Exercitationibus ad Annales Baronianos* fatetur propositum aliquod sublimis illius instituti, sed citra votum, in Virgine tunc exstitisse [4]. Cur autem de voto non assentiatur, causam affert tralatitiam, et ab aliis ejusdem sectæ commemorari solitam; quod cum nupserit, non videtur absque viri consensu tale quippiam vovisse. Sed de hac re paulo postea.

B. M. voto se castitatis servandæ obstrinxisse probatur.

V. Equidem non simplex voluntatis propositum perpetuæ servandæ virginitatis concepisse sanctissimam Virginem; sed illud

1 Centuria prima lib. I, c. X. — 2 Ibidem. — 3 *Num.* XVI, 12. — 4 Casaub. Exer. I, n. 24.

ipsum voti religione sanxisse prorsus affirmandum existimo, gravissimorum Patrum, et communi Catholicorum omnium auctoritate commotus : tum quod argumenta omnia, quæ ad elevandam illius fidem ab secus sentientibus opponuntur, levissima sint, nec multum negotii faciant; quæ duo reliqua disputatione complectar. Imprimis virginitatem B. Mariæ Deo dicatam, et voti religione oppignoratam fuisse, luculenter affirmat Gregorius Nyssenus gravis et eruditus scriptor in oratione *de die Natali Domini :* ubi Angeli salutationem, et Mariæ cum eo colloquium enarrat. Cum enim gignendi, ac pariendi filii certam fidem ex illius verbis accepisset, obstupuisse illam ait, et in hunc fere sensum locutam esse. « Interdicta mihi est viri consuetudo, *Quomodo istud erit mihi*, *quoniam virum non cognosco*? Hæc Mariæ vox demonstratio est eorum, quæ ex incerti auctoris historia referuntur. Nam si ad nuptiale opus assumpta fuisset ab Josepho, quinam ad Angeli vocem futurum partum prænuntiantis, velut ad rem novam attonita fuisset, cum hoc expectaret ipsa, ut ex naturæ lege mater esset? Sed quia consecratam Deo carnem, tanquam unum aliquod e sacris donariis, illabatum servari oportebat, idcirco sic ait : Quamvis angelus sis ; quamvis e cœlo venias; et quod apparet, supra captum hominis sit ; tamen impossibile est hominem me cognoscere. Quomodo mater ero sine viri consortio? Nam Josephum sponsum quidem novi ; virum autem non agnosco [a]. »

VI. Augustinus vero præclare diserteque idem docet in libro *de sancta virginitate*, capite quarto, « Ipsa quoque virginitas Mariæ, inquit, ideo gratior, et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse præripuit : sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fetum annuntianti Angelo Maria reddidit : *Quomodo*, inquit, *fiet istud*, *quoniam virum non cognosco*? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat. Quanquam etiamsi hoc solum dixisset : *Quomodo fiet istud* ; nec addidisset, *quoniam virum non cognosco :* non quæsisset utique, promissum sibi filium quomodo femina paritura esset si concubitura nupsisset, etc. Ita Christus nascendo de virgine, quæ antequam sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. » Nihil dici clarius ac volidius potuit ad comprimendam novitiæ sectæ licentiam, ac votum tuendæ perpetuo castitatis in Virgine Maria etiam ante nuptias adstruendum.

Item sermone vicesimo *de tempore*, « Exultent ergo virgines, ait : virgo peperit Christum. Nihil in ea quod voverat putent exterminatum, mansit virgo post partum. »

Huic et alii subscribunt sanctitate, doctrinaque celebres, Beda, Anselmus, Rupertus, Bernardus ; quorum verba descripta leges apud controversarum cum hæreticis quæstionum tractatores [1]. Unius Ruperti, quem prætermissum video, locum adscribam ; qui in libro *de læsione virginitatis*, capite sexto causam requirit, cur sanctissima Virgo virginitatem voverit : ac negat hoc eo illam fecisse, quod conjugalem statum fastidiret. « Revera, inquit [2], si aures audiendi habemus, percipere utcumque possumus qualis illi causa fuerit, ut virginitatis votum voveret, cujus non habebat exemplum. Nam si dicat quis, quod idcirco virginitatem elegerit, quia nubere, filiosque suscipere videbatur ei status vilis, et vita despicabilis, repugnat valde veritas professionis jam dictæ : quia respexit humilitatem ancillæ suæ. »

VII. Neque vero leve est, et parvi ponderis argumentum, B. Virginem, antequam Josepho desponderetur, perpetuam sibi servandam proposuisse virginitatem, quod, ut superiori capite meminimus, complures veterum asserunt non illam nuptum esse datam viro suo ; sed tantummodo desponsam fuisse. Qui non

a Nyssen. Ἀπείρηταί μοι, φησὶν, ἀνδρὸς ὁμιλία, πῶς ἔσται μοι τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω ; αὕτη τῆς Μαρίας ἡ φωνὴ ἀπόδειξις τῶν κατὰ τὸ κρύφιον ἱστορουμένων ἐστὶν, Εἰ γὰρ ἐπὶ γάμῳ παρείληπτο παρὰ τοῦ Ἰωσὴφ, πῶς ἂν ἐξενίσθη τῷ τὸν τόκον προμηνύοντι, πάντως ποτὲ καὶ αὐτὴ μήτηρ, γενέσθαι προσδεχομένη κατὰ τὸν νόμον τῆς φύσεως ; ἐπειδὴ δὲ ἀφιερωθεῖσαν τῷ θεῷ σάρκα, οἷόν τι τῶν ἁγίων ἀναθημάτων, ἀνέπαφον ἔδει φυλάττεσθαι, διὰ τοῦτό φησι· κἂν ἄγγελος ᾖς, κἂν οὐρανόθεν ἥκεις, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον τὸ φαινόμενον ᾖ· ἀλλὰ τὸ γνῶναί με ἄνδρα τῶν ἀμηχάνων ἔστι. πῶς ἔσομαι μήτηρ χωρὶς ἀνδρὸς ; τὸν γὰρ Ἰωσὴφ μνηστῆρα μὲν οἶδα, ἄνδρα δὲ οὐ γινώσκω.

1 Vide Bellarmin. lib. I *de monachis* cap. XXII tom. II. — 2 Rupertus tom. IX.

tam verum negare conjugium putandi sunt, quam novum, nec usitatum illius genus agnoscere : quod in eo præcisus sit usus matrimonii, et corporis hac in parte mutua detracta potestas. Itaque non eam εἰς γάμον, hoc est εἰς νόμον γάμου, ut Græci loquuntur, nempe *ad connubii jus, et consuetudinem*, sed ad μνηστεῖαν collocatam esse dicunt. Quod etsi ex apocrypha historia petitum videtur, non ideo penitus est rejiciendum. Nam multa scimus ex libris istiusmodi proferri solere ab gravissimis scriptoribus : qui illis fidem auctoritate sua conciliant : quemadmodum ex Enochi apocrypho narratiunculam quamdam Judas Apostolus *in Canonicam* suam transtulit : ejusque pretium, et æstimationem suo testimonio sancivit.

Ad connubium.

Nuptum.

Non insueta apud Judæos castitatis observatio.

Huc vero præterea facit, quod non alienum fuit ab Judæorum per illud tempus usu ac moribus, virginitatem perpetuam ultro feminas suscipere. Quod egregie Philo testatur in libro *de vita contemplativa*[a] : ubi de Essæis agit, qui remoti ab urbibus, et populi frequentia, in agris, et monasteriis degebant; ac certis diebus conventus et convivia celebrabant : « et ad hæc admitti non solum viros, sed etiam feminas refert : quarum pleræque ætate provectæ sunt, virgines castimoniam non necessitate potius, quemadmodum nonnullæ Græcarum sacerdotum, quam sponte ac libere servantes, et propter amorem desideriumque sapientiæ ; cujus amplectendæ studio, corporis voluptates aspernatæ sunt. »

VIII. Sed hoc propositum animi duntaxat fuit, non votum virginitatis absolutum ac præcisum : quod prima omnium Virgo nuncupasse creditur : ut Bernardus inter alios indicat in sermone quodam *de B. Maria* : « De cætero sane, et virginitatem carnis, et propositum virginitatis, inquit, et ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat : quod videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illabatam Deo corporis scilicet et spiritus sanctimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium Angelo respondit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*? Forte enim propterea primo turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam sese audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. »

Prima votum virginitatis concepit Maria.

Atenim non potuit citra sponsi, ac subinde mariti Josephi consensum, hujusmodi se implicare sponsione. Neque hoc negant Catholici theologi : « Mater Dei, ait illorum princeps S. Thomas[1], non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse, sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. » Ita etiam Nicolaus Liranus.

Tostatus item Abulensis « ante contractum matrimonium minime vovisse putat, sed proposuisse duntaxat, vel certe votum simplex edidisse, quod irritari a parentibus posset[2]. Ideo nubendo minime peccasse. » Paulo post vero eamdem Dei matrem asserit, quando Angelo ista respondit, nondum certo scisse utrum Deo placeret virginem se manere, an conjugio uti.

Quomodo in matrimonium consenserit.

IX. Sane « credi potest, ait Magister sententiarum[3], non solum Mariam, sed etiam Joseph apud se disposuisse virginatem servare velle, nisi Deus aliter juberet : eosque sic consensisse in maritalem societatem, ut uterque de altero, revelante Spiritu sancto, intelligeret quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sed unam voluntatem verbis non expresserant : postea vero expresserunt, et in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, quia virginitatem servare volebat : et ideo non aliter consensisset in conjugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset. » Mox Augustini testimonium adducit ita dicentis : « B. Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde : sed ipsum votum non expressit in ore. Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque consentiendo : postea vero simul cum viro labiis expressit. »

Refertur hic locus ab Gratiano[4] : sed ex nullo certo Augustini libro. Verum admonet

[a] PHILO *de vita contempl.* Συνεστιῶνται δὲ καὶ γυναῖκες, ὧν πλεῖσται γηραιαὶ, παρθένοι τὴν ἁγνείαν οὐκ ἀνάγκῃ, καθάπερ ἔνιαι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱερειῶν διαφυλάξασαι μᾶλλον, ἢ καθ' ἑκούσιον γνώμην· διὰ δὲ ζῆλον, καὶ πόθον σοφίας, ᾗ συμβιοῦν σπουδάσασαι τῶν περὶ σῶμα ἡδονῶν ἠλόγησαν.

1 S. Thom. in III part. quæst. XXVIII, art. 4. — 2 Abul. in cap. I *Matth.* qu. XXX. — 3 In IV, dist. XXX. — 4 Decr. part. II causa XXVII, qu. II, cap. II.

Scholiastes hinc inde concinnatum esse ex libris Augustini, præsertim ex libro *de virginitate*. At in ora codicis Magistri sententiarum citatur liber *de nuptiis et concupiscentia*. Atqui non memini apud Augustinum tale quippiam in utroque opere me legisse. Sed nec illud placet, quod ibi scriptum est, B. Virginem *in carnalem consensisse copulam:* nisi sic istud accipiamus, ita comparatam animo fuisse, ut si ita Deo visum esset, conjugi se permitteret. Nihil enim divinæ voluntati prætulisse sanctissimam illam Virginem necesse est credere.

Verisimilior explicatio.

X. Quanto itaque verisimilius est, quod ex gravissimis, et antiquis Patribus constat, divino nutu et instinctu votum ab illa virginitatis esse conceptum, antequam Josepho desponderetur; ad idque certa fiducia, et divino admonitu, ut apparet, animatam fuisse? Quis autem probabile esse neget, certiorem illam factam fuisse, nuncupati istius voti facilem et expeditam fore rationem ex consensu futuri conjugis ? Neque enim sponsionis istius, qua Deo se obligat homo, tam levis, et mutabilis est conditio, ut quemadmodum eam inducere sibi potestatis cujusque fuit : ita detrahere, irritamque facere pro sua voluntate liceat. « Non peccat virgo nubens, ait Fulgentius [1], si virginitatem Deo, priusquam nuberet, in corde non vovit. Cæterum si quemadmodum dixit Apostolus [2], *statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginitatem suam*, graviter postmodum peccat, si post dicatam virginitatem Deo, voluerit humano servire connubio. Neque enim, ut ait Augustinus [3], saltem connubii desiderium in illa continentiæ professione potest esse non malum. » Et alibi, « Quod enim, ait [4], cuiquam, antequam vovisset, licebat, cum id se nunquam facturum voverit, non licebit ; si tamen id voverit, quod vovendum fuit; sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta conjugia, » Quæ quidem adversus recentium hæreticorum licentiam pluribus alias et suo loco tractanda, in præsentiarum obiter injecimus, ne quis post dicatam Deo virginitatem arbitretur aliquid, quod illi fraudi esse posset, a sanctissima Dei matre susceptum.

CAPUT V.

Utrum in partu ipso virginalem integritatem B. Virgo servaverit. 1. Declaratur primo virginitatis natura. 2. In integritate corporis non consistere virginitatis essentiam. 3. De virginitatis sigillo variæ medicornm sententiæ : quorum alii negant ullum esse ; alii probabilius agnoscunt. 4. Utrum B. Virginis uterus in partu sit apertus. Affirmat Tertullianus, et alii. 6. Sed horum plerique ad veriorem sensum reduci se patiuntur : ut aperiri uterum nihil aliud nisi parere significet. 7. Quod accuratius ostenditur.

Tria in delectatione venerea distinguenda.

I. Ut ad hanc quæstionem disceptandam paratiores instructioresque veniamus, pauca necesse est de virginitatis ipsius natura, et proprietate dicere. Ea primum definiri sic potest, ut sit, « ab omni vacua libidine carnis, animi et corporis integritas. » Quod ut melius intelligas, tria sunt ex S. Thomæ decretis in venerea delectatione distinguenda [5]. Primum est, quod in corpore accidit, *virginei sigilli violatio*. Inest enim in virginibus membrorum integritas quædam, quæ nuptiali opere delibatur, et carpitur ; de qua re post paulo disseram. Secundum est, in quod animæ simul et corporis functio concurrit ; nempe « resolutio seminis delectationem sensibilem causans ; » uti Thomæ verbis utar. Tertium est, quod animæ solius actione constat ; « propositum perveniendi ad talem delectationem. » Horum primum ad moralem actionem ex accidenti pertinet. Potest enim sine voluntaria corruptela virginis accidere : ut nec in laude, nec in vituperatione ponatur : nec amittatur propterea virginitas. Secundum est actionis illius, quæ moralis dicitur, materia; cujusmodi sunt passiones, quæ sensum afficiunt. Postremum est velut forma moralem complens actionem. Ex quibus ita colligit S. Thomas; ad virginitatis naturam et essentiam non illam spectare qualemcumque corporis integritatem ; quæ nisi tertium accesserit, nullum sui dispendium patitur, et intacta perseverat.

1 Ful. *ad Gallam de conjug. debito*, cap. VI. — 2 I *Cor.* VII, 37. — 3 August. IV *cont. Jul.* cap. II. — Idem, lib. I *de adulterinis conjugiis* cap. XXIV. — 5 S. Thom. II, II, qu. CLII.

In integritate corporis non consistit virginitatis essentia.

II. Præclare hoc disputat Augustinus in libro primo *de Civitate Dei* capite XVIII, cujus verba non alienum ab instituto nostro erit hic reddere : « Atenim, inquit, ne vel aliena polluat libido, metuitur. Non polluet, si aliena erit : si autem polluet, aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, qua potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire decernat, nullus autem magnanimus, et pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat; sed tantum quid annuat mente, vel renuat ; quis tandem sana mente putaverit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, vel oppressa carne sua exerceatur, et expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur; sed in bonis corporis numerabitur : qualia sunt vires, pulchritudo, sana integraque valetudo; ac si quid hujusmodi est ; quæ bona etiamsi minuantur, bonam, justamque vitam non minuunt. Quod si tale aliquid est pudicitia, ut quid pro illa, ne amittatur, etiam cum periculo corporis, laboratur? Si autem bonum est, etiam oppresso corpore non amittitur, etc. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ. » Huc pertinet, quod Guillelmus Parisiensis affirmat [1], virginitatem, qua integritatem carnis significat, accidentem esse castitati : nec illam amitti, quatenus virtus est, cum nubit virgo, et integritatem carnis amittit. Esse autem peculiarem virtutem a castitate diversam, S. Thomas asseverat ; quoniam proprio quodam honestatis genere censetur, dum non illicitas tantum, et flagitiosas voluptates amputat ; sed etiam licitas, quæ usurpari sine culpa possunt.

III. Sed de illa carnis integritate, et, ut appellare mos est, *sigillo virginitatis*, magna est imprimis, et propter eruditorum medicorum dissensionem, perplexa quæstio ; ac nobis hoc loco sane necessaria. Quam tamen nonnisi parce ac leviter attingemus ; et quatenus interest theologicæ disciplinæ : quam in talibus tractandis virginali oportet verecundia esse præditam : ne Euripideum illud, una commutata voce, jure in eam aliquis succinat.

* Θεία πέφυκας, καὶ λέγεις αἰσχρῶν πέρι.

Atque ut Aristoteles [2], cum de cœlo, cœlestibusque corporibus, et eorum motionibus agit ; quorum notitia ex astronomicis observationibus tota pendet ; peritos illius disciplinæ consulendos ait, et accuratioribus esse credendum : sic in theologicis rebus explorandis, quorum ratio ex humani corporis, membrorumque descriptione constat, adhibendi sunt medicinæ, et anatomices consulti, eorumque placitis innitendum est.

Medicorum sententiæ de virginitatis sigillo.

Hoc ut in præsenti controversia faciamus, primum istud animadvertere oportet, de hoc, quod vocant, *virginitatis sigillo* contendere inter se artis medicæ professores, ac nonnullis videri, nullum esse penitus tale κριτήριον : alios e contrario, multoque plures, asserere : tertios vero inter utrosque medios putare non omnibus hoc esse virginibus ; sed in quibusdam solum : in aliis nullum reperiri ; cujus dissidii meminit obiter S. Ambrosius epistola XLVI. Verum complures, ut dixi, et anatomices præsertim scientissimi, hujusmodi signum, velut χαρακτῆρα virginitatis adstruunt, ut Andreas Vesalius, Falopius, Platerus, Picolominus, et Anatomici Patavini, ut notat Schenchius ; aliique multi ; quibus subscribit qui omnium novissime, et luculentissime scripsit hac de re Joannes Riolanus Parisiensis Academiæ medicus, vir eruditissimus [3]: qui id se animadvertisse confirmat in multis virginibus post obitum dissectis : ac tum illos, quos percensui ; tum alios haud paucos commemorat, qui idem experimentis suis approbarunt : ac denique cujusmodi sit illud *virginitatis sigillum*, docta, et copiosa disputatione declarat. Certe signum aliquot exstare, habitumque corporis, quo integra, vel oblæsa virginitas deprehendi possit, sacra ipsa Scriptura nos docet *Deuteronomii* capite XXII, 43, ubi in dubium vocatæ virginitatis signa quædam proferri jubentur. Quinetiam obstetricum hoc industria in explorandis virginibus indicat, quas etiam explorando, et attrectando

Criterium.

Characterem.

* *Diva es et de turpibus loqueris.*

Euripides in *Andromacha*, actu II, ubi habetur, Νέα πέφυκας (adolescentula es). J. B. F.

1 Guill. Paris lib. *de virtut.* cap. XV. — 2 Arist. lib. XII *Metaph.* cap. VIII, text. 45. — 3 Riolan. *Anthropographiæ*, lib. II sub finem.

nonnunquam sigillum illud violare testatur Augustinus libro primo *de Civitate Dei,* capite XVIII. « Neque enim, inquit, eo corpus factum est, quod ejus membra sunt integra, aut eo quod nullo contrectantur attactu, cum possint diversis etiam casibus vulnerata vim perpeti; et medici aliquando saluti opitulantes hæc ibi faciant, quæ horret aspectus. Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans sive malevolentia, sive inscitia, sive casu, dum inspicit, perdidit. »

Plures antiqui reseratam esse virginis vulvam asserunt.

IV. His ita notatis ac perspectis, in eo susceptæ disputationis summa constituitur, an B. Virgo, cum Christum peperit, integrum illud *virginitatis sigillum*, claustrumque retinuerit; an ut in aliis parientibus feminis usuvenit, refractum, violatumque fuerit. Nihil ab cæterarum more feminarum declinatum fuisse, quidam olim arbitrati sunt. Omnium certissime Tertullianus id asseruit in libro *de carne Christi* capite XXIII. « Peperit, inquit, quæ ex sua carne : et non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo, quantum a viro; non virgo, quantum a partu. » Et subinde; « Peperit, ait, quæ peperit. Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit ipsa patefacti corporis lege. In quo nihil interfuit de vi masculi admissi, an emissi. Idem illud sexus resignaverit. Hæc denique vulva est, propter quam et de aliis scriptum est, *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino* [1]. Quis vere sanctus, quam Dei filius? Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Cæterum omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Utique magis non virgo dicenda est, quam virgo, saltu mater ante, quam nupta. Et quid ultra retractandum est? cum hac ratione Apostolus non ex virgine, sed ex muliere editum filium pronuntiavit; agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem. » Hæc ille : quibus perspicue B. Virginem in partu virginem corpore esse desiisse significat, et in mulierem transiisse. In eodem præterea libro capite IV et XX, Christum dicit communi cum cæteris lege, ac similibus in sordibus in utero nutritum, et eadem inquinatione naturalium Virginis in lucem editum fuisse. Sunt et alia ejusdem loca, de quibus legendus Pamelius in *Paradoxis Tertulliani.*

Origenes quoque homilia XIV in Lucam, « Quemcumque, ait[2], de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus; quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat. Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo et partus editus : quia sanctum uterum, et omni dignatione (venerationis) venerandum ante nativitatem masculus omnino non tetigit. »

Horum plerique commodam interpretationem patiuntur.

V. Sunt et alii complures antiquorum tam Græci, quam Latini, qui Virginis uterum in partu fuisse patefactum dicunt : qui tamen commodam interpretationem ferre possunt : quorum nonnullos proferam. Irenæus imprimis libro IV, capite LXVI. « Filius Dei, inquit, filius hominis purus pure puram aperiens vulvam eam, quæ regenerat homines in Deum; quam ipse puram fecit. » Ambrosius quoque Christum « aperuisse sibi vulvam ait, ut immaculatus exiret. » Sic Athanasius in epistola *ad Epictetum*, verum fuisse B. Mariæ partum approbat, et nostræ similem Christi carnem, ex eo, quod « oblatum sit sacrificium, propter apertum ab eo, qui est natus, matris uterum [a]. »

Quin Epiphanius, ipse in eadem hæresi septuagesima septima contra Apollinaristas disputans, « Quanam, inquit, in re vim ipsius sanctæ mulieris venter obscuravit? aut Virginis uterus? aut meatus partuum? aut ulnæ Symeonis [b]? » tanquam per naturales meatus Christi corpus ex utero trajectum foras prodierit.

Edita nuper est Athanasii nomine oratio in occursum Simeonis, in qua simile quiddam reperitur, in Evangelistæ verbis istis explicandis, διανοῖγον μήτραν, *quod aperit vulvam.* Ibi Christus solus aperuisse vulvam dicitur, quia non ex concubitu natus sit, qui illam aperit; « Quando, inquit, nullis ex nuptiis partus procedit : quando non ex sanguinibus : neque, ex voluntate viri; sed ex sancto Spiritu ejus, qui nascitur, conceptus exstitit : quando pulsante nemine infans ipse ab interiori aperit [c]. »

a Athanas. apud Epiph. hær. LXXVII, § 7. Καὶ προσηνέχθη θυσία, ὡς διανοίξαντος τοῦ τεχθέντος τὴν μήτραν.

b Epiphan. hær. LXXVII, § 28. Τί δὲ ἠμαύρωσε τὴν αὐτοῦ δύναμιν τῆς ἁγίας γυναικὸς γαστήρ; μήτρα παρθένου; τοκετῶν πόροι; ἀγκάλια Συμεῶνος;

c Athan. editus a P. Combes. Ὅταν ἀπειρογάμως ὁ τόκος προβῇ· ὅταν μὴ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος

1 *Exod.* XIII. — 2 Orig. tom. II.

Potest et Basilius adduci, qui in oratione *de Natali Domini* primogeniti vocem explicans, quatenus in Christum convenit, « appellari ait primogenitum, qui primus aperit vulvam, non qui post se alios fratres habeat [a]. »

Isidorus item Pelusiota in epistola XXIII libri primi, idem quod suppostitius Athanasius de apertione vulvæ disserit : cujus verba mox referam. Idipsum et Nicephorus Callisti significat libro primo *Historiæ*, capite XII. His addi potest Amphilochius in oratione *de Occursu* : et Ruffinus, quem alibi citavimus[1]: et Gregorius Nyssenus in oratione *de occursu Domini*, cujus verba capite sequenti referam.

Quo sensu apertam vulvam aliqui dixerint.

VI. Sed horum plerique, qui violatum, erumpente Christo, Virginis uterum affirmare videntur, non hoc liquido, aperteque sentiunt, revera perfractum interruptumque fuisse virginitatis illud sigillum; quod præstantissimos medicos agnoscere, supra demonstravimus. Sed aliter locutionem illam intellexerunt, *apertæ vulvæ*, quam contra sentientes existimant. Usus est hoc genere sermonis Evangelista Lucas [2], ex Mose accepto [3], quo primogenitus significatur. In ferendis porro legibus id spectat legislator, quod naturaliter accidit, et ordinarium est, non quod extra ordinem, nec sine miraculo evenit. Itaque communi et usitato sermone loquitur. Ac feminæ quidem, cum primum admittit virum, uterus aperitur, et virginitatis velut quædam maceria diruitur. Verum quoniam apertionis illius finis et fructus, ac certissimum indicium est fetus emissio : ideo *aperire uterum* pro eo usurpatur, quod est simpliciter partu in lucem emitti. Nam et alioqui tunc etiam cum parit mulier, uterus ejus aperitur, ac diducitur ; quamvis ante fuerit apertus ex consortio viri ; ac toties patefit, quoties parit. Sed, ut dixi, fructus et complementum apertionis illius sic in partu loquendi usu consideratur, ut ei, qui primus est, potissimum attribui consueverit. Quamobrem *aperire vulvam* nihil aliud significat, quam nasci, et materno ex utero prodire ; quod ita fert communis, et naturalis fetus profundendi modus, ut aperto utero in lucem exeat ; cujusmodi catachresis in vulgari sermone frequenter adhibetur.

Ad hunc sensum referri debet tam Scriptura ipsa, cum mentionem Virginis immiscet, tum qui, illa præeunte, similem in Christo dicendi formulam expresserunt, Græci et Latini, uno excepto, vel altero : maxime Tertulliano, cujus auctoritas istis in rebus, quæ ad Christianum dogma spectant, nullius instar ducitur. Quod de Tertulliano dico, idem et de Origene sentiendum, hæretico et ipso, ac de plerisque fidei arcanis inepte periculoseque garriente. Enimvero nonnulli, quorum testimonio nituntur qui partu resignatam esse virginitatem corporis putant, quod ambigua notione dixere ibi, unde argumentum repetitur, aliis in locis clarius interpretati sunt eo, quem diximus, sensu.

VII. Licet hoc in quibusdam experiri modo; quod evidentius erit postea cum eorumdem sententias proferam, quæ disertius catholicum decretum adstruunt. Ambrosius; qui *vulvam sibi aperuisse* Christum ait, eodem in loco mystice id intelligendum esse demonstrat, cum similiter Ecclesiæ genitale secretum apertum esse dicit. « Sed ille sanctus, inquit, quem in figura futuri mysterii pia legis divinæ præscripta figurabant : eo quod solus sanctæ Ecclesiæ virginis, ad generandos populos Dei, immaculatæ fecunditatis aperiret genitale secretum. » Cum igitur aperientem matris uterum Christum figurasse dicit immaculatum Ecclesiæ partum, et uteri illius apertionem fideles sine ulla labe parientis ; par est, etiam illum Virginis sacræ sine aliquo pudoris intertrimento transactum fuisse partum.

Basilius porro, qui idem scripsit quod Ambrosius; perinde atque ille, nihil aliud expressit; quam quod apud Lucam legerat; ac proinde eodem ac ille modo uterque erit interpretandus.

Irenæus vero, qui « filium hominis purum pure puram aperuisse vulvam » ait, iis ipsis verbis declarat, illibatum partum istum fuisse, sine ulla fraude parientis virginalis uteri.

Non aliud de Athanasio, et Epiphanio judicium oportet facere, et si qui sunt alii, qui nuda Evangelistæ verba referunt : præsertim qui non aliunde temerariæ, et ab ecclesiastica norma desciscentis opinionis invidia laborant:

ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐξ ἁγίου πνεύματος, ἡ τοῦ τικτομένου γέννηται σύλληψις· ὅταν μηδενὸς κρούσαντος αὐτὸ τὸ βρέφος ἔσωθεν διανοίξῃ.

a BASIL. Οὐ πάντως ὁ πρωτότοκος πρὸς τοὺς ἐπιγινομένους ἔχει τὴν σύγκρισιν· ἀλλ' ὁ πρῶτος διανοίγων μήτραν πρωτότοκος ὀνομάζεται.

1 Lib. II, cap. XVI. § 7. — 2 *Luc.* II, 13. — 3 *Exod.* XIII, 2 et *Num.* XIII, 16.

quod de Tertulliano dictum volo : quem frustra Sixtus Senensis excusare conatur ; de quo, ut de Origene οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Præter hos, alios in sequenti capite ab falsa suspicione vindicabimus ex ipsorummet testimoniis, quæ servatæ in partu virginitati perspicue suffragantur.

CAPUT VI.

Græcorum, Latinorumque Patrum testimoniis asseritur B. Virginis integritas in partu. 13. *Item nullos eamdem in partu dolores expertam fuisse ex consensu veterum ostenditur.*

I. Græcorum in fronte Patrum merito collocandi sunt ii, qui Chalcedonensem synodum frequentissimi celebrarunt : quorum nomine Marciano Imperatori nuncupata est *Oratio prosphonetica.* Allocutio, quam Græce προσφωνητικὸν λόγον appellarunt. Hujus vero eadem, quæ Concilii *Testimonia Græcorum de inviolata in partu virginitate B. M.* ipsius, habita est auctoritas apud antiquos, ut ex sequentibus constabit : quippe consensu omnium edita est hæc oratio, et intextum ei fidei decretum. In quo de integritate B. Virginis in partu ita Patres loquuntur. Adversus hostis in Ecclesiam conatus, et impetus Deum asserunt « Patres excitasse velut luminaria in errore degentibus : qui fidei intelligentiam omnibus exposuerunt, et Incarnationis beneficium accurate prædicarunt : quemadmodum ab initio illius ex utero perfectum sit mysterium ; quomodo sit Dei genitrix, propter eum, qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, uterum obsignavit [a]. » Quod obsignatum, et sigillo munitum aiunt Patres uterum Virginis μετὰ τὴν κύησιν, id est *post conceptum*, manifeste indicant, in ipso partu obsignationem illam perstitisse.

Secundum hos producendus est Irenæus : qui, ut capite superiori meminimus, « puram pure apertam esse vulvam » asseverat ; quod non alio sensu potest accipi, nisi ut intactam eam, et integram manifeste velit in partu.

Sequitur Clemens Alexandrinus, qui in septimo *Stromateo* ita scribit : « Sed, ut videtur, hodieque multi puerperam putant esse Mariam, cum non sit puerpera. Nam et postquam peperit, aiunt quidam, adhibitis obstretricibus virginem esse compertam [b]. » Respexit ad fabulam de obstetricibus Mariam explorantibus, et virginem eam renuntiantibus, quam refert Jacobi Protevangelium ; et Suidas in voce Ἰησοῦς, anilem quidem illam, et ab *Jesus.* otioso nugatore confictam : quam nollem aliter Clemens quam irridendo, ac despuendo commemorasset. Tamen eo pertinet, ut ex illius sententia, etiam secundum partum virginem fuisse beatam Dei genitricem intelligas; nec ullum corruptæ virginitatis in illa deprehensum fuisse vestigium ; quod alioqui nonnullum in feminis esse, indidem agnoscas.

II. Gregorius Nyssenus in oratione *de Natali Christi* ; « Puer, inquit, pannis involutus, et in præsepi requiescens : et illa post partum virgo incorrupta mater fovet filium [c]. »

Isidorus Pelusiota quamvis Mariæ vulvam Christum aperuisse dicat, non sic tamen id a se dictum esse demonstrat, tanquam violatum σφράγισμα putaverit : sed eo modo, quem *Sigillum* capite antecedente proposuimus [1]. Verba Isidori non sunt omittenda. « Quod in sacra Scriptura dictum est, inquit, quod omne primogenitum aperiens vulvam, sanctum est Domino, non de omni primogenito dicitur : non hoc arbritentur imperiti : sed de uno illo, qui cum partu ederetur, vulvam aperuit. Siquidem vulvam omnem viri consortium, et concubitus aperit ; quæ vero Dominum nostrum Jesum Christum peperit, ipse sine semine conceptus eam prodiens aperuit, et rursus obsignatam reliquit [d]. »

a Allocut. Chalcedon. conc. par. III. Ἀλλ' οὐκ ἔλαθε τὸν ἀκοίμητον ὁ τῆς φύσεως ἐχθρὸς ὀφθαλμόν. ἀλλ' ὡς φωστῆρας εὐθύς τοῖς ἐν πλάνῃ τοὺς πατέρας ἀνέδειξε, τῆς πίστεως ἅπασιν ἀναπτύσσοντας τὴν διάνοιαν, καὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως ἀκριβῶς τὴν εὐεργεσίαν κηρύττοντας, πῶς ἄνωθεν ἐκ μήτρας τῆς οἰκονομίας κατήρτισται τὸ μυστήριον· πῶς καὶ θεοτόκος διὰ τὴν παρθενίαν αὐτῇ καὶ μετὰ τὴν κύησιν χαρισάμενον, καὶ θεοπρεπῶς τὴν μήτραν σφραγίσαντα.

b Clem. Alex. VII *Strom.* Ἀλλ' ἔοικεν τοῖς πολλοῖς καὶ μέχρι νῦν δοκεῖ ἡ Μαριὰμ λεχὼ εἶναι διὰ τὴν τοῦ παιδίου γέννησιν, οὐκ οὖσα λεχώ. καὶ γὰρ μετὰ τὸ τεκεῖν αὐτὴν μαιωθεῖσάν φασί τινος παρθένον εὑρεθῆναι.

c Nyss. Τί τοῦτο; παιδίον ἐν σπαργάνοις διειλημμένον, καὶ ἐπὶ φάτνης ἀναπαυόμενον. καὶ ἡ μετὰ τόκον παρθένος, ἡ ἄφθορος μήτηρ περιέπει τὸ ἔκγονον. Vide et lib. III *cont. Eun.*

d Isid. I, ep. xxii. Τὸ εἰρημένον ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, ὅτι πᾶν πρωτότοκον διανοῖγον μήτραν ἅγιον τῷ Κυρίῳ, ὁ περὶ παντὸς εἴρηται πρωτοτόκου. μὴ οὕτως οἱ ἀμαθεῖς νομιζέτωσαν. ἀλλὰ περὶ ἑνὸς ἐκείνου, καὶ μόνου τοῦ ἐν τῷ τίκτεσθαι τὴν μήτραν ἀνοίξαντος. πᾶσαν γὰρ μήτραν

1 Paragr. 6.

Hæc postrema verba, quibus procedentem ex utero genitricis Jesum Christum, eumdem sigillo obsignatum reliquisse dicit, et esse *sigillum* aliquod virginitatis affirmant, quod non indocti quidam in dubium vocant, minus considerati funditus negant; et illud ipsum sigillum pariente Virgine resignatum non fuisse, sed integrum mansisse confirmant. Quod in alia epistola libri ejusdem asseverantius tradit Isidorus Pelusiota, cum ait : « Quemadmodum virgine manente natura, partus Domini contigit, nec incarnati Verbi progressus ullam castitati decessionem attulit: sic obsignato sepulcro facta resurrectio est : quippe Dei facti hominis utraque propria fuerunt [a]. »

Amphilochius in oratione *de occursu Christi* primum idem, quod Isidorus, de verbis illis, *omne masculinum adaperiens vulvam*, existimandum esse tradit; non ad alium pertinere, quam ad Christum; eo quod non extrinsecus virili congressu, sed intrinsecus ab solo fetu prodeunte reserata illa sit. Deinde non esse sauciatam illam uteri virginalis integritatem, in sequentibus ostendit. Etenim adversus hoc, quod dixerat, illa verba soli convenire Christo, quæ *apertam vulvam esse* significat, objicit sibi; ex eo videri consequens, violatam esse virginitatem B. Mariæ. Huic autem respondet sic: « Quantum quidem attinet ad virginalem naturam, nullo modo patefactæ sunt virginales portæ; ita volente illo, qui modo partu editus est in lucem, secundum id, quod de eo prædictum est : *Hæc est porta Domini* [1] *: et introibit, et egredietur, et clausa erit porta.* Igitur quod spectat ad virginalem naturam, nullo pacto portæ virginales apertæ sunt. Sin Domini, qui natus est, potentiam respicias, nihil ei clausum est : sed aperta sunt omnia: nihil est quod obstet; nihil quod negotium faciat. Siquidem omnia Domino reserata sunt [b]. »

III. Ejusdem tum argumenti, tum sententiæ locus est in Athanasii oratione quadam nuper edita : (quanquam falso Athanasii nomine illam inscriptam arbitror). Ibi quod ex Mose ab Luca refertur, *omne primogenitum, quod vulvam aperit, Deo consecratum esse*, perinde ut superiores illi, de solo Christo intelligendum esse contendit : « nimirum quando virginitatis signis, et claustris, ait, sine ulla concussione servatis, ab interiori foras fetus erumpit [c]. »

Ita S. Ephræm in oratione *de Margarita pretiosa*, idipsum uberrime confirmat. « Dedit uterum, inquit, labori atque dolori subjectum, (nempe suapte natura) et eumdem integrum, illæsumque ipsa recepit. Medicus erat, qui natura ejus utebatur : ac propterea etiam sanam illam restituit. Non erat homo, qui virginem pro filii generatione adhibere volebat; sed Deus; atque ideo naturæ, quod non habebat, præstitit : ut ostenderet se non venisse ad dirumpendam naturam : sed ut integram, atque incorruptam eam conservaret.» Et paucis interjectis; «Non perdidit sigillum, ait, natura Virginis Christo concepto : et ob id neque eo genito reserata est, ut partum in lucem ederet. Neque vero rupta est, dum gigneret; nam neque rupta erat dum conciperet, etc. Nos quemadmodum concipimur, sic etiam generamur. Corrumpitur enim matrix, dum concipit : laborat ac dolet dum parit : perdit naturæ sigillum, ut concipiat. »

Ac subinde ista pertexit : « Christus sine dolore genitus est : quoniam et sine corruptione fuerat conceptus : in virgine carnem accipiens, non a carne, sed ex Spiritu sancto. Propterea et ex virgine prodiit, Spiritu sancto uterum aperiente, ut egrederetur homo, qui naturæ opifex erat, etc. Spiritus erat, qui puerperam tori maritalis nesciam in partu adjuvabat; quapropter neque quod na-

μίξις, καὶ συνουσία ἀνοίγνυσι. τὴν δὲ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν κυήσασαν αὐτὸς συλληφθεὶς ἀσπόρως προερχόμενος ἤνοιξε, καὶ πάλιν ἐσφραγισμένην κατέλιπεν.

a Isid. epist. ccccLxxxiv, lib. 1. Ὥσπερ παρθενευούσης τῆς φύσεως ὁ τόκος τοῦ κυρίου γεγένηται, καὶ ἡ πρόοδος τῆς σαρκώσεως τῇ ἁγνείᾳ μείωσιν οὐκ ἐποίησεν· οὕτως ἐσφραγισμένου τοῦ μνήματος ἡ ἀνάστασις γέγονε. Θεοῦ γὰρ ἐνανθρωπήσαντος ἀμφότερα.

b Amphil. Πρὸς μὲν τὴν παρθενικὴν φύσιν, οὐδ᾽ ὅλως αἱ παρθενικαὶ πύλαι ἠνεῴχθησαν, βουλήσει τοῦ ἀρτίως κυοφορηθέντος· κατὰ τὸ φάσκον περὶ αὐτοῦ ῥητόν. αὕτη ἡ πύλη τοῦ Κυρίου· καὶ εἰσελεύσεται, καὶ ἐξελεύσεται. καὶ ἔσται ἡ πύλη κεκλεισμένη. ὡς πρὸς τὴν παρθενικὴν τοίνυν φύσιν, οὐδ᾽ ὅλως ἠνεῴχθησαν αἱ παρθενικαὶ πύλαι. αἱ δὲ πρὸς τὴν δύναμιν τοῦ τεχθέντος δεσπότου, οὐδὲν κέκλεισται τῷ Κυρίῳ· ἀλλὰ πάντα ἠνέῳκται· οὐδὲν τὸ παρεμπόδιζον· οὐδὲν τὸ παρενοχλοῦν. πάντα γὰρ τῷ Κυρίῳ ἠνέῳκται.

c Athanas. orat. *de occursu.* Ὅταν τῶν τῆς παρθενίας σφραγίδων, καὶ κλείθρων ἀσαλεύτων φυλαττομένων, ἔνδοθεν ἔξω τὸ τικτόμενον ἐκπηδήσῃ.

1 *Ezech.* xliv, 2.

tum est, sigillum virginitatis commovit : neque Virgo laborem, ac dolorem in partu sensit. » Deinde ; « Quemadmodum, inquit, solus ex virgine natus est Christus : ita etiam Mariam in partu virginem permanere conveniebat, matremque absque dolore fieri. »

Item Proclus Constantinopolitanus episcopus oratione prima *in Deiparam :* « Nisi enim mater, ait, virgo mansit, nudus homo exstitit ille qui natus est : nec admirabilis ille partus fuit. Quod si post partum virgo permansit, nonne et Deus erat ; et mysterium in hoc ineffabile est ? Quoniam ille ineffabiliter natus est, qui et clausis januis [1], nullo prohibente, ingressus est : cujus naturam geminam Thomas conspicatus, exclamavit dicens : *Dominus meus, et Deus meus*[a]. » Hujus loci postrema citat Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ [2], cap. x, ab illis verbis ὅτι ἐκεῖνος, et pro ἀφράστως, legit ἀφθόρως, quod est *sine corruptione*, quam lectionem Euthymius in libro *contra Nestorium, et Eutychen* agnoscit.

Viæ duce. Ineffabiliter

Quæ vox Gregorii Nysseni similem locum revocat in memoriam, ubi perinde ἀφράστως vocabulum occurrit. Nec ille vero prætereundus est, quod in partu sigilli integritatem affirmat. « Solus, inquit, ipse inexplicabili modo conceptus, et ineffabiliter natus, haud ante patefactam nuptiis virginalem aperuit vulvam, virginitatis signacula inviolata servans etiam post admirabilem processionem[b]. » Hic et si apertum uterum in partu esse dicat, tamen cum clausum, et illæsum mansisse dicat, satis ostendit eo sensu patefactum se intellexisse, quem exposuimus antecedente capite.

Idem Proclus oratione *in S. Stephanum*, quæ est XVIII. « Quomodo sine commistione, inquit, virgo mater exstitit? quomodo post partum rursus est inventa virgo[c]? »

IV. Theodotus Ancyranus homilia *in Natalem Domini* « Virginem nihil ex partu læsisse virginitatem[d]. » Ac non multo post tanto mysterio fidem abrogantes his verbis castigat. « Gentilis audiens quod clausa janua Salvator ingressus est, corpore hoc crasso, et loci egente transmisso, ludibrio habet, non credens hoc miraculum, sed rei rationem inquirens ; ac dum audit, virginem post partum mansisse virginem, sermonem hunc stultitiam reputat, quia fidem Dei miraculis accommodare non didicit[e]. »

Theodoretus item in dialogo secundo, quem supra citavimus libro X, capite VI, § 3.

Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha in epistola synodica, quæ lecta est et probata in synodo sexta œcumenica actione XI. « Et virginem conservat, inquit, genitricem suam, et Dei matrem proprie ac vere eam ostendit» [f].

Ad hæc Hesychius Hierosolymitanus presbyter, homilia secunda *de B. Virgine Maria*, de Christo loquens. « Et paradisum, inquit, aperiebat, et sigillum uteri muniebat. Quod utrumque merito, et consentanea ratione faciebat. Nam paradisum aperiebat ideo quod latronem introducere, et omnes hæredes regni eodem vellet deducere ; porro sigillum uteri propterea muniebat ille, qui Deus, ac Verbum erat incarnatum, quod ad ingressum, egressumve janua neutiquam opus habebat[g]. »

V. Ejusdem urbis presbyter Chrysippus Hierosolymitanus in homilia *de laudibus*

a PROCLUS. Εἰ μὴ γὰρ παρθένος ἔμεινεν ἡ μήτηρ, ψιλὸς ἄνθρωπος ὁ τεχθεὶς, καὶ οὐ παράδοξος ὁ τόκος. εἰ δὲ καὶ μετὰ τόκον ἔμεινε παρθένος, πῶς οὐχὶ καὶ Θεὸς, καὶ τὸ μυστήριον ἄφραστον, ὅτι ἐκεῖνος ἀφράστως ἐγέννήθη ὁ καὶ τῶν θύρων κεκλεισμένων εἰσελθὼν ἀκωλύτως. οὗ τὴν συζυγίαν τῶν φύσεων ἰδὼν ὁ Θωμᾶς ἀνακεκράγει λέγων, ὁ κυρίός μου, καὶ ὁ θεός μου. Citatur a Leontio tom. IV *Bibl.*

b NYSSEN. orat. *de occursu*. Μόνος γὰρ αὐτὸς ἀῤῥήτως συλληφθεὶς, καὶ ἀφράστως κυηθεὶς, μὴ προδιηνοιγμένην τῷ γάμῳ τὴν παρθενικὴν μήτραν ἀνέῳξεν, τὰ σήμαντρα τῆς παρθενίας ἀπαράτρωτα καὶ μετὰ τὴν παράδοξον πρόοδον φυλαξάμενος.

c PROCL. Πῶς δίχα μίξεως παρθένος μήτηρ ἐγένετο ; πῶς μετὰ ὠδίνας πάλιν παρθένος ηὑρίσκετο ;

d THEODOTUS in Eph. syn. par. III. Οὐδὲ αὐτὴ ἐκ τοῦ τόκου τὴν παρθενίαν ἠδίκησε.

e Ibidem. Καὶ γὰρ ἀκούων ἕλλην, ὅτι κεκλεισμένης τῆς θύρας εἰσῆλθεν ὁ σωτὴρ διαγαγὼν τὸ παχὺ τοῦτο σῶμα ; καὶ τόπου δεόμενον, γελᾷ, οὐ πιστεύων τῷ θαύματι, ἀλλὰ ζητῶν τὸν λόγον τοῦ πράγματος, καὶ ἀκούων ὅτι παρθένος τεκοῦσα μεμένηκε παρθένος, μωρίαν ἡγεῖται τὸν λόγον, οὐ μαθὼν πιστεύειν θαυματουργίαν θεοῦ.

f SOPHRON. Καὶ παρθένον τηρεῖ τὴν γεννήσασαν, καὶ θεοτόκον αὐτὴν κυρίως, καὶ ἀληθῶς ἀναδείκνυσι.

g HESYCH. tomo XII. *Bibl.* Καὶ τὸν παράδεισον ἤνοιγε. καὶ τὴν σφραγῖδα τῆς γαστρὸς ἠσφαλίζετο· εἰκότως σφόδρα, καὶ κατὰ λόγον ἑκάτερον. τὸν γὰρ παράδεισον ἤνοιγεν, ἐπειδὴ λῃστὴν εἰσφέρειν, καὶ πάντας εἰς αὐτὸν χειραγωγεῖν τοὺς κληρονόμους τῆς βασιλείας ἤμελλε. τὴν σφραγῖδα τῆς γαστρὸς ἠσφαλίζετο θεὸς, καὶ λόγος ὑπάρχων ὁ σαρκούμενος, οὐδαμῶς θύρας πρὸς τὴν εἴσοδον, ἢ τὴν ἔξοδον ἔχρῃζε.

1 *Joan.* XX.— 2 Anastas. in Ὁδηγῷ cap. x.

B. Virginis. « Qui natus est, inquit, Deus est, propterea vulvæ sigillum in ea permansit, quæ peperit[a]. »

Andreas item Hierosolymitanus, in oratione *de Salutatione angelica*[b], » Christum nascendo dicit virginitatis decus eximium neutiquam in materno partu violasse : quippe virginale germen ipsius salva et integra servasse castitatis signacula. » Joannes Damascenus sic in libro IV, cap. xv, de hac re sentit, ac scribit : « Quemadmodum vero conceptus eam, quæ conceperat, virginem conservavit, sic et partu in lucem editus eamdem virginitatem servavit illæsam ; solus per illam transiens, et clausam eam reservans. Itaque conceptus quidem per auditum factus est, nativitas vero per consuetum nascentibus exitum ; quamvis nonnulli fabulose asserunt per Dei genitricis latus natum exisse Christum. Non enim etiam transire non poterat per portam, ita ut hujus non violaret signacula[c]. » Hic Joannis Damasceni locus luculentus est, et observandus imprimis. Nam liquido modum explicat, quo sine virginalis claustri resignatione, per naturalia Virginis Christus nascendo transierit.

Alexander monachus in libro *de Inventione Crucis* : « Sine corruptela, inquit, concepit, et ut dignum erat Deo peperit. Deus enim erat qui ex illa carnem suscepit, nec ullo modo janua opus habebat ad intrandum, vel exeundum[d]. »

Vide et Hesychium in oratione prima *de Laudibus B. Virginis,* ubi, « post partum, ait, mansisse sigillum virginitatis, quæ quam natura imposuit, inconcussam servavit[e]. »

Testimonia Latinorum idem assentientium.

VI. Ut ad Græcos scriptores, selectos aliquot e Latinis adscribam, qui illibatæ carnis in partu munditiam, perinde ac priores, illustri præconio celebrarunt, occurrit ante alios Ambrosius, qui id multis in locis affirmavit. Ut in tractatu de *Symbolo Apostolorum*, capite XII, « Hic ergo unicus, ait, in deitate filius, in nativitate etiam carnali, per quam hominem nostrum, ut salvaret, assumpsit, unicus invenitur. Solus est enim natus ex virgine, quæ nec conceptionem de viro, nec corruptionem sensit ex partu. »

Idipsum latissime probat adversus Jovinianum in epistola septima *ad Siricium Papam*, quo ex loco nonnulla describam. « Sed de via perversitatis produntur dicere ; Virgo concepit, sed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere ; non potuit virgo generare, cum semper conceptus præcedat, partus sequatur? etc. Hæc est virgo, quæ in utero concepit, virgoque peperit filium. Sic enim scriptum est ; *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium*[1]. Non enim concepturam tantummodo Virginem ; sed et parituram virginem dixit. Quæ autem est illa porta sanctuarii[2], *porta illa exterior ad Orientem*, *quæ manet clausa ; et nemo*, inquit, *pertransibit per eam*, *nisi solus Deus Israel?* Nonne hæc porta Maria est, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? etc. Hæc porta est beata Maria, de qua scriptum est ; *quia Dominus pertransibit per eam*, et erit clausa post partum ; quia virgo concepit, et genuit. Quid autem incredibile, si contra usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit, et fugit? etc. »

Idem docet, et eadem utitur Prophetica portæ similitudine in libro *de institutione Virginis*, capite septimo, quod ita concludit : « Quæ est hæc porta, nisi Maria? Ideo clausa, quia virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non posset. »

Hieronymus in caput XLIV *Ezechielis*, mysterium illud explicans Propheticæ portæ, per quam Deus Israel ingressus dicitur, hæc

a Chrysip. tom. XII *Bibl.* Ὁ τεχθεὶς θεός. διὰ τοῦτο καὶ ἡ τῆς μήτρας σφραγὶς τῇ τεκούσῃ διέμεινε.

b Andr. ibid. Ὅτι μὴ τῆς παρθενίας τῆς σῆς τὸ ἐξαίρετον μητρῴαις ὠδῖσι διέφθορε, τοῦ παρθενικοῦ σοῦ βλαστοῦ τὰ τῆς ἁγνείας σοῦ σῶα συντηρήσαντος σήμαντρα.

c Damasc. Ὥσπερ δὲ συλληφθεὶς παρθένον τὴν συλλαβοῦσαν ἐτήρησεν· οὕτω καὶ τεχθεὶς τὴν αὐτῆς παρθενίαν ἐφύλαξεν ἄτρωτον, μόνος διελθὼν δι' αὐτῆς, καὶ κεκλεισμένην τηρήσας αὐτήν. δι' ἀκοῆς μὲν ἡ σύλληψις· ἡ δὲ γέννησις διὰ τῆς συνήθους τῶν τικτομένων ἐξόδου. εἰ καί τινες μυθολογοῦσι διὰ τῆς πλευρᾶς αὐτὸν τεχθῆναι τῆς Θεομήτορος. οὐ γὰρ ἀδύνατος ἦν καὶ διὰ τῆς πύλης διελθεῖν, καὶ ταύτης μὴ παραβλάψαι τὰ σήμαντρα.

d Alexan. a Gretsero editus tomo *de Cruce.* Ἀφθόρως γὰρ συνέλαβεν, θεοπρεπῶς δὲ ἐγέννησεν. Θεὸς γὰρ ἦν ὁ ἐξ αὐτῆς σαρκωθεὶς, καὶ οὐδαμῶς θύρας πρὸς τὴν εἴσοδον, ἢ τὴν ἔξοδον ἔχρηζεν.

e Hesych. tom. XII *Bibl.* Καὶ μετὰ τόκον διέμεινε τῆς παρθενίας σφραγὶς, ἣν ἡ φύσις ἐπέθηκεν, ἀπαρασάλευτον φυλάττουσα.

1 *Isa.* VII. — 2 *Ezechiel.* XLIV.

adnotat : « Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Dei Israel ingreditur, et dux, cui porta clausa est, Mariam virginem intelligunt, quæ et ante partum, et post partum virgo permansit. »

VII. Augustinus plerisque in locis id etiam affirmat : ut in sermone XIV *de tempore*, qui est de *Natali Christi* decimus. « Talis, inquit, eligitur virgo de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei filium in semetipsam susciperet, et post partum omnimodo virgo permaneret, etc. Tanta est enim divina illa potentia, ut et matrem reddat fecundam, et virginitatem servet illæsam. » Et sermone XVII *de tempore*, « Virgo enim concepit, ait, virgo peperit, virgo post partum illibata permansit. » Rursus sermone XXI. « Virgo genuit, quia virgo concepit. Inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum : et sine corruptione gravida, et in partu virgo puerpera. » Item in sermone XXIII. « Videte miraculum matris Dominicæ; Virgo concepit, virgo parturit, virgo post partum permansit; etc. Dignum enim erat, ut Deo nascente meritum cresceret castitatis, nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta, nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritualis. »

Ad hæc sermone CXXII. « Nec dubites, ait, Mariam virginem mansisse post partum; quia qualiter hoc factum sit, non humanus sermo, neque sensus potest comprehendere. »

Et in Oratione de *quinque hæresibus* capite V, Christum inducit Manichæum compellantem sic : « Hanc quam despicis, Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas; sic et mea non est ibi maculata majestas, etc. Solus ad eam Dominus, et fabricator ejus venit : vestem, quam non habebat, induit : eamque sicut invenit, clausam reliquit. »

In libro quoque XXII de *Civitate Dei* capitate VIII, miraculum quoddam referens annuli, qui vinculo ad corpus adstrictus, integris nodis sponte dilapsus in terram deciderat : « Non credunt hoc, inquit, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt. »

VIII. Ad hæc in *Enchiridio*, capite XXXIV. « Quod si vel per nascentem corrumperetur ejus (Mariæ) integritas, non jam ille de virgine nasceretur : eumque falso, quod absit, de virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia. » Quo in eodem capite Laurentium, ad quem *Enchiridium* scripsit, hortatur, ut litteras de hoc argumento scriptas ad Volusianum legat. Hæc est epistola Augustini tertia : in qua catholicum illud dogma de integritate Virginis in partu egregie, copioseque commendat.

Ac Volusianus quidem invitatus ab Augustino[1], ut quæ in Christiana fide ambigua sibi viderentur, proponeret, fecit hoc scripta ad eum epistola, quæ secunda ponitur inter Augustinianas. In ea porro inter alia, quæ dubia videri dicit, adnotat ista : « Miror utrum mundi Dominus, et rector, intemeratæ feminæ corpus impleverit; pertulerit decem mensium longa illa fastidia mater, et tamen virgo enixa sit solemnitate pariendi, et post hæc virginitas intacta permanserit. »

Huic inquisitioni respondens Augustinus epistola tertia, explicat quemadmodum fieri potuerit, ut B. Virgo sine jactura virginitatis hominem pareret. « Ipsa virtus, inquit[2], per inviolatæ matris virginea viscera membra infans eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile : si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. »

Denique Augustinus idem in libro *de Hæresibus ad Quodvultdeum* Joviniani hæresim, quam octogesimam secundam numerat, hoc inter cætera dicit habuisse, « quod virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam; » et luculenter in libro primo *contra Julianum*, capite secundo. Atque hoc licet, quantum meminerim, prætermissum sit ab Hieronymo in duobus luculentis libris, quos in illum commentatus est, confirmat Ambrosius in epistola VII, quam paulo ante citavimus.

Paulinus Nolanus epistola IV, de Christo loquens, « In ipso, inquit, hominis ortu nihil habet commune nobiscum, qui citra nostræ

1 August. ep. I. — 2 August. tom. VI.

generationis usum caro factus de Spiritu sancto, intemerata sacræ Matris virginitate et conceptus et natus est. »

Idem in Carmine de *obitu Celsi*, sic canit,

« Cujus amore meos suscepit Filius artus,
Virgine conceptus, Virgine factus homo. »

IX. Vixit eodem, quo Ambrosius, et Augustinus tempore, Gaudentius Brixianus episcopus, qui de incorrupto, et admirabili partu sanctissimæ Dei genitricis haud ab illis diversa, et sane præclara prodidit tractatu nono[1]. « Sed dicat fortasse aliquis, inquit, parvæ fidei, ac parum prudens, virginem quidem Mariam, non ex viro concepisse Christum, sed Spiritu sancto; ut in Evangelio ad eam loquitur Archangelus Gabriel; non tamen a Christo virginem dici ultra posse; quam constet edidisse partum : et ideo non dixisse Christum; *Quid mihi, et tibi est virgo?* Sed, *Quid mihi, et tibi est mulier*[2]? » Mox ista confutat Gaudentius, et inter alia sic scribit : « Si credimus conceptum virginis, credere debemus et partum. Utrumque impossibile videtur homini : sed omnipotentiæ divinæ parvum, etc. » Ac subinde : « Qui sine corruptela matris conceptus, inquit, creditur; cur non etiam sine corruptela editus præsumatur? Incorrupta virgo peperit, quod intacta virgo concepit. Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. » Quod miraculum ex alio simili probat, quo « Deus idem post resurrectionem suam, bis ad Apostolos, ubi erant in domo congregati, propter metum Judæorum, clausis utique januis introisse legitur. » Vide quæ libro decimo de hujusmodi carnis Christi conditione dixi[3].

Leo Papa in sermone primo *de Nativitate*, capite secundo, « Merito igitur, inquit, virgineæ integritati nihil corruptionis, intulit partus salutis : quia custodia fuit pudoris editio veritatis. » Et sermone secundo de eadem solemnitate, capite secundo, « Nova autem nativitate genitus est, ait, conceptus a virgine, natus a virgine sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria : quia futurum hominem Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ auctorem, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. »

Et mox : « Origo dissimilis, sed natura consimilis; humano usu, et consuetudine quod credimus caret : sed divina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, et virgo permanserit. » Item; « Oportuit enim ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret; et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus infusa servaret, etc., ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis renascendo. »

X. Ita Petrus Chrysologus sermone CXLII, *de Annuntiatione S. Mariæ virginis*, ad hæc verba; *Concipies, et paries filium,* « Qui egreditur, et ingreditur ait, et introitus sui, et exitus nulla vestigia relinquit, divinus habitator est, non humanus : et qui conceptu suo virginem servat, et ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis. »

Fulgentius in sermone quodam *de Natali Domini ;* qui inter Augustini sermones de tempore censeri consueverat[4], plane idem asseverat. « De cœlis, inquit, medicus transiens per Virginem, post transitum suum illam fecit virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit; et virginitas ampliata est potius, quam fugata. »

Item libro primo de *Veritate prædestinationis*, capite secundo idem Fulgentius, « Solius ejus mater, ait, sicut virgo fuit ante conceptum, sic virgo permansit inviolata post partum, etc. Dominus namque verus veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, ut integritatem virginitatis creator humanæ carnis Dominus in conditione tribueret, et idem carnis humanæ susceptor Dominus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni, de qua nasceretur, auferret. »

Hilarius Arelatensis (ut quidam existimant : nam sub Eusebii Emisseni titulo editus est) sermone secundo *de Nativitate Domini :* « Non ergo usquequaque miremur, ait, si is, qui fidei semine acquiritur, salva materni pudoris fide inviolabiliter procreatur. Itaque ad Evangelium recurramus. Miraculum illud, quod Evangelista protulit

1 Gaudent. tom. II *Bibl. Patr.* — 2 *Joann.* III, 4. — 3 Lib. X, cap. VII. — 4 In append. Tom. X Aug.

tempore resurrectionis, digne mihi usurpem tempore nativitatis, cum Joanne dicendo, *Venit Jesus januis clausis* [1]. Ecce jam nunc januis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minime resignato. Simulque illud impletur propheticum Ezechielis [2], Et *porta erat clausa; et non est aperta, quia Dominus transivit per eam.* Eadem nunc potentia mundi istius januam per partum inviolatæ matris intravit, qua postmodum ad discipulos clausis foribus penetravit. » Et paulo post; « Salvatorem depravati sæculi atque corrupti, sine ulla pudoris corruptione progeneras. Nec enim decebat, ut qui ad hoc venerat, ut violata in integrum restitueret, aliquid de materna integritate violaret. »

XI. Eucherius in fragmento homiliæ cujusdam de symbolo [3], quod inscribitur *de B. Virginis Conceptione*, « Nihil ex matre violare poterat natus, qui etiam violatam naturam venerat reparare nascendo. Conceptus ergo est de Spiritu sancto. Vides quia concipientis dignitas, parientis integritas est : honorem matris, quem non abstulit dum concipitur, non aufert dum nascitur. Pudorem feminæ genitus non solvit filius, quem ignoratus non violavit maritus. Non ergo contra fidem tuam venias; nec dicas quomodo hoc fieri potuit; qui te credere in omnipotentem prima confessione testatus es. In operibus Dei sollicito quamlibet homini magis admiratio se potest offerre, quam ratio. »

Ad hoc accedit Gennadius libro de *Ecclesiasticis dogmatibus,* capite LXIX. « Integra, inquit, fide credendum est, beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. »

Sic Hormisda Papa epistola LXXIX *ad Justinum Imperatorem* [4], plane ita se rem confirmat habuisse, « ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, et nasceretur ex tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine. »

Cœlius Sedulius libro secundo *operis Paschalis*, capite III. « Infans, ait, parvus, maximus, membris scilicet exiguus, deitate præcelsus, per hospitalis templi sinceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens, qui non læserat cum venisset[a]. »

Pelagius primus *in Confessione fidei* epistolæ XVI, ad Childebertum regem subjecta, « Christum, ait, natum esse servata integritate maternæ virginitatis : quia sic cum virgo permanens genuit quemadmodum virgo concepit. » Item Isidorus Hispalensis libro *de vita, et morte Sanctorum*, capite LXVIII. « Virgo ante partum, ait, virgo in partu, et virgo post partum. » Vide et librum ejusdem *de Nativitate, et Passione Domini*, capite XI, ubi claustra virginea, hoc est « genitalia illius, quæ partus aperiunt, clausa mansisse dicit. »

Extant Hildephonsi Toletani de hoc argumento tractatus editi complures : imprimisque liber *de virginitate sanctæ Mariæ;* ubi latissime probat in ipso partu mansisse virginem. Tum sermones de ejusdem parturitione : quorum in secundo confutat eos, qui asserunt, « virginitatem non aliunde, quam ex coitu corrumpi posse, neque corruptam vocari debere Mariam, licet juxta legem pepererit omnium feminarum. »

Sic Beda in parvo quodam sermone [5], qui inscriptus dest *de Nativitate* : « Benignitas Domini nostri apparuit, inquit, cum mundum per assumptam humanitatem redimere venit : quod factum est ad similitudinem roris, vel pluviæ : quia sicut lana recipit rorem, vel pluviam, et emittit sine corruptione sui ; ita et virgo Maria recepit Christum in se, et emisit, integritate virginitatis servata. »

Lupus Servatus in libro *de tribus quæstionibus*, « Hic virgine satus, virgine natus, ut absque delicto conceptus et ortus, sic absque ullæ offensæ macula conversatus. »

Anselmus item in libro *de Sacramento altaris,* capite tertio, hoc ipsum. « quod de humanitate ejus per resurrectionem glorificata sæcularis philosophiæ ratiocinationibus videtur insusceptibile, ut clausis januis ad discipulos intraret mortalis, inquit, exercuit, dum de thalamo uteri virginalis ad currendam viam dispensationis humanæ clausis naturæ januis processit. »

XII. Bernardus præterea sermone XXXIII *in Cantica,* « Et virgo Deum, inquit, in utero de Spiritu sancto concepit, et peperit virgo. » Quæ Bernardi locutio non solum in scriptis plurimorum ex antiquis; sed etiam in ore

1 *Joann*, XX. — 2 *Ezech.* XLII. — 3 Tom. II *Bibl. Patr.* — 4 Hormisda tom. III concil. — 5 Beda. tom. VIII.

Christianorum omnium assidue resonat, estque publicis in precibus, et canticis ab Ecclesia probatis perfrequens; dum B. Mariam prædicant ante partum, et in partu, et post partum, virginem fuisse. Cujusmodi verbis indicatur illud, esse aliquas in partu virginitatis amissæ notas; et quoddam in non nuptis et virginibus integritatis signum: quod in sanctissima Dei matre non modo libido, sed nec emissus ex virginali matrice fetus interruperit, ac dissolverit. Siquidem per incorrupta et obsignata, ut ante conceptum fuerant, sacrosancti uteri claustra divina vis liberandis ab exitio mortalibus sacratum pignus excussit.

Petrus Damiani in opusculo XXXVI *de Dei omnipotentia,* capite decimo, ubi de hac quæstione agit, utrum Deus corruptam virginem in integrum possit restituere, posse ex eo probat, quod in partu virginitatem conservare potuit. « Et certe mirabilius est, inquit, et valde præcellentius, virginem incorruptam manere post partum, quam corruptam ad virginale decus redire post lapsum: quia et majus est quemlibet clausis januis ingredi, quam eas, quæ patuerint, januas claudi. Si ergo natus ex Virgine Redemptor noster, quod majus est, et longe præstantius fecit, quod minus est, corruptam quamlibet redintegrare non poterit? Potuit Deus homo ex utero virginali salva virginitate procedere; non poterit violatæ virginitatis dispendium reparare. »

B. V. Nec in gestatione nec in partu dolorem passa.

XIII. Nec mediocris ad incorrupti uteri virginalis in Maria fidem accessio fit ex communi veterum sententia; quæ illam asserunt ex fetus divini gestatione nullam omnino sensisse gravitatem, ac molestiam: tum sine ullo dolore peperisse. Ad hæc nullam nec in conceptu, nec in partu colluviem, et immunditiam qualis parturientibus inesse solet, accidisse. De quibus pauca, quia notissima res est, testimonia proferam. Fulgentius in sermone quodam *de B. Virgine.* « Hoc splendore concipitur, inquit, Dei filius, hac munditia generatur. Nulla fieri gravedo potuit concipienti; nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristavit hospitium. »

Ita Petrus Chrysologus sermone CXLII *de Annuntiatione*, « Beata virgo, et vere beata Maria. inquit, quæ præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tantam germinis pervenit ad gloriam. »

Hilarius item Arelatensis in sermone *de Nativitate*, quem supra citavimus [1]. « Parum tamen tibi cum cæteris, ait, commune matribus est. Medicum enim dolorum nostrorum sine dolore paris. » Et tamen ille idem Hilarius in eo loco B. Virginem in originalem incurrisse maculam affirmat, ut antea notavimus.

Sic Joannes Damascenus sine partus dolore peperisse Dei matrem asserit. « Cujus enim voluptas nulla præcessit, neque dolor ullus est subsecutus: quemadmodum Propheta dicit [2]: *Antequam parturiret, peperit: antequam tempus partus adveniret, effugit, et peperit masculum* [a]. » Addit vero sub finem capitis, dolores illos, quos in partu Dei genitrix evasit, quo tempore filius cjus passus est, cum fenore compensasse: quando ex Simeonis prædicto, viscera illius præacuto gladio transfixa sunt; quod et Bernardus in sermone quodam *de B. Virgine* pulchre describit: cujus sermonis argumentum est locus ille *Apocalypsis* capite XII. *Signum magnum apparuit in cælo.* Quo etiam in sermone, idem hoc, quod posui, luculenter asseverat, nullum eam in parturiendo tædium, aut in partu dolorem sensisse. « Jure etiam illud, inquit, molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in ipso suæ conceptionis initio quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elizabeth ministraret. Sed et ascendit Bethleem, imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum; portans onus leve; portans a quo portabatur. Sic et in partu quam lucidum est. quod nova exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres a communi maledicto, et dolore parturientium aliena? » Ac denique omnia illa brevi sententia complexus. « Sola, inquit, sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. »

a DAMASC. lib. IV, cap. XV. Ὅτι δὲ ἀνωδίνως, ὑπὲρ θεσμὸν γεννήσεως. ἧς γὰρ ἡ ἡδονὴ οὐ προηγήσατο, οὐδὲ ὠδὶν ἐπηκολούθησε, κατὰ τὸν Προφήτην τὸν λέγοντα· πρὶν ὠδίνησεν ἔτεκε· καὶ πάλιν, πρὶν ἐλθεῖν τὸν καιρὸν τῶν ὠδίνων, ἐξέφυγε, καὶ ἔτεκεν ἄρσεν.

1 § 10. — 2 *Isa*, LXVI, 7.

Postremo Joannes Damascenus Christi corpus in utero formatum esse dicit, « ex castis et impollutis ipsius carnibus, et sanguinibus [a]. » Ex quo factum esse liquet, ut nullis sordibus, quales parientibus accidere solent, divinum illud Virginis puerperium inquinatum fuerit.

Summa catholici dogmatis

XIV. Colligamus modo summam catholici dogmatis, ex tot antiquorum testimoniis confectam, atque subductam : quæ eo demum redigenda est, ut Christum in partu sanctissimæ Virginis, clauso utero prodiisse dicamus, quemadmodum clausis e sepulcro repagulis exiit, et clausis foribus ad suos discipulos ingressus est ; de quo plura libro decimo, capite sexto disseruimus. Ac cum de signaculo, sive claustro virginali non liquido constet eruditis medicis, utrum sit aliquod ejusmodi, aut insit omnibus ; uti capite superiori docui ; illud tamen ex Patrum omnium decreto pro certo tenendum est quod et catholica universa profitetur Ecclesia, beatissimum Virginem hoc quidquid est, quo ab maritatis discerni virgines possunt, illibatum in partu, integrumque retinuisse *. Et ne sub ambiguis medicorum judiciis de claustro virginali vacillet, ac titubet tam constans et unanimis Græcorum Latinorumque consensus Patrum ; de eximio, et ab communi lege secreto Virginis partu prorsus non alia nobis ratio relinquitur, nisi illa quam ab eorum plerisque diserte memoratam adduximus ; ut pro comperto habeamus, Christum Dominum per uteri septa illæsa, et irrupta penetrasse : de quo rursus in capite sequenti disputabitur.

CAPUT VII.

1. *Excursus in Ludovici* τοῦ ἀποθέου *ministri Batavi Animadversiones super virginali integritate B. Mariæ. Ubi multa illius inepte dicta notantur.* 2. *Historia Protevangelii, et id genus aliæ fabulosæ.* 3. *Josephum sanctæ Virginis sponsum virginem fuisse.* 4. *Defenditur ratio illa a Patribus allata, cur B. Maria nupserit, ut ne diabolo sacramentum illud innotesceret.* 5. *Concupiscentiam ex Calvini, et Lutheri sententia peccatum esse.* 6. *B. Virginem nullos in partu dolores expertam.* 8. *Nec ejus uterum in conceptu, vel partu reseratum esse contra* τὸν ἀπόθεον *ostenditur.*

Impium Ministrum.

I. Constanti pios inter omnes, et orthodoxos de incorrupta parientis virginitate Mariæ dogmati soli obstrepunt catholicæ communionis inimici : contra quos validissime decertarunt præter antiquos illos Ecclesiæ magistros, quorum in superioribus capitibus testimoniis usi sumus, recentiores plerique tum de schola theologi ; tum qui ex professo controversas quæstiones explicarunt. Itaque non est necesse nobis adversus eosdem hostes tot nostrorum præliis lacessitos et profligatos rursus in certamen venire.

Unum tamen præterire hoc loco nequeo, qui novissime de hoc argumento commentatus est, acerbum sane scriptorem ac virulentum : in quem forte, dum hæc elucubramus, incidimus ; de quo, hæc paucis, catholice lector, accipe.

Occasio hujus capitis scribendi.

Editus est ante annos decem, hoc est undequadragesimo sæculi hujus anno, Lugduni Batavorum liber quidam Persica et Latina lingua *de Historia Christi*, *Patris Hieronymi Xavier Societatis Jesu* nomine inscriptus, cu-

a Damasc. lib. IV, cap. xv. Ἐκ τῶν ἁγνῶν, καὶ ἀμολύντων αὐτῆς σαρκῶν τε, καὶ αἱμάτων. Idem habet et lib. III, cap. ii.

* Hinc ix sæculo inter Ratramnum Corbeiensem monachum, et Paschasium Radbertum magna orta contentio est, quam Mabillonius describit *Præfat. in sæc.* iv. cap. iii Nimirum Ratramnus Christum contendebat per naturæ januam per solemnem parturitionis viam *ex utero sacratissimæ Virginis prodiisse*, vulvamque ejus aperuisse ita tamen non ut clausam corrumperet, sed ut eam suæ nativitati ostium aperiret : non quo violaret integritatem uteri, sed quo ventris palatium vacuaret, ut ipse ait in libello de *Nativitate Christi.* Fatebatur tamen Ratramnus, Virginem perstitisse Deiparam in partu, et post partum. Quod tamen Radbertus ita ab adversario dici animadvertit, ut idipsum, quod confitetur, evertat. Paschasius consentientem sibi habuit Hincmarum Remensem tom. I, adserens B. Virginem clauso utero peperisse. F. A. Z.

jus interpres, editorque fuit *Ludovicus de Dieu, Lugduno Batavæ ecclesiæ minister*, ut de se ipse profitetur : qui et Animadversiones ad eum librum addidit ; quarum institutum est duplex : alterum, Christianam et catholicam de beatæ et immaculatæ Virginis cultu, et patrocinio labefactare sententiam : nec non ejusdem integritatem in pariendo Christo pro ludicra, fictaque traducere ; alterum, societatem Jesu maledictis, et calumniis respergere : quæ trita est usitata nænia, quam imperitæ plebis auriculis in concionibus suis natio ista solet ingerere.

Hujus hominis petulantiæ, pro ea quæ nunc incidit opportunitate, obiter intercedere decrevi ; ne impune tantam hanc obtrectandi licentiam habeat ; neu se beatum ac fortunatum putet, tanquam.

Vindemians solitaria nemine præsente.

Τρυγῶν ἐρήμας, μὴ παρόντος οὐδενός.

Erit porro bifariam hic dividendus labor, pro duplici, quod supra diximus illius instituto; ac quæ ad sanctissimæ cultum Virginis spectant, quam impurum os, ac mendaciloquum εἰδωλομανίαν appellat, aliquanto post reddemus, cum de isto ipso Virginis honore disputabimus ; alterum nunc caput exequemur, quod proprium est integritatis illius, de qua egimus hucusque : sed universe prius de toto opere illo præfabimur. Nam multa tum ἀκρισίας tum *inscitiæ*, tum etiam κακοηθείας, in edendo illo libro ac refutando impressa vestigia notantur.

Idolomaniam. *Perversæ indolis.*

II. Ac primum illud non gravate fateor, Christi hanc historiam, quam Persice scriptus liber iste continet, multa complecti ex apocriphis historiis fabulosa, et inepta; quæ a multis jamdudum catholicis scriptoribus explosa sunt, et obelo jugulata. Quæ quidem adeo enixe, ac studiose refellere, ut Ludovicus iste ἀπόθεος fecit, ingenii est exilis ac jejuni; et in mustaceo laureolam quærentis. Est enim, credo, magni laboris, aut acuminis critici, *lusco dicere lusce*. Quid igitur attinebat tanto conatu, ac molimine niti contra nugas istas : præsertim quas sciret ab aliis multis, quorum et ipse citavit aliquos, profligatas esse penitus et eversas? Sed nimirum hic ille est nigræ succus loliginis, hæc κακοήθεια, quæ ad hanc inutilem, et supervacaneam pugnam calamum digitis hominis induxit, Jesuitæ titulum præ se iste ferebat liber talibus refertus fabulis. Bella visa est occasio Ministro allatrandi totius Jesuitici ordinis; ut pro unius culpa quidquid uspiam istius est nominis plecteretur.

Impius. *Perversitas*

Sed judicium hominis in opere illo publicando videamus. Schedas manu cujusdam exaratas nactus iste sub Hieronymi Xaverii Societatis Jesu nomine in lucem edidit. Primum qui probari potest, vere ab eo conscriptum illud quidquid est libri fuisse ? Quid si id neget aliquis? quid si commentum hoc esse dicat vafri cujusdam nebulonis, et illius Societatis inimici? Vides profecto, lector, quam sit hæc non absurda suspicio. Sic enim sese res habet. Qui sunt illi, ab quibus schedæ istæ descriptæ, et ex Oriente ultimo in Europam asportatæ sunt ? Batavi. Quis eas in scriniis suis conservavit ? homo Batavus. Quis Latine veritt? Batavus. Quis in publicum edidit ? Batavus. Dubitamus quin egregie prospectum sit, ne quid doli mali, ac fraudis subesse putaretur ? Nam ut viri boni isti fuerint, minimeque mendaces, a quibus scriptum illud est allatum : certe Batavi erant : certe ab Romana et catholica communione distracti. Batavus item et Minister fuit ille, qui typis edidit. Postremo societatis istius omnes inimici, quibus contra eos, quos pessime oderunt, testimonium dicentibus, ne juratis quidem adhibere fidem oportet. Quocirca manifesta et ἀκρισία obtrectatoris illius, qui ista non animadvertit.

Judicii carentia.

Eadem labes est judicii, quod ad confutandum illud scriptum, non aliis fere auctoribus nititur, quam Baronii annalibus, Barradio, Toleto, et similibus pontificiis, ut eos vocat : quos scilicet in concionibus suis elucubrandis familiares habet.

III. Verum sepositis his reliqua videamus. Commentarii illius auctorem arguit [1], quod *Josephum* asserat *nunquam mulierem attigisse*. Scimus veteres aliquos aliter opinatos esse, qui Josephum viduum aiunt fuisse, quando B. Mariæ copulatus est. Verum multo est probabilius, virginem virgini nupsisse, ac perpetuam ambos integritatem servasse. Cui sententiæ suffragatur Hieronymus contra Helvidium scribens, et in commentariis *in Matthæum*. Quid tu autem Xaverio succenses et pro magno piaculo imputas, quod Hieronymi sententiam sit secutus? Sane opinio illa de viduitate Josephi, et liberis ab eo susceptis ex apocrypha illa historia manavit,

Josephus virgo virgini nupsit.

1. Animadvers.

quæ *de natali B. Mariæ*, ac reliqua ejus vita perscripta est *in Protevangelio* Jacobi *, et in stramentitia quadam epistola, quæ inter rejicula Hieronymi legitur ex Hebræo Matthæi [1], ut planus ille mentitur. Quid porro est ineptius, quam conviciari, et audaciam exprobrare scriptori illius operis, quod Josephum non decrepitum senem fuisse velit, ut Epiphanius existimavit : sed ætate florentem, et quadraginta circiter annos natum ? Numquid causæ est, cur octogesimo anno potius illum putemus Mariam in conjugem ascivisse, quam quadragesimo ? quæ ætas nuptiis est apta : illa vero capularis senis cum puella copulatio non solum ambobus indecora fuit : sed etiam fini huic adversa, cujus gratia nuptiis est illigata Virgo ; quæ propterea nupsisse potissimum traditur communi omnium consensu, ut ne de adulterio filium peperisse videretur. Atqui stupri haud absurdam suspicionem faceret extrema viri senectus, et operi nuptiali minus idonea : quam e contrario valida ætas, ad conjugium utilis amoveret. Denique cum Epiphanii tota illa de nuptiis Mariæ virginis historia, ad quam ὁ ἀπόθεος Xaverium provocat, ex *deliramentis apocryphorum*, ut loquitur Hieronymus, pendeat, cur nos talibus auscultare potius, quam quæ magis consentanea, et veri sunt similiora delectet ?

Nupsit Virgo ut partus ejus celaretur diabolo: Quæ ratio defenditur.

IV. Jam illud extra controversiam nimis contentiosi et rixæ cupidi est ingenii, imo etiam imperiti, quod Xaverium ideo castigat, quia causam illam attulit, ob quam B. Maria nuptui tradita est ; *ut hoc sacramentum diabolo celaretur*. Atqui celebris, et recepta sanctorum Patrum ac theologorum usu ratio est ista, quam ex sancto Ignatio attulit Hieronymus. Inter genuinas Ignatii epistolas una est *ad Ephesios :* in qua illud reperitur. « Latuit, inquit, principem sæculi hujus virginitas Mariæ, et partus ejus [a]. » Quem locum citat Origenes homilia sexta *in Lucam :* « Unde eleganter, inquit, in cujusdam martyris epistola scriptum reperi ; Ignatium dico episcopum Antiochiæ post Petrum secundum : qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias : Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ : latuit propter Joseph : latuit propter nuptias : latuit quia habere virum putabatur. »

Eamdem Basilius approbat in oratione *de Natali Domini;* cujus verba hic referam : « Est et alia ratio, quam veterum quidam usurpavit, inquit, quod ut principem hujus sæculi lateret Mariæ virginitas, excogitata est Josephi desponsatio. Nam velut hæsitandi ratio improba illi est objecta, desponsationis species in Virgine : cum quidem ille jampridem virgines observaret, ex quo dicentem Prophetam audierat : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Deceptus est igitur per desponsationem virginitatis insidiator [b]. » Hæc sunt quæ Hieronymus Xaverius in historiam Christi transtulit ; et quæ ὁ ἀπόθεος censor irridet, sane ridendus ipsemet ; qui ut diabolum sublevaret, ac tarditatis et stuporis illum infamia liberaret, eam in sanctos Patres transtulit, dum eos tanquam ridiculos et *bardos, ac stupidos* traducit, quibus insulsissima illa ratio probatur ; quasi non potuerit ita facere Deus, ut id dæmones non animadverterent, cujus alioqui per sese notitiam assequi possent : quod vere sanctus Thomas ex Augustino colligit [2], ac passim theologi docent, et nos id alio in loco declaravimus [3]. Hanc eamdem causam Bernardus quoque refert homilia secunda in Evangelium *Missus est.* Impius M.

Illud quoque frustra vellicat ὁ ἀπόθεος, quod in *Historia Christi* proditum est a Xaverio. « Virginem obstupuisse non quod Angelum vidisset, audivissetque, sæpe enim eos videre contigerat : sed quod tanta cum demissione ipsam compellasset. » Hic vero quid isti merito displicere possit, non video. An non consentaneum est, tam excellentem Virginem, et ad tantum dignitatis fastigium divinitus destinatam, ut eo altius non posset ascendere, crebris Angelorum alloquiis di- Cur turbata virgo.

a Ignat. epist. iii. Καὶ ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας, καὶ ὁ τοκετὸς αὐτῆς.

b Basil. Εἴρηται δὲ τῶν παλαιῶν τινι καὶ ἕτερος λόγος, ὅτι ὑπὲρ τοῦ λαθεῖν τὸν ἀρχόντα τοῦ αἰῶνος τούτου τὴν παρθενίαν τῆς Μαρίας, ἡ τοῦ Ἰωσὴφ ἐπενοήθη μνηστεία. οἱονεὶ γὰρ μετεωρισμὸς τῷ πονηρῷ τὸ σχῆμα τῆς μνηστείας περὶ τὴν παρθένον ἐπενοήθη πάλαι ἐπιτηροῦντι τὰς παρθένους, ἀφ᾽ οὗ ἤκουσε τοῦ προφήτου λέγοντος· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν. ἀπεβουκολήθη οὖν διὰ τῆς μνηστείας ὁ ἐπίβουλος τῆς παρθενίας.

* Tom. I Codicis apocryphi N. T. a Fabricio editi, uti adnotasse me supra memini. Z.

1 Tom. IV Hier. — 2 L. Thom. III part. qu. xxxi art. 1 ad 3. — 3 Lib. I *de Aug.* cap. viii, § 13.

gnatam fuisse? quod et veterum aliqui scripserunt: adeo ut causam stuporis, et turbationis, quæ ad Angeli salutationem ei est oborta, non subitum illius aspectum fuisse statuant: sed novum et inusitatum salutandi genus, quo tam honorifice appellari se, ac prædicari præter morem audiebat, et vero ut erat humilis, gravate ferebat.

V. Putide vero, et indecore censor jocatur in Xaverium, qui feria sexta, id est die Veneris, tria hæc accidisse scripserat: natalem B. Virginis, et Joannis Baptistæ, ac præsentationem in templo Virginis ejusdem. Et *Placet*, inquit, *ipsi vehementer Venus*. Satis verniliter, et inepte,

Verum quis magis Veneris est amans, quam ejus defensor ac laudator; et illis succensens, ab quibus depretiari illam existimat? Fecit hoc ὁ ἀπόθεος. Nam cum Xaverius de beata id Virgine memorasset, quod nemo non antiquorum docuit, nemo nisi impius, ac profanus neget; nihil ipsam in partu doloris expertam fuisse, uti nihil in conceptu voluptatis admisisset. « Non cognovit, inquit, tempus pariendi, sicut reliquæ feminæ per præsentiam dolorum: quæ pœna oblectationis congressus et coitus est; » adversus hæc, inquam, homo rixosus ita contendit. « Hic tamen non est prætereundum, quod oblectationem, quam ex congressu cum marito mulier percipit, simpliciter peccatum esse statuat; cujus pœna sunt sequentis partus dolores. »

Impius.

Atqui in hac ipsa reprehensione Xaverii haud mediocris inscitiæ notam impressam reliquit. Ignoravit enim, quod turpe est, aliorum doctor, et pastor, quid in sua religione profiteretur. Nempe hoc illius, opinor, sectæ, cujus se ministrum dicit, decretum est et fidei dogma; concupiscentiam, etiam in renatis, verum, et proprie dictum esse peccatum. Ita diserte Joannes Calvinus tradit in tertio libro *Institutionum*: ubi et Augustinum peccatum non esse fatentem redarguit. « Nos autem, ait [1], illud ipsum pro peccato habemus quod aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur: imo ipsam pravitatem, quæ ejusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum: quia in illorum carne residet illa concupiscendi pravitas, quæ cum rectitudine pugnat. » Et sequenti sectione, « Omnes, inquit, hominum cupiditates malas esse docemus, et peccati reas peragimus: non quatenus sunt naturales, sed quia inordinatæ. Inordinatas autem esse, quia ex natura corrupta, et polluta nihil puri, nec sinceri prodire potest. »

Concupiscentia ex Calvini dogmate peccatum est.

VI. Eadem Lutheri fuit opinio: quam Philippus Melancthon, in *Corpore Doctrinæ Christianæ*, ita complectitur. « Ac disputant concupiscentiam pœnam esse, non peccatum. Lutherus defendit peccatum esse. Supra dictum est, Augustinum definire peccatum originis, quod sit concupiscentia. Expostulent cum Augustino, si quid habet incommodi hæc sententia. » Cur igitur Xaverio tanquam piacularem hunc, et Scripturæ contrarium exprobrat errorem, in quem tuendum, ac propugnandum sacramentum cum suis partiariis, et comministris dixit? Sed nimirum ea vis est conscientiæ, ut eam oblitterare, ac funditus delere nulla quamlibet firma voluntate suscepta, et ascita pravitatis opinio possit. Oblitus ergo, cum ista scriberet, cujus esset sectæ, quamque personam ageret; et soli *animæ testimonio* relictus; itidem ut de gentilibus singulari opere Tertullianus docet; veram falsidico calamo sententiam extudit.

Eadem Lutheri opinio.

Non sic tamen auctor *historiæ Christi*, utpote catholicus, existimavit, quod ὁ ἀπόθεος ex sectæ suæ præscripto sentire debuit, dolores illos in partu mulierum, et ὅπερ τίκτουσαν ἔχει βέλος ὀξὺ γυναῖκα, sic esse pœnam voluptatis illius, quasi peccati cujusdam ex sese, ac nisi aliud incurrat: ut in sacrilegis desertorum nuptiis accidit, qui e cœnobiis, aut quolibet votis implicatæ vitæ statu ad hæreticorum castra transeunt. Sed pœnam universe vocat consequens aliquid, et justo Dei judicio constitutum ad puniendam concupiscentiam, ac reliquias illas originalis culpæ; cujus, etiam detersa macula, nihilominus pœnas luunt Adami posteri. Certe absque concupiscentia illa esset, in qua actu, non reatu manere peccatum originale in renatis ait Augustinus, nullam traducem fore peccati illius, adeoque nec pœnam, ejusdem est Augustini sententia: de qua alias dicetur. Merito itaque dici hoc sensu potest, dolores illos et cruciatus pœnas esse concupiscentiæ illius, sine qua nuptiarum opus non exercetur.

Impius.

Quod parientem habet dolor acutus mulierem.

VII. Verum tolerabilia sunt ista præut est ἀλογίας totius caput, cujus gratia excursionem hanc potissimum fecimus; quod nimirum ad uteri virginalis integritatem attinet. In quam oppugnandam labes omnes ingenii, commu-

Rationis expers.

1 Calv. lib. III *Instit.*. cap. II, n. 10.

nisque sensus ac judicii, et impietatis effudit, quas in animadversionibus ipsius illustribus insignes notis eminere supra docui.

B. V. nullum in partu dolorem passa.

Scripsit auctor *Vitæ Christi*, quem Hieronymum Xaverium *Antidicomarianita* nuncupat, « Virginem nullum in hoc partu dolorem sensisse; sed multum gaudii, et refocillationis. Et sicut absque dispendio, virginitatis in uterum matris intravit, sic summa cum integritate ejus, non adaperta via exivit; sicut radius solis ex orbe transit, absque ut eum frangat. Voluit enim Filius hic Dominice nasci, et matri suæ, quæ propter se multa esset passura, id gaudii, et honoris dare, ut ab omnibus feminis distincta, et virgo esset, et mater. Mansit enim et in partu, et ante, et post partum virgo. » Hæc cujusmodi sint scriptoris, verissima sunt, et a pio, et catholico quovis approbanda. At Minister ὁ ἀπόθεος indigne illa fert : et primum ; « Quid sibi illa volunt, inquit, absque dispendio virginitatis in uterum matris intravit? Aliunde ne ergo Christus, sicut radii solares per vitri soliditatem sine ulla vitri læsione, sic per integræ Virginis claustra in uterum transiit? an in castra Anabaptistarum noster transiit; qui semen aliquod cœleste in uterum Virginis delatum volunt, unde natura ejus humana sit formata? Non transiit in uterum, qui ex solius Virginis semine, ac sanguine intra uterum contento in utero est conceptus. »

Atqui stulte peregrinatur in re perfacili : et otiose tricatur, dum quærit, quomodo Christus intrasse dicitur in uterum. Hoc vero nihil obscuritatis, vel dubitationis habet, si quis antiquos Patres observaverit, qui sæpe illud usurpant; et alludunt ad illam portam Ezechielis capite quadragesimo quarto, per quam Dominus ingressus est, et quæ clausa mansit.

Vide loca illa sanctorum Patrum superiori descripta capite, velut Ambrosii, Hieronymi, et aliorum, ex quibus intelliges, uterum beatæ Virginis cum illa porta conferri, per quam solus ingreditur, et egreditur Dominus; qui similiter in uterum Mariæ solus intravit, et ex utero egressus est. Ita Theodoretus in illum locum Ezechielis : « Consentaneum est nobis, inquit, per hæc significari virginalem uterum, per quem neque quisquam ingressus est, neque egressus, nisi solus ipse Dominus [a]. » Intrare ergo Christus in uterum, et exire dicitur; non eo modo, quo hæretici illi, qui carnem illius aliunde importatam esse dixerunt : sed duplici sensu. Aut enim personam eamdem intelligunt utriusque naturæ; quæ, qua Verbum est, sic in uterum Virginis ingredi dicitur, quomodo caro fieri : idque κατὰ συγκατάβασιν usurpatur : ut eum Deum descendere, aut venire in Scriptura legitur. Qua ratione Petrus Chrysologus sermone CXLI deprehendi posse negat, « quomodo Deus penetrale clausæ carnis intraverit. » Et Gregorius secundus papa in epistola prima *ad Leonem Isauricum de sacris imaginibus*, præfixa synodo septimæ [1], ait « intrasse in uterum S. Mariæ virginis Dei filium ante sæcula genitum. » Aut secundum carnem intrasse Christus in uterum dicitur, *absque dispendio virginitatis*, quia non extrinsecus infusus advenit, nec intrando, genitale claustrum aperuit, ut in aliis natura fert : sed ex puris virginei sanguinis particulis in uterum collatis, divini spiritus efficientia, purissimus ille fetus ibidem formatus est. Vide auctorem *Expositionis fidei* inter opera Justini.

Nec ejus uterus in conceptu vel in partu reseratus.

Secundum dispensationem.

IX. Sed vide impudentem hominis temeritatem « Temerarius est, inquit, qui matricem Virginis in partu adapertam neget, neque in virginitatem ejus ullatenus sit injurius, qui id statuat. » Quis tantam imperiti Ministelli vanitatem et confidentiam, ut de impietate taceam modo, non rideat? En homuncio iste *temeritatis* accusat illud, quod antiqui omnes Patres uno ore profitentur : nec tantum velut probabiliter, aut etiam certissime dictum asserunt; sed ut catholicæ fidei decreto ratum atque fixum. Nam quod de muliebribus ἐμμήνοις objicit, quæ claustrum illud reserant; mea non est hujus argumenti confutatio; sed medicorum eruditissimorum, quorum supra memini; qui negant menstruis illis profluviis sigillum virginitatis aperiri; congressu virili ac partu asserunt. Sed de hac quæstione satis multa capite quinto, et sexto; unde ea potissimum notanda sunt, quæ de Patrum super ea re dictis, ac sententiis attuli; et quemadmodum, præter Origenem, ac Tertullianum, ambos Ecclesiæ judicio rejectos, nec veritatis Christianæ satis idoneos auctores, reliqui omnes communem et catholicum ad sensum facile revocentur.

Menstruis.

a Theodoretus. Εἰκὸς δὲ διὰ τούτων ἡμῖν αἰνίττεσθαι καὶ τὴν παρθενικὴν μήτραν, δι' ἧς οὔτε εἰσελήλυθε ἢ μόνος αὐτὸς ὁ δεσπότης.

1 Greg. tom. V concil.

CAPUT VIII.

1. *Hæreticorum calumnia super cultu B. Virginis.* 2. *De ejus dignitate, et excellentia deinceps agitur : et hujus excellentiæ stirps et origo proponitur, quod sit Dei genitrix.* 3. *Patrum de hac re testimonia, et præconia aliquot afferuntur,* 6. *Theologorum sententia de excellenti a Deo transfusa in illam gratia.* 7. *Quæ Patrum auctoritate comprobatur.* 9. *Moderationem in prædicanda Dei Matre adhibendam esse, deque ea re Joannis Gersonii regulæ quædam expositæ.*

Calumniæ hæreticorum super cultu B. V.

I. Amor erga sanctissimam Dei Matrem, ac Virginem meus ; necnon falsa, et impia in cultores ejusdem Catholicos hæreticorum calumnia, paululum immorari nos hortantur in illius ornanda, et vindicanda dignitate. Quam mihi voluntatem suapte incitatam sponte firmiorem fecit Leidensis illius ministri, quem capite antecedente perstrinximus, effrenata maledicentia ; qui aculeatis, et mordacibus dictis, quibus animadversiones respersit suas, id efficere studuit, ut cultum illum, honoremque contemptim traduceret, quo B. Virginem rite, ac legitime Christiana omnis veneratur ecclesia. Testes sunt Satanici hujus consilii voces istæ, quas in Catholicos conjicit ; dum *Virginicolas* et εἰδωλομανεῖς. hoc est *amore idolorum insanientes* eos appellat. Testes item sententiæ pleræque, quibus invocationem ejusdem sanctissimæ Dei genitricis, ejusque προστασίαν ; et μεσιτείαν, hoc est *advocationem*, et *interventionem* infamare studet, tritam illam in suorum conventiculis næniam occinens ; nullam istiusmodi rerum in verbo Dei mentionem exstare, et alia ejusdem generis, quæ triviales illius sectæ declamatores ad nauseam, et fastidium usque in pulpitis oggerunt ; docti et elegantes, pro ludicris habent, et anilibus fabulis.

Quocirca paululum, ut dixi, collocandum in eo operæ statui, ut ex iis, quæ ab antiquis de hoc argumento prodita monimentis in promptu haberem, pauca quædam referrem : et ea maxime, ex quibus invidiam facere nobis adversarii solent, tanquam immodicos illi, ac divinos honores habeamus. Cujus criminationis caput est, quod eam patronam, et advocatam adhibemus : quod ad illam supplices adimus : quod sequestrem et mediatricem eamdem allegamus ad Deum, et alia ejusdemmodi. Sed his intempestivum non arbitror, dicta quædam illorum, ac velut elogia prævertere ; quibus Virginis sanctissimæ dignitatem, ac virtutum omnium, divinæque gratiæ immensam in illa copiam exquisito præconio commendarunt.

II. Qua in re minime illud verendum est, ne a proposito operi huic argumento aberrasse videamur, quod in ipsius Verbi hominis facti contemplatione versatur. Non enim aliena est a filii dignitate matris commendatio ; et, quod verissime dictum est a Bernardo[1] ; « Non est dubium, quidquid in laudibus matris profertur, ad filium pertinere ; et rursum cum filium honoramus, a gloria matris non recedimus. » Quod si « honor ille, qui imagini tribuitur, ad prototypum transit[a], » ut Basilius ait ; quanto propius ad honorem filii, matris honor pertinere putandus est ?

Omnis B. V. dignitas e maternitate divina emanat.

Certe quidquid est in B. Maria laude et prædicatione dignum ; quodcumque gratiæ, ac gloriæ inest decus et ornamentum, totum id illa maternitati suæ refert acceptum. Ab hoc enim, ceu fonte et origine cuncta fluxerunt, quæ in ea mirifica et stupenda congessit divina largitas, quæ nusquam alias se copiosius, atque uberius effudit.

Quo ex capite vicissim ad illius meriti pretium æstimandum fit immensa quædam accessio. Siquidem christianæ primum fidei regula certissime tenendum illud præscribit. Mariam veram proprieque dictam, et naturalem fuisse Dei matrem, qua est homo factus ; id quod accurate, copioseque est expositum et probatum in libro quarto capitibus aliquot[2] : in quibus vim illius nominis Θεοτόκου proprietatemque declaravimus. Cujus quidem adeo stupenda est, et reipsa infinita majestas, ut merito Basilius Seleuciensis hoc de ea scriptum reliquerit : « Quemadmodum intelligere Deum, ut eloqui non est facile, imo prorsus impossibile : sic ingens Dei genitricis mysterium *Deiparæ.*

a Basil. apud Damasc. lib. IV, cap. xvii. Ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ εἰς τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

1 Bernard. hom. iv de Evang. *Missus est.* — 2 Lib. IV a cap. xiv.

intelligentiam omnem excedit, ac linguam[a].» Atqui tantum illud, et tam incredibile nominis decus, cui quidquid infra Deum est, amplitudine ac dignatione cedit, meruisse virtute sua, et sanctitate B. Virgo creditur; non eo quidem meriti genere, quod summo jure nititur, et *condignum* vocatur : sed proximo ab illo; quod congruum sit, et consentaneum divinæ bonitati aliquo præmio pensari; uti theologorum de schola vertex S. Thomas Aquinas explicat[1].

Quo illud etiam referri debet, quod in secundo libro hujus operis adnotavimus[2], ex veterum quorumdam sententia, hanc ipsam differendæ in longum Incarnationis causam fuisse, quod Deus expectare tamdiu decrevisset, dum inter feminas exstaret aliqua; quæ par tantæ dignitati, et idonea magnitudine sanctitatis suæ, et integritatis haberetur.

Cui consonat illud Augustini in sermone decimo *de Natali Christi;* « Talis, inquit, eligitur virgo de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei filium in semetipsam susciperet, et post partum omnimodo virgo permaneret. »

Patrum præconia in laudem B. V.

III. Hoc veluti fundamento superstructa nituntur ampla illa et magnifica præconia, quibus sanctissimæ Virginis gloriam christiana illustravit antiquitas. Ut cum supra creatas res omnes eminere illam, et excellere statuunt, eo ipso, quod Deum genuit. Chrysippus Hierosolymitanus presbyter *cœlestem illam reginam* vocat[b]. Joannes Damascenus, *dominam et omnium creaturarum dominatricem*[c]. Idipsum diserto testimonio prædicat Theodorus Hierosolymitanus patriarcha in epistola synodica; quam septima synodus approbavit ubi Nestorium hæreticum notat, qui vocabulum θεοτόκου respuens, et pro eo χριστοτόκον substituens, hoc eam appellari voluit,

Deiparæ. Christiparam.

« quæ revera Dei mater est, et tam ante, quam post partum virgo permansit; atque omni tam intelligibili, quam sensibili natura facta est gloria, et splendore præstantior[d]. » Cui affine istud est Ambrosii[3]: «Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit?» Et auctor homiliæ de *Natali Domini*, quæ sub nomine Chrysostomi tomo septimo ejus est edita, asserit; « uno excepto Deo, omnibus illam antecellere[e]. »

Germanus item episcopus Constantinopolitanus patriarcha in epistola *ad Joannem Episcopum Synadensem*, quæ in septima synodo est probata : « Nam et ipsam proprie, vereque matrem veri Dei colimus, et magnificamus, et universa visibili et invisibili creatura superiorem arbitramur[f]; » ubi eadem usurpavit verba, quæ in Theodori Hierosolymitani synodica paulo ante citata leguntur.

Ita Basilius Seleuciensis oratione *de Evangelismo B. Virginis*, quem antea citavimus, illam ipsam Dei genitricem[4], corporis expertibus spiritibus antecellere testatur, quorum ordines omnes supergressa sit; adeoque creatas res universas. Tum de ejus supra sanctos omnes martyres evecta dignitate : « Quænam, inquit, offeremus munera, quæ sint ea digna, qua minime digna sunt quæcumque mundus habet? Nam si de aliis sanctis Paulus dixit : *Quibus dignus non erat mundus :* quid de Dei genitrice dicemus, quæ tanto splendidius martyribus coruscat, quanto sol stellas omnes fulgore vincit[g]? »

Gregorius Papa libro primo *Expositionis in librum primum Regum*, sanctissimæ Dei matris, ac Virginis meritum et dignitatem eminente in gradu, ac longe sanctos reliquos superante constituit : *montem* illum *Ephraim* allegorice ad illam accommodans. « Potest autem, ait[5], hujus montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ crea-

a Basilius orat. xxxiii *in Sanctam Deiparam.* Ὥς γὰρ οὐκ ἔστιν εὔκολον, νοεῖν τε, καὶ φράζειν Θεόν· μᾶλλον δὲ καθάπαξ ἀδύνατον· οὕτως τὸ μέγα τῆς θεοτόκου μυστήριον καὶ διανοίας, καὶ γλώττης ἐστὶν ἀνώτερον.

b Chrysip. tomo XII *Bibl. PP.* Εἰ βασιλίδα γὰρ μεταστήσῃ οὐράνιον.

c Damasc. lib. IV, cap. xv. Κυρία καὶ πάντων κτισμάτων δεσπόζουσα.

d Act. iii, syn. vii, tom. V conc. Τὴν ὄντως θεομήτορα, καὶ πρὸ τοῦ τόκου, καὶ μετὰ τόκον παρθένον, καὶ πάσης νοητῆς τε, καὶ αἰσθητῆς ὑπερτέραν δόξῃ τε καὶ λαμπρότητι δεδημιουργημένην φύσεως.

e Tom. VII Chrys. hom. xliv, vers. 20. Ὅτι χωρὶς θεοῦ μόνου, πάντων ἀνωτέρα ὑπάρχεις.

f Germ. in syn. vii, act. iv. Καὶ γὰρ ὡς κυρίως, καὶ ἀληθῶς μητέρα θεοῦ τοῦ ἀληθινοῦ σέβομεν αὐτὴν, καὶ μεγαλύνομεν καὶ πάσης ὁρατῆς, καὶ ἀοράτου κτίσεως ὑπερτέραν λογιζόμεθα.

g Basil. Seleuc. Ποία ταύτης ἄξια δῶρα προσενέγκωμεν, ἧς ἐστὶν ἀνάξια τὰ τοῦ κόσμου ἅπαντα. Εἰ γὰρ περὶ τῶν ἄλλων ἁγίων ὁ Παυλός φησι· ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος. τί ἂν εἴποιμεν περὶ τῆς θεοτόκου, ἣ τοσοῦτον ὑπερεκλάμπει τοὺς μάρτυρας, ὅσον καὶ τοὺς ἀστέρας ὑπεραυγάζει ὁ ἥλιος;

1 S. Thom. III par. qu. a. art. 11 ad 2. — 2 Cap. xvii, § 6. — 3 Ambr. II *de Virg.* — 4 Basil. Orat. xxxiii. — 5 Greg. tom. I.

turæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit ? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos refulsit. »

IV. In *Collectaneis* Anastasii Bibliothecarii de exilio S. Martini Papæ, exstat hujus de B. Virgine professio illis consentanea, quæ dixi. « Quisquis, inquit[1], beatam super omnem creaturam, et naturam humanam, absque eo, qui genitus est ex ea, venerabilem, semperque virginem, matrem scilicet Domini nostri non honorat, atque adorat, anathema sit. »

Hildephonsus Toletanus episcopus immensam ejusdem Virginis, et omnes creaturas exuperantem gloriam his verbis describit : « Quia etsi impartit, inquit[2], præmia justus judex Christus Dominus, secundum Apostolum, juxta opera sua, huic tamen sacratissimæ Virgini genitrici suæ, sicut incomparabile est quod gessit, et ineffabile donum, quod percepit, ita et inæstimabile, atque incomprehensibile præmium, et gloria : non dico inter cæteras sacras virgines, verumetiam ultra omnes sanctos, quam promeruit. Pervenit namque ad cœli palatium beata, et gloriosa, ubi Christus sponsus Ecclesiæ intra thalamum collocavit eam in dextera majestatis. » Et quibusdam interjectis ; « Unde liquido constat, ait, quia thronus beatissimæ Virginis paratus ante mundi constitutionem, hodie celsior glorificatur, et invenitur etiam ab Angelis. » Et sermone primo *de eadem Assumptione*, « Qui matrem, inquit, secum in throno regni collocavit, et in immortalitatis gloriam eam transposuit, ac super choros angelorum supersolemniter evexit. » Quin idem vel tempore illo, quo eam Gabriel archangelus salutavit, longe meritis omnibus excelluisse mortalibus affirmat. « Alioquin, ait, nisi esset, non tantum ultra mulieres, verum etiam meritis ultra homines, tantus Archangelus non tantam exhiberet salutationis gratiam ; nec tales tantasque inferret laudes. Quod si adhuc in carne mortali, et jam completis mysterii sacramentis, Archangelus Dei exhibuit reverentiam, et attulit laudis præconia, quid putatis, charissimi, hodie in cœlo quantas deferunt laudes, etc. »

V. Multa de præstanti illius, et eximia dignitate istis nixa radicibus certatim prædicant antiqui Patres : e quibus nonnulla in specimen exhibebo.

Hesychius Hierosolymitanus presbyter in oratione *de Laudibus Mariæ*, hanc esse dicit, quam Propheta significavit his verbis, *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*[3]. « Nam si tu es margarita, merito illa est arca, et quia sol tu es, Virginem necesse est cœlum nominari, (ait Hesychius). Quoniam flos es immarcescibilis, ideo Virgo incorruptionis est planta, immortalitatis paradisus, » etc. Ac mox ; « Ecce, inquit, Virgo ; quænam ? E mulieribus electa : inter virgines eximia : præclarum naturæ nostræ decus ; luti nostri ornamentum insigne : quæ Evam pudore ; Adamum minis liberavit : quæ draconis audaciam abscidit : quam concupiscentiæ fumus non attigit : neque vermis voluptatis læsit[a]. »

Egregiis itidem laudibus simili in oratione Germanus eam Constantinopolitanus affecit ; et inter alia vocat illam, « primitias nostræ reformationis : finem promissionum nobis a Deo factarum, et prædictionum ; ac prænuntiatum divinæ gloriæ sacrarium : gentium bene expectatam salutem[b]. » Andreas quoque Hierosolymitanus « terram virginitatis illius a Deo cœlum esse factam[c] » ait.

a Hesych. tom. XII *Bibl.* Εἰ γὰρ σὺ μαργαρίτης, εἰκότως ἐκείνη, κιϐωτός. ἐπειδὴ σὺ τυγχάνεις ἥλιος, οὐρανὸς ἀναγκαίως ἡ παρθένος κληθήσεται. ἐπειδὴ σὺ ἄνθος τυγχάνεις ἀμάραντον, ἄρα ἡ παρθένος ἀφθαρσίας φυτὸν, ἀθανασίας παράδεισος, etc.

Mox. Ἰδοῦ ἡ παρθένος, ποία; ἡ τῶν γυναικῶν ἔκκριτος. ἡ τῶν παρθένων ἐξαίρετος· τὸ σεμνὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐγκαλλώπισμα. τὸ τοῦ πηλοῦ ἡμετέρου καύχημα· ἡ τῆς αἰσχύνης τὴν Εὔαν, καὶ τῆς ἀπειλῆς τὸν Ἀδὰμ ἀπαλλάξασα· ἡ τὴν παῤῥησίαν ἀποτεμοῦσα τοῦ δράκοντος· ἧς καπνὸς ἐπιθυμίας οὐχ ἥψατο, οὐδὲ σκώληξ αὐτὴν ἡδυπαθείας ἔϐλαψεν.

b German. ibid. Χαίροις ἡ ἀπαρχὴ τῆς ἡμῶν ἀναπλάσεως. τό που πέρας τῆς τῶν πρὸς ἡμᾶς νοῦ θεοῦ ἐπαγγελιῶν, καὶ προῤῥήσεων καὶ προκεκηρυγμένον τῆς θείας δόξης ἁγιαστήριον· ἡ εὐπροσδόκητος τῶν ἐθνῶν σωτηρία. Vide cætera.

c Andreas eodem. Ἡ μόνη ἀνάνδρως ... οφορήσασα τὸν τοὺς οὐρανοὺς ἐκτανύσαντα, καὶ τὴν γ... ν τῆς παρθενίας σου ξενοπρεπῶς οὐρανώσαντα.

1 *Collect.* Anast. — 2 Hildeph. serm. II *de Assumpt.* tom. IX *Bibl.* — 3 *Psalm.* CXXXII, 8.

« Centrum eam, et negotium sæculorum, Bernardus appellat[1], in quam intenti sunt omnes. » Idiota vero[2] « opus speciale Dei. » « Magnum deitatis templum[3] » Petrus Chrysologus.

Denique Joannes Gersonius, gravis[4], et eruditus theologus in sermone *de Annuntiatione;* ex eo quod mater Dei facta sit, «Habet, inquit, veluti auctoritatem, et naturale dominium ad totius mundi dominum, et a fortiori ad omne id, quod huic subjectum est domino : ita quod in nomine suo omnia flectantur in cœlo, et in terra, et in inferno, et miracula ostenduntur. »

Virtutum infinita opulentia in B. V. ex theologorum sententia.

VI. Jam gratiæ illius, ac virtutum infinitam opulentiam exquisitis præconiis exornarunt iidem veteres, eo potissimum argumento freti, quod esse primarium, ac solidissimum fundamentum dixi omnium, quæ ad ejus commendationem oratione declarari, vel cogitatione concipi quam amplissima, et magnificentissima possunt; quod mater Dei facta sit : quo uno titulo omnia continentur. Hujus porro vim rationis, ac pondus non oratorio more, sed ad theologicam normam limato et subtili judicio expendens S. Thomas, ita disputat : consuevisse Deum[5], si quos ad functionem aliquam, et officium elegit ac destinat, eos idoneis ad id bene gerendum præsidiis instructos reddere; quemadmodum Apostolus de novi Testamenti ministris in posteriore *ad Corinthios* epistola testatur : *Qui idoneos*, inquit[6], *nos fecit ministros novi Testamenti.* » Cum igitur B. Maria ad amplissimam eam dignitatem, ac munus omnium quæ cogitari possunt, præstantissimum a Deo comparata sit, ut Dei filium, et ipsum Deum gigneret hominem factum; necesse fuit, talibus eam gratiæ ac sanctitatis ornamentis præditam et excultam esse, quibus tam excellenti administrandæ functioni par effici posset. Itaque nullas omnino culpæ sordes[7], neque peccati originalis reliquias hæsisse putat in anima illius atque sensibus, postquam ab eo purgata est, infusa sanctitate. (Non enim peccato ipso caruisse cum primum est concepta, putavit S. Thomas.) Quare vestigium illud originalis noxæ, quod etiam post baptismum in iis, qui renati sunt, adhuc remanet, concupiscentiæ ardorem, inquam, et fomitem, ut vocant, aut nullum superfuisse penitus, aut ita fuisse compressum existimat, nihil ut ex eo inhalatum sit, quod summam illius integritatem sanctitatemque decoloraret. Quod perinde Magistro sententiarum[8], et qui ad eum commentaria scripserunt, scholasticis theologis placuit. Quin etiam omnem in Maria *plenitudinem gratiarum omnium fuisse* censet[9]: ac longe uberiorem, quam in sanctis omnibus, quo scilicet ad ipsum gratiæ fontem; et principium propius accessit, Christum, qui gratiæ totius a Deo producendæ, *instrumentalis*, ut vocant, *causa* fuit. «Pura enim sanctitas, ut Anselmus ait[10], et sanctissima puritas piissimi rectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis benignissime fieret. » Et auctor homiliæ XLIV quæ est in septimo tomo Chrysostomi, *infinitam* Mariæ *gratiam* appellat [a].

Quæ Patrum auctoritate comprobatur.

VII. Ac ne forsitan istorum, ut et cæterorum, qui innumerabiles adduci poterant, tamquam minus antiquorum, testium levior sit auctoritas apud morosos illos, quibus odio sunt, et fastidio nimis subtiles theologi, aliquot e Græcis, Latinisque proferam ætate superioribus; qui eamdem, vel largiorem etiam, quam isti, abundantiam gratiæ beatissimæ Dei genitrici tribuerunt. Petrus imprimis Ravennas, cognomine Chrysologus oratione CXLII. « Invenisti, ait, gratiam. Quantam? quantam superius dixerat : Plenam, et vere plenam; quæ largo imbre totam funderet, et infunderet creaturam. » Et serm. CXLIII : « singulis, ait, se gratia est largita per partes. Mariæ vero simul se totam dedit gratiæ plenitudo. »

Proclus Constantinopolitanus episcopus, qui non longe post Joannem Chrysostomum floruit, in oratione sexta, Mariam vocat *adytum et sacrarium impeccantiæ* [b].

Gregorius item Thaumaturgus, sive quis alius auctor in oratione *in Annuntiationem;* « Arcam illam nominat intus et extra deauratam, quæ totum thesaurum sanctificationis accepit [c]. »

Multa quoque præclara, et honorificentis-

a Tom. V Chrys. Ἡ χάρις ἡ ἀπέραντος τῆς ἁγίας παρθένου.

b Procl. Αὕτη τὸ ἄδυτον τῆς ἀναμαρτησίας ἱερόν.

c Gregor. Thaumat. Κιβωτὸς γὰρ ἀληθῶς ἡ ἁγία παρθένος, ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν κεχρυσωμένη ἡ ὅλον τὸν θησαυρὸν δεξαμένη τοῦ ἁγιάσματος.

1 Serm. II *de Pent.* — 2 Tom. IV *Bibl.* — 3 Chrysol. serm. CXLIV. — 4 Gerson. tom. IV. — 5 S. Thom. qu. XXVII, art. 4. — 6 II *Cor.* III.—7 S. Th. ib. a. 3 et 4.—8 Mag. in IV dist. III.—9 S. Th. II, III part. qu. XXVII, a. 5.—10 Ans. *de excel. B. Mar.* c. IX.

sima de B. Virginis sanctitate ac gratia S. Ephræm in illa oratione tradidit, quæ est *de margarita pretiosa;* ubi inter alia; « Fides naturam, inquit, adduxit, et hanc excipiens gratia non amplius esse corruptibilem passa est, » etc, Non dico immortalem illam fuisse; sed quod ab appetitu seducta, eversaque non fuerit : cumque gratiæ efficacia illustrata esset, rubiginem, quam natura habebat, adhærentem ferro gratia mundavit, et illustravit, conservavitque, » Dixerat autem paulo ante : « Christus recondita naturæ lustrat, purgatque. Ideo virgine prius purificata, sic natus est, ut ostenderet, ubi Christus est, ibi omnem puritatem agere. Mundavit eam in sancto præparans Spiritu; et sic ipsum virgo suo concepit utero purificata. »

VIII. Égregie vero Hildephonsus Toletanus in sermone primo de *Assumptione B. Mariæ*[1], exuberantem ejus gratiam, et copiosam Spiritus sancti communicationem brevi, sed exquisita sententia ita complexus est : « Unde quæso vos, o filii, imitamini signaculum fidei vestræ beatam Mariam; quam velut ignis ferrum, spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, et ignivit : ita ut in ea Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei. » Et sermone tertio de eadem Assumptione : « Ideo, inquit, apud Dominum quanta pensanda sint ejus merita, vel cogitanda præmia, puto quod nemo est, qui ad purum edisserat, nisi qui potest vere perpendere qualis, vel quanta sit ista gratia, qua repletur ipsa, per quam venit in mundum Dei majestas. »

Sic Bernardus in B. Virginis prædicationem torrentis instar effusus, illius sanctitatem, virtutem, ac per totum vitæ spatium exaggerata in immensum merita passim, copioseque describit, Cujus istud insigne est elogium in sermone IV *de Assumptione;* in quo stirpem etiam et causam explicat tam excellentis gratiæ, ac virtutis. « Quæ jam poterit, inquit, lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus virginem matrem, matrem autem non cujuscumque, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa; duplex miraculum : sed digne prorsus amplissimeque conveniens. Neque enim filius alius virginem; nec Deum decuit partus alter. Verumtamen non hoc tantum, si diligenter attendas; sed cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, et habitaculum filii Dei? » Ac sermonis ejusdem initio illud observat, « solam hominis naturam supra immortales spiritus exaltari in Virgine. » Tum horum spirituum colloquium tantæ virtutis et gratiæ magnitudinem inter se mirantium eleganti pictura orationis exprimit. Atque hoc inclitæ Virginis decus, ornatusque virtutum et gratiarum, in Dei ac filii redundat honorem et gloriam, quod hæc omnia ideo in illam collata, congestaque sunt, quod Dei genitrix ut esset electa, tantæ dignitati par, et idonea, quoad humanus captus ferre poterat, effici debuerit. Quod quidem auctor sermonum *ad fratres in eremo* non infeliciter hac sententia concepit[2]: « Propterea Maria mater electa est, et super omnes creaturas præelecta, omnibus gratiis fecundata, omni virtute, et sanctitate in utero repleta, ut de mundissima matre mundissimus filius nasceretur. »

Quod si quis singillatim virtutes omnes, quibus insigniter ornata, cumulataque Virgo sanctissima fuit, nosse cupiat, habet unde illas repetat, Ambrosium in libro secundo *de Virginibus* sub initium, ubi plerasque percenset, ac velut exemplar omnibus ex illis confectum, et absolutum proponit in beata Dei genitrice : « De qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi (ait virgines alloquens) ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt, etc. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? » Quem Ambrosii locum descripsit Augustinus in libro quarto *de Doctrina Christiana*, capite XXI, et in exemplum temperati, ornatique in dicendo generis attulit. Imitatus est autem Hildephonsus in sermone tertio *de Assumptione.* Multa præterea Bernardus de singulis illius virtutibus passim prædicat, præsertim in sermone *de B. Maria*[3].

IX. Illud vero ad extremum monere omnes audebo cultores ac laudatores Virginis sanctæ, ut ne pietati, ac devotioni in illam suæ nimium indulgeant : et ut veris contenti solidisque præconiis, ficta et commentitia repudient; quorum vel nullus possit, vel non idoneus auctor afferri. Quod genus latentis,

In laudanda Virgine cautiones adhibendæ.

1 Hildeph. tom. VI *Bibl.* — 2 Serm. XX, tom. X August. — 3 Bernard. in serm. *Signum magnum*, etc.

et insitæ cordibus humanis, ut Augustinus ait, idololatriæ, multum abhorret ab theologiæ, hoc est cœlestis sapientiæ gravitate; quam nihil sentire, aut asseverare par est, nisi quod ad certam, et exquisitam regulam sit exactum [1]. Cujusmodi autem ea debet esse, et quam in hoc ipso, de quo agimus modo, tenere cautionem oportet, non a meipso præscribam; sed ex gravissimi, et eruditissimi theologi sensu Joannis Gersonii, qui in epistola quadam certos canones præponit [2], quas *veritates* nominat; ex quibus ea metienda sunt, quæ « de susceptione humanitatis Christi ab theologis asseruntur. Hinc illa depromam, quæ ad B. Virginem proprie pertinent. Ac primam eam referam ex omnibus, quam postremam hoc est quartam et vicesimam ille posuit; nec aliis, quam ipsius verbis explicabo. « Vicesima quarta veritas : inquit, Christus posuit terminos nostræ conquisitionis, ut non liceat de divinis alia, vel aliter asserere, quam quæ ex divinis Scripturis habentur, vel evidenter concluduntur : vel ab Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, credenda traduntur. »

Regulæ quædam a Gersone propositæ.

Cæterum ut ea, quæ de B. Virgine particulatim affirmat, regulæ isti consentanea, breviter exponam : imprimis asserit [1], peccati originalis expertem fuisse : cujus contrahendi necessitatem habuit ex congressu viri ac mulieris, « nisi gratia supernaturalis prævenisset casum in hoc originalis culpæ præcipitium. » Itaque *debitum*, ut vocant, incurrendi peccati illius habuisse sanctissimam Dei genitricem, merito Gersonius existimat frugi, ac prudens theologus. « Duodecima veritas, ait idem, Christus contulit matri suæ ab initio, et consequenter illas, et tantas gratias, quas, et quantas cognovit esse convenientes secundum ordinem suæ sapientiæ; et in hac veritatis soliditate debet esse contentus quilibet Christianus, quantumcumque sit devotus. »

Rursus *in veritate* XV præscribit sic : « Christus potuit dare multas gratias humanitati suæ, et dilectissimæ matri pure gratis; quas tamen actualiter, et de facto non contulit. Et oppositum asserere, est falsum et temerarium, immo hæreticale. » Hujusmodi gratiam ait esse *omnimodam impassibilitatem*.

X. Ad hæc *in veritate* XVI addit istud : Si gratias illas, quas dare potuit humanitati, vel matri suæ, reipsa dedisset, utique decens hoc futurum fuisse, quod tamen decens non fuit secundum ordinem sapientiæ suæ. Ex quo falsam esse concludit hanc ratiocinationem, qua plures ait uti consuevisse : « Christus potuit, et potest multa facere : Et hoc decet eum : Ergo fecit, aut faciet. » Id non esse consequens docet. Verum « esse fallaciam petitionis principii : quia videlicet præsupponit in minori propositione quod est æque ignotum, vel ignotius, quam principale. Ratio est, quia nihil decet Deum facere, nisi quod vult fieri, recte per oppositam consuetudinem ad res creatas : quæ ideo volunt agere, quia præsentatur eis aliquod objectum sub ratione boni, aut convenientis : et ideo agunt, quia videtur eis bonum; et non ideo illud est bonum, aut decens. Causa est; Non enim sunt regulæ primæ, sed regulatæ a prima bonitate. » Itaque nemo, præter Deum, scit « quid deceat ipsum extra se producere; quia solus scit quid vult agere, » ait idem; et hoc subinde pertexit : « Christus potuit communicare matri suæ in utero quod gloriosa, et consummata felicitate nasceretur; et hoc decuit ipsum facere; quia decuit eum matrem honorare. Ergo sic fecit. Constat quia conclusio hæreticalis est. Et tamen præmissæ communiter assumuntur a nonnullis in assertionibus suis confirmandis. »

Item *in veritate* XX sic statuit, « Christus non communicavit matri suæ statim dum concepta, vel nata est, usum perfectæ rationis; quamvis hoc potuisset, et si fecisset, decuisset. Et oppositum asserere scribendo, vel prædicando est penitus temerarium : sicut et quod nunquam somniaverit; aut quod in omni somno semper actu Deum contemplata fuerit hic in via. Quod autem ex Scripturis sanctis auctoritatem non habet, junge, nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. »

Sic *in veritate* XXI idem asserit, Christum potuisse sanctissimæ matri suæ plenam et liquidam omnium, quæ utrique erant eventura, notitiam tribuere : quod minime tamen fecisse docet Scriptura; quæ pleraque matrem latuisse testatur. Item, si, ut nonnullis visum est, acceleratæ rationis usum matri suæ Christus indulserit; ut de Joanne Baptista quidam existimant; non illud arbitratur fuisse perpetuum.

Denique *in veritate* XXIII, si quis requirat, cur hanc vel illam gratiam Matri suæ largitus sit Dominus, non alias omnes; nihil ei re-

1 August. ep. CXXII. — 2 Gers. par. I. — 3 Gers. ibid. *verit* X. tom. I.

spondendum esse putat, nisi hoc unum : « *Quis es, o homo, ut investiges sensum Domini? quis es, ut consiliarus ejus fias? quis es ut præsumas dicere, cur ita facis?* Ponat ergo humana loquacitas digitum ori suo, et terminis suis contenta sit. »

XI. Vere aurea sunt hæc Gersonii præcepta, quibus immoderatam in prædicandis B. Virginis laudibus licentiam temperat ; et intra modum sobriæ, ac robustæ pietatis coercet. Ex iis autem apparet, frivolum et nugatorium esse genus hoc argumentationis, quo plerique solent uti, ut inusitatum beatæ Virgini quodlibet gratiæ genus affingant. Sic enim disputant : Quidquid ad honestandam matrem suam Dei filius conferre potuit; id illum reipsa præstare decuit; sive hoc modo : Quidquid decoris, et ornamenti in sanctos reliquos idem ille Dei filius profudit, totum hoc in Mariam congessit : ex quo id quod volunt concludendo nectunt; quod sane genus argumentandi, tanquam captiosum et sophisticum, Gersonius contemnit.

Non esse damnanda quæ ex pia meditatione ad narrationes Scripturæ pie adtexuntur.

Hoc loco tamen animadvertendum est; non esse damnandas pias quasdam cogitationes, ac meditationes animi, quæ ad fidei mysteria, et sacras historias, Scripturæque narrationes prudenter adtexuntur, ex usu et consuetudine humana : dum ea quæ in similium rerum gestione plerumque dici, aut cogitari, aut etiam fieri videmus; eadem in historiis illis, et mysteriis dicta, cogitata, transactaque esse, conjectura quadam fingimus, haud inepta, et absurda, sed rei gestæ consentanea. Cujusmodi permulta leguntur, tractanturque, non sine fructu a sanctissimis, et eruditissimis viris memoriæ prodita, Anselmo, Bernardo, Bonaventura, et similibus; quæ stulte, otioseque ludibrio habent hæretici, velut ideo cum Scriptura pugnantia, quia in Scriptura minime continentur. In quo importunus, et futilis est Leidensis ille minister, quem supra confutavimus : qui nonnunquam ea in historia vitæ Christi, quam admordere, ac traducere instituit, pro impiis detestandisque configit, quæ nihil aliud sunt, nisi pia quædam cogitata, quæ ad Evangelicam illustrandam historiam partim ab veteribus, partim ab recentioribus tractatoribus citra noxam, labemque fidei sunt adjuncta. Quod rhetorici apparatus et artificii genus, cum in profanis oratoribus velut ad promovendos animos aptum et utile laudetur, cur in sacris displiceat, cum ad fidelium mentes ibidem erudiendas, vel excitandas pertineat; profecto non video. Nec istis potius odiosis et imperitis vitilitigatoribus auscultandum arbitror esse, quam viro gravi, et castigatissimo theologo, cujus auctoritate uti cœpi, Joanne Gersonio : cujus de ea re sententiam velut clausulam apponam huic capiti. Postquam igitur *in veritate* XXIV regulam illam proposuit, quam primo loco descripsimus, statim ista subjungit : « Cæterum de opinione temeraria, vel probabili, vel de credulitate pia latius potest dici, prout alibi notavimus : et hoc unum placet repetere hic, quid sit pium credere, aut quæ propositiones de pietate fidei sunt censendæ. Omnes illæ scilicet, quæ nec evidenter sequuntur ex contentis in sacra Scriptura : nec etiam evidenter repugnant, et ædificant caritatem, vel devotionem pii cordis temerarie nihil asserentis. Tales sunt narrationes sanctorum Patrum ; tales devotæ recogitationes circa totum Evangelii decursum erga Christum, et matrem suam, consideranda multa non explicita, quemadmodum fieri potuerunt : vel quid egerint Jesus, et Joseph, et Maria ab initio usque ad mortem Joseph, » etc.

CAPUT IX.

Mariam humani generis apud Deum Mediatricem esse. 1 *Et primo de mediatoris proprietate alibi dicta perstringantur.* 2. *Officium ei nomini subjectum impleri ab illa demonstratur, deque eo locus insignis Irenæi.* 3. *Qui et illustratur. Tum Epiphanii, aliorumque Græcorum Patrum, loca.* 10. *Deinde Latinorum.*

De interiori B. Virginis ornatu, ac dignitate, satis est dictum. Sequitur externus, qui in ejusdem cultu, ac veneratione situs est, quem humanum illi præsertim genus prolixe, ac comulate deferre solet. Cujus cum illecebra nulla sit alia potentior, quam ejus benefica vis, ac tum ad opitulandum parata; tum innumeris experimentis cognita, explorataque benignitas ; ob quam *misericordiæ matrem*; et *miserorum afflictorumque spem, ac solatium*, tota illam catholica prædicat et fatetur Ecclesia : propterea nos ab hac ipsa Virginis, ut Græci nominant, προστασία, hoc est *tutela et patrocinio*, dispu-

tandi faciemus initium. Est autem hoc officii genus idem plane cum μεσιτεία, quæ est *mediatricis* propria; quo vocabulo passim eam Christiana per totum orbem terrarum ora compellant. Ac de proprietate nominis istius, et huic subjecta notione; deque *Mediatoris* effectione latissime disseruimus in duodecimo libro; qui est de Christo, singulari ac præcipuo mediatore scriptus, quæ hoc loco non est necesse repetere. Illud duntaxat ex eo sumam; *Mediatoris* proprium munus esse, medium inter dissidentes, ac sequestrem intervenire, et eos inter se conciliare, et ad pacem concordiamque revocare. Ad id porro duplex adhibendum est officium; unum quod in bene merendo, ac factis ipsis opitulando, commodandoque cernitur : alterum, quod in precibus, et orationibus consistit, quas pro susceptis in tutelam clientibus, patronus ad Deum mediatorque fundit, ut ejus arcessat opem, ac beneficentiam eliciat. Ex quo mutuus in clientibus amor in patronum, et fiducia nascitur : qua fit, ut et dubiis ac difficilibus in rebus ad illius præsidium receptum habeant; et eum supplicationibus ac votis ambiant; tum in eumdem vicissim gratum, ac benevolum animum quibus possunt obsequiis, et honore adeo cultuque testentur. Per has lineas consequens disputatio nostra ducetur : ac primo loco de meritis in nos sanctissimæ Virginis; tum de interpellatione dicemus, qua ut illa Deo pro nobis, si nos illi vicissim, tamquam apud Deum profuturæ supplicare consuevimus. Quibus expositis, reliquus erit sermo de religioso secundum Deum, primum filii ipsius Christi Domini, deinde Matris, ac deinceps sanctorum omnium cultu; quem generatim communi *adorationis* voce complectimur.

Mediatoris dotes.

II. Principio itaque plurima per Mariam in universum genus hominum profecta esse commoda, tam certo Christianis constat omnibus, quam certum est, et illam vere esse genitricem Dei, ac Christi, et per hunc omnia nobis vera, et sempiterna bona suppetere. Nam et arbori fructus imputari, tanquam principio, debet, soletque : et quidquid utilitatis affert fructus, id arbori acceptum refertur. Tum illud usu detritum est philosophorum in scholis effatum ; quod causæ alicujus est causa, id ejus etiam, quod ex illa ortum habet, esse causam. Quare uti Christus omnium nobis est origo bonorum; sic eorumdem radix et principium suo quodam modo, ac jure potest mater illius Virgo censeri. Quæ res cum nota per sese, ac perspicua sit, nec probatione, vel testibus admodum egeat, ex abundanti tamen nonnullis hoc loco testimoniis illustrabitur; non qualiumcumque, sed antiquorum graviumque scriptorum ; qui eadem fere, quæ Christo Domino, tanquam primario Mediatori excellenti ratione tribuuntur, in Mariam conferunt, velut secundariam, ac longe inferiorem nostræ salutis administram, hoc est mediatricem, et patronam.

Officium mediatricis a Maria impletum.

Insignis hac de re locus est apud Irenæum in libro quinto, capite decimo nono, ubi per Mariam, et ejus obedientiam, salutem ac redemptionem nos adeptos esse confirmat : quam et cum Eva prima hominum parente confert. « Quemadmodum enim, inquit, illa per Angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita et hæc per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum ; sic hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata ; ut quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem : æqua lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia devicta per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti. » Quem locum Irenæi descripsit Augustinus in primo *contra Julianum*, capite tertio, ab illis verbis ; *Quemadmodum adstrictum est*, etc. Quo major loci illius auctoritas esse debet ; quam summi duo viri σύν τε δύ' ἐρχομένω, geminato suffragio commendant.

Mariæ cum Eva comparatio.

Locus Irenæi insignis.

III. Sensit hujus testimonii vim Nicolaus Gallasius Genevensis minister in annotationibus *ad Irenæum*[1], et propterea solito intemperantius elatus, multa contra sanctissimum Irenæum, Patresque cæteros : multa contra catholicam Ecclesiam plena furoris et inscitiæ declamavit ; cujus male sane mentis impetus postea propulsabimus. Nunc illud commonemus, ex illis verbis, quæ sola Augustinus exscripsit, satis intelligi patronæ, opitulatricis, mediatricisque partes, tametsi minime principis ac primariæ ; quemadmodum mediator inter Deum et Israeliticum

Qui et illustratur.

1 Gallas ad lib. V *Iren.* cap. v.

populum jure Moses fuisse dicitur; etsi non alia, quam a Deo, per administrum Angelum communicata virtute, et auctoritate, interventoris munus illud obiverit: quod profecto longe plenius, et præstantius sanctissima Dei genitrix in illis ab Augustino citatis Irenæi verbis præstitisse traditur. Etenim vincula, quibus adstrictum erat morti genus humanum, solvere; obedientia sua capitalem primæ parentis inobedientiam discutere; serpentis astum, hoc est dæmonis artes, ac fallacias prudentia superare; quid aliud est, quam mediatricis, conciliatricisque cum Deo fungi munere, et amissam recuperare salutem? fecit hoc B. Maria, ut testatur Irenæus: Nec interest quod non sua, sed aliunde accepta hoc virtute fecerit; nisi quod, ut dixi, non primaria, sed secundaria, et infinitis partibus Christo filio suo unico, hoc est præcipuo mediatore inferior fuisse ex eo cognoscitur.

Cæterum quod in prioribus verbis omissis ab Augustino, Maria virgo virginis Evæ *advocata* esse facta dicitur; hoc sensu puto eam usurpari vocem, quo Græci παράκλητον vocant eum, qui succurrit, et præsto est alteri; veluti reo periclitanti adjutores adsunt amici, et fautores; quam etiam apud Latinos *advocati* esse significationem alibi observavimus. Atque hoc vocabulo non minus apte mediatoris officium exprimitur.

Rursus idem Irenæus alibi Evam et Mariam inter se componens, « Sicut Eva, inquit [1], inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria habens prædestinatum virum, tamen virgo obaudiens, et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis. » Et paulo post, « Sic autem et Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem. »

Epiphanii aliorumque sententiæ.

IV. Utrique huic Irenæi testimonio geminum est illud Epiphanii, in quo cum Eva beatam Virginem confert, eique luculenter ea tribuit, quæ sunt interventricis, et sospitatricis propria. « Hæc est, inquit, quam adumbravit Eva, quæ ut viventium mater figurate nominaretur accepit. Nam illa mater viventium appellata est, etiam posteaquam illud audiit, *Terra es, et in terram reverteris*, post prævaricationem[2]. Quod sane mirandum fuit, illam post peccatum magnum adeo cognomen adeptam fuisse. Ac si spectetur illud, quod subjectum est sensibus, a priore illa Eva totius est in terris humani generis origo deducta, Sic autem revera et ab Maria vita ipsamet in hunc mundum est invecta, ut viventem pariat, efficiaturque Maria viventium mater. Itaque per figuram Maria mater viventium dicitur [a]. » Et paucis interpositis: « Etenim Eva, inquit, causa mortis hominibus est facta. Nam per ipsam mors in mundum est ingressa. Maria vero causa vitæ facta est; per quam vita nobis est exorta. » Est igitur causa vitæ Maria: hoc enim πρόφασις Græce significat; ut est in *Glossario* veteri, et apud Hesychium. Vitam ergo conciliavit humano generi; ejusque causa fuit.

Idipsum et Patres alii ejusdemmodi contentione duarum inter se virginum docent, Evæ ac Mariæ. Complura sunt Augustini loca, ubi per hanc salutem esse redditam ait, quæ per illam amissa fuerat. Ut in sermone XIII *de Natali Domini*, « Sed quare Deus noster, inquit [3], nascendo per Virginem, nos sic voluit reformare ad vitam? Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per virginem redderetur. » Et in sermone XVII latius hoc explicans, quomodo per mulierem humanum genus in exitium præcipitatum, cum nullis aliis remediis vindicari potuisset, per Virginem restitutum fuerit: « Cum nemo succurreret, inquit, ad feminam causa revertitur; et origo per originem detruncatur: origo peccati per genitricem Christi: » Et subinde, « Ede, inquit, inculpabilis femina inviolabilem virum: ac sic et feminam salvabis et virum. Eva mater generis nostri pœnam intulit mundo: genitrix Domini nostri salutem et feminæ gessit, et viro. Auctrix peccati

a Epiphan. hær. LXXVIII, § 18. Αὕτη ἐστὶν ἡ παρὰ μὲν τῇ Εὔᾳ σημαινομένη, δι' αἰνίγματος λαβοῦσα τὸ καλεῖσθαι μήτηρ ζώντων. Ἐκεῖ μὲν γὰρ μήτηρ ζώντων κέκληται, καὶ μετὰ τὸ ἀκοῦσαι· γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, μετὰ τὴν παράβασιν. καὶ ἦν θαῦμα, ὅτι μετὰ τὴν παράβασιν ταύτην τὴν μεγάλην ἔσχεν ἐπωνυμίαν. καὶ κατὰ μὲν τὸ αἰσθητὸν, ἀπ' ἐκείνης τῆς Εὔας πᾶσα τῶν ἀνθρώπων ἡ γέννησις ἐπὶ γῆς γεγέννηται. ὧδε δὲ ἀληθῶς ἀπὸ Μαρίας αὐτὴ ἡ ζωὴ τῷ κόσμῳ γεγέννηται· ἵνα ζῶντα γεννήσῃ, καὶ γένηται ἡ Μαρία μήτηρ ζώντων· δι' αἰνίγματος οὖν ἡ Μαρία μήτηρ ζώντων κέκληται.

Mox: Ἡ μὲν γὰρ Εὔα πρόφασις γεγέννηται θανάτου τοῖς ἀνθρώποις. δι' αὐτῆς γὰρ εἰσῆλθεν ὁ θάνατος εἰς τὸν κόσμον. ἡ δὲ Μαρία πρόφασις ζωῆς, δι' ἧς ἐγεννήθη ἡμῖν ζωή.

1 Iren. lib. III, cap. XXIII. — 2 *Gen.* III, 10. — 3 Aug. tom. X.

maledicta; auxtrix meriti benedicta, etc. Illa occidendo obfuit; ista vivificando profuit. Percussit illa; at ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, et fides pro perfidia recompensatur.» Subjicit alia quamplurima ejusdem generis, quæ postea referam. Sed hoc interim admonebo, sermonem istum *de Natali* decimum septimum, etsi inter Augustini germanos a Lovaniensibus receptus sit, dubii mihi auctoris videri quantum e stylo conjectura capi potest. Est enim Augustiniani dissimilis, et plerumque nimis cothurnatus, et ampullatus, ac vocibus inusitatis refertus. Hujus vero sermonis complura reperiuntur in alio sermone, qui est XVIII *de sanctis*, et *de Annuntiatione* secundus, quem Lovanienses adnotant Fulgentio ab quibusdam tribui *.

Idem Augustinus in libro *de Symbolo ad Catechumenos*, capite quarto. « Iisdem gradibus, inquit, quibus perierat humana natura, a Jesu Christo Domino nostro reparata est. Adam superbus, humilis Christus : per feminam mors ; per feminam vita : per Evam interitus : per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem : hæc integra peperit salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit; ex quo simul mererentur occidi ; hæc gratia cœlesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. » Et in libro *de agone Christiano* capite XXII, de diabolo, « Cui parum fuerat ad pœnam, inquit, si ambæ naturæ (hoc est sexus) in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur.»

V. Petrus quoque Chrysologus in sermone CXL qui est *de Annuntiatione beatæ Virginis*, simili comparatione usus Evæ ac Mariæ, inter alia sic loquitur. « Facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quæ mater exstitit morientium per naturam. » Nempe idem sexus utrumque habuit; illud per Mariam, istud per Evam : quod in sermone LXIV his verbis exponit : « A muliere perfidiam fugat, ad mulierem evocat fidem : ut quæ fuit perditionis obsequium, salutis eadem sit ministra : et sit tandem per Deum viventium mater, quæ per diabolum diu mater exstitit mortuorum. Et quia mulier fuerat mali caput, causam mortis agit, ut ante crimen diluat, quam veniam largiatur. » Sed pergit Chrysologus, et quanta per mediatricem nostram bona nobis obvenerint, ita declarat. « Una, inquit, puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat.» Quæ vocabula tum bonorum per Mariam humano generi partorum; tum ejus quo comparata sunt modi ; cum *exactam* videlicet *pensionem*, et *mercedem*, et *commercium* nominat; illustribus notis conciliatricis, mediatricis, ac sequestræ munus in B. Virgine, officiumque designant. Quod in sermone CXLII præclare itidem demonstrat, cum illam salutantis Angeli verba : *Invenisti gratiam*, sic enarrat : « Quantam ? quantam superius dixerat ; Plenam. Et vere plenam, quæ largo imbre totam funderet, et infunderet creaturam. *Invenisti enim gratiam apud Deum*, Hæc cum dicit et ipse Angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam. » Et in sermone LXIV quem paulo ante citavimus : «Sine Maria, inquit, nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. »

Proclus item in oratione sexta filii Dei Virginem hortantis, ut Angelo assentiens mater esse sua vellet, colloquium describens, inter alia sic illum loquentem inducit : « Non vis inobedientiam mulieris rursus per obedientiam mulieris dissolvi [a] ? » Præterea in eadem oratione, « per Virginem ait dæmonum principatum direptum; et hominum captivitatem cito prædatione abductam fuisse [b]. » Denique sub finem orationis, in laudem B. Dei genitricis liberius exultans, variis illam titulis exornat, quorum pleraque vim illam conciliatricis, ac mediatricis propriam præ se ferunt.

a Procl. Οὐ θέλεις τὴν παρακοὴν τῆς γυναικὸς δι' ὑπακοῆς πάλιν λυθῆναι γυναικός;

b Idem. Δι' ἧς τῶν δαιμόνων ὀξέως ἡ δυναστεία ἐσκυλεύθη, καὶ τῶν ἀνθρώπων ταχέως ἡ αἰχμαλωσία προενεμήθη.

* De hoc sermone hæc notant editores Benedictini operum S. Augustini. Hic sermo « In appendice nunc primum collocatur. Lovaniensibus. dubius erat, spurius Verlino, et Vindingo; stylus Petavio, in lib. XIV *de incarnatione*, nimis cothurnatus videbatur. »

Nec melioris notæ est sermo XIII *de natali* D. quem supra citat auctor absque suspicione : de hoc enim habent iidem editores « In appendice nunc primum collocatur : Lovaniensibus dubius : spurius Verlino et Vindingo videbatur. Non sapit Augustinum : habet vero non nihil ex Ambrosio in Lucam, cap. XXIV J. B. F.

Ut cum « paradisum eam nominat floridum, et incorruptum : in quo arbor vitæ consita, omnibus, nullo prohibente, fructum immortalitatis suppeditat. Hæc est novæ creaturæ cœlestis orbis; in quo apparens perpetuo justitiæ sol omnem ab omni anima noctem peccatorum ejicit. Hæc virginum gloriatio, matrum exultatio, fidelium sustentatio, Ecclesiæ diadema, imago fidei orthodoxæ, pietatis signaculum[a]. »

VI. Hunc locum imitatus est Basilius Seleuciensis episcopus oratione *in Annuntiationem* : « Ave, inquit, gratia plena, incorrupte castitatis paradise, in quo arbor vitæ consita, vitæ fructus omnibus germinabit. Unde quatuor ora pandens Evangeliorum fons miserationum flumina credentibus scaturiet. Ave gratia plena, mediatrix Deo et hominibus : ut inimicitiæ maceria diruatur, et cœlestibus terrena jungantur[b]. » Hic μεσιτεύουσαν, id est *mediatricem inter Deum, et homines*, diserte Mariam nominat Basilius, ejusque conciliationis, vel, ut ita loquar, *mediationis* officium describit; quod est dissidia componere, et ambas partes studiis ac voluntatibus distractas inter se copulare : tum omne bonorum genus in homines effundere.

Sic auctor homiliæ *de Natali Domini*, quæ Chrysostomo inscribitur, B. Mariam vocat « mundi exulis reditum ; creaturæ fame confectæ inexhaustum horreum : escam intelligibilis hami[c]. » Eamdem dicit esse, quæ « dulci potu perennis fontis sitientes explet. » Ac demum hanc cum Eva comparat, et quid utraque modo contulerit explicat. « Ab illa mors, a te vita æterna : (ait Angelus) ab illa fructus mortificationis ; a te fructus vivificus : ab illa fraus ; a te caritas ; ab illa hominibus a Deo disjunctio ; a te Dei et carnis inexplicabilis conjunctio, etc. Ab illa mors totum orbem pervadens ; in te vero offendens illa concidet : ab illa ruina ; a te resurrectio[d]. » Hujusmodi sunt mediatricis effecta.

Alio item in sermone tomi ejusdem ; qui est XCVI *in Præcursorem*, sic Joannes Baptista Christo loquens inducitur : « Nonne tu per Mariam collapsam Evam resuscitasti[e]. »

VII. Eamdem Mariæ cum Eva comparationem describit Fulgentius, et illius μεσιτείαν simul indicat, in sermone quodam *de Natali Domini*, qui inter Augustinianos poni solebat, decimus quintus *de Tempore* « Facta est, ait, Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculi lumen : facta est Maria scala cœlestis ; quia per ipsam Deus descendit ad terras, etc. facta est Maria restauratio feminarum ; quia per ipsam a ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Evæ a tribus bonis Mariæ probantur exclusa, etc. Venite virgines ad virginem : venite concipientes ad concipientem : venite parturientes ad parturientem : venite matres ad matrem : venite lactantes ad lactantem : venite juvenculæ ad juvenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret : et sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium, nova Eva servando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam novus recuperat Dominus Jesus Christus. » Quæ non sic intelligenda sunt, tanquam Dominus Jesus non perinde feminis ac viris salutem attulerit. Sed quod uti ad hominum perniciem duo navarant operam : sic ad eorum instaurationem totidem concurrerent, dispari tamen, et inæquali modo, et efficientia. *Mediationem*

VIII. In eamdem mediatricis Mariæ delineationem conspirant elogia plurimorum Patrum ; qui panegyricis illam sermonibus

a Procl. Αὕτη ὁ εὐθαλὴς, καὶ ἄφθαρτος παράδεισος, ἐν ᾧ τὸ τῆς ζωῆς ξύλον φυτευθὲν πᾶσιν ἀκωλύτως χορηγεῖ τῆς ἀθανασίας τὸν καρπὸν. αὕτη τῆς καινῆς κτίσεως ἡ οὐράνιος σφαῖρα, ἐν ᾗ ὁ ἀειφανὴς τῆς δικαιοσύνης ἥλιος πᾶσαν ἀπὸ πάσης ἀπήλασε ψυχῆς τῶν ἁμαρτιῶν τὴν νύκτα, αὕτη τῶν παρθένων τὸ καύχημα, τῶν μητέρων τὸ ἀγαλλίαμα, τῆς ὀρθοδοξίας τὸ χάραγμα, τῆς εὐσεβείας τὸ σφράγισμα.

b Basil. Seleuc. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ ἀμάραντος τῆς ἁγνείας παράδεισος· ἐν ᾧ φυτευθὲν τὸ ξύλον τῆς ζωῆς βλαστήσει πᾶσι σωτηρίας καρπούς. ὅθεν ἡ τετράστομος τῶν Εὐαγγελίων πηγὴ βρύσει τοῖς πιστεύουσι ποταμοὺς οἰκτιρμῶν. Χαῖρε κεχαριτωμένη, μεσιτεύουσα Θεῷ, καὶ ἀνθρώποις· ἵνα τὸ μεσότοιχον ἀναιρεθῇ τῆς ἔχθρας, καὶ τοῖς ἐπουρανίοις ἑνωθῇ τὰ ἐπίγεια.

c Tom. VII, hom. XLIV. Ἡ τῆς φυγάδος οἰκουμένης ἐπάνοδος· τῆς λιμωττούσης κτίσεως ταμεῖων ἀδαπάνητον· τοῦ νοητοῦ ἀγκίστρου τὸ δέλεαρ· ἡ τὴν γλυκεῖαν πόσιν ἀενάου πηγῆς τοὺς διψῶντας ἐμπλήσασα.

d Ibid. Ἐξ ἐκείνης ὁ θάνατος, ἐκ δέ σου ζωὴ ἀθάνατος. ἐξ ἐκείνης καρπὸς νεκρώσεως, ἐκ δέ σου καρπὸς ζωοποιός. ἐξ ἐκείνης ἀπάτη, ἐκ δέ σου ἀγάπη. ἐξ ἐκείνης τοῖς ἀνθρώποις ὁ τοῦ θεοῦ χωρισμὸς, ἐκ δέ σου θεοῦ καὶ σαρκὸς συμπλοκὴ ἀνερμήνευτος, etc. Ἐξ ἐκείνης ὁ θάνατος τὸν κόσμον διατρέχων, εἰς σὲ δὲ προσκόψαν πεσεῖται. ἐξ ἐκείνης τὸ πτῶμα, ἐκ δέ σου ἡ ἀνάστασις.

e Tom. VII Chrys. vers. 16. Οὐ διὰ τῆς Μαρίας τὴν πεσοῦσαν Εὔαν ἀνέστησας;

collaudarunt : velut Hesychii presbyteri Hierosolymitani in sermone *de laudibus B. Virginis Mariæ*. Hic « quia Christus sol est, Virginem cœlum esse dicit, et quemadmodum flos ille est immarcescibilis, hanc incorruptionis stirpem, immortalitatis paradisum [a]. » Mox : « præclarum ornamentum appellat naturæ nostræ : luti nostri gloriam : quæ Evam a pudore, Adamum a comminatione liberavit; et Draconis audaciam abscidit. » Quæ omnia effecta sunt illius, quæ non otiosum est salutis humanæ, et beneficentiæ, ac largitionis instrumentum; sed actuosum, et ex sese navans aliquid et conferens. Sic illa Chrysippi presbyteri alterius Hierosolymitani qui eam inter varia encomia nuncupat. « Fontem lucis, quæ illuminat omnem hominem : vitæ promptuarium : radicem omnium bonorum : puteum aquæ vivæ [b]. »

Sed omnium luculentissime Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui Leonis Isaurici tempore florui μεσιτείαν illam in eo sermone commendavit, quem de Virginis dormitione scripsit : e quo pauca hic excerpam. « Nemo, inquit, Dei cognitione repletus est, nisi per te sanctissima : nemo salvatus, nisi per te, Dei genitrix : nemo a periculis liber, nisi per te, dilecta Deo [c]. » Subjicit alia plura de ejusdem intercessione, et suffragatione apud Deum; quæ postea reddemus. *Mediationem.*

IX. Andreas item Hierosolymitanus Patriarcha multa ad eamdem sententiam suggerit in sermone *de Salutatione Evangelica* : et hoc maxime : Gabrielem ait mysterii illius administrum, salutationem inchoasse suam ab ista voce χαῖρε, quæ *gaudium* significat : « ut gaudium, quod prima parens amiserat Adami filia ex Davide orta, per seipsam recuperet [d]. » Idem quoque, interjectis aliquot, ex illo ipso salutationis vocabulo, χαῖρε, præclarum, et afflatu quodam divino inspiratum elogium B. Mariæ sic instituit : « Ave, inquit, sive potius gaude instrumentum gaudii : per quod maledictionis est soluta damnatio; et pro ea gaudii introducta justificatio [e]. » Ac mox : « Gaudeas divinum cum hominibus pacificatorium : Gaudeas thesaure vitæ immortalis, etc. Gaudeas fermentum sanctum, divinitus perfectum; ex quo tota humani generis massa fermentata est, et ex uno corpore Christi panis facta in unam coaluit admirabilem concretionem. » *Gaude.*

Pene omiseram illud Chrysippi minime sane prætereundum; qui in serm. *de laudibus B. Virginis* magnifice hanc ejusdem μεσιτείαν ita deprædicat, oppositis inter se Eva et Maria. « Quænam igitur, ait, quænam verisimile est humani generis hostem secum loqui, videntem nos per mulierem nunc in adoptionem pristinam revocatos? Nonne talia nunc dicit, et lamentatur? Undenam instrumentum illud, quod ab initio mihi opitulatum est, in hostem est mutatum? Mulier ad invadendam in humanum genus tyrannidem adjutrix fuit : eadem mulier cum tyrannide me mea expulit. Vetus Eva me sublimem extulit; nova dejecit [f]. » *Mediationem.*

Theophanes Cerameus homilia LXII. « Assumamus, inquit, apud Deum mediatores sanctos, cum reliquos, tum præcipue castissimam Dominam, velox et inexpugnabile præsidium [g]. »

a Hesych. tom. XII *Bibl.* Ἐπειδὴ σὺ τυγχάνεις ἥλιος, οὐρανὸς ἀναγκαίως ἡ παρθένος κληθήσεται. ἐπειδὴ σὺ ἄνθος τυγχάνεις ἀμάραντον, ἄρα ἡ παρθένος ἀφθαρσίας φυτὸν, ἀθανασίας παράδεισος, etc. Τὸ σεμνὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐγκαλλώπισμα, τὸ τοῦ πηλοῦ ἡμετέρου καύχημα, ἡ τῆς αἰσχύνης τὴν Εὔαν, καὶ τῆς ἀπειλῆς τὸν Ἀδὰμ ἀπαλλάξασα· ἡ τὴν παῤῥησίαν ἀποτεμοῦσα τοῦ δράκοντος.

b Chrysost. orat. *de B. Virg.* tom. XII *Bibl.* Χαῖρε ἡ τοῦ φωτὸς πηγὴ τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον· χαῖρε τὸ ταμιεῖον τῆς ζωῆς· χαῖρε ἡ ῥίζα πάντων τῶν ἀγαθῶν· τὸ φρέαρ τοῦ ἀεὶ ζῶντος ὕδατος.

c Germ. tom. XII *Bibl.* Οὐδεὶς θεογνωσίας ἀνάμεστος, εἰ μὴ διά σου, παναγία· οὐδεὶς ὁ σωζόμενος, εἰ μὴ διά σου, θεοτόκε· οὐδεὶς κινδύνων ἐλεύθερος εἰ μὴ διά σου παρθενομήτορ. οὐδεὶς ὁ ἐλεούμενος δῶρον, εἰ μὴ διά σου θεοχάριτε.

d Andr. tom. XII *Bibl.* Καὶ Γαβριὴλ τῷ μυστηρίῳ διακονεῖ, καὶ τῇ παρθένῳ ὑποφώνει τὸ χαῖρε· ἵνα τὴν χάραν, ἥν ἡ προμήτηρ ἀπώλεσεν, ἡ θυγάτηρ τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἐκ Δαβὶδ ἀνατείλασα δι' ἑαυτῆς ἀνασώσηται.

e Ibid. Χαῖρε τὸ τῆς χαρᾶς ὄργανον, δι' οὗ τὸ τῆς ἀρᾶς ἐλύθη κατάκριμα, καὶ τὸ τῆς χαρᾶς ἀντεισήχθη δικαίωμα, etc. Χαίροις τὸ θεῖον πρὸς ἀνθρώπους διαλλακτήριον. χαίροις θησαυρὲ τῆς ἀκηράτου ζωῆς, etc. Χαίροις ζύμη ἁγία θεοτελὴς, ἐξ ἧς ὅλον τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀνεζύμωθη τὸ φύραμα, καὶ ἐξ ἑνὸς σώματος Χριστοῦ ἀρτοποιηθὲν εἰς ἓν συνῆλθε τὸ παράδοξον σύγκριμα.

f Chrys. ibid. Ποῖα οὖν εἰκὸς, ποῖα καὶ λέγειν πρὸς ἑαυτὸν τοῦ ἀνθρωπείου γένους πολέμιον, διὰ γυναικὸς νῦν ὁρῶντα πρὸς τὴν υἱοθεσίαν ἡμᾶς ἀνακληθέντας τὴν ἐξ ἀρχῆς; ἄρα οὐ τοιαῦτα ἀεὶ καὶ λέγει, καὶ θρηνῳδεῖ, πόθεν τὸ σκεῦος τὸ ἐξ ἀρχῆς συνεργόν μοι γεγονὸς, νῦν μοι πολέμιον; γυνὴ πρὸς τὴν τοῦ γένους μοι τυραννίδα συνέπραξε, καὶ γυνὴ μετὰ τῆς τυραννίδος ἐκβέβληκεν. ἡ Εὔα ἡ πάλαι με ἀνύψωσε, καὶ ἡ νέα κατέβαλεν.

g Theoph. Προσληψώμεθα πρὸς θεὸν μεσίτας τοὺς ἁγίους, τούς τε ἄλλους, καὶ κατεξαίρετον τὴν ὑπέραγνον δέσποιναν, τὴν ταχεῖαν προστασίαν, καὶ ἄμαχον.

Editus est inter Ephræmi opera sermo de sanctissimæ Virginis laudibus, in quo multa de illius intercessione, ac μεσιτεία continentur; deque spe in eam hominum intenta, et ejusdem invocatione. Sed an revera Ephræmi illius Syri, et æqualis Basilii Magni sit homilia ista, ut et pleraque scriptoris illius, dubitatur a multis. Ideo satis habemus in auctorem istum, cujusquemodi est, digitum intendere : nec in ejus describendis verbis operæ pretium ponimus.

X. His adjungam Latinorum haud ita veteres paucos, sed eruditos, et graves; quorum minime vulgaris est auctoritas. Petrus Damiani homilia XLVI *de Nativitate B. Mariæ :* « Hodie nata est, inquit, regina mundi, fenestra cœli, janua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cœlestis; per quam supernus rex humiliatus ad ima descendit; et homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. » Ex quibus nomina ista. *fenestra cœli, janua paradisi, stella maris, scala cœlestis*, advocationem et μεσιτείαν, hoc est sequestræ, ac mediatricis officia, et partes significant. Quin idem homilia XLV « debitores nos esse dicit beatissimæ Virgini, et magnas illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debere. » Quod verum non esset, nisi συνεργὸς, et *adjutrix* fuisset.

Scripsit beatus Anselmus auctor cumprimis doctus, et in divinis litteris apprime versatus, aliquot opuscula : quibus pro ardentissimo amore, quo sanctissimam Virginem prosequebatur, ejus dignitatem et gloriam illustrare studuit, ac potissimum illam ipsam, de qua modo agimus, mediatricis in ea commendare functionem. In libro *de Excellentia B. Virginis Mariæ*, capite IX. « Pura, inquit, sanctitas, et sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, sive sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis benignissime fieret. Unde quid laudis pro tam ineffabili bono per eam reparatus mundus ei jure debeat, æstimare nullatenus sufficit. » Deinde, post expositam hominis calamitatem, et restitutionem, liberationemque per Christum factam : « Quis igitur ista perpendens, inquit, æstimare queat, qua laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici meruit mediatrix? » Ac deinceps sæpius per illam, et per ejus merita redemptionem, et salutem, omniaque adeo commoda consecutos esse homines affirmat : et idcirco creaturam omnem honorem illi tribuere, ac venerationem, « quia Dominam summam, et unicam dominatricem cœli : et terræ Mariam, ex his conspiciunt esse factam reginam Angelorum. » Quippe, ut idem scribit[1], hujus tanti boni effectum illi censemus profecto imputandum, per cujus virgineum uterum is venit in mundum, qui et humanam naturam in tantam sicut diximus, dignitatis excellentiam sua sapientia revocavit; et omnem simul creaturam privilegio amissi honoris mira dispensatione redonavit. » Item : « Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, Pater, et Deus omnium : ita beata Dei genitrix Maria suis meritis cuncta reparando, mater est et domina rerum. Deus enim est dominus omnium, singula in sua natura propria jussione constituendo : et Maria est Domina rerum, singula congenitæ dignitati per illam, quam meruit, gratiam restituendo. »

XI. Anselmo ut ætate suppar, ita proxime ab eo recensendus est Bernardus, summus vir, et in ornandam sanctissimam Dei matrem non cæco, et inconsiderato mentis affectu, qui plebeiis, et indocte superstitiosis objici posset; sed prudenti, et qui tam erudito homine dignus erat, effusus, non secus de patrona nostra, et mediatrice professus est innumeris in locis, et sermone amplo adeo, atque copioso, ut hoc unum egisse in scribendo videatur, illius ut excellentiæ, dignitatis, amoris in humanum genus, et beneficentiæ præco, ac buccinator haberetur. Ex hoc itaque pauca libabimus, in quibus mediatricis illi munus luculentissime, ac disertissime asserit. In homilia secunda de Evangelio *Missus est* :« O admirandam, inquit, et omni honore dignissimam virginem! o feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem! »

In sermone quoque alio *de B. Virgine Maria*, ad illa verba Apocalypsis, *Signum magnum*, ita scribit; « Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere. Sed gratias Deo, per unum nihilominus virum, et mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fenore gratiarum, etc. Et quidem sufficere poterat Christus : Siquidem et nunc omnis sufficientia

1 Anselm. *de Excell. virg.* cap. XI.

nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane et potens mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : sed divinam in eo reverentur homines majestatem, » etc. Itaque « opus est, inquit, mediatore ad mediatorem istum; nec alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit. Sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis; hæc propitiationis : illa suggessit prævaricationem; hæc injecit redemptionem. Quid ad Mariam trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile : tota suavis est, omnibus efferens lac, et lanam, » etc.

Rursus in sermone secundo *de Pentecoste*, « Merito in te, ait, respiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, et per te, et de te benigna manus omnipotentis quidquid creaverat recreavit. » Sic in sermone secundo *de Assumptione*, « Ipsa nempe mediatrix, ait, nostra : ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus : ipsa per quam et nos Dominum Jesum in domos nostras excipimus. » Ac rursus [1]: « Advocatam præmisit peregrinatio nostra : quæ tanquam judicis mater, et mater misericordiæ, simpliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. »

Joannes Gersonius Parisiensis Cancellarius accurata rerum divinarum scientia [2], et limato cum primis judicio præditus, postremum hic inter testes locum habebit. Hic in sermone quodam *ad Clerum*, « Si adversarius, inquit, et accusator noster diabolus quomodolibet obniti voluerit, habemus te patronam clementissimam, te advocatam sapientissimam, te auxiliatricem potentissimam virginem matrem, quæ ab omni Ecclesia regina misericordiæ, et advocata nostra conclamaris. »

Et in alio opusculo, « Adeo cum fiducia, inquit, quia Christus dixit, *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras*. Quia soror nostra, et advocata mater est gratiæ, et regina misericordiæ; quæ defendit jura hujus jurisdictionis, et curiæ. »

XII. Jam illud quod mediatoris proprium est munus, adhiberi ad exorandam veniam, et gratiam, sequestrem, et interventorem, (quod in Christo summo et primario mediatore demonstravimus in libro duodecimo) licet in hac secundaria mediatrice, beata Maria recognoscere : idque adeo paucis antiquorum testimoniis privatim de ea comprobabimus; quod uberius subinde fiet a nobis, cum universe de sanctorum μεσιτεία, quorum princeps est Virgo Maria, disputabimus. *Intercessione.*

Hujus itaque tum dogmatis apud antiquos Patres, tum usus, et instituti vestigia, quod ad Beatam Virginem spectat; observamus, in Gregorii Nazianzeni oratione illa, quam in sanctos Cyprianum, et Justinam martyres scripsit; quæ est decima-octava. Ibi enim Justinam ait Christianam virginem, cum maleficiis, et incantationibus ab Cypriano mago ad obscenam voluptatem impelleretur, Dei opem implorasse; et ad eam emerendam B. Mariæ advocationem interposuisse. « Hæc, atque his plura commemorans, inquit, et Mariam virginem rogans, ut periclitanti virgini opem ferret, jejunii, et chameuniæ medicamento se tuetur [a]. » Erat igitur usitatum tunc apud Christianos, mediatores, et interventores apud Deum allegare sanctos.

Nam quod objectare solent οἱ ἁγιόμαχοι, frustra esse qui illam, vel cæteros invocant sanctorum, quod procul a nobis remoti preces nostras non audiunt, hoc longe ante dissolvit Severianus Gabalitanus episcopus æqualis Chrysostomi in sermone sexto *de mundi opificio* : ubi cum dixisset, verissime id de se affirmasse S. Mariam, *Beatam me dicent omnes generationes*, subinde hoc opponit sibi. « Et quid illam juvat istud (inquit) cum non audiat [b]? » Cui sic respondet : « Imo vero maxime audit, eo quod in loco est splendido mater salutis, fons sensibilis lucis. » *Hagiomachi*

Basilius Seleuciensis oratione εἰς εὐαγγελισμὸν, B. Virginem, cum omnibus sanctis pluri- *Annuntiationem.*

a Nazianz. orat. xviii. Ταῦτα, καὶ πλείω τούτων ἐπιφημίζουσα, καὶ τὴν Μαρίαν παρθένον ἱκετεύουσά βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ, τὸ τῆς νηστείας, καὶ χαμευνίας προβάλλεται φάρμακον.

b Sever. tom. VII operum Chrysost. vers. 28. Καὶ τί, φησιν, ὠφελεῖται μὴ ἀκούουσα; μάλιστα μὲν οὖν ἀκούει ἐκ τοῦ ἐν τόπῳ φαεινῷ, ἐν χώρᾳ ζώντων εἶναι, ἡ μήτηρ τῆς σωτηρίας, ἡ πηγὴ τοῦ αἰσθητοῦ φωτός.

1 Serm. I *de Assumpt.* — 2 Par. II.

mum antecellat, multo ait, quam illos omnes, ad opem ferendam esse potentiorem. Tum in fine orationis ad eam invocandam populum hortatur, ac precandi formulam hujusmodi præscribit : « O sanctissima virgo! de qua quisquis præclara omnia, et illustria dicit, ut a veritate non aberrat, sic infra dignitatem prædicat : e cœlo propitia nos respiciens, nunc quidem pacifice nos perducito : postea vero ad judicialem thronum securos, ac nullo confusos pudore sistens, stationis ad dextram participes effice[a]. »

XIII. Augustinus in sermone XVIII *de Sanctis*, qui *de Annuntiatione* inscribitur : quem Lovanienses germanis asciscunt, etsi ab nonnullis Fulgentio tribuitur; orationis formam similiter concipit, quæ ab Ecclesia catholica frequentem in usum recepta est. In hac ipsa porro Beata Maria suppliciter rogatur, ut « cum susceperit vota, culpas nostras orando excuset. » Tum « Admitte, inquit, nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus : fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus : redona quod rogamus : quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum; et in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, » etc., quæ omnium, ut dixi, Christianorum in ore quotidie versantur *.

Germanus item Constantinopolitanus Patriarcha oratione *de Dormitione B. Virginis*, multa de benigno illius affectu, et misericordia, quam invocantibus se peccatoribus tribuit, et ejus interventu, ex communi totius Ecclesiæ sensu disserit. « Quis, inquit, peccatoribus adeo enixe patrocinatur? Quis aberrantium causam tantopere tuetur[b]? » Etenim alii peccatores fidejubere, ac pro iis interponere se cunctantur; ne, ut in ficu infructuosa evenit[1], ob sterilitatem illius irrita sit, et iniqua postulatio. « Tu vero, inquit, maternam vim apud Deum obtinens, iis qui supra modum peccant supra modum veniam conficis. Nec enim fieri potest, ut non exaudiaris : quoniam tibi ad omnia, et per omnia, et in omnibus Deus, tamquam veræ, et immaculatæ matri suæ obedit. Unde et afflictus merito ad te confugit : imbecillus tibi adhæret : qui bello petitur, te hostibus opponit. Indignationem, iram, et afflictionem, immissionem per angelos malos tu commutas : tu justam comminationem, et sententiam æquæ condemnationis convertis, magnopere amans populum illum, qui nomine filii tui vocatur[c]. »

Huc adjungi possunt Liturgiæ omnes antiquæ, Græcæ, Latinæque [2] : in quibus B. Mariæ, ac sanctorum omnium precibus, ac meritis venia peccatorum, ac beneficia cætera impetrare studet Ecclesia.

Ita etiam Theophanes Cerameus in postrema homilia : ubi « velox , et invictum B. Virginis patrocinium appellat[d]. » Et, « Intercede, inquit, pro nobis indignis servis tuis. Exora unigenitum tuum filium, ut peccata nostra toleret[e]. »

Exstant et orationes Joannis Damasceni;

a Basil. Seleuciensis. Ὦ παναγία παρθένε, περὶ ἧς ὁ πάντα λέγων σεμνά τε, καὶ ἔνδοξα οὐ διαμαρτάνει μὲν τῆς ἀληθείας, ἁμαρτάνει δὲ τῆς ἀξίας· ἄνωθεν ἡμᾶς ἵλεως ἐποπτεύουσα, νῦν μὲν διαξάγοις εἰρηνικῶς, ἐπὶ δὲ τοῦ θρόνου τῆς κρίσεως ἀκαταισχύντως προσάγουσα, μετόχους τῆς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ στάσεως ἀποδείξας.

b Germ. tom. XII *Bibl.* Τίς γὰρ τῶν ἁμαρτωλῶν (ὑπὲρ) τοσοῦτον ὑπερμαχεῖ; τίς τῶν ἀδιορθούντων κατὰ τοσοῦτον ὑπεραπολογεῖται;

c Ibid. Σὺ δὲ μητρῴαν ἔχουσα πρὸς Θεὸν τὴν ἰσχὺν, καὶ τοῖς καθ' ὑπεροχὴν ἁμαρτάνουσιν καθ' ὑπερβολὴν τὴν συγχώρησιν ἐξανύεις. οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεταί σέ ποτε παρακουσθῆναι. ἐπειδὴ πειθαρχεῖ σοι κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν ὁ Θεὸς, ὡς ἀληθινῇ αὐτοῦ, καὶ ἀχράντῳ μητρί. ὅθεν ὁ θλιβόμενος εὐλόγως πρός σε καταφεύγει· ὁ ἀσθενῶν σοι προσκολλᾶται, ὁ πολεμούμενός σε τοῖς ἐχθροῖς ἀνθοπλίζει. Θυμὸν, καὶ ὀργὴν, καὶ θλίψιν, ἀποστολὴν δι' ἀγγέλων πονηρῶν σὺ μεταβάλλεις, ἀπειλὴν δικαίαν, καὶ ψῆφον ἀξιοπαθοῦς καταδίκης σὺ μεταστρέφεις, ἀγαπῶσα μεγάλως τὸν ἐπικεκλημένον τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ σου λαόν.

d Theoph. Τὴν ταχεῖαν προστασίαν, καὶ ἄμαχον.

e Ibid. Μεσίτευσον ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἀναξίων δούλων σου, δυσώπησον τὸν μονογενῆ σου υἱὸν ἐπὶ τοῖς ἡμετέροις μακροθυμῆσαι πταίσμασι, etc.

* Hunc sermonem in appendice collocarunt editores Benedictini hæc annotando: « dubium relinquunt Lovanienses, et Fulgentio a quibusdam tribui dicunt. Rejiciunt omnino ut falsum Verlinus et Vindingus. Nec injuria sane, tametsi in Breviario Romano et nonnullis aliis sub Augustini nomine citetur. » Et aliquibus interjectis: « Opus quippe est imperiti alicujus consarcinatoris qui huc congessit plures ad verbum sententias superiorum sermonum 119, 120, 121, et 208. » J. B. F.

1 *Luc.* XIII, 6. — 2 Ut tom. XIII *Bibl. in Lit. Jacob.*

quibus ejusdem opem Virginis, et patrocinium implorat. Nec non hymni Cosmæ Hierosolymitani[1].

XIV. Rursus Hildephonsus in plerisque sermonibus illius auxilium, advocationemque precibus elicit[2].

Sic Petrus Damiani in epistola XXIX libri sexti : « Optima spes est, inquit, apud eam habere confugium, quæ scilicet inter omnes cœlestis curiæ senatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum. »

Et in sermone XLIV qui est primus *de Nativitate* : « Quid tibi negabitur, inquit, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? etc. Nil tibi impossibile cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans; domina, non ancilla. » Audacter ista Petrus : sed illis consentanea, quæ Germanus Constantinopolitanus paulo a nobis adductus antea scribit; « Deum obedire Virgini, tanquam matri : » tum quæ Joannes Gersonius in eo loco scripsit[3], quem supra capite octavo posuimus. Quemadmodum et Scriptura *Deum* ait *obediisse voci hominis*[4]; quando orante Josue sol medio in cursu constitit. Est autem imperium illic non proprie sumptum, quale domini est jubentis, sed oratio, ac postulatio efficax, et certa ex ingenti ac singulari fiducia; quæ omnino quodcumque vult obtinet.

Rupertus in calce libri quarti, et ultimi commentariorum *in Canticum Canticorum*. « O beata Maria, inquit, mons montium, virgo virginum, sancta sanctorum! ad omnes quidem convertimur montes aromatum, et vocamus, ut respondeant nobis. Et hoc est, quod unusquisque nostrum dicit : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*[5]. Sed et præcipue convertimur, ad te præ cæteris oculos nostros levamus : tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum uteri tui sacramentum, et illum, qui animam tuam pertransivit, gladium, obtine, ut videamus ipsam illuminationem montium æternorum, » etc.

Bernardus quoque sermone IV *de Assumptione* [6]: « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse, etc. Sit pietatis tuæ, ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, periclitantibus adjutorium et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. »

Et homilia secunda in Evangelium *Missus est*[7], etc. «O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum; si incurras scopulos tribulationum, respice stellam; voca Mariam, etc. Non recedat ab ore; non recedat a corde : et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. » Innumera sunt ejusdemmodi per omnia dispersa Bernardi scripta : quæ hoc loco describere quam facile, tam supervacuum est, et ad alia properantibus molestum. Præsertim cum universe de sanctorum omnium intercessione, invocatione, cultu, ac veneratione propositum sit in sequentibus disserere; quo genere quidquid ad B. Mariam pertinet sine ulla controversia continetur, imo principem in eo locum suo jure sibi vendicat*.

* Confer a Petavio dicta hoc capite cum iis, quæ adversus Lamindum Pritanium erudite disputat P. Plazza in *Christianorum devotione vindicata* parte II cap. VI, Vide etiam eumdem Plazzam in *causa Conceptionis*.
F. A. Z.

1 Tom. VIII *Bibl. Patr.* — 2 Ut in serm. *de Assumpt.* tom. IX *Bibl. Patr.* et in serm. II et IV. — 3 Cap. VIII, § 5. — 4 *Josue* X, 14. — 5 *Psalm.* CXX. — 6 Bern. — 7 Ibid.

CAPUT X.

De sanctis post B. Virginem intercessoribus, ac mediatoribus apud Deum. 1. Cypriani de illis locus. 2. Excussus et illustratus. 4. Exinde Græci Latinique alii Patres in idem conspirantes.

Post integerrimam Dei genitricem, in secundariorum genere mediatorum proxime censentur Angeli; deinde homines sancti; qui functi corpore, sola vivunt anima cum Deo; rebusque nostris, pro ea qua apud illum valent gratia, et auctoritate succurrunt. De his nonnulla hoc loco dicere constitui. Nam de Angelis satis disputatum est in secundo libro[1], de tribus, qui ad cœlestes illos spiritus attinent. Ubi et de sanctis hominibus quædam sunt Patrum adspersa testimonia : ut eo brevioribus hic esse nobis liceat; maxime cum in tractando hoc argumento complures docti strenuam et laudabilem operam insumpserint; ac vetustatis scrinia omnia propemodum exhauserint. Nos igitur hoc in caput aliqua congeremus veterum loca, quæ, ut quemque scriptorem in manus sumpseramus, in adversariis adnotavimus. Ex quibus constare poterit, non ementitum, neque novitium in Ecclesia catholica dogma istud esse; intercessores, ac mediatores apud Deum homines esse sanctos; ac tum eos pro hominibus divinæ majestati supplicare, tum ad id præstandum votis illorum, et orationibus adduci : « Ac catholicam fidem etiamnum hoc habere , firmatam Spiritu Dei in sanctis ejus contra omnem hæreticam pravitatem, » ut loquitur Augustinus[2]. Nec, ut in cæteris fere consuevimus, Græcos separatim ab Latinis testes citabimus: sed ætatis potius qua quisque scripsit ordinem tenebimus.

De sanctis apud Deum intercessoribus. Cyprianus in epistola *ad Cornelium*, quæ in editione Pamelii ordine est LVII et sic incipit : *Cognovimus, frater carissime*, sub finem, sic eum alloquitur : « Memores nostri invicem simus, concordes, atque unanimes : utrobique pro nobis semper oremus : pressuras, et augustias mutua caritate relevemus. Et si quis isthinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio. Pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. » Perspicuum est his verbis Cyprianum hortari Cornelium Papam, ut quamdiu ambo vivunt in corpore, mutuis se apud Deum precibus juvent; ac solatia invicem præstent : atque uter amborum vita excesserit, sive martyrio functus; sive sua, et naturali morte, eadem in eo dilectio perseveret, ut pro iis, quos in mundo superstites reliquerit, hoc est tam pro collega suo episcopo; quam pro ecclesia ei commissa, divinam pulset imploretque clementiam. Hæc sincera est, et certissima istius loci sententia : quæ manifeste illud ostendit, quod hic contendimus; persuasum fuisse Cypriano, adeoque temporum illorum Ecclesiæ, sanctos cum Deo viventes pro vivis interpellare Deum*. Cypriani locus.

Qui et illustratur. II. Sed ambiguam videtur postremo editori operum Cypriani [3], *an hic ita sentiat.* Cur autem dubitet, rationem affert, quam nec intelligere me fateor, nec alius, puto, me perspicacior assequetur. Si sanctos etiam defunctos orare pro vivis credidit illo in loco Cyprianus, « Dicendum est, ait, hæc illius verba, *Si quis isthinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit*, non esse accipienda de eo, qui per martyrii coronam præcesserit. Quis enim orandum esse dicet pro martyre, cujus sanguis tota Paradisi clavis est? sed de eo, qui communi mortalitatis exitu diem certaminis anteverterit. Pro eo certe perseveret apud Dominum dilectio nostra. » Atqui planum est, Cyprianum rogare Cornelium, ut qui prior amborum ipsorum quocumque tandem exitu diem clauserit extremum, pro superstitibus fratribus et sororibus Deo supplicet. Quod cum dicit, non illum jubet orare pro martyre; sed pro iis duntaxat, qui adhuc in vita et periculo versantur.

Pergit vero observationis auctor. « At si vicissim oremus, inquit, ut perseveret illi

* Quæ ad hoc, et sequentia capita spectant, imo et ad sequentem librum additamenta, habes in eruditissimis P. Trombellii Dissertationibus *de cultu Sanctorum*. Quare ne ex aliis quidem auctoribus, uti facile possem, quidquam adnotabo. Z.

1 Cap. VIII et IX. — 2 August. tract. XX *in Joann.* — 3 Rigal. in *observ. ad Cypr.*

apud Dominum dilectio nostra, quæ ratio rogandi, hortandive beatum jam et felicem, ut in dilectione fratrum suorum perseveret? cum absque illa dilectione, absque illa scilicet caritate, æterna vita plane esset indignus; neque dici debeat sanctus, qui erga fratres suos caritatem amiserit. » Verum cum rogat Cyprianus, ut in eo, qui prius decesserit, integra maneat dilectio, non dilectionem intelligit, sive affectum animi, quæ caritas dicitur: sed hujus effectum; qui in eo situs est, ut pro certis hominibus oretur, et quædam illis impetrentur a Deo beneficia. Quod non semper, nec omnibus, postulant sancti. Neque propterea non diligunt: sed dilectionis suæ non hunc fructum, atque officium exprimunt; quod hoc vident Deo minime placere. Nisi forte cum Jeremiam Prophetam vetabat Deus orare pro Israelitico populo verbis istis: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, et orationem, et non obsistas mihi: quia non exaudiam te*[1]; cum sit caritatis orare pro perditis: cum jubebat caritatem omnem exuere, et hoc ipso vita se indignum æterna facere. Sane multa rogati a nobis postulant aliqui sancti, et impetrant a Deo beneficia, quæ non rogati alii minime procurant: neque tamen dilectionem isti, aut æternam vitam non habent. Est enim multiplex dilectionis effectus, et unum iste, alium ille sanctorum exhibet, cujus utriusque matricem, et radicem ambo caritatem obtinent.

III. Denique in observatione ista pertexuntur. « Profecto pius, et fidelis est sermo; Eorum qui jam exuti mortalitate facti sunt Christi cohæredes, et eorum, qui superstites adhuc in terris, ejusdem Christi cohæredes futuri sunt, unam esse ecclesiam, uno Spiritu sancto tam probe junctam, ut nec morte divellatur. Orant illi Deum pro nobis, et nos Deum laudamus pro illis, et sic utrobique pro nobis semper oramus, » Hæc non alio pertinere possunt, nisi ut modum explicent, quo sanctos mortuos invocamus: nempe ut nos orare illos pro nobis, nihil sit aliud nisi Deum laudare pro illis, non autem aliquid petere ab illis, hoc est a Deo per sequestres illos, ac mediatores. At hoc incredibiliter est absurdum. Nam et laudare Deum non idem est ac petere aliquid a Deo. Et innumera sunt exempla veterum, et testimonia, quæ sine ulla dubitatione docent, tum angelos, et sanctorum animas pro hominibus apud Deum intercedere, tum ab illis vivos aliquid rite postulasse; aut per eorum interventum ac merita: ut ex subjectis apparebit. Quocirca minime est probanda catholici istius dogmatis de intercessione Sanctorum interpretatio, quam observationes illæ Cyprianeæ suggerunt; nec sanctissimi Martyris satis mentem assequuntur. Quin hoc penitus exploratum est ex totius catholicæ Ecclesiæ sensu, et antiquorum testificatione, sanctos duplici nomine *mediatorum, interventorumque* partes apud Deum obire nostra causa; tum quod pro nobis Deo supplicant, et ejus beneficentiam, ac misericordiam eliciunt: tum quod rogati a nobis idipsum præstant. Cujus utriusque fidem sequentibus testimoniis adstruemus.

IV. Origenes libro octavo *contra Celsum*, sanctos orare pro nobis, Deumque placare luculenta sententia demonstrat; cum ait, « ex eo quod conciliatur nobis summus Deus, consequens esse, ut et benevoli reddantur nobis omnes illius amici, angeli, animæ, ac spiritus. Habent enim sensum eorum, qui Dei benevolentia digni sunt: nec solum erga eos, qui digni sunt, bene sunt affecti: sed et omnibus opitulantur, qui summum colere Deum cupiunt, quem et propitium reddunt, et cum iis communiter precantur, ac simul postulant[a]. » Ultro igitur, et ἄκλητοι, uti mox loquitur, adsunt hominibus, et orationibus suis eos adjuvant. Idem docet homilia tertia *in Cantica*, interprete Hieronymo, et ex libri secundi *Machabæorum*, capite XV probat. Post hunc commemorandus est Basilius, cujus de invocatione sanctorum, et beneficiis per eos impetratis præclarum exstat testimonium in homilia XX *de quadraginta martyribus*, qui apud Cæsaream in Cappadocia passi sunt. « Quantum, inquit, laborares, ut vel unum invenires, qui pro te Dominum rogaret? Ecce quadraginta sunt concordem effundentes orationem. *Ubi duo, vel tres congregati sunt in nomine Domini, ibi in medio ipsorum est*[2]. Ubi ergo quadraginta sunt,

Originis et aliorum de intercessione sanctorum testimonia.

Locus Basilii notandus.

a Orig. VIII *cont. Cels.* Τῷ ἐξευμενίζεσθαι τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ἕπεται εὐμενεῖς ἔχειν τοὺς ἐκείνου πάντας φίλους, ἀγγέλους, καὶ ψυχὰς, καὶ πνεύματα. συναίσθονται γὰρ τῶν ἀξίων τοῦ παρὰ τοῦ θεοῦ εὐμενισμοῦ, καὶ οὐ μόνον καὶ αὐτοὶ εὐμενεῖς τοῖς ἀξίοις γίνονται. ἀλλὰ καὶ συμπράττουσι τοῖς βουλομένοις τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν θεραπεύειν. καὶ ἐξευμενίζονται, καὶ συνεύχονται, καὶ συναξιοῦσι.

1 *Jerem.* VII, 17. — 2 *Matth.* XVIII, 10.

quis de illius præsentia dubitabit ? Qui affligitur, ad quadraginta confugit, qui lætatur, ad ipsos accurrit : hic, ut malorum exitum inveniat : ille, ut in secundis rebus conservetur. Hic religiosa femina pro filiis orans invenitur; ac peregre agenti viro reditum postulans; aut ægrotanti sanitatem. Cum martyribus postulata nostra jungantur[a]. » Tum quibusdam interpositis, « O communes, inquit, custodes humani generis : boni curarum participes ; orationis adjutores ; legati potentissimi : » quæ verba ab Joanne Damasceno citantur in libro secundo *de Imaginibus*.

Sanctorum apud Deum intercessio probatur, aliorum Patrum sententiis, Gregorii Nazianz.

V. B. Gregorius item Nazianzenus multis in locis idipsum approbat. Sic enim oratione sexta, cum de cultu martyrum agit, hujus finem, atque fructum ait esse, « spiritualem ascensionem, et deificationem, cujus mediatores sunt martyres [b]. « Idem in panegyricis sanctorum laudationibus, sæpe illos invocat, et ut pro se Deum exorent, ab eoque beneficia postulent, interpellat ; ut in fine orationis XVIII quæ est in S. Cyprianum martyrem : « Tu vero nos, inquit, e cœlo benignus aspice, et orationem nostram, ac vitam guberna [c], etc. Postulat insuper ut ad pascendum gregem sibi commissum præsidio sit, et sanctissimæ Trinitatis, cui nunc assistit, clariorem lucem impertiat. In vicesima rursus, quæ est funebris in S. Basilium, optat ut res suæ precibus illius meliore cursu ferantur. Et sub orationis finem, eumdem ita comprecatur : « Tu vero, divinum, et sacratum caput, e cœlo nos aspice ; et carnis stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, vel precibus tuis siste : vel persuade fortiter ferre : ac totum vitæ nostræ curriculum ad id, quod maxime conducibile est, dirige. Postquam autem excesserimus e vita, illinc nos etiam in tua tabernacula suscipe ; ut simul viventes, et sanctam, ac beatam Trinitatem intuentes [d], » etc. Eadem precandi formula sanctum Athanasium compellat in fine orationis XXI. Et in oratione XXIV de eodem loquens Athanasio, « hunc res ait nostras e cœlo prospicere, ac manum porrigere iis qui virtutis causa laborant, eoque id magis facere, quo vinculis corporis expeditus est [e]. »

Gregorii Nysseni.

Gregorius Nyssenus oratione secunda *in Quadraginta martyres*, in ejus fine precatur, ut martyrum istorum « ope, et interventu (id enim est πρεσβεία) corroborati fideles ad paradisum perveniant [f]. »

In oratione vero *in S. Theodorum* latissime sanctorum intercessionem, et pro vivis sedulam orationem confirmat. Hunc enim invocat, et ejus implorat auxilium. « Intercede inquit, pro patria apud communem regem, etc. Timemus vexationes : expectamus pericula. Non longe absunt nefandi Scythæ, qui bellum contra nos meditantur. Tanquam miles pro nobis pugna : tanquam martyr pro conservis utere libertate. Quamvis e vita excesseris, at nosti perpessiones, et necessitates humanæ naturæ. Pacem postula. » Tum ita pergit : « Nos enim quod incolumes sumus servati, tibi acceptum referimus. Postulamus autem et futuri securitatem temporis. Quod si majori advocatione, et intercessione opus est, fratrum tuorum martyrum chorum congrega, et cum omnibus deprecare. Multorum justorum orationes, populorum, ac multitudinum peccata dissolvant. Admone Petrum ; excita Paulum : nec non Joannem theologum, et dilectum discipulum, ut pro funda-

a Basil. Πόσα ἂν ἔκαμες, ἵνα ἕνα που εὕρῃς ὑπέρ σου δυσωποῦντα τὸν Κύριον; τεσσαράκοντά εἰσιν ἤδη σύμφωνον ἀναπέμποντες προσευχήν. ὅπου δύο, ἢ τρεῖς εἰσι συνηγμένοι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, ἐκεῖ ἐστιν ἐν μέσῳ αὐτῶν. ὅπου δὲ τεσσαράκοντα, τίς ἀμφιβάλλει Θεοῦ παρουσίαν; ὁ θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς τεσσαράκοντα καταφεύγει· ὁ εὐφραινόμενος, ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει. ὁ μὲν, ἵνα λύσιν εὕρῃ τῶν δυσχερῶν. ὁ δὲ, ἵνα φυλαχθῇ αὐτῷ τὰ χρηστότερα. Ἐνταῦθα γυνὴ εὐσεβὴς ὑπὲρ τέκνων εὐχομένη καταλαμβάνεται, ἀποδημοῦντι ἀνδρὶ τὴν ἐπάνοδον αἰτουμένη, ἀῤῥωστοῦντι τὴν σωτηρίαν. Μετὰ μαρτύρων γενέσθω τὰ αἰτήματα ἡμῶν.

Mox. Ὦ κοινοὶ φύλακες τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων· ἀγαθοὶ κοινωνοὶ φροντίδων· δεήσεως συνεργοί· πρεσβευταὶ δυνατώτατοι.

b Nazianz. Ἀναβάσεως, ἢ θεώσεως, ἧς οἱ μάρτυρες μεσιτεύουσι.

c Nazianz. Σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν ἵλεως, καὶ τὸν ἡμέτερον διεξάγοις λόγον, καὶ βίον, etc. Vide et orat. XIX.

d Idem. orat. XX. Σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν, ὦ θεία, καὶ ἱερὰ κεφαλὴ, καὶ τὸν δεδομένον ἡμῖν παρὰ Θεοῦ σκόλοπα τῆς σαρκὸς, τὴν ἡμετέραν παιδαγωγίαν, ἢ στήσαις ταῖς σεαυτοῦ πρεσβείαις, ἢ πείσαις καρτερῶς φέρειν· καὶ τὸν πάντα βίον ἡμῖν διεξάγοις πρὸς τὸ λυσιτελέστατον. εἰ δὲ μετασταίημεν, δέξαιο κἀκεῖθεν ἡμᾶς ταῖς σεαυτοῦ σκηναῖς, ὡς ἂν ἀλλήλοις συζῶντες, καὶ συνεποπτεύοντες τὴν ἁγίαν, καὶ μακαρίαν τριάδα, etc.

e Idem orat. XXIV. Ἀνώθεν ἐποπτεύει εὖ οἶδα νῦν τὰ ἡμετέρα, καὶ χεῖρα ὀρέγει τοῖς ὑπὲρ τοῦ καλοῦ κάμνουσι, καὶ τόσῳ μᾶλλον, ὅσῳ τῶν δεσμῶν ἐστιν ἐλεύθερος.

f Nyssen. Τοῦ παραδείσου ἐντὸς γενοίμεθα, διὰ τῆς πρεσβείας αὐτῶν δυναμωθέντες.

tis a se ecclesiis solliciti sint; pro quibus catenas gestarunt[a]. »

Ambrosii.

VI. Ambrosius in *Lucæ* caput XX ait: « victores sæculi principibus anteferri. Denique mortuis regibus, in perpetuum martyres regnum cœlestis gratiæ honore succedunt: et illi fiunt supplices, hi patroni. »

Ejusdem epistolæ exstant aliquot, et homiliæ ad Mediolanensem populum habitæ post inventa sanctorum quorumdam corpora; in quibus de sanctorum patrocinio, et advocatione egregium testimonium perhibet. In epistola LIII refert quemadmodum sanctorum Gervasii et Protasii corpora revelante sibi Deo repererit. Quorum etiam ad caput libellum scriptum ab quodam Philippo invenisse ait, « in quo et ortus eorum, et finis scriptus erat. » Hujus erat ista clausula: « Ego servus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte sancta corpora; et in domo mea, Deo solo teste, in ista arca saxea sepelivi; credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Jesu Christi. » Hujus inventionis meminit etiam Augustinus [1], qui tum Mediolani se fuisse testatur. De qua idem Ambrosius scribens epistola LIV *ad Marcellinam sororem*, concionem tum a se habitam ad populum describit; in qua « propugnatores illos ac defensores, et patronos » se habere profitetur: « quorum quo majora, eo tutiora patrocinia sunt, etc. Aperuit oculos nostros Dominus: videmus auxilia, quibus sumus sæpe defensi, etc. Patronos habebamus, et nesciebamus. »

VII. In libro vero *de Viduis*, omnem hæreticæ cavillationis fucum diluit; dum et sanctos mortuos, perinde ac vivos, pro nobis intercedere docet: et ut officium nobis istud præbeant, exorandos esse. « Denique cum *socrus*, inquit, *Simonis magnis febribus detineretur*, *Petrus et Andreas rogaverunt Dominum pro ea. Et stans super illam*, *imperavit febri*, *et remisit illam; et continuo surgens ministrabat illis*. Magnis, inquit[2], tenebatur febribus, et rogaverunt illum pro ea. Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos proximos: habes martyres proximos; si ipsa martyribus devotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinques, etc. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, ut pro te rogent, et recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulsæ. » Et paucis interjectis; « Ergo rogaverunt, inquit, pro vidua Petrus et Andreas. Utinam existat aliquis, qui tam cito possit rogare pro nobis: vel certe iste, qui pro socru rogat Petrus, et Andreas frater ejus. Tunc enim pro affinitate poterant: nunc jam possunt pro nobis, et pro omnibus impetrare. » Pergit deinde; « Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere: qui et ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viverent, cognoscebant. »

Chrysostomi *Intercessionis*.

VIII. Jam Chrysostomus innumera, et præclara ejusdem sanctorum μεσιτείας testimonia passim edidit; e quibus pauca reddemus. In homilia panegyrica *de Martyribus Ægyptiis*, inter alia quæ de horum reliquiis, et sacris corporibus accommodate ad catholicam professionem disputat, de eorum apud Deum intercessione, ac patrocinio hæc insignia prædicat. « Si enim, inquit, illi, qui præclaris factis celebres erant majorum nostrorum tempore, sanctorum virorum nomina prætendentes, et ad Abrahami, Isaaci, et Jacobi appellationem confugientes, solatium aliquod assecuti sunt, et ingentem ex illorum recordatione nominum utilitatem adepti; multo magis nos ipsi, quando non solum nomina præferemus, sed etiam corpora ipsa, quæ

a Nyssen. Πρέσβευσον ὑπὲρ τῆς πατρίδος πρὸς τὸν κοινὸν βασιλέα, etc. Ὑφορώμεθα θλίψεις, προσδοκῶμεν κινδύνους. οὐ μακρὰν οἱ ἀλιτήριοι Σκύθαι τὸν καθ' ἡμῶν ὠδίνοντες πόλεμον. ὡς στρατιώτης ὑπερμάχησον, ὡς μάρτυς ὑπὲρ τῶν ὁμοδούλων χρῆσαι τῇ παῤῥησίᾳ. εἰ καὶ ὑπερέβης τὸν βίον· ἀλλ' οἶδας τὰ πάθη, καὶ τὰς χρείας τῆς ἀνθρωπότητος. αἴτησον εἰρήνην, etc.

Ἡμεῖς γὰρ καὶ ὑπὲρ ὧν ἀπαθεῖς ἐφυλάχθημεν, σοὶ λογιζόμεθα τὴν εὐεργεσίαν. αἰτοῦμεν δὲ καὶ τοῦ μέλλοντος τὴν ἀσφάλειαν· ἂν χρεία γένηται καὶ πλείονος δυσωπίας, ἄθροισον τὸν χορὸν τῶν σῶν ἀδελφῶν τῶν μαρτύρων, καὶ μετὰ πάντων δεήθητι. πολλῶν δικαίων εὐχαὶ, λαῶν καὶ δήμων ἁμαρτίας λυσάτωσαν. ὑπόμνησον Πέτρον, διέγειρον Παῦλον, Ἰωάννην ὁμοίως τὸν θεολόγον, καὶ φιλούμενον μαθητὴν, ἵν' ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν, ἃς συνεστήσαντο, μεριμνήσωσιν, ὑπὲρ ὧν τὰς ἁλύσεις ἐφόρεσαν.

1 Aug. IX *confess.* cap. VII. — 2 *Luc.* IV.

decertarunt, propitium, et clementem ac benignum nobis Deum reddere poterimus [a]. » Addit, illa ipsa, quæ dicit plurimorum experimentis approbari, qui martyrum illorum vim beneficam senserunt.

Sic in oratione *de S. Ignatio* sub finem, testatur omnes, qui ad illum martyrem accedunt, multa per eum impetrare beneficia : Antiochenses hortatur, ut ad eum confugiant, uti precibus sanctorum istorum ad eorum consortium aliquando perducantur [b].

Rursus in homilia *de sanctis Berenice*, etc. « Non solum, inquit, in hoc die festo, sed in aliis etiam diebus ad illlas adhærescamus, deprecemur eas; oremus uti patronæ nostræ sint. Magnam quippe fiduciam apud Deum obtinent, non viventes duntaxat ; sed etiam mortuæ; imo mortuæ multo magis. Nunc enim stigmata Christi portant. Hæc porro stigmata monstrantes, nihil non Regi persuadere possunt [c]. » Idipsum et in fine homiliæ LXXVI *de sanctis Juventino et Maximino* dicit, Martyres capita sua pro Christo abscissa manibus præferentes, facile ab Rege impetrare omnia. Sic in fine homiliæ LXXVII *de S. Meletio*, populum hortatur, uti Deum orent omnes, socium adhibentes orationum suarum sanctum Meletium ; cujus major apud Deum fiducia modo, et ardentior est voluntatis affectus, uti caritatem suam augeat.

IX. Eodem quo Chrysostomus tempore floruit Asterius Amasenus episcopus scriptor elegans, et politus. Hic in encomio sanctorum martyrum nuper e scriniis R. P. Jacobi Sirmondi in lucem edito, plurima et luculenta scripsit de intercessione, et invocatione sanctorum ; deque cultu eorum, ac sacrarum reliquiarum veneratione; tum adversus contemptores omnium istorum hæreticos. Horum postrema hæc de reliquiis, et hæreticorum insectatione referam postea; nunc de sanctorum μεσιτεία, et invocatione nonnulla depromam, accurate diserteque concepta. In illo igitur Encomio martyrum præclara multa de Sanctorum illorum tutela, et patrocinio, deque beneficiis eorum interventu, ac precibus concessis divinitus, explicat Asterius : et hæc inter alia, « Qui autem humanis casibus, et calamitatibus premuntur, tanquam ad aliquod asylum, ad ea loca properant, in quibus ter beati illi requiescunt, eosque legatos, et sequestres adhibent orationum, ac postulationum suarum, propter immensam apud Deum illorum fiduciam. Hinc et inopiæ solvuntur, et ægritudines curantur; et magistratuum minæ placantur : ac demum perturbationum, ac tempestatum omnium vitæ hujus velut tranquili sunt portus sacra martyrum septa [d]. » His subjicit varias ærumnas et pericula, pro quibus adiri martyres solent, et supplices suos adjuvant. Ut cum mater ægrotantem videt filium, statim martyris implorat auxilium. « Ad unum, inquit, martyrum accedens per illum postulationem suam offert Domino : hujusmodi mediatorem vocibus interpellans : Tu qui propter Christum passus es, intercede pro passione, ac morbo, etc. Tu ipse quoque martyres aliquando rogasti, antequam fieres martyr [e]. »

Intercessione.

Quin et causam postea reddit, cur per interventores sanctos ad Deum confugiamus. « Nam quia minime idonea est, inquit, oratio nostra ad flectendum Dominum in tempore necessitatis et calamitatis : siquidem oratio nostra non tam deprecatio est, quam pecca-

a CHRYSOST. tom. V, hom. LXXIII, vers. 20. Εἰ γὰρ οἱ τὰ μεγάλα κατωρθωκότες ἐπὶ τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων, ὀνόματα προβαλλόμενοι ἁγίων ἀνδρῶν, καὶ ἐπὶ τὴν προσηγορίαν Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ καταφεύγοντες ἔτυχόν τινος παραμυθίας, καὶ μεγάλην ἀπὸ τῆς μνήμης τῶν ὀνομάτων τούτων ἐκαρποῦντο τὴν ὠφέλειαν. πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς ὅταν μὴ ὀνόματα μόνον προβαλλόμενοι, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ ἀθλήσαντα σώματα, δυνησόμεθα τὸν Θεὸν ἵλεω ἔχειν, καὶ ἥμερον. καὶ προσηνῆ.

b CHRYSOST. Ἵν' ὁμοῦ καὶ εὐφραινόμενοι, καὶ κερδαίνοντες, καὶ ἐκεῖ σύσκηνοι τοῖς ἁγίοις τούτοις, καὶ ὁμοδίαιτοι γενέσθαι δυνηθῶμεν εὐχαῖς αὐτῶν τῶν ἁγίων.

c Ibid. hom. LXV, vers. 38. Καὶ μὴ μόνον ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς ταύτης, ἀλλὰ καὶ ἐν ἑτέραις ἡμέραις προσεδρεύωμεν αὐταῖς, παρακαλῶμεν αὐτὰς, ἀξιῶμεν γενέσθαι προστάτιδας ἡμῶν. πολλὴν γὰρ ἔχουσι παῤῥησίαν οὐχὶ ζωσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτήσασαι· καὶ πολλῷ μᾶλλον τελευτήσασαι· νῦν γὰρ τὰ στίγματα φέρουσι τοῦ Χριστοῦ. τὰ δὲ στίγματα ἐπιδεικνύμεναι ταῦτα, δύνανται πεῖσαι τὸν βασιλέα.

d ASTER. Οἱ δὲ ταῖς ἀνθρωπικαῖς περιστάσεσιν, ἢ συμφοραῖς πιεζόμενοι, ὡς ἐπί τι κρησφύγετον, τὰς ἀναπαύσεις τῶν τρισμακαρίων σπεύδουσι, πρεσβευτὰς αὐτοὺς τῶν εὐχῶν, καὶ αἰτημάτων διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς παῤῥησίας ποιούμενοι. Ἐντεῦθεν πενίαι λύονται καὶ ἰατρεύονται νόσοι, καὶ ἀρχόντων ἀπειλαὶ κοιμίζονται, πασῶν δὲ τῶν ταραχῶν, καὶ χειμώνων τοῦ βίου λιμένες εἰσὶν εὔδιοι οἱ ἱεροὶ τῶν μαρτύρων σηκοί.

e Ibid. Καὶ πρὸς ἕνα τῶν μαρτύρων ἐλθοῦσα, δι' ἐκείνου τῷ δεσπότῃ προσάγει τὴν αἴτησιν, τοιαύταις κεχρημένη πρὸς τὸν μεσίτην φωναῖς· παθὼν διὰ Χριστὸν, πρόσβευσον ὑπὲρ πάθους, καὶ νόσου, etc. Παρεκάλεσας καὶ σύ ποτε μάρτυρας, πρὶν γενέσθαι μάρτυς.

torum in memoriam revocatio : idcirco nos ad conservos Domino dilectos confugimus [a]. » Hæc et plura his Asterius ; ubi et latissime contra hæreticos excurrit, qui sanctorum intercessiones, et reliquias sacrilega temeritate contemnunt.

Hieronymi.

X. Hieronymus in epistola prima, sanctorum cum Christo regnantium pro vivis suffragationem commendat his verbis ; « Veniet, veniet postea dies ille, quo victor revertaris in patriam ; quo per Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas. Tunc municipatum cum Paulo capies ; tunc et parentibus tuis ejusdem civitatis jus petes : tunc et pro me rogabis, qui te, ut vinceres, incitavi. »

Et in epistola xxv *ad Paulam de obitu Blæsillæ*; « Pro te, inquit, Dominum rogat, mihique, ut de ejus mente securus sum, veniam impetrat peccatorum. » Quin idem insuper epistola xxvii quæ est *Epitaphium Paulæ*, hanc ipsam invocat; « Vale, inquit, o Paula ; et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides, et opera tua Christo te sociant. Præsens quod postulas facilius impetrabis. »

Sed copiosissime de hoc ipso disputat in libro *contra Vigilantium*, impurum nebulonem : qui adversus sanctos, eorumque cultum, ac reliquiarum venerationem, et cætera eodem spectantia impudenti ore, ac stylo depugnabat; tum vero intercessionem eorum abnegabat, eadem penitus usurpans, quæ simili in re obloqui solent hujus temporis hæretici. « Dicis, inquit in libello tuo, quod, dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus : postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio : præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli, et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti : quanto magis post coronas, victorias, et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam : Stephanus imitator Domini sui, et primus martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur : et postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt, etc. Denique sancti non appellantur mortui, sed viventes. » Quo nos item argumento Catholici contra Vigilantii sectatores hagiomachos uti consuevimus ad easdem diluendas calumnias.

Augustini.

XI. Jam Augustini infinita sunt ejusdem generis testimonia; ex quibus aliqua commemorari hic oportet. In sermone primo *de S. Stephano*, simili atque Hieronymus, aliique Patres, ratione sanctos mortuos exaudiri pro viventibus colligit : « Commendemus ergo nos orationibus ejus, ait. Multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis. » Rursus in sermone LI *de Diversis*, capite VI de eodem Stephano, cujus reliquiæ recens inventæ fuerant : « Triumphavit, inquit, coronatus est : latuit tanto tempore corpus ejus : processit quando Deus voluit : illuminavit terras : tanta miracula fecit et mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc commendo caritati vestræ, ut sciatis, quod orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. Nam invenimus etiam in libellis, qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi : et accepisse tamen postea beneficium, non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est, et dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani ; et responsum est illi ; Pro qua oras non est digna : hoc et hoc fecit. Et tamen institit, rogavit, accepit. » Qua ex Augustini narratione constat, libellos oblatos fuisse ab iis, qui interventu S. Stephani, et ejus invocatione sanitatem impetraverant a Deo, quibus revelatum sibi esse testabantur, quemadmodum orante pro ipsis Stephano, cunctatus esset Deus id quod ab illo petebatur concedere, eo quod digni non essent eo beneficio, pro quibus postulabatur : sed B. Martyrem nihilominus in orando perseverasse, et quod rogabat impetrasse. Atque hæc mitissimi Domini cum servo suo benigna certatio tantæ auctoritatis teste comprobata, magno adversus hagiomachos argumento esse debet, quam grata et accepta Deo sit invocatio sanctorum ; quamque sit ad exoranda quælibet efficax, et præpotens, si eam fides, et perseverantia comitetur ; quod sequentibus istis verbis Augustinus ibidem explicare pergit : « Dedit nobis intelligere, quia in cujus nomine faciebat (nimirum Stephanus) antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus ut beneficia impetren-

[a] Aster. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἀρκεῖ ἡ ἡμετέρα εὐχὴ δυσωπῆσαι Θεὸν ἐν καιρῷ ἀνάγκης, καὶ συμφορᾶς· ἡ γὰρ δέησις ἡμῶν οὐ παράκλησίς ἐστιν, ἀλλ' ἁμαρτημάτων ὑπόμνησις, διὰ τοῦτο τοῖς ἀγαπωμένοις ὑπὸ τοῦ δεσπότου ὁμοδούλοις προσφεύγομεν.

tur, quibus novit ea dari debere : ille autem tanquam servus orabat. »

XII. Ac de S. Stephano, ejusque reliquiis per id tempus inventis ac refossis; et ingentibus ubique per illius invocationem editis miraculis, latissime idem Augustinus agit in libro XXII *de Civitate Dei*, capite octavo. Cujus hæc tantummodo verba referam, quibus miraculorum per illum designatorum multitudinem ostendit. « Si miracula sanitatum, ait[1], ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi, et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri. Nec tamen omnia colligi potuerunt : sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari : et ea non debere multorum notitiæ deperire. »

Rursus in sermone *de Diversis* XCIV, capite V, SS. Paulum et Stephanum compellans, « Ambo ibi vos videtis, inquit, ambo vos sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate : ambos vos exaudiet, qui vos coronavit : etc. Orationibus suis commendent nos, ut quietam, et tranquillam vitam impetrent Ecclesiæ Domini sui. » Et in calce sermonis XCVI. « Et ideo conversi mecum deprecemur beatissimum martyrem Christi, ut meritis ipsius nobis imploret coronam in vita perpetua, ut cum eo simus in sæculorum sæcula. » Atque in fine sermonis XCIX. « Petamus eum, ut interpellet pro nobis, et pro peccatis nostris; ut eruat nos a tantis periculis, etc. Ipse dignetur nostra crimina sepelire. » Sic in libro *de Cura pro mortuis gerenda*, capite XVI quærit, *quomodo martyres* invocantibus se interesse possint : et id censet vel Angelorum ministerio, vel singulari Dei gratia fieri, « Deus, inquit, omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens martyrum preces per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbet hominibus ista solatia. » Sed in libro septimo *de Baptismo contra Donatistas* sub initium, « Adjuvet itaque nos in orationibus suis (ait de S. Cypriano loquens) in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube, laborantes, ut, donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur. »

[1] August. XXII *de Civit. Dei*. cap. VIII.

XIII. Vixit iisdem temporibus christiana sanctitate, doctrinaque celeberrimus Paulinus ille Nolanus episcopus ; Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Martini summorum virorum amicitia, et præconio commendatus. Quo nomine sanctius, et incorruptius censeri debet illius testimonium, quod cumprimis illustre dixit de eo, quem modo pertractamus, cultu sanctorum, et invocatione, nec non reliquiis eorumdem, et harum veneratione, ac cæteris, quæ idololatriæ, ac superstitionis infamia laborant apud hagiomachos. Hujus itaque sententias aliquot excerpam, quibus catholicum de sanctorum μεσιτεία dogma ab istorum calumnia vindicatur. In epistola XII mittit ad Severum versus aliquot in S. Clari memoriam elucubratos, in quibus opem illius implorat his verbis : Paulini. Intercessione.

« Qualibet in regione poli situs, aut paradisi,
Clare, sub æterna pace beatus agis ;
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogan- [tum ;
Ut sis Paulini, Therasiæque memor, etc.
Sic et tu pariter Clare, tuere pares
Non meritis, sed amore pares : tu sancte va- [lebis
Exorare, pares et meritis fieri. »

Et in panegyrico *de Obitu Celsi pueri*, hunc eumdem compellans ita canit :

« Sed tamen et nobis poterit tua gratia [longum
Vivere, si nostri sis memor ad Domi- [num, etc.
Celse, juva fratrem socia pietate laborans,
Ut vestra nobis sit locus in requie. »

Idem porro in S. Felicem Nolanum martyrem inclitum natales *Panegyricos* scripsit, in quibus illum sæpius invocat, et ejus opem ac beneficia postulat. Ut in primo sic,

« O pater, o domine, indignis licet annue [servis
Ut tandem, hanc fragili trahimus dum cor- [pore vitam,
Sedibus optatis, et qua requiescis in aula
Hunc liceat celebrare diem. »

Et in secundo *Natali :*

« — Nam te mihi semper ubique propin-
[quum
Inter dura viæ, vitæque incerta vocavi. »

Tum postea.

« O felix Felice tuo tibi præsule, Nole,
Inclyta cive sacro, cœlesti firma patrono, etc.
Sis bonus o, felixque tuis, Dominumque po-
[tentem
Exores, liceat placati munere Christi,
Post pelagi fluctus, mundi quoque fluctibus
[actis
In statione tua placido consistere portu. »

Et in calce *Natalis* sexti,

« Sed procul admotæ secreti Martyris aures
Suscepere pias ab inepto supplice voces,
Moxque resecta sacram senserunt lumina
[dextram, »

ait de bubulco, qui occæcatus visum per Martyrem recepit. Sic in *Natali tertio*[8]

Hæc vota tuorum
Suscipe, commendaque Deo : ut cum sedula
[cura
Servitium nostrum longo tibi penderit ævo,
Tunc demum placidos pietate laboris alum-
[nos
Absolvat mittente manu. »

Hujusmodi sunt in illis versibus alia non pauca, quæ longum sit referre.

Prudentii. XIV. Huic alterum subjiciemus ejusdem ætatis poetam, Prudentium ; cujus istiusmodi testimoniis scripta sunt referta : e quibus aliqua decerpam. Omitto insignem illum locum ex hymno *Peri Stephanon* quem alibi retuli[1]. In hymno secundo de B. Laurentio sub finem, declarat quantum in hoc martyre præsidii sit Romanæ civitati constitutum : quem et ipse demum invocat.

« Quæ sit, inquit, potestas credita
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat
Fer impetratum prospere.
Poscunt, ditantur, indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi poetam rusticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus, agnosco, et scio
Quem Christus ipse exaudiat.
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium :
Et servientem corpori
Absolve vinclis sæculi. »

Et in hymno quinto, *de S. Vincentio* sic eum precatur denique.

« Adesto nunc, et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris, etc.
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet. »

Tum sub finem hymni noni *de S. Cassiano*,

« Audit, crede, preces Martyr prosperri-
[mus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles. »

Item in fine hymni XIII *de S. Cypriano*,

« Denique doctor humi est : idem quoque
[martyr in supernis,
Instruit hinc homines : illinc pia dona dat
[patronus. »

Mitto alia, quæ passim apud illum occurrunt.

XV. Gaudentius Brixianus Ambrosii æqualis in tractatu XVII *de Dedicatione basilicæ sanctorum quadraginta martyrum*, post enumeratas reliquias variorum martyrum, quas ibi collocaverat, ad extremum ita concludit : « Tot igitur justorum patrocinio adjuvandi, tota fide, omnique desiderio supplices secundum eorum vestigia curramus : ut ipsis intercedentibus universa quæ poscimus adipisci mereamur. » Gaudentii.

1 Lib. II *de Aug.* cap. IX.

Maximi Taurinensis.

Maximus quoque Taurinensis episcopus in homilia *de Natali S. Agnetis*, eam clausulam exhibet; « Itaque, o splendida Christo, pulchra Dei filio, et omnibus Angelis, et Archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, ut nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam. »

Et in homilia *de Natali sanctorum Tauricorum martyrum*, sub initium, « Licet, inquit, universi sancti ubique sint, et omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. » Ac paulo post : « Cuncti igitur martyres devotissime percolendi sunt : sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant : isti etiam adjuvant passione. »

Antonini.

Antoninus episcopus Constantinensis in epistola *ad Arcadium* ab Genserico damnatum exilio, « Qualis eris, inquit, cum Petrum et Paulum, quos rogare solebas ut patronos, habebis amicos? »

Leonis Papæ.

Jam Leo Romanus pontifex cognomento Magnus patronos Urbis, et intercessores apud Deum sanctos Apostolos agnoscit Petrum et Paulum; de quibus ita loquitur in sermone primo *de eorum Natali* : « Sicut autem et nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos : ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur. »

Et sermone secundo de iisdem Apostolis, Petrum ait pro Romanis *orare*, *ut nulla tentatione superentur*. Tum in sequenti sermone, qui in octavam Apostolorum illorum inscribitur, « Ad emendationem nostram utamur, inquit, lenitate parcentis : ut beatus Petrus, et omnes sancti, qui nobis in multis tribulationibus affuerunt, obsecrationes nostras pro vobis apud misericordem Deum adjuvare dignentur. »

Sic in sermone *de S. Laurentio*, « Cujus oratione, inquit, et patrocinio adjuvari nos sine cessatione confidimus. » Tum in sermone primo *de Jejunio septimi mensis* : « Sabbato, inquit, apud beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus : cujus suffragantibus meritis ab omnibus tribulationibus mereamur absolvi. » Et in sermone tertio, « Cujus meritis, et orationibus confidimus nobis per omnia misericordiam Dei nostri esse præstandam, ; » quod ipsum in sequentibus repetit sermonibus, quarto, quinto, septimo, nono : et mediatorem illum, ac patronum esse luculenter attestatur.

Theodoreti.

XVI. Egregius est Theodoreti locus in sermone octavo de curandis Græcorum affectionibus, qui *de Martyribus* inscribitur. Quo in sermone, sanctorum martyrum, qui a Christianis coluntur, decus, et gloriam longe antecellere demonstrat deorum illorum honoribus, qui apud gentiles celebrari solebant : necnon sapientum, et ducum, imperatorumve, qui virtute bellica, aut potentia præstiterunt. Horum quippe memoriam diuturnitate temporis oblitteratam fuisse; illorum vero, perennem et in dies florentem, in hominum laude ac prædicatione versari; siquidem innumera postulari ab illis, et impetrari beneficia; quorum testes sunt appensa in eorum basilicis donaria, et monumenta recuperatæ sanitatis, aut periculorum generis omnis illorum invocatione discussorum. « Alii, inquit, sani et incolumes sanitatem hanc sibi conservari petunt. Alii morbo aliquo conflictantes, hunc depelli petunt. Rogant et filios qui iis carent : et steriles feminæ, matres fieri postulant : et qui donum istud adepti sunt, salvum id sibi conservari petunt; Rursus qui peregre proficiscuntur, illos orant ut viæ sibi comites sint, ac duces : qui sospites redierunt pro accepto beneficio gratias offerunt : non ut, tanquam Deos, illos adeant : sed tanquam divinos homines orantes, et ut pro se sint intercessores obsecrantes[a]. »

Idem insuper in religiosa historia, de Thalelæo sanctissimo viro solitariam agente vitam refert, ipsum sanctorum martyrum

[a] THEODORET. Καὶ οἱ μὲν ὑγιαίνοντες αἰτοῦσι τῆς ὑγείας τὴν φυλακήν. οἱ δέ τινι νόσῳ παλαίοντες τὴν τῶν παθημάτων ἀπαλλαγὴν. αἰτοῦσι δὴ καὶ ἄγονοι παῖδας, καὶ στέριφαι παρακαλοῦσι γενέσθαι μητέρες, καὶ οἱ τῆς δὲ τῆς δωρεᾶς ἀπολαύσαντες, ἀξιοῦσιν ἄρτια σφίσι φυλαχθῆναι τὰ δῶρα. Καὶ οἱ μὲν εἰς τίνα ἀποδημίαν στελλόμενον λιπαροῦσι τούτους ξυνοδοιπόρους γενέσθαι, καὶ τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνας· οἱ δὲ τῆς ἐπανόδου τετυχηκότες, τὴν τῆς χάριτος ὁμολογίαν προσφέρουσιν, οὐχ ἧς θεοῖς αὐτοῖς προσιόντες· ἀλλ' ὡς θείους ἀνθρώπους ἀντιβολοῦντες καὶ γενέσθαι πρεσβευτὰς ὑπὲρ σφῶν παρακαλοῦντες

1 Tom. III *Bibl. Patr.*

exædificassé templum, atque ita caput concludit : « Horum utinam intercessionibus et iste cum eadem victoria certaminum finem obtineat, et nos ab illis, necnon ab isto ipso sublevati ardentes simus amatores philosophiæ certaminum [a]. »

Philo Carpathius *in Cantica canticorum.* « Clamat, inquit[1], ad Apostolos, Prophetas, ac martyres, quibus se mater Ecclesia commendare non cessat, ut quos post Christum habuit suæ fidei, et salutis auctores, eosdem habeat defensores, tutoresque perpetuos, et perfectores suæ spei apud eumdem cœlestem sponsum. Cui quidem nunc custodes illi beati spiritus in cœlesti illa Hierusalem felicissime assistunt, ac supplicant pro sponsa hac militante, mortali carne adhuc velata, studiosa tamen divini sui sponsi, planeque percupida illius assequendi; ob idque caritate ardens non modo rogat Apostolos ipsos, ac cæteros fidelissimos patronos suos sese Deo commendari, verumetiam quasi adjurando cogit , » etc. Vide Basilium Seleuciensem in calce libri primi *de S. Thecla.*

Auct. hom. *de S. Stephano.*

XVII. Auctor homiliæ tertiæ *de S. Stephano* quæ sub Eusebii Emisseni nomine vulgata est, et Eucherii putatur esse Lugdunensis episcopi, martyres ait « ad hoc a sollicitis fidelibus excoli , ut sedulis cultoribus suffragentur. » Et in homilia XLIX *de sanctis martyribus Epipodio, et Alexandro*, « Ideo, inquit, indigenarum martyrum cultus, et honor specialium patronorum,sicut peculiare dat gaudium, ita proprium requirit affectum. » Ubi *patronos* illos vocat, hoc est *mediatores.* Et in homilia L *de Natali sancti Genesii* , « Fidelis , ait , populi peculiarius exultantes de perpetui propugnatoris auxilio, ferunt ad tumulum vota, de tumulo votorum referunt gaudia. Pulsant hi precibus; respondet ille virtutibus : vincuntur per quotidiana martyris beneficia alumnæ urbis obsequia. Unde merito in prosperis colunt, quem præsentem in periculis cognoverunt. Frequentibus itaque tribulationibus approbarunt quantum apud Deum possit proprius suffragator. »

Auct. hom. *de SS. Nazario et Celso.*

Apud Ambrosium exstat homilia *de SS. Nazario, et Celso*, numero quartadecima, quæ Ambrosii germana, certe Mediolanensis cujuspiam antistitis videtur. Nam in ea Martyres illos indicat suæ, hoc est Mediolanensis ecclesiæ proprios esse : quanquam etsi extranei forent, nihilominus patrocinium suum præstarent. « Nostros enim eos fides faceret, ait, et remotis quamlibet finibus sperata nobis patrocinia conrogarent. Studiorum si quidem sunt hujusmodi suffragia , non locorum. Proinde apud domesticos Dei tantum intercessionis promerueris, quantum venerationis impenderis : » Et postea : « Licet hic Mediolanensium peculiaris putetur privilegio sepulcri; sed omnium est communione suffragii. Neque enim istius urbis caritas proflua, et fides avara tantum huic martyri derogaverit, dum sibi arrogat, ut solum erga mœnia sua patrocinii illius beneficia adfutura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique martyrem, ubique te exaudit ille, qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo, qui pensat vota tua et dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis exibetur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti.» Et paulo post; « Quæ cum ita sint, honoremus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. »

Gregorii Papæ.

XVIII. Gregorius Papa homilia XXXII de sanctis Processo, et Martiniano loquens, « Hos ergo, fratres carissimi, inquit, in causa vestri examinis, quam cum districto judice habebitis, patronos facite. Hos in die tanti terroris illius defensores adhibete. Certe si apud quemdam magnum judicem causa quælibet vestra esset die crastino ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur; patronum vestra fraternitas quæreret; magnis precibus ageret, ut apud tantum judicem sibi defensor veniret. Ecce districtus judex Jesus venturus est : tanti illius angelorum, archangelorumque concilii terror adhibetur. In illo conventu causa nostra discutitur : et tamen nos patronos modo non requirimus, quos tunc defensores habeamus. Adsunt defensores nostri sancti martyres, rogari volunt, atque, ut ita dixerim, quærunt, ut quærantur. Hos ergo adjutores vestris orationibus quærite. Hos protectores vestri reatus invenite. »

a Theod lib. *de Relig. histor.* cap. XXVIII. Ταῖς δὲ τούτων εἴη πρεσβείαις, καὶ τοῦτον μετὰ τῆς αὐτῆς νίκης τῶν ἀγώνων τὸ τέρμα καταλαβεῖν, καὶ ἡμᾶς ὑπὸ τούτων, κἀκείνου βοηθουμένους ἐραστὰς γενέσθαι θερμοὺς τῶν τῆς φιλοσοφίας ἀγωνισμάτων.

1 Tom. I *Bibl. Patr.*

Bedæ. Beda homilia *in Dominicam secundam Quadragesimæ*, « Tanta, inquit, perseverandum instantia; tam obstinato frequentandus clamore Salvator; tantum etiam sanctorum ejus inter litanias appetenda suffragia, donec et ipsi de cœlis Domino pro audienda supplicent Ecclesia. »

Theodulphi. Theodulphus Aurelianensis episcopus in epistola *ad parochiæ suæ sacerdotes*, hortatur unumquemque fidelium, « ut solo Deo creatore suo adorato sanctos invocet, ut pro se intercedere ad majestatem divinam dignentur. »

Eidem suffragatur et Albinus Flaccus, qui in libro *Sacramentorum* varias orationes proponit, quibus per sanctorum intercessiones multa a Deo beneficia postulantur. Et in epistola xxx. « Sanctorum festivitates, ait, cum laude divina et pauperum eleemosyna frequenter honora : quatenus illorum mercaris intercessione illorum esse particeps beatitudinis. »

P. Damiani. Petrus item Damiani serm. LV in festo omnium sanctorum, « Isti sunt, inquit, advocati, quos apud judicem habemus. Pro quo isti intercesserint, sententiam non timet capitalem. » Bernardi vero crebra sunt, et diserta de eadem re testimonia. Ut in sermone LXII *in Cantica*, verba hæc *Ecclesiastici* XXXV. *Oratio justi penetrat cœlos*, de sanctis explicat : « Sunt, inquit, cœli sancti, vivi, rationales, qui enarrant gloriam Dei ; qui favorabili quadam pietate nostris se votis libenter inclinant, et insinuatis ad tactum nostræ devotionis affectibus in sua nos recipiunt viscera, quoties digna ad eos intentione pulsamus. » Et in sermone *de Vigilia SS. Petri et Pauli*, in sancti cujusque festo considerandum ait primo « auxilium ejus : quia qui potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus et oravit pro eis : nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem : quia beata illa patria caritatem ejus non immutavit, sed augmentavit. » Et paulo post : « Si ergo in sanctorum festivitatibus et gaudere, et confundi debemus : gaudere, quia patronos præmisimus : confundi, quia eos imitari non possumus, » Et sermone primo in eosdem Apostolos : « Hi mihi traditi sunt in magistros et mediatores : quibus secure me committere possum ; quia et notas mihi fecerunt vias vitæ, et mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum et quæ in cœlis, et quæ in terris sunt. » Vide et sermonem XXVII ejusdem *super Cantica*. His antiquior Theophanes Cerameus Græcus scriptor in homilia LXII et ultima, « Adhibeamus, inquit, mediatores apud Deum sanctos, tum alios, tum præcipue purissimam Dominam [a]. » Theophanis Ceramei.

XIX. Pertinet quoque ad ejusdem dogmatis approbationem consuetudo pervetus Ecclesiæ catholicæ : ex qua illud in Liturgiis, et sacrificiis rite est institutum, ut sanctorum nomina recitarentur. Cujus moris meminit Epiphanius hæresi LXXV, ubi tam justorum et sanctorum nomina percenseri, quam peccatorum refert [1] : sed horum ideo, ut venia et misericordia ipsis impetretur a Deo ; illorum autem, ut Christi veri Dei et hominis excellentia demonstretur, qua mortale genus præstat : eo quod inter illos minime appellatur. Verum alii clarius, et distinctius rationem consuetudinis istius explicant : ac mentionem fieri sanctorum vita functorum asserunt, ut eorum precibus adjuventur nostræ ; cæterorum vero, ut ipsimet orationibus nostris, et sacrificiis subleventur. De hoc Cyrillus Hierosolymitanus *in catechesi mystagogica* quinta scribit : « Ac post confectum spirituale sacrificium, et incruentum cultum in illo propitiationis sacrificio, oramus, inquit, Deum pro communi Ecclesiæ pace [b], » etc. Mox, « Rogamus te omnes, et hoc tibi sacrificium offerimus, ut meminerimus eorum, qui jam dormierunt : primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum ; ut Deus illorum precibus, et intercessionibus preces Eadem probatur ex variis liturgiis.

a THEOPH. Προσληψώμεθα πρὸς Θεὸν μεσίτας τοὺς ἁγίους, τούς τε ἄλλους, καὶ κατεξαίρετον τὴν ὑπεράγιον δέσποιναν.

b CYRILL. *Cat.* V *Myst.* Εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης, παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, etc.

Δεόμεθά σου πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν, ἵνα μνημονεύωμεν καὶ τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, Ἀποστόλων, μαρτύρων· ὅπως ὁ Θεὸς εὐχαῖς αὐτῶν, καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν, εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμένων ἁγίων πατέρων, καὶ ἐπισκόπων, καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων, μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας, καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας.

1 Epiph. hæres. LXXV, § 7.

nostras suscipiat. Deinde pro iis, qui jam defuncti sunt sanctis patribus, et episcopis, et omnibus omnino, qui jam inter nos obdormierunt, rati magnam utilitatem percepturas esse animas, pro quibus offertur oratio, dum sanctum illud, maximeque tremendum sacrificium proponitur. » Vides discrimen recitandorum inter Missæ sacrificia nominum : et quemadmodum sancti vitæ jam æternæ compotes tanquam intercessores, ac mediatores appellentur; cæteri vero, ut solemnibus precibus adjuventur.

Orationes ro mortuis intra missarum solemnia.

Eamdem differentiam indicat Augustinus in sermone CVII *de Diversis*, capite secundo. « Nam si facile est, inquit, mortem ferre, quid magnum martyres pro Domini morte pertulere ? Unde magni, unde excelsi, unde cæteris hominibus multo florentius coronati? Unde, quod norunt fideles, distincti a defunctis loco suo martyres recitantur; nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur ? » Et in sermone XVII *de verbis Apostoli*, capite primo : « Ideoque habet, inquit, ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres recitantur ad altare Dei; ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris vero commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare : cujus nos debemus orationibus commendari. »

Egregium et illud est ejusdem e tractatu LXXXIV *in Joannem*. Ibi cum Apostoli Petri verba ista retulisset, *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* [1]; mox ita loquitur; « Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt : quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo et ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus; oportet, ut quemadmodum ipsi, et nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt; ut etiam pro eis oremus : sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus : quia impleverunt ipsi caritatem, qua Dominus dixit non posse esse majorem. » Meminit et hujus martyrum appellationis oblationis, et sacrificii Christiani tempore fieri solitæ Joannes Chrysostomus homilia XXI in fine.

Nec prætereundus est Jonæ Aurelianensis locus ex libro primo *de Cultu imaginum*[2]. In quo Claudium Taurinensem cultum sanctorum eodem, quo hodierni hagiomachi, furore, ac calumnia oppugnare conantem refellit sic. « Salutem sane animæ nostræ a solo Deo dari fideliter credimus. Sed quia meritis nostris præpedientibus, eam ab eo nancisci non meremur, si suffragiis cœlestium, sive sprritualium creaturarum illis non compotes fore veraciter confidimus, nequaquam creaturæ (ut scripsisti) sed potius creatori servire comprobamur. Aut si per sanctorum suffragia salus animarum non acquiritur, ut quid eorum intercessio in Missarum celebrationibus, et cæteris humillimis supplicationibus, apud divinam majestatem flagitatur ? Salus igitur animæ scimus quia nonnisi a Deo datur. Sed fideliter credimus, quod per eorum interventum nobis immeritis ab eo largiatur : et pro eo quod id credimus, non creaturæ, sed Creatori nostro servimus. »

XX. Antiquissimus sane ritus iste est, Christiano in sacrificio, sanctos præsertim martyres appellandi, implorandique illorum apud Deum patrocinii. Cujus memoria exstat in omnibus Liturgiis Latinis pariter et Græcis.

Antiquissimus in S. sacrificio Sanctos appellandi ritus.

Ut in libro *Sacramentorum* Gregorii Papæ[3], et in *Ordine Romano* de divinis officiis apparet[4] : ex quorum præscripto in Ecclesia catholica bis sanctorum nomina recitantur, ante, et post consecrationem : et eorum meritis precibusque Dei protectio postulatur. « In hac autem commemoratione sanctorum, ait Albinus Flaccus [5], beata Dei genitrix primum ponitur : per quam, et illi, et nos meruimus auctorem vitæ suscipere : et jungitur commemoratio sanctorum Apostolorum, et Martyrum, etc. Propter merita namque, et intercessionem justorum Dominus miseretur; ut in omnibus sive prosperis, sive adversis, protectionis ejus muniamur auxilio, etc. Sic et Moyses pro populo peccante intercedens, patrum facit memoriam. Ezechiæ auxilium petenti dicitur : Civitatem hanc protegam propter me, et propter David servum meum.»

Meminit et Walafridus Strabo appellationis illius sanctorum[6], necnon Florus in *expositione Missæ* [7]: qui hæc adnotat ex Albino Flacco sumpta : « Propter merita namque, et intercessiones sublimium justorum, quos intercessores, et patronos quærimus nostræ infirmitati, Dominus miseretur, et propitiatur, » etc,

In Græcis quoque Liturgiis fit eadem com-

1 I *Pet.* II, 21. — 2 Jonas tom. IV *Bibl. Patr.* — 3 Sub initio. — 4 Tom. X *Bibl. Patr.* — 5 Albin. Flacc. li . *de Divin. off.* tom. X. *Bibl. Patr.* — 6 Wal. Strabo *de reb. Eccles.* — 7 Tom. VI *Bibl. Patr.*

memoratio sanctorum. In ea, quæ *Jacobi* inscribitur, ita scriptum est : « Sanctissimæ, inviolatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, Dei genitricis, et semper Virginis Mariæ, et omnium sanctorum, ac justorum memoriam faciamus, ut precibus, et intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur [a]. »

Sic in *Liturgia S. Joannis Chrysostomi*, « In honorem, inquit, et memoriam superbenedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis, et semper virginis Mariæ : cujus intercessionibus suscipe, Domine, sacrificium hoc in supercœleste tuum altare [b]. » Mox sanctos omnes confessores, et martyres commemorat : « quorum precibus visitari se a Deo rogat [c] : Atque hæc sanctorum imploratio non raro *Liturgiis* in illis repetitur. Ut verum sit quod in libro *de Panibus* Petrus Cellensis abbas dixit [1], « Ad sancta altaria indefesse omnium sanctorum quotidie fieri commemorationes. »

Eadem SS. intercessio probatur ex conciliorum decretis.

XXI. His accedit œcumenicæ septimæ synodi auctoritas; quæ actione quarta, in *Decreto fidei* sancivit, venerandos esse sanctos omnes, « et eorum intercessiones postulandas, utpote quæ nos conciliare possint summo regi universorum Deo [d]. »

Et antea in Turonensi primo concilio provinciali, quod Hilario Papa celebratum est anno Christi 461, Patres ita decreta sua concluserunt : « Et humilitatis nostræ constitutio, ut adjuvante Domini misericordia valeat custodiri, sancti, ac beatissimi sacerdotis domini Martini, quæ Deo accepta est, obtinebit intercessio. » Satis arbitror testimoniorum hucusque congessimus, ut illud adstrueremus; sanctorum cultum, et invocationem, hoc est μεσιτείαν, ecclesiæ Christianæ usu, et professione sancitam fuisse : Ut ex his hodiernorum hagiomachorum vel inscitia, vel impudentia, temeritasque damnetur : quibus hoc institutum displicet adeo, ut idololatriæ notam ei subscribant. Contra quos paulo postea ex professo de ea re disputabimus, eorumque cavillationes omnes, et indoctas tergiversationes Catholicæ vetustatis auctoritate diluemus. Quod antequam facimus, pauca, quæ ad idem pertinent argumentum, de honore sanctorum, et advocatione, superioribus annectenda sunt; velut de monimentis illorum, ac reliquiis, quæ in perpetua temporum omnium veneratione fuisse versata, sequens caput ostendet. Nam et istis obtrectare solent catholicæ, ac Romanæ communionis inimici; quos quidem non tam argumentorum vi, quam auctoritatis pondere frangendos esse, tum res ipsa docet, tum catholicorum disputatorum iisdem in tractandis controversiis instituta, et exempla declarant.

CAPUT XI.

De sanctorum reliquiis, earumque veneratione, Græcorum et Latinorum Patrum concordes cum catholicæ Ecclesiæ dogmate, ac consentientes sententiæ.

Reliquiæ SS ab olim in honore habitæ.

I. Vetus, ac perpetuus ille mos est ecclesiæ Christianæ, corpora sanctorum, ac reliquias in honore ac pretio habere; necnon dies illis festos consecrare, et in eorum memoriam altaria, templaque constituere : quod hodieque in Romana, et catholica parte perseverat. Id quoniam hæreticis minime probatur, juvat ex antiquorum testificatione diligentius affirmare hoc in capite : ut illos levitatis, ac temeritatis pudeat suæ : ac vel hoc uno indicio documentoque colligant, alienos ab veræ, ac germanæ se Ecclesiæ esse consortio ; cujus mores et instituta non improbant solum ; sed etiam intolerabili arrogantia, et furore condemnant.

Quod igitur sanctorum, præsertimque martyrum corpora, cineres, ossa, et reliquias ex antiquo christianus populus ingenti cultu dignatus fuerit, eoque facto demereri se illos, ac per ipsos Deum propitium, et exorabilem

a Litur. Jacobi tom. XII *Bibl.* Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερενδόξου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων, καὶ δικαίων μνημονεύσωμεν, ὅπως εὐχαῖς, καὶ πρεσβείαις αὐτῶν οἱ πάντες ἐλεηθῶμεν.

b Ibid. Εἰς τιμὴν, καὶ μνήμην τῆς ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· ἧς ταῖς πρεσβείαις πρόσδεξαι, Κύριε, τὴν θυσίαν ταύτην εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον.

c Ibid. Καὶ πάντων τῶν ἁγίων, ὧν ταῖς ἱκεσίαις ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ὁ Θεός.

d Tomo V conc. Καὶ ἐξαιτεῖσθαι τὰς τούτων πρεσβείας, ὡς δυναμένας ἡμᾶς οἰκειῶσαι τῷ παμβασιλεῖ τῶν ὅλων Θεῷ.

1 Petr. Cell. tom. VI *Bibl. Patr.*

Testimonia veterum. Smyrnensis ecclesiæ.

habere crediderit, testatur imprimis ecclesia Smyrnensis in epistola encyclica, quam de actis, et morte Polycarpi episcopi sui scripsit imperantibus M. Aurelio, et Lucio Vero, circa annum Christi 167, quod illustre monimentum christianæ antiquitatis ab interitu vindicavit, historiæque suæ intexuit Eusebius Cæsariensis in libro IV, capite xv. Ibi post expositam passionis illius narrationem, refert ad extremum apud proconsulem egisse Christianorum hostes, « Ut ne corporis ipsius potestatem illis faceret, ne crucifixo relicto, venerari hunc (aiebant) incipiant[a]. » Hoc cum Judæi potissimum urgerent, centurionem ait corpus sacrum incendio consumpsisse. « Ita nos, inquiunt Smyrnenses, sublatis postea ossibus illius, quæ quibusvis pretiosiora lapillis, et auro probatiora erant, ibi ea ubi par erat reposuimus. Quo in loco, pro eo ac poterimus, in exultatione ac lætitia, dabit nobis Dominus congregatis natalem martyrii illius celebrare diem : tum ad eorum memoriam, qui antea certamine functi sunt ; tum ad illorum, qui postea sunt passuri, exercitationem, et præparationem[b]. »

Eusebii.

II. Eusebius idem in libro XIII *de præparatione Evangelica*, capite xi, cum Platonis verba ex libro V *de Republica* protulisset, quibus censebat, eos qui in acie fortiter pugnantes occidissent, « tanquam bonos genios coli oportere ; et conditoria corporum illorum adoranda esse[c] : » hæc ipsa transfert ad Christianæ religionis institutum, his verbis : « Atque hæc ad Deo carorum hominum mortem, quos veræ religionis milites jure dixeris, accommodare convenit. Unde et nos ad eorum adire sepulcra consuevimus : et ad illa preces, et vota nuncupare : tum beatas eorum animas honore prosequi : tanquam nos illa ipsa præstare rationi sit consentaneum[d]. » Hæc Eusebius de Christianorum pio ac religioso cultu, quem sanctorum vita functis corporibus, et animis exhibere solebant, et ad eorum sepulcra precibus ac votis divinam sibi conciliare clementiam. At vero Trapezuntius, qui Latina sua interpretatione non tam Eusebio lucem attulit, quam eo fœde laniando ac depravando, justam de se querelam posteris reliquit, nonnulla de suo ad illum locum attexuit : quæ viris summis in sola intentis Latina fraudi fuerunt[1]. Sic enim postrema vertit, « votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur ; » quæ in Græco minime comparent.

Cyrilli Hier.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi XVIII de resurrectione disputans, deque Elia, et Elisæo, et ab utroque suscitatis agens, posteriorem hunc ait bis mortuum excitasse, in vita, et post mortem. « Vivus enim, inquit, resurrectionem effecit per animam suam : sed ut non solum animæ justorum honorentur ; verum etiam credatur vim quamdam inesse justorum corporibus, qui in Elisæi sepulcrum abjectus erat mortuus, ubi mortuum prophetæ corpus attigit, vivificatus est[e]. » Quod et subinde probat sic. Nam si sudaria[2], et semicinctia Pauli, quæ extra corpus erant ipsius, ægros admota sanabant, quanto id magis de sanctorum par est credi corporibus, quæ vim trahunt ex animis, quibus diu domicilium præbuerunt ?

Basilii.

III. Basilius in homilia vicesima *de Quadraginta martyribus* dicit, illorum reliquias per varia loca dissipatas fuisse, quibus et ornamento sint, et præsidio. Tum in homilia *ad Psalmum* CXV et hæc verba, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* : obser-

a Eus. lib. IV, cap. xv. Ὥστε μὴ δοῦναι αὐτοῦ τὸ σῶμα· μὴ φησίν, ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον τοῦτον ἄρξονται σέβειν.

b Ibid. Οὕτω τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν, καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ, ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. ἔνθα, ὡς δυνατὸν ἡμῖν, συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χαρᾷ παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε, καὶ ἑτοιμασίαν.

c Plato V *de Rep.* Καὶ τὸν λοιπὸν δὴ χρόνον, ὡς δαίμονας γεγονότας, οὕτω θεραπεύσομέν τε, καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας. Ita Euseb. lib. XIII *de Præp.* apud Platonem vero legitur, ὡς δαιμόνων οὕτω θεραπεύσομεν, etc.

d Euseb. lib. XIII *de Præp.* Καὶ ταῦτα δὲ ἁρμόζει ἐπὶ τῇ τῶν θεοφιλῶν τελευτῇ, οὐ στρατιώτας τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας οὐκ ἂν ἁμαρτοις εἰπὼν παραλαμβάνεσθαι· ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς, παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾷν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων.

e Cyrill. Ζῶν μὲν γὰρ ἐνήργησε τὴν ἀνάστασιν διὰ τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς. Ἵνα δὲ μὴ μόνον τιμηθῶσι τῶν δικαίων αἱ ψυχαὶ, πιστευθῇ δὲ ὅτι καὶ ἔγκειται ἐν τοῖς τῶν δικαίων σώμασι δύναμις, ὁ ῥιφεὶς ἐν τῷ μνημείῳ τοῦ Ἐλισσαίου νεκρὸς τοῦ νεκροῦ σώματος τοῦ προφήτου ἐφαψάμενος, ἐζωποιήθη.

1 Ut Bellarm. Lib. I, cap. xix. — 2 *Act.* xix, 12.

vat, in veteri lege mortuorum corpora pro immundis habita fuisse : in nova autem lege secus rem habere. « Modo vero quisquis ossa martyris attigit, nonnullam sanctificationis communionem percipit ex ea gratia ; quæ corpori illius insidet[a]. »

Et in homilia *de S. Julitta martyre*, refert flammam, in quam est conjecta, ejus quidem animam a corpore disjunxisse, ipsum vero integrum servasse. « Quod nunc, inquit, in præstantissimo templi urbis vestibulo collocatum, locum quidem sanctificat : sed et eos præterea, qui ad eum conveniunt[b]. » Addit hoc insuper miraculum, quod ex illius corpore ibidem est factum : fontem ex illo erupisse loco dulcis et salubris aquæ, cum cæteræ circumquaque salsæ essent.

Idem in epistola CCXLI, martyrum reliquias mitti ad se rogat, et in CDVIII Arcadio episcopo gratulatur, quod Basilicam conderet ; ac promittit, se martyrum reliquias, sicubi reperire poterit, ad eum destinaturum[c].

Gregorii Naz.

Gregorius Nazianzenus oratione XVIII *in S. Cyprianum*, testatur hujus reliquias, sacrosque cineres dæmones expellere, morbos sanare, et alia mirabilia facere. « Quæ omnia Cypriani, inquit, vel pulvis ipse potest, si fides adsit ; ut experti norunt ; et qui rem gestam ad nostram usque memoriam propagarunt, et in consequentia tempora transmittent[d]. »

Idem in oratione tertia, quæ prima est *in Julianum* invectiva, acerrime hunc Apostatam insectatur, quod ut adversus cæteros omnes Christianæ cultus religionis, ac cæremonias, ita contra martyres hostile suscepisset odium ; et eorumdem vim ad mirifica quædam præstanda, et reliquiarum saluberrimam efficacitatem gravi vehementique oratione commendat. Tune illos reveritus non es, « Quibus præclari, inquit, honores, et festa constituta sunt, a quibus dæmones expelluntur, et morbi curantur ; quorum apparitiones, et prædictiones, quorum vel sola corpora tantumdem possunt, ac sanctæ eorum animæ, sive tangantur, sive honorentur : quorum vel stillæ sanguinis solum, et exigua passionis signa idem efficiunt quod corpora ? Hæc non colis, sed contemnis[e] ? »

Præclare itaque Nazianzenus Gregorius reliquiarum vim et sanctitatem, ac debitam iis venerationem ab ecclesia Christiana tribui solitam describit ; et hodiernis hæreticis Juliani desertoris institutum tenentibus pudorem, ac silentium indicit.

Idem in Iambico carmine de virtute præclare sanctorum reliquiarum venerationem vimque declarat hunc in modum :

Τοσοῦτο δ' ἐστὶ τῆς ἀληθείας* σέβας,
Ὡς καὶ κόνιν βραχεῖαν, ἤ τι λείψανον
Ὀστῶν παλαιῶν, ἢ τριχῶν μικρὸν μέρος.
Ἢ καὶ ῥακώματ', ἤ τι καὶ ῥαντισμάτων
Σημεῖον, ἀρκεῖν εἰς ὅλου τιμήν ποτε.
Καὶ κλῆσίν ἐστιν ἅγιον τὸ λείψανον.
Τόποις δοθεῖσαν ἀνθ' ὅλου τοῦ μάρτυρος,
Τὴν ἰσχὺν ἴσαν λαβοῦσαν. ὢ τοῦ θαύματος.
Σώζει γὰρ οἶμαι καὶ τὸ μεμνῆσθαι μόνον.
Τί δ' εἰ λέγοιμι καὶ νόσων, καὶ δαιμόνων
Κάθαρσιν ἔνθεν ἄπιστον, ἄχρι σημάτων
Ἀσωμάτων ποτ' ἠξιώθη τιμίων,
Ἀντιστατούντων πνευμάτων ἐπιδρομαῖς,
Τοιαῦτ' ἀθλητῶν τῶν ἐμῶν τὰ θαύματα.

* Lege ἀθλήσεως (suscepti certaminis).

« Tanta porro est veritatis veneratio,
Ut vel exiguus pulvis, aut aliquod reliquiarum
Ossium vetustorum : vel capillorum particula :
Aut panniculi ; aut aspersi cruoris
Nota quæpiam, ad totius honorem aliquando
[sufficiant :
Et appellatione sanctæ sunt reliquiæ :
Cum certis locis attributæ fuerint illæ pro toto
[martyre :
Eadem quippe vi præditæ. O miraculum !
Salutem enim affert etiam sola recordatio.
Quid si commemorem illud, quod morbo-
[rum, ac dæmonum

a Basil. Νυνὶ δὲ ὁ ἁψάμενος ὀστέων μάρτυρος λαμβάνει τινὰ μετουσίαν ἁγιασμοῦ ἐκ τῆς τῷ σώματι παρεδρευούσης χάριτος.

b Idem. Ὅπερ ἐν τῷ καλλίστῳ προτεμενίσματι τῆς πόλεως κείμενον ἁγιάζει μὲν τὸν τόπον, ἁγιάζει δὲ τοὺς εἰς αὐτὸν συνιόντας.

c Basil. Ἐὰν δὲ δυνηθῶμεν περινοῆσαι λείψανα μαρτύρων, εὐχόμεθα καὶ αὐτοὶ συμβαλέσθαι ὑμῶν τῇ σπουδῇ.

d Nazianz. Τὴν τῶν δαιμόνων καθαίρεσιν, τὴν τῶν νόσων κατάλυσιν, τὴν τοῦ μέλλοντος πρόγνωσιν. ἃ πάντα δύναται Κυπριανοῦ καὶ ἡ κόνις μετὰ τῆς πίστεως. ὡς ἴσασιν οἱ πεπειραμένοι, καὶ τὸ πρᾶγμα μέχρις ἡμῶν παραπέμψαντες, καὶ τῷ μέλλοντι παραδώσοντες χρόνῳ.

e Idem. Ὧν αἱ μεγάλαι τιμαὶ, καὶ πανηγύρεις, παρ' ὧν δαίμονες ἐλαυνόνται, καὶ νόσοι θεραπεύονται· ὧν αἱ ἐπιφάνειαι, καὶ ὧν αἱ προῤῥήσεις· ὧν καὶ τὰ σώματα μόνον ἶσα δύνανται ταῖς ἁγίαις ψυχαῖς ἢ ἐπαφώμενα, ἢ τιμώμενα. ὧν καὶ ῥανίδες αἵματος μόνον, καὶ μικρὰ σύμβολα πάθους ἶσα δρῶσι τοῖς σώμασιν ταῦτα οὐ σέβεις, ἀλλ' ἀτιμάζεις ;

Purgatio inde oritur incredibilis, vel ex tumulis ipsis,
Qui corpora quondam recipere meruerunt pretiosa
Quæ spirituum malorum incursionibus restiterunt,
Hujusmodi ista sunt athletarum meorum miracula. »

Gregorii Nysseni. Gregorius item Nyssenus oratione *in Sanctos quadraginta martyres*, hoc de illis refert; eorum sacros cineres, et reliquias non separatim, sed conjunctim simul omnium varias in regiones, quasi in colonias, exportari : « Quemadmodum, inquit, egregium contubernium illorum quadraginta, uti commune certamen ita communem coloniam susceperint: et quoquoversus dispertiantur; ac variis in locis conjunctim hospitio recipiantur. Itaque nemo particularem reliquiarum gratiam accipiens, non ex toto Martyrum præsentiam, opemque recipit [a]. » In his Gregorii verbis ἐπιφάνεια non *apparitionem*, hoc est, aspectabilem præsentiam significat, sed opem, et efficacitatem, sive beneficam vim, ac salutarem, quam Latini quoque *præsentiam* nominant. Ita viri docti jampridem τὴν ἐπιφάνειαν usurpari ab veteribus adnotarunt. Qua etiam significatione accipi puto ab Gregorio Nazianzeno in loco proxime ante descripto ex invectiva priore *in Julianum*.

Cæterum illud quadraginta Christi martyrum consortium, et contubernium, quod ut viventes in supplicio suo, sic post mortem in cinerum, et reliquiarum commistione servarunt, ut ait Gregorius Nyssenus, eleganter quoque Basilius descripsit in homilia xx de iisdem martyribus; ubi « illos ait esse, velut turres quasdam confertas, quæ ab hostili incursione securitatem præbeant; qui non uno sese loco concluserunt; sed apud multas regiones hospitio recepti, multas patrias ornaverunt. Et, quod mirabile est, non per singulos distributi, ad eos ventitant, a quibus excipiuntur; sed inter se permisti, conjunctim choros agunt, etc. Et quadraginta tum omnes simul sunt; tum omnes apud unumquemque : quæ est copiosa beneficentia; gratia minime deficiens; paratum Christianis auxilium [b]. »

V. Sed nihil illustrius est, et ad hoc argumentum expressius, in quo modo versamur, oratione *in S. Theodorum martyrem* ejusdem Gregorii Nysseni : in quam omnium, quæ ad sanctos attinent, de quibus controversiam movent nobis hæretici, diserta et luculenta testimonia congessit. Primum in ipso orationis aditu beneficium hoc refert acceptum, quod anno antecedente ingruentes Scythas intento signo Crucis averterat. Tum vero Martyris gloriam decusque prædicat; non solum animæ ipsius, sed etiam corporis, de quo ita scribit. « Quod cum multo honore, cultuque compositum, et ornatum, honeste in sacro loco collocatum est, rei instar pretiosissimæ ad regenerationis tempus reservatum [c]. » Atque hoc cæterorum corporibus eo sine ulla comparatione ait antecellere; quod hæc anima digressa fœda sint, et abominanda, ut eorum vix ferri possit aspectus : corpus vero Martyris in splendidissima, et magnificentissima basilica positum sit; quæ artificum opera et industria sumptuose, ac solerter extructa, elegantissimis picturis decorata sit, quæ Christi et Martyris effigies exhibent, tum eorum suppliciorum, quæ perpessus est, seriem ac veritatem. « Quisquis igitur his arte laboratis operibus oculos suos oblectavit, ad ipsum deinde conditorium corporis propius cupit accedere; illius contactum esse credens sanctificationem, ac benedictionem. Quod si quis pulverem, quo sepulcri locus obsitus est, secum auferre permiserit, pro munere accipitur, et tanquam magni pretii res reposita terra ista servatur. Nam ipsas attingere reliquias, si quis forte casus ejusmodi potestatem illius fecerit, quam optabile sit, et summis votis expetitum mu-

a GREGOR. NYSSEN. Ὅπως ἡ καλὴ συσκηνία τῶν τεσσαράκοντα κοινὴν μὲν τὴν ἄθλησιν, κοινὴν δὲ πανταχοῦ τὴν ἀποικίαν πεποίηνται, καὶ πανταχοῦ καταμερίζονται, καὶ μετ' ἀλλήλων ἐπιξενοῦνται τοῖς τόποις. οὐκοῦν οὐδεὶς μερικὴν τῶν λειψάνων χάριν ὑποδεξάμενος, οὐκ ἐκ τοῦ παντὸς τὴν ἐπιφάνειαν τῶν παρτύρων ἐδέξατο.

b BASILIUS. Οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν καθ' ἡμᾶς χώραν διαλαβόντες, οἱονεὶ πύργοι τινὲς συνεχεῖς, ἀσφάλειαν ἐκ τῆς τῶν ἐναντίων καταδρομῆς παρεχόμενοι, οὐχ ἑνὶ τόπῳ ἑαυτοὺς κατακλείσαντες, ἀλλὰ πολλοῖς ἤδη ἐπιξενωθέντες χωρίοις, καὶ πολλὰς πατρίδας κατακοσμήσαντες. καὶ τὸ παράδοξον, οὐ καθ' ἕνα διαμερισθέντες τοῖς δεχομένοις ἐπιφοιτῶσιν· ἀλλ' ἀναμιχθέντες ἀλλήλοι, ἡνωμένως χορεύουσιν, etc.

MOX : Καὶ οἱ τεσσαράκοντα καὶ πάντες εἰσὶν ὁμοῦ, καὶ πάντες εἰσὶ παρ' ἑκάστῳ, ἡ ἄφθονος εὐεργεσία, ἡ μὴ δαπανωμένη χάρις, ἑτοίμη βοήθεια Χριστιανοῖς.

c NYSSEN. Μετὰ πολλῆς τιμῆς, καὶ θεραπείας περισταλὲν, σεμνῶς ἐν ἱερῷ τόπῳ κατάκειται, ὥσπερ τι κειμήλιον πολυτίμητον τῷ καιρῷ τῆς παλιγγενεσίας τηρούμενον.

nus, norunt quicumque sunt experti, et hoc suo desiderio potiti sunt. Hi enim, tanquam vivum ipsum corpus, et florens, videntes osculantur, et ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent[a]. » Vides hodiernum plane in ecclesia Romana et catholica morem venerandorum sanctorum, et eorum colendarum reliquiarum: quibus hæreses nuperæ odium ac vastitatem denuntiant.

Idem præterea Gregorius in funebri oratione *de S. Meletio confessore*, scribit in ejus funere « populum sudaria faciei ipsius imposita discerpsisse, ac pro phylacteriis asservasse[b]. »

Ambrosii. Ambrosius in epistola LIII refert divino admonitu, ac beato Paulo Apostolo indicante, reperisse se Mediolani sanctorum Gervasii, et Protasii corpora : idemque scribit epistola sequente *ad Marcellinam* sororem suam. Ac primum narrat ; cum basilicam dedicare vellet, instante populo, respondisse se, « faciam, si martyrum reliquias invenero : » ac statim præsagiente jam nescio quid animo suo. « Clericis jussisse eruderari terram eo loci, qui est ante cancellos sanctorum Felicis atque Naboris. » Ita demum « invenisse miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat : ossa omnia integra; sanguinis plurimum. » Hæc dum transferunt in basilicam Ambrosianam, « cæcus, inquit, sanatus est. » Ad hoc ingenti facto concursu populi, ad eum sermonem habere cœpit ; in quo *sacrosanctas* illas *reliquias* vocat. Et, « Respexit, ait, sane humilia Deus, qui latentes sub ignobile cespite reliquias sanctorum suæ Ecclesiæ revelavit. » Ac deinde quanta ibi miracula facta sint ita refert : « Cognovistis, imo vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos : plurimos etiam, ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos : reparata vetusti corporis (*L.* vetusti temporis.) miracula, quo se per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat : umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, et tactu ipso medicabilia reposcuntur ? Gaudent omnes extrema linea contingere ; et qui contigerit, salvus erit. » Demum se martyres ait sub altari condidisse : « Condamus ergo reliquias sacrosanctas, et dignis ædibus invehamus, totamque diem fida devotione celebremus. »

Sequenti porro die, quo martyrum depositio facta est, alterum sermonem habuit ad populum ; in quo eadem illa miracula confirmat; et Arianos notat, qui horum fidem elevantes « negabant martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. » Et, « Negant, inquit, cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit, Video, qui non videbam. Ille dicit, Cæcus esse desivi; et probat facto. Isti beneficium negant qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio, etc. Clamat quia ut contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. »

Idem etiam epistola LV testatur se, revelante Deo, sanctorum Vitalis, et Agricolæ martyrum corpora Bononiæ reperisse.

Et in sermone XIV qui est *de SS. Nazario, et Celso*, de reliquiis sanctorum corporum agens : « Hæc est, inquit, sanctorum martyrum gloria; quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. » Et in fine. « Honoro ergo, inquit, in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices : honoro viventis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres : honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere : quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et dæmones ? quod et afflixe-

a Nyss. Καὶ τοῖς αἰσθητοῖς οὕτω φιλοτεχνήμασιν ἐνευπαθήσας τὴν ὄψιν, ἐπιθυμεῖ λοιπὸν καὶ αὐτῇ πλησιάσαι τῇ θήκῃ, ἁγιασμὸν καὶ εὐλογίαν τὴν ἐπαφὴν εἶναι πιστεύων. εἰ δὲ καὶ κόνιν τις δοίη φέρειν τὴν ἐπικειμένην τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς ἀναπαύσεως, δῶρον ὁ χοῦς λαμβάνεται, καὶ ὡς κειμήλιον ἡ γῆ θησαυρίζεται. τὸ γὰρ αὐτοῦ τοῦ λειψάνου προσάψασθαι, εἴ ποτέ τις ἐπιτυχία τοιαύτη παράσχοι τὴν ἐξουσίαν, ὅπως ἐστὶ πολυπόθητον, καὶ εὐχῆς τῆς ἀνωτάτω τὸ δῶρον, ἴσασιν οἱ πεπειραμένοι, καὶ τῆς τοιαύτης ἐπιθυμίας ἐμφορηθέντες. ὡς σῶμα γὰρ αὐτὸ ζῶν, καὶ ἀνθοῦν, οἱ βλέποντες κατασπάζονται, τοῖς ὀφθαλμοῖς, τῷ στόματι, ταῖς ἀκοαῖς, πάσαις προσάγοντες ταῖς ἀκοαῖς, πάσαις προσάγοντες ταῖς αἰσθήσεσι.

b Idem. Πῶς τὰ σουδάρια τῶν προσώπων αὐτοῦ εἰς φυλακτήρια τῶν πιστῶν διετίλλετο.

1 Ambros. Serm. v.

runt in supplicio, sed glorificatur in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio : quod cum Christo regnavit in cœlo. »

Hieronymi.

VII. Hieronymus in epistola XVII « Et martyrum, inquit, ubique sepulcra veneramur. Et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus : et monimentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum ? Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, et angelis ejus qui quotiescumque de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, et sero dolent crucifixisse, quem timeant. »

Idem ad caput LXV *Isaiæ* [1], de hæreticis loquens ; « Quales, inquit, nuper sub magistro cerebroso (Vigilantio) in Gallia pullularunt ; qui basilicas martyrum declinantes, nos, qui ibi orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt. Hoc autem non tam illi faciunt quam habitantes in eis dæmones, fortitudinem, et flagella sancti cineris non ferentes. »

Hic ille est Hieronymus, qui Vigilantium hæreticum Lutheranis et Calvinistis tanto ante præludentem, « et putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferentem reliquias, et Catholicos, qui eas suspiciebant, cinerarios, et idololatras appellantem, » (ut ipsemet loquitur Hieronymus) tum epistola LIII *ad Riparium presbyterum ;* tum propria, et luculenta disputatione fregit, et opppressit. Quo in opere tam ritus antiqui in colendis sanctorum reliquiis vestigia recognosces iis consentanea, quæ hodieque catholicæ usu retinentur Ecclesiæ ; quam argumenta illa eadem, quibus hæretici nostri temporis morem illum opugnare student, elisa penitus et oppressa. Inter cætera porro, memorabilia sunt ista, in quibus ecclesiarum sui temporis omnium concordem in colendis, et religiose venerandis reliquiis sensum, et institutum approbat. « Dolet, inquit [2], martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis, vel cilicio colligari ; vel projici in sterquilinium : ut solus Vigilantius ebrius, et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur ? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, et Timothei transtulit Constantinopolim : apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur ? Sacrilegus et nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam ? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam, et cineres dissolutos in serico, et vase aureo portaverunt ? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta lætitia, quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt : ut de Palestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, et Christi laudem una voce resonarent ? »

Ritus antiqui in colendis SS. reliquiis.

Chrysostomi illustria testimonia.

VIII. Excitandum nunc est ingens illud Orientalis, imo totius, quam late diffunditur, Ecclesiæ lumen Joannes Chrysostomus : qui passim eumdem illum in sanctorum venerandas reliquias Christianorum sui temporis affectum et illustri testimonio comprobat, et judicio commendat. In oratione *de S. Ignatio martyre*, multum illud apud Antiochenses suos prædicat, quod illius reliquiæ Roma cum summo honore Antiochiam deportatæ sunt ; ac mirificum interjectarum urbium in illis venerandis, et succollandis studium, pietatemque collaudat. « Illum, inquit, sanctum tunc Roma venientem civitates deinceps vicissim excipientes, et humeris gestantes, ad hanc urbem usque deducebant, coronatum laudantes athletam, » etc. Tum exponit, quantis bonis eos omnes, qui ad se Antiochiam adeunt, quotidie locupletare pergat. « Quemadmodum, ait, thesaurus perennis, ex quo singulis diebus hauriunt, nec ille tamen unquam deficit, omnes sui participes locupletiores facit. Ita beatus ille Ignatius ad se venientes benedictionibus, fiducia, ingentibus animis, et magna fortitudine complens domum remittit. Ne nos igitur hodie duntaxat : sed etiam quotidie ad ipsum veniamus spirituales ex eo fructus capientes. Licet enim profecto, licet huc adeuntem ingentia bona percipere. Neque enim corpora solum, sed etiam conditoria ipsa sanctorum spirituali gratia sunt referta. Etenim si Elisæi tempore quiddam accidit ejusmodi, et sepulcrum mortuus attingens, mortis vincula dirupit, et ad vitam denuo revertit : multo nunc magis, cum abundantior est gratia, cum spiritus operatio copiosior est, licet conditorium ipsum cum fide tangentem magnam inde virtutem attrahere. Propterea sanctorum no-

1 Hier. *in Esa.* — 2 Hier. *cont. vigil.*

bis reliquias concessit Deus, volens ad eumdem, qui in illis fuit, zelum velut manu deducere, ac portum quemdam præbere, tutumque remedium contra mala quæ undequaque nos incursant[a]. »

Ac demum Antiochenses exhortatur, ut quocumque in vitæ statu fortunæque versantur, ad sancti illius reliquias Martyris, et ad ejus sepulcrum frequenter accurrant; ut vel bona, quibus carent, per illum impetrent: vel quæ jam adepti sunt, perpetua sibi faciant.

Historia translationis reliquiarum S. Babylæ.

IX. Verum nullum præclarius est monimentum judicii illius et sensus, quem de sanctorum reliquiis, et earum honore, atque cultu tum summus ille vir, tum ejus ætatis Ecclesia omnis habuit, quam quod in Babyla martyre eodem adhuc puero contigit, Imperatore Juliano apostata : quod in priori duarum orationum, quas in Martyrem illum dixit, latius describit. Quæ res etiam ab Rufino et aliis ecclesiasticæ historiæ scriptoribus est memoriæ prodita[1]. Cum igitur Julianus gentili per Romanum imperium instaurata superstitione , vetus Apollinis oraculum, quod apud Daphnen erat in suburbio Antiochiæ, consuleret, respondit ille, prohiberi se a mortuis quidquam eloqui. Proinde ossa illinc effoderet, alioque transferret. Quod quid sibi vellet Julianus intelligens Christianis mandavit, ut Babylæ martyris ossa, quæ prope illum locum sepulta erant, efferrent. Quod ubi factum est, ac solemni pompa loculus, in quo sacra ossa continebantur, summaque totius civitatis lætitia, et veneratione in urbem exportatus est, mox fulmen e cœlo ruens totum Apollinis simulacrum una cum templo ipso concremavit: ita ut soli hujus parietes ad prodigii illius indicium Chrysostomo hæc exponente restarent. Qui de recentis memoriæ re, et cujus testes haud paucos habebat auditores disputans, dæmonem imprimis deridet; qui mortuorum corpora, tanquam polluta, et contaminata effodi et auferri jusserit, cum in Vetere Testamento prophetarum et patriarcharum reliquias magno in pretio fuisse constet. Tum Antiochensium pietatem prædicat: qui erga sanctum Babylam incredibile quoddam per id tempus studium præ se tulerunt: ejusque sacras reliquias magna frequentia, et honore deportarunt.

X. Idem rursus homilia LXXIII *de Martyribus Ægyptiis*, sanctorum corpora quovis muro inexpugnabili et inviolabili tutius, et firmius civitatem munire dicit, ac velut ingentes scopulos ex alto prominentes, tam aspectabilium, quam spiritualium insidias et insultus hostium arcere. « Quinetiam si communis Dominus, ob peccatorum nostrorum multitudinem, ad iracundiam concitatus fuerit, poterimus, inquit, illa præ nobis habentes corpora, cito illum placare, ac civitati reconciliare[b]. »

Ad hæc in homilia LXV *de sanctis Berenice, Prosdoce, et Domnina*, « Forte, inquit, ingens in vobis concitatum est desiderium martyrum istorum. Cum hoc igitur ardore accidamus ad reliquias ipsorum; amplectamur eorum loculos. Possunt enim vel ipsa martyrum conditoria magna vi pollere : quemadmodum eorumdem ossa martyrum plurimum possunt[c]. »

a CHRYS. tom. V, hom. LXX. Οὕτω δὴ καὶ τὸν ἅγιον τότε ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς Ῥώμης αἱ πόλεις ἑξῆς διαδεχόμεναι, καὶ ἐπ' ὤμων φέρουσαι μέχρι τῆς πόλεως ταύτης παρέπεμπον ἐγκωμιάζουσαι τὸν στεφανίτην, etc. Καὶ καθάπερ θησαυρὸς διηνεκὴς καθ' ἑκάστην ἀντλούμενος τὴν ἡμέραν, καὶ οὐκ ἐπιλείπων ἅπαντας τοὺς μετέχοντας εὐπορωτέρους ποιεῖ. οὕτω δὴ καὶ ὁ μακάριος οὗτος Ἰγνάτιος τοὺς πρὸς αὐτὸν ἐρχομένους εὐλογιῶν, παῤῥησίας, γενναίου φρονήματος, καὶ πολλῆς ἀνδρείας πληρῶν, οἴκαδε ἀποπέμπει. Μὴ τοίνυν σήμερον μόνον, ἀλλὰ καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν πρὸς αὐτὸν βαδίζωμεν, πνευματικοὺς ἐξ αὐτοῦ δρεπόμενοι καρπούς. Ἔστι γάρ ἐστι τὸν μετὰ πίστεως ἐνταῦθα παραγινόμενον μεγάλα καρπώσασθαι ἀγαθά. οὐδὲ γὰρ τὰ σώματα μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐταὶ αἱ θῆκαι τῶν ἁγίων πνευματικῆς εἰσὶ πεπληρωμέναι χάριτος. Εἰ γὰρ ἐπὶ Ἐλισσαίου τοῦτο συνέβαινε, καὶ θήκης νεκρὸς ἀψάμενος τοῦ θανάτου τὰ δεσμὰ διέῤῥηξε, καὶ πρὸς ζωὴν ἐπανῆλθε πάλιν· πολλῷ μᾶλλον νῦν, ὅτε δαψιλεστέρα ἡ χάρις, ὅτε πλείων ἡ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια, ἔστι καὶ θήκης μετὰ πίστεως ἀψάμενον πολλὴν ἐκεῖθεν ἐπισπάσασθαι δύναμιν. Διὰ τοῦτο καὶ τὰ λείψανα τῶν ἁγίων εἴασεν ἡμῖν ὁ Θεὸς, βουλόμενος ἡμᾶς πρὸς τὸν αὐτὸν ἐκείνοις χειραγωγῆσαι ζῆλον, καὶ λιμένα τινὰ παρασχεῖν, καὶ παραμύθιον ἀσφαλὲς τῶν ἀεὶ καταλαμβανόντων ἡμᾶς κακῶν.

b CHRYSOST. ibid. Ἀλλὰ, κἂν ὁ κοινὸς ἡμῖν ὀργίζηται δεσπότης διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτημάτων, δυνησόμεθα ταῦτα προβαλλόμενοι τὰ σώματα ταχέως αὐτὸν ἵλεων ποιεῖσθαι τῇ πόλει.

c Ibid. hom. LXV. Τάχα πολὺς ὑμῖν ἐγένετο πόθος τῶν ἁγίων ἐκείνων. μετὰ τούτου τοίνυν τοῦ πυρὸς προσπέσωμεν αὐτῶν τοῖς λειψάνοις· συμπλάκωμεν αὐτῶν ταῖς θήκαις. δύνανται γὰρ καὶ θῆκαι μαρτύρων πολλὴν ἔχειν δύναμιν· ὥσπερ οὖν καὶ τὰ ὀστᾶ τῶν μαρτύρων πολλὴν ἔχει τὴν ἰσχύν.

1 Ruf. lib. I *Histor.* cap. XXXV Socrat lib. III cap. XVIII Theodoret. lib. III cap. X et seq.

Sic in homilia LXVI *de S. Pelagia* : « Illustrius ait esse palatiis regiis omnium judicio sepulcrum illud, in quo situm est corpus ejusmodi, quod cum virtute pietateque vixit. Atque hujus rei testes vos estis, qui divitum sepulcra, quamvis aureis ornata palliis, tanquam speluncas, prætervolatis : ad hanc vero sanctam cum ingenti alacritate concurritis : quoniam martyrio, et confessione, ac virginitate, pro aureis vestibus, semetipsam velut ad funebrem apparatum componens, inclyta martyr excessit [a]. »

Ita in calce homiliæ LXXVI *de Sanctis Juventino, et Maximino*, quorum reliquias in unum loculum impositas fuisse dicit, eos vocat columnas, et scopulos, et turres, et luminaria Ecclesiæ, quod eam sustentent et protegant. Tum populum sic hortatur : « Assidue itaque ad illos veniamus, et loculum contingamus, et cum fide reliquias eorum circumplectamur : ut benedictionem aliquam illinc attrahamus. Nam ut milites vulnera ostendentes ab hostibus accepta, audacter regem alloquuntur : sic etiam isti capita sibi abscissa manibus portantes, et in medium producentes, facile omnia quæcumque voluerint apud cœlestem regem efficere poterunt [b]. »

Et in homilia XCII *de S. Juliano martyre*, ad ejus sepulcrum, et sacras reliquias ait dæmones contremiscere, et ex insessis fugari corporibus. Tum in homilia XCIX, divinam quamdam vim assistere ait sanctorum corporibus, quæ dæmones perterrefacit, et in fugam conjicit.

Idem vero Chrysostomus homilia XXXII et ultima in epistolam *ad Romanos*, Romanam urbem felicem prædicat, quod tantum thesaurum habeat ; duorum scilicet apostolorum principum reliquias et sepulcra : quorum videndorum, et venerandorum mirificum præ se fert desiderium, idque longa, et affectus plena oratione profitetur.

XI. Multus est etiam in celebrandis sanctorum martyrum reliquiis Asterius Amaseæ in Ponto episcopus in *Encomio Martyrum*, quod antecedente capite citavimus. « Propterea nos, inquit, religiosa corpora componentes, quæ sunt vasa electionis, beatarum animarum organa, philosophorum inhabitantium domicilia, tanquam pretiosas res toti vitæ conservamus [c]. »

Item, « Multa, inquit, sancti possunt etiam mortui, et postquam e vivis excesserint, beneficia conferunt hominibus [d]. » Quod Elisæi probat exemplo, cujus corpus mortuum suscitavit [1] : necnon Eliæ, qui idem, ut et ille, vivens, præstitit. Addit et Josephi ossa jussu Mosis ex Ægypto fuisse deportata. Denique ex eo reliquiarum vim, et sanctitatem approbat, quod dæmones ex admotis corporibus expellunt. Ac « sive pietatis athletarum cœtus contra impuros spiritus agere quispiam existimet : sive Angelos ad defunctorum honorem sanctis illorum septis assidentes id efficere malit, nihil interest [e]. »

Citatur ejusdem Asterii homilia *in S. Euphemiam* in septima synodo [2] ; ubi meminit loculi in sepulcro collocati, in quo S. martyris Euphemiæ reliquiæ servabantur : cujus in honorem celebre quotannis festum peragebatur.

Idem etiam panegyricam scripsit orationem in sanctum martyrem Phocam : quem apud Sinopenses summo in honore haberi dicit ; et ad ejus corpus, ac sepulcrum ingentem fieri concursum : necnon illius reliquias per diversas, et longinquas regiones dispertiri solere, velut in colonias. « Pretiosa enim, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum*

a Chrys. vers. 8. Καὶ γὰρ αὐτῶν τῶν βασιλικῶν αὐλῶν λαμπρότερος παρὰ πᾶσιν ὁ τάφος ἔσται ἐκεῖνος. καὶ τούτου μάρτυρες ὑμεῖς, οἱ τὰς μὲν θήκας τῶν πλουσίων, καίτοι χρυσᾶ ἐχούσας ἱμάτια, καθάπερ σπήλαια παρατρέχοντες, πρὸς δὲ τὴν ἁγίαν ταύτην μετὰ πολλῆς δραμόντες τῆς προθυμίας, ἐπειδὴ μαρτυρίῳ, καὶ ὁμολογίᾳ, καὶ παρθενίᾳ ἀντὶ ἱματίων χρυσῶν ἑαυτὴν ἐνταφιάσασα ἀπῆλθεν ἡ μάρτυς.

b Ibid. Συνεχῶς τοίνυν αὐτοῖς ἐπιχωριάζωμεν, καὶ τῆς λάρνακος ἁπτώμεθα, καὶ μετὰ πίστεως τοῖς λειψάνοις αὐτῶν περιπλεκώμεθα· ἵνα εὐλογίαν τινὰ ἐπισπασώμεθα ἐκεῖθεν. Καθάπερ γὰρ οἱ στρατιῶται τὰ τραύματα ἐπιδεικνύντες, ἅπερ ἐκ τῶν πολεμίων ἔλαβον, μετὰ παῤῥησίας τῷ βασιλεῖ διαλέγονται, οὕτω καὶ οὗτοι τὰς κεφαλας, ἃς ἀπετμήθησαν, ἐπὶ τῶν χειρῶν βαστάζοντες, καὶ εἰς μέσον παράγοντες εὐκόλως ἅπαντα, ὅσα ἂν θέλωσι, παρὰ τῷ βασιλεῖ τῶν οὐρανῶν ἀνύειν δύνανται.

c Aster. Διὰ τοῦτο τὰ εὐσεβῆ σώματα σεμνῶς περιστείλαντες, τὰ σκεύη τῆς ἐκλογῆς, τὰ τῶν μακαρίων ψυχῶν ὄργανα, τὰς οἰκίας τῶν φιλοσόφων ἐνοίκων, ὡς κειμήλια πολυτίμητα τῷ παντὶ βίῳ φυλάσσομεν.

d Ibid. Πολλὰ καὶ τελευτήσαντες ἅγιοι δύνανται, καὶ ἀπελθόντες τοῦ βίου εὐεργετοῦσιν ἀνθρώπους.

e Ibid. Εἴτε δὲ τὰ συστήματα τῶν ἀθλητῶν τῆς εὐσεβείας ἐθέλοι τις ἐνεργεῖν, κατὰ τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων· εἴτε ἀγγέλους εἰς τιμὴν τῶν ἀναπεπαυμένων παρεδρεύοντας τοῖς ἁγίοις σηκοῖς, οὐδὲν διαφέρει.

1 Lib. IV *Reg.* XIII. — 2 Syn. sept. Act. IV et VI.

ejus : multisque locis divisæ reliquiæ integram ubique terbeato servant nominis claritudinem[a]. »

Augustini sententiæ.

XII. Veniam ad Augustinum, ex eoque non multa, sed insignia, et eximia proferam; nec prius quidquam, quam idipsum, in quo S. Ambrosio doctori ac patri suo suffragatur; cum de inventis ab hoc SS. Gervasii et Protasii corporibus, quod oculis ipse suis viderat, his verbis exponit : « Tunc memorato antistiti tuo per visum aperuisti quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promerés, ad coercendam rabiem femineam, sed regiam. Cum enim propalata, et effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem spiritibus sanabantur : verum etiam quidam plures annos cœcus civis, civitatique notissimus cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atque audisset, exilivit, eoque se ut duceret suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum prætiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens ; inde laudes tuæ ferventer lucentes, inde illius inimicæ animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, a persequendi tamen furore compressus est. » Idem refert et in libro XXII *de Civitate Dei*, capite VIII.

Quo quidem in capite longissimam narrationem explicat miraculorum, quæ in Africa suo tempore gesta certissimis testibus compererat ; præsertim per sancti Stephani reliquias nuper inventas, et in loca varia dissipatas, necnon sanctorum Gervasii, et Protasii. Quibus memorias etiam consecratas, hoc est oratoria commemorat, in quibus mira quædam divinitus effecta sunt.

Idem quoque in epistola centesima tertia, de honorandis reliquiis memorabilem sententiam his verbis edidit : « Portant sane reliquias beatissimi et gloriosissimi martyris Stephani ; quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis. »

Et sermone XCII *de Diversis*, de eodem S. Stephano, « Exiguus pulvis, ait, tantum populum congregavit. Cinis latet, beneficia patent. Cogitate, carissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum. »

Necnon Paulini Nolani.

XIII. Jam Paulinus Nolanus episcopus creberrimam religiosi ejusdem ritus mentionem inculcat. Ut in *Natali* sexto *S. Felicis* testatur, ejus corpus sive ossa et reliquias, olim magno in honore Christianos habuisse, ac super his basilicas condidisse : tum vero cœlestem illis inesse vim, qua prodigia permulta fiant. Juvat aliquot inde versibus descriptis rem illustriorem reddere. Sic igitur scribit :

« Facta igitur rata justa pium texere sepulcro
Funus ; at in sanctis divinitus insita membris
Gratia non potuit cum carne morique, tegique:
Illico sed positis ex ossibus ecce micat lux,
Quæ medicis opibus meriti dare signa potentis,
Hactenus ex illo non unquam tempore parcis. »

Et subinde,

« Qui perstans etiam post corporis ævum,
Præsidet ipse suis sacer ossibus : ossaque sancti
Corporis in tumulo non obsita pulvere mortis,
Arcano æternæ sed prædita semine vitæ,
Vivificum spirant animæ victricis odorem,
Quo medicina potens datur exorantibus ægris. »

Pergit in hoc argumento pluribus, ac frequentiam, et concursum ad illius tumulum vota facientium describit; ac tum sibi, tum etiam pecoribus suis sospitatem orantium, et impetrantium. Cujusmodi in suis carminibus pleraque percenset.

Imprimis vero memorabile est Carmen de *Natali* undecimo ; quod fragmentum est ex *Dungalo* collectum. In eo quippe complures sanctorum enumerat : et qui quibus provinciis patroni, ac tutelares divinitus attributi sint, refert.

[a] ASTER. Τίμιος γὰρ ἐναντίον τοῦ κυρίου ὁ θάνατος τῶν ὁσίων αὐτοῦ, καὶ πολλαχοῦ μερισθέντα τὰ λείψανα ὁλόκληρον πανταχοῦ τῷ τρισμακαρίῳ σώζει τὴν εὐφημίαν.

1 August. lib. IX *confess.* c. VII.

« Omnis enim, quacumque manet mandatus [in ora
Martyr, stella loci simul, et medicina colen- [tum est :
Namque tenebrosum veteri caligine mundum,
Languentesque animas miseratus in orbe [Creator
Sic sua disposuit terris monimenta piorum,
Sparsis ut astrorum nocturno lumina cœlo, »

Deinde sic canit,

« Hos igitur nobis cupiens avertere morbos
Omnipotens Dominus, sanctos mortalibus [ægris
Per varias gentes medicos pietate salubri
Edidit, utque suam divina potentia curam
Clarius exereret, potioribus intulit illos
Urbibus, » etc,

Sic

« Petrum et Paulum Romana fixit in urbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis [egebat. »

Andream Patris, et Epheso Joannem, Parthiæ Matthæum, et alios Apostolos aliis locis assignatos esse dicit. Quorum deinde reliquias Constantinus Imperator in cognominem urbem, novam Romam transtulit. Cætera apud eumdem Paulinum legi possunt * : ex quibus vetustissimus ille mos Christianæ per omnes orbis terrarum provincias ecclesiæ mirificæ comprobatur : quo et sanctorum reliquias, præsertim martyrum colere, et ad eas accurrere ac vota facere, et patronos sibi illos ipsos optare, donariis honestare, omni honorum genere prosequi solebant, non rudes et plebeii modo; sed etiam graves, et eruditione juxta atque sanctitate celebres viri. Verum nondum vim illius argumenti, quod ex tantorum virorum auctoritate ducitur, illustrare, ac persequi instituimus : quod paulo post fiet. Nunc in appellandis aliquot testibus aliis, uti cœptum est, pergere nos oportet.

Prudentii. XIV. Prudentius in triumphis martyrum eleganti carmine describendis, sæpius eorumdem reliquias, ac tam his cultum, et honorem tributum, quam indidem repensa beneficia commemorat. Ut in hymno primo *de SS. Hemiterio, et Chelidonio Calaguritanis*,

« Pollet, inquit, hoc felix per orbem terra [Ibera stemmate,
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit undas cæde tinctus du- [plici ;
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, mu- [nere.
Exteri necnon et orbis huc colonus adve- [nit, » etc.

Ac mox :

« Nemo puras hic rogando frustra congessit [preces. »

Tum de miraculis, quæ ad eorum reliquias crebra fiebant,

« Cerne quam palam feroces hic domantur [dæmones,
Qui lupino capta ritu devorant præcordia, etc.
Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, [præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecravit [oppido,
Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus [alluit. »

Et in hymno secundo de *S. Laurentio*,

« O ter, quaterque, o septies
Beatus urbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossium :
Cui propter advolvi licet :
Qui fletibus spargit locum ;
Qui pectus in terram premit ;
Qui vota fundit murmure. »

Idem in hymno tertio *de S. Eulalia*, hujus martyris, inquit,

« Emeritæ
Reliquias, cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis :
Saxaque cæsa solum variant. »

Et mox :

* Vide integrum hunc Natalem Paulini a Muratorio editum T. I *Anecdotorum*. Z.

« Sic venerarier ossa libet :
Ossibus altar et impositum.
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiata fovet. »

Tum in hymno quarto varia sanctorum martyrum corpora percenset, quæ in diversis Hispaniæ urbibus asservata in honore habebantur ; ac demum ita concludit :

« Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis ; deinde
Mox resurgentes animas, et artus
Tota sequeris. »

In hymno vero quinto, qui est de S. Vincentio, elegantissimis versibus celebrat Datiani præsidiis cum Deo admirabile certamen de incliti martyris cadavere ; illo omni ope allaborante, ut ne in potestatem veniret Christianorum :

« Ne sit sepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat martyris. »

Deo vero ingentibus prodigiis idem illud ab injuria tutante.

Cætera generis ejusdem, quæ apud præclarum Poetam legi possunt, facile prætereo.

Gaudentii Brixiani. XV. Gaudentius Brixianus illius sæculi scriptor, in tractatu XVII *de dedicatione basilicæ SS. quadraginta martyrum*, prædicat se multas sanctorum collegisse reliquias, et in ea collocasse basilica, cujus se dedicationem conventu Præsulum, et festivo apparatu reliquo, tum vero sermone illo celebrasse profitetur. « Nam ut venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit, inquit. Deinde ut hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est : et hodie, ut adepti summorum sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Convenerunt enim sanctissimi Antistites, et Apostolici viri ad persolvendum beatissimis Patribus, et præceptoribus suis debitæ devotionis obsequium ; ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditaremur. » Post nominatim appellat sanctos illos, quorum reliquias comparavit ; nempe SS. Joannem Baptistam, Apostolos Andream et Thomam ; Lucam Evangelistam. Inde Gervasium, Protasium, atque Nazarium : de quibus memoranda, notandaque illius hæc sunt verba ; ut quæ ex Ambrosio supra retuli[2], firmius adstruantur. « Post istos habemus, inquit, Gervasium, Protasium, atque Nazarium beatissimos martyres ; qui se ante paucos annos apud urbem Mediolanensem sancto sacerdoti Ambrosio revelare dignati sunt : quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes. »

Adjungit postea « sanctos cineres Sisinni martyris, et Alexandri ; » quos nuper in ara Agatini gentiles ait concremasse.

Subjicit decem illis, quorum in basilica sua reliquias composuerat, Quadraginta martyres ; de quibus ipsa ejus verba non pigebit adscribere. Nam et Basilii de cultu sanctarum reliquiarum judicium ; et ecclesiarum longius a se dissitarum in illo concordiam indicant. « Nam quid post istos decem, ait Gaudentius, de quadraginta martyribus dignum loquar ; qui se itineri meo, cum per urbes Cappadociæ Jerusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt? In ipsa enim maxima Cappadociæ civitate, quæ appellatur Cæsarea, uti habent iidem beatissimi insigne martyrium ; reperimus quasdam Dei famulas monasterii sanctarum virginum dignissimas matres, prorsus Mariæ, et Marthæ consimiles ; quas merito diligat Jesus, natura, fide, et studio, et castitatis integritate germanas. Quibus ab avunculo suo sacerdote, ac confessore Basilio olim traditæ fuerunt horum Martyrum venerandæ reliquiæ : quas desiderio nostro incunctanter, ac fideliter tribuerunt, idoneos veneratores tanti nos esse muneris approbantes : simulque sub testificatione Domini confitentes se semper orasse Deum nostrum, ut hæc tam pretiosa possessio in tales transfunderetur hæredes, qui eas consimili fide, diligentiaque imitarentur : qui studii, ac venerationis ipsarum et successores, et augmentatores existerent, etc. Exaudita est ecce fidelis oratio : venerabiles ipsas martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus perpendendas : licet eis ex illo jam tempore celebritas debita nunquam defuisse nostri cognoscatur officii, præclaris eorum beneficiis salutariter mancipata. »

Sub hæc Martyrum illorum passionem describit, præfatus « habere illos idoneum suis meritis, dignissimumque præconem beatæ

1 Hoc eodem capite, § 6.

recordationis virum confessorem, Basilium ecclesiæ Cæsariensis antistitem. » Ac denique, « Jam vero, ait, nec illud in postrema parte recitemus, quod cum cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluvium jacerentur; non defuerunt religiosæ manus, quæ partem cineris vel furto eriperent, vel pretio compararent. Hinc et ecclesia Cæsariensis exultat, et nostra fraternitas non immerito gloriatur, reservatum sibi providentia Dei salutare munus intelligens. Portionem reliquiarum sumpsimus; et nihilo nos minus possidere confidimus, dum totos quadraginta in suis favillis honorantes amplectimur. » Denique, « Habemus ergo, inquit, et hos quadraginta, et prædictos decem sanctos ex diversis terrarum partibus congregatos, unde hanc ipsam basilicam eorum meritis dedicatam Concilium sanctorum noncupari oportere decernimus. Dignum est enim, ut ad tantorum martyrum venerandas reliquias processuri, ad concilium sanctorum nos procedere fateamur. »

Cyrilli Alex.

XVI. Cyrillus Alexandrinus libro sexto *contra Julianum*, ab Joanne Damasceno laudatus in *Eclogis* nondum editis, « Honoramus, inquit, sanctorum sepulcra, ut illius ipsorum tam illustris fortitudinis, præmii et mercedis loco immortalem persolvamus memoriam[a]. » Vide alia Cyrilli loca ejusdemmodi alibi citata [1].

Isidori Pelusiotæ.

Hujus æqualis Isidorus Pelusiota libro primo, epistola LV *ad Hieracem gentilem*; « Si te istud offendit, ait, quod Martyricorum corporum cinerem honore afficimus, propter illorum erga Deum caritatem, et constantiam, interroga eos, qui ab ipsis sanitatem accipiunt; et quot morbis remedium asserant intellige. Ita fiet ut non modo factum ludibrio non habeas, verum etiam quod recte fit prorsus imiteris[b]. »

Et epistola LXXXV libri secundi, dæmones viris sanctis resistere minime posse, ex eo probat, « quod in martyrum templis gratia ea, quæ sanctorum corporibus insidet, ipsos excruciat[c]? »

Procli.

Ita Proclus oratione quinta, sanctos, qui aut martyrio, aut eximio vitæ splendore memorabiles fuerunt, cum stellis comparat; quæ in uno cœli loco defixæ, toto orbe conspicuæ sunt : « Sic quilibet sanctorum, ait, quorum etsi tumulis circumscriptæ sunt reliquiæ; eorum tamen virtus sub cœlo minime circumscribitur[d]. »

Theodoreti.

Luculenta Theodoreti est ejusdem catholici dogmatis professio in sermone octavo *contra Græcos;* qui totus est de martyribus. In eo vero de illorum corporibus post obitum in summa veneratione habitis, et reliquiis per varia loca dispersis, et ad tutelam præsidiumque servatis ita loquitur : « Ac generosæ quidem triumphatorum animæ cœlum obambulant, et incorporeorum spirituum choris intersunt, corpora vero ipsa non unum cujusque monumentum continet : sed urbes, et pagi illa inter se partientes, servatores illos animarum pariter, et corporum, ac medicos appellant : et tanquam urbium præsides, atque custodes venerantur : et horum apud universorum Deum utentes interventu, divina per ipsos munera consequuntur. Porro diviso corpore, indivisa gratia perseverat : ac tenues illæ, tantillæque reliquiæ eamdem vim obtinent, ac Martyr integer, nec in partes dissectus. Quæ enim insidet gratia, dona ille distribuit, et pro accedentium fide liberalitatem metitur[e]. »

Meminit et sub orationis finem, variarum

a Cyrill. lib. VI *cont. Jul.* qui citatur apud Damasc. littera D, tit. XXIV. Τιμῶμεν τῶν ἁγίων τὰς θήκας, καὶ τῆς οὕτω λαμπρᾶς αὐτῶν ἐνανδρίας, καθάπερ ἐν τῇ τάξει γερῶν, καὶ ἀντιμισθίας, τὴν ἀμάραντον αὐτοῖς κατατιθέμενοι μνήμην.

b Isid. Εἰ σκανδαλίζῃ ἐπὶ τῇ κόνει τῶν μαρτυρικῶν σωμάτων παρ' ἡμῶν τιμωμένῃ διὰ τὴν περὶ τὸν θεὸν αὐτῶν ἀγάπην, καὶ ἔνστασιν, ἐρώτησον τοὺς ἐξ αὐτῶν τὰς ἰάσεις λαμβάνοντας, καὶ μάθε πόσοις πάθεσι θεραπείας χαρίζονται. καὶ οὐ μόνον οὐ σκώψεις τὸ γινόμενον, ἀλλὰ καὶ ζηλώσεις πάντως κατορθούμενον.

c Idem. Κἂν τοῖς μαρτυρίοις δὲ ἡ ἐφεδρεύουσα τοῖς σώμασι τῶν ἁγίων χάρις, τούτους βασανίζει.

d Procl. Οὕτω δὲ καὶ τῶν ἁγίων ἕκαστος. ὧν εἰ γὰρ καὶ τάφοις τὰ λείψανα περιγέγραπται· ἀλλὰ ἡ δύναμις αὐτῶν ὑπ' οὐρανὸν οὐ περιγέγραπται.

e Theodoretus. Καὶ αἱ μὲν γενναῖαι τῶν νικηφόρων ψυχαὶ περιπολοῦσι τὸν οὐρανὸν, τοῖς ἀσωμάτοις χοροῖς συγχορεύουσαι· τὰ δὲ σώματα οὐχ εἷς ἑνὸς κατακρύπτει τάφος ἑκάστου. ἀλλὰ πόλεις, καὶ κῶμαι ταῦτα διανειμάμεναι, σωτῆρας καὶ ψυχῶν, καὶ σωμάτων, καὶ ἰατροὺς ὀνομάζουσι, καὶ ὡς πολιούχους τιμῶσι, καὶ φύλακας· καὶ χρώμενοι πρεσβευταῖς πρὸς τὴν τῶν ὅλων δεσπότην, διὰ τούτων τὰς θείας κομίζονται δωρεάς· καὶ μερισθέντος τοῦ σώματος, ἀμέριστος ἡ χάρις μεμένηκε. καὶ τὸ σμικρὸν ἐκεῖνο, καὶ βραχύτατον λείψανον τὴν ἴσην ἔχει δύναμιν τῷ μηδαμῇ μηδαμῶς διανεμηθέντι μάρτυρι. ἡ γὰρ ἐπανθοῦσα χάρις διανέμει τὰ δῶρα, τῇ πίστει τῶν προσιόντων τὴν φιλοτιμίαν μετροῦσα.

1 Lib. II *de Angelis* cap. VIII, § 5.

sanationum, quibus omnia genera morborum illorum interventione curantur; tum votivorum anathematum, quæ ad impetrati beneficii monimentum appendi solebant; necnon basilicarum, et solemnium festorum, quæ in eorum honorem fideles instituebant; de quibus paulo post.

Basilii Seleuciensis

XVII. Post hunc merito Basilius Seleuciensis annumerabitur. Hic in oratione *de Annuntiatione*, quem εὐαγγελισμὸν vocat, de miraculis agens, quæ sancti viventes ediderunt: de iis, quæ post obitum fecerunt, ita loquitur : « Et quid mirum est, si viventes operabantur sancti, quandoquidem neque cum mortuis ipsis potestatem terra simul absconderit? Nam etsi lapides illorum tegant corpora, possunt iidem nihilominus eos servare, qui necessitate aliqua premuntur, si, ut dignum est, ad illos accedant[a]. »

Idem vero Basilius *de S. Thecla* libros duos conscripsit : quorum prior vitæ illius, ac mortis historiam complectitur : posterior miracula ipsius. In prioris fine ingentia quotidie ad ejus sepulcrum fieri prodigia testatur; ac variis morbis tentatos precibus, votisque susceptis ab illa sanari : « Ita ut locus ille publica jam officina medicinæ sit, et universæ terræ commune propitiatorium[b]. » Qua de causa complures eo mortales confluere, ac donis, et monimentis illius locupletare templum; et innumerarum ægritudinum ab ea postulare, impetrareque remedium. De quibus toto in secundo libro idem auctor agit.

Maximi Taurinensis

XVIII. Maximus Taurinensis in homilia *de Natali Tauricorum martyrum*, « Cuncti, inquit, martyres devotissime percolendi sunt : sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant; isti etiam adjuvant passione : Cum his autem nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur : hoc est et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes assumat : ibi ne inferni horror invadat. Nam ideo hoc a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus : ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat : dum illos Christus illuminat : a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate, » etc. Pergit deinde : « Cernimus enim ab iis, inquit, frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari : ita ut cœlesti medicina et captiva anima de diaboli laqueis eruatur; et ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captivitate captivus : ut qui prædam paulo ante ceperat : ipse subdatur in prædam. Hæc et alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo, fratres, veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro. »

Leonis Magni.

Leo Magnus Romanus pontifex in sermone secundo *de Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli* peculiare Romanæ urbi præsidium, ac patrocinium principis Apostolorum pollicetur ex eo, quod corpus illius ibidem requiescat : « Si autem hanc pietatis suæ curam, ait, populo Dei, sicut credendum est, ubique protendit, quanto magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis toro eadem, qua præsedit, carne requiescit? Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium divinitus institutum, rationabiliter, et juste in ducis nostri meritis, et dignitate lætamur. » Exstant inter acta synodi Chalcedonensis epistolæ Valentiniani tertii, et Placidiæ Gallæ matris ipsius, atque Eudoxiæ Theodosii junioris filiæ ac Valentiniani conjugis, ad eumdem Theodosium, in quibus asserunt, se ad basilicam Apostoli Petri orandi Dei causa venisse : et Galla Placidia nominatim, « ut cultum beatissimo Petro redderet, ad adorandum altare Martyris adiisse, » ibique Leonem Papam « episcoporum multitudine circumseptum, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ pro principatu proprii loci, seu dignitate collegerat, » querelam suam exposuisse de iis, quæ in Ephesina latrocinali synodo contra Flavianum gesta fuerant. Sed antiquissimus iste beatorum Apostolorum Petri et Pauli reliquiarum apud Romanam urbem cultus habetur : eoque frequentes ex toto

a Basilius Seleuciens. Καὶ τί θαυμαστὸν εἰ ζῶντες ἐνήργουν οἱ ἅγιοι, ὅπουγε καὶ τεθνεῶσιν αὐτοῖς οὐ συναπέκρυψε τὴν δυναστείαν ἡ γῆ; εἰ γὰρ καὶ λίθοι τὰ τούτων κρύπτουσι σώματα, σώζειν ἰσχύουσι τοὺς ἐν ἀνάγκαις, εἴπερ αὐτοῖς ἀξίως ἐγγίζοιεν.

b Idem lib. I *de S. Thecla*. Ὡς εἶναι πάνδημον ἰατρεῖον τὸν τόπον, καὶ κοινὸν καθεστάναι τῆς γῆς ἁπάσης ἱλαστήριον.

1 In parte prima, n. 25.

orbe Christiano peregrinationes ab fidelibus susceptæ sunt.

Inventiones et translationes reliquiarum eumdem confirmant cultum.

XIX. Præterea crebra mentio est apud Ecclesiasticarum historiarum scriptores inventarum identidem sacrarum reliquiarum, et magno cum honore ab Ecclesiis exceptarum, perque christianas omnes provincias distributarum; suffragante pietati fidelium numine, ac multis, mirisque prodigiis eam sibi gratam esse religionem approbante. Memorabilis est, imprimis, et gravissimorum auctoritate Patrum testatissima Stephani primi martyris reliquiarum inventio, Honorio x et Theodosio VI coss. indictione XIII, hoc est Christi anno 405, quando Luciano viro sancto « revelavit Deus locum sepulcri, et reliquiarum corporis sancti Stephani primi martyris, » ut scribit Marcellinus Comes *in Chronico* : necnon Alexandrinum *Chronicon*. Ac Lucianus ipse totam hanc historiam Græco sermone ad omnes Ecclesias perscripsit [1], ut auctor est Marcellinus. Quemadmodum vero reliquiæ istæ per omnes Christiani orbis regiones dispertitæ sint, atque ingentibus miraculis ubique nobilitatæ, Augustinus fidem facit, supra commemoratus a nobis[2].

Sic reliquias beati Joannis Chrysostomi Constantinopolim revectas, et ab Theodosio juniore magno cum honore susceptas proditum est memoriæ : idque refert Marcellinus idem, et Socrates[3].

Item sancti Eustathii Antiocheni episcopi reliquiæ Zenone imperante Philippis Thraciæ Antiochiam reportatæ sunt, easque magna cum veneratione cives exceperunt, ad octodecim usque millia passuum omnibus ex urbe obviam progressis, ut est *in Collectaneis* Theodori lectoris. Qui et Prophetæ Samuelis ossa, imperante Arcadio, Constantinopolim translata in fine libri secundi asserit, quod etiam Hieronymus contra Vigilantium, ut supra meminimus, adstruit[4].

Nec omittenda est S. Joannis Baptistæ reliquiarum Alexandriam facta translatio anno Christi 396, indictione IX, ut scriptum est ab Theophane.

XX. Quin eodem fere, ac sequente sæculo, hoc est quinto Christi et sexto, mirabilis in Christianorum pectoribus exarsit amor reliquiarum sacrarum, et earum comparandarum studium, præsertim in Galliis. Constantius in vita S. Germani Antissiodorensis auctor est, præclarum hunc antistitem in Britanniam jussu Cœlestini Papæ profectum ad Pelagianam comprimendam hæresim, Tribuni filiam, capsula reliquiis plena oculis imposita, cæcam curasse. Sed et massam e terra S. Albani martyris infecta cruore secum abstulisse.

Germanus item alter [5], perinde sanctus, Parisiensis episcopus, Hierosolymam ad invisenda loca sancta profectus, in reditu Justinianum adiit : et ab eo humanissime susceptus, multis ab eodem oblatis muneribus spretis, « reliquias tantummodo sanctorum expetiit, » (ait Aimoinus) ac tum particulam spineæ coronæ Domini Jesu Christi, tum reliquias Innocentium, unaque brachium S. Georgii martyris accepit. Quæ « vir Dei Lutetiam reversus in ecclesia sanctæ Crucis, sanctique Vincentii condidit. »

Proditum etiam memoriæ est in Francorum annalibus[6], cum Childebertus, et Chlotharius Francorum reges in Hispaniam expeditione facta Cæsaraugustanam urbem obsidione vallassent, oppidanos, desperata salute, ad exorandum Deum conversos, tunicam B. Vincentii martyris solemni pompa circumtulisse, cilicio indutos, ac psalmos concinentes. Qua re conspecta, Childebertum pactionem cum illis fecisse, ut accepta tunica illa S. Vincentii, obsidionem solveret; eamque in Gallias perlatam, in basilica collocasse Martyris ejusdem, quæ postea S. Germani nomen obtinuit. Sub idem tempus mirifica in sacras reliquias beatæ Radegundis pietas enituit, quæ Chlothario regi nupta, monasticum vitæ genus, eo permittente, complexa est; ac missis in Orientem legatis, quamplurimas inde reliquias comparavit : ut in illius vita testatur Bandodinia ejus alumna[7]. Hujusmodi exemplis, ac religiosi cultus sacrarum reliquiarum per Gallias indiciis referti sunt Gregorii Turonensis libri, tum quos de Francorum historia scripsit, tum quos de martyrum gloria, et confessorum, ac miraculis edidit.

Quinetiam ex Pelagii Papæ primi epistola VIII et XII discimus Childebertum regem ab Romano pontifice reliquias Apostolorum, aliorumque sanctorum martyrum impetrasse.

Pseudo-Eusebii Emisseni sententia.

XXI. Auctor ille, qui Eusebii Emisseni nomen obtinet, in homilia *de S. Stephano* : « Inter hæc requiramus, inquit, quid neces-

1 Ea latine exstat apud Sur. Aug. III. 2 — § 12. — 3 Lib. VII, cap. XLV. — 4 § 7. — 5 Aimo. lib. III, cap. IV. — 6 Greg. Tur. lib. III, cap. XXIX, Aim. lib. III, cap. XII. — 7 Apud Sur. tom. IV Aug. XIII Baron *annal.* ad ann. 566.

sitatis, quidve rationis sit, cum sancti martyres in illo Paradisi lumine constituti, humanis laudibus non indigent, cur tantis hominum studiis celebrentur : cur tantopere mundo huic eorum reliquiæ, Deo revelante prodantur; sine dubio propter multiplices causas. Primum ad hoc a sollicitis fidelibus excoluntur, ut sedulis cultoribus suffragentur, » etc.

Fortunatus. Haud pauca venerationis ejusdem vestigia releges in libris Fortunati Pictaviensis episcopi, qui sexto sæculo floruit. Ex eo unum haud amplius locum referam, in quo de sanctorum reliquiis universe ita cecinit;

« Suavis justorum flagrat odor tumulo[1].
Gratius aura fluens, quam spiret amoma Sa-
[bæum.
Turaque devincens balsama silva reflat.
Cinnama, caltha, crocus, violæ, rosa, lilia
[cedunt :
Ut similis nullus nare bibatur odor.
Quid quod morte magis virtus generatur in
[illis,
Dumque sepulcra tenent, languida membra
[jacent,
Multorum dubiam solidant pia funera vitam,
Et redit e tumulo vivificatus homo? »

Item Gregorii Papæ. Paulo post illud tempus exstitit Gregorius Papa, reipsa et appellatione magnus, qui de reliquiis sanctorum, et earum colendarum ritu multa passim edidit testimonia. In epistola tricesima libri tertii, Constantinæ Augustæ Mauricii conjugi, quæ Pauli Apostoli ecclesiam in palatio ædificans, hujus Apostoli caput, aut aliud quid de corpore ipsius postulabat, præcise negat : « Nam corpora sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, inquit, tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc terrore possit accedi. » Cujus rei aliquot exempla commemorat : ac Græcos quosdam monachos suggillat, qui ossa quælibet temere collecta pro Sanctorum reliquiis levabant, et circumferebant. Tum in aliis epistolis variorum sanctorum reliquias mittere se scribit[2], et ut honore debito suscipiantur, ac deinceps habeantur admonet. Ut in epistola XXXIII libri secundi ad Dinamium patricium Galliarum crucem mittit, cui de catenis B. Petri, et de craticula beati Laurentii in qua perustus est, particulæ continebantur. »

Idem homilia XXXII « Ad sanctorum martyrum, ait, corpora consistimus, fratres mei. Numquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset, esse vitam, pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora viventes ægri veniunt, et sanantur : perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur : Dæmoniaci veniunt, et liberantur. Quomodo ergo vivunt illic, ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt? »

Septimæ synodi decretum. Merito itaque septima synodus œcumenica decrevit, « sacras reliquias probandas, et amplectendas esse secundum antiquam traditionem sanctæ catholicæ Dei Ecclesiæ[a]. » Idque decretum approbat Hadrianus Papa in defensione synodi ejusdem[3].

Gennadii testimonium. Et Gennadius Massiliensis inter ecclesiastica dogmata idipsum retulit[4]. « Sanctorum corpora, et præcipue beatorum martyrum reliquias, inquit, ac si Christi membra, sincerissime honoranda, et basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta divino cultui mancipata, affectu piissimo, et devotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus; sed Eunomianus, et Vigilantianus creditur. »

De Sanctorum reliquiarum veneratione testimonium sophistæ gentilis. XXII. Libet huic capiti coronidis loco eximium quoddam adjungere testimonium, quod de sacris sanctorum reliquiis, et earum honore ac veneratione veteris Ecclesiæ sensum illustri præconio notatum continet : atque eo sinceriore, fideque digniore, quod ab gentili homine proditum est; qui ea quæ præ oculis habebat, et ab Christianis usurpari palam videbat, per ludibrium iis objecit. Eunapius est iste Sardianus sophista : qui sophistarum, ac philosophorum aliquot vitas conscripsit; homo Christianæ religionis, si quisquam alius, hostis atque obtrectator infensissimus. Hic in vita Ædesii, sub finem, de Serapidis templo Alexandriæ Theodosii imperatoris jussu funditus everso, aliisque Deorum fanis apud Canobum præsertim dirutis ac deletis agens, graviter conqueritur

a Tom. V conc. act. IV. Καὶ τὰ ἅγια λείψανα τῶν ἁγίων, καὶ σεπτὰς εἰκόνας ἀποδεχόμεθα, καὶ ἀσπαζόμεθα, καὶ περιπτυσσόμεθα κατὰ τὴν ἀρχαίαν παράδοσιν τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς ἐκκλησίας.

1 Fortun. lib. VI Opusc. *ad Jovinum*. — 2 Ut lib. V ep. I, et lib. VII p. XI et LXXXVIII, — 3 Tom. VI Concil. — 4 Gennad *de Dogm.* cap. LXXIII.

monachos ibi collocatos fuisse, fœdum, ut ipse vocat, hominum genus, quod his verbis deplorat : « Atque hos ipsos Monachos etiam in Canobo collocarunt, hominum ad hoc alligantes genus, ut pro intelligibilibus Diis, mancipiorum ac ne illorum quidem proborum, cultum susciperent : Quippe isti capita quorumdam colligentes, qui scelerum convicti, et publico judicio pœnis addicti fuerant, hos Deos faciebant, et ad eos advolventes sese numinum instar habebant, ad ipsorum sepulcra polluti. Hos vero Martyres appellabant, et ministros ac legatos, qui supplicum preces ad Deos perferrent, servitia improba, et infida, flagrisque pessime concisa; quæ nequitiæ suæ cicatrices in suis idolis circumferebant. Atque hujusmodi Deos nihilomimus terra parturit[a]. » Hæc Eunapius; quæ Latinus Interpres, vir cæteroqui doctus, haud recte reddidit. Nam συναλίζειν putavit esse *condire*, ac *salire*, cum sit idem ac *colligere*. Tum *diaconos* vertit, quasi ab martyribus distinctum genus : ac denique εἴδωλα martyrum illorum *corpora* est interpretatus; quod perquam mirum est. Ac dupliciter *idola* istic accipi possunt. Aut enim mortuorum *umbras*, ut poetæ, ac gentiles putabant, intelligit, quæ post obitum ad inferos descendebant, cum animæ magnorum virorum cœlum peterent : ut Servius adnotavit ad illa secundi *Æneidos*,

« Infelix simulacrum, atque ipsius umbra [Creusæ
Visa mihi ante oculos, et nota major [imago. »

Et ad decimum ejusdem operis, et illa verba,

« Tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpusque reli- [quit. »

« Vita, inquit, est anima. Et abusive dictum est. Nam ad inferos simulacrum pergit, non anima. » Hujusmodi porro umbras, vulnerum, quæ in corporibus accepta erant, vestigia retinere credebant, utpote simulacra, et imagines eorum. Sic Deiphobum in sexto *Æneidos* videt Æneas

« Lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas, populataque tem- [pora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere [nares. »

Aut certe *idola* vocat Eunapius pictas, vel sculptas martyrum imagines, quas habebant Christiani; ut in oratione de S. Theodora Gregorius Nyssenus significat; de quo suo loco dicetur.

Ex his vero, quæ gentilis homo scribit, apparet Christianos studiose martyrum reliquias sublegisse, ut ossa, et capita; iisque cultum et honorem adhibuisse, non tanquam Diis, ut impius ille nugatur : cujus calumniandi licentiam hodierni imitantur hagiomachi : sed tanquam Dei veri amicos, et apud illum interventores, ac mediatores.

CAPUT XII.

De honoris reliquiis, ac memoriis Sanctorum ab Ecclesia veteri habiti variis generibus et officiis. 2, De sepulcris illorum, et cœmeteriis. 3. Imperatores ad illorum basilicas sepulti. 5. Etiam alii plerique. 6. Basilicæ supra illorum extructæ corpora. 8. Galli et Juliani studium in illis condendis.

Optima catholicæ fidei, et ecclesiastici dogmatis interpres est Ecclesia, ejusque usus et ritus, non solum dissimulando toleratus : sed etiam a magnis ac præclaris viris commendatus, usurpatus, institutus. Hoc ipsum vero in sanctorum martyrum cæterorumque cultu et honore, ac religiosa veneratione usuvenisse perspicuum est iis ex antiquorum testimoniis, quæ copiosa et luculenta superioribus in capitibus adduximus. Sed ut pleniorem fidem illius rei vel pervicacissimis quibusque faciamus, acervatim in hoc caput

a Eunap. Τοὺς δὲ μοναχοὺς τούτους καὶ εἰς τὸν Κάνωβον καθίδρυσαν, ἀντὶ τῶν νοητῶν θεῶν εἰς ἀνδραπόδων θεραπείας, καὶ οὐδὲ χρηστῶν, καταδήσαντες τὸ ἀνθρώπινον. οἵ τε γὰρ καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασιν ἑαλωκότων συναλίζοντες, οὓς τὸ πολιτικὸν ἐκόλαζε δικαστήριον, θεούς τε ἀπεδείκνυσαν, καὶ προσεκαλινδοῦντο * * * * καὶ κρείττους ὑπελάμβανον εἶναι, μολυνόμενοι πρὸς τοῖς τάφοις. Μάρτυρες γοῦν ἐκαλοῦντο, καὶ διάκονοί τινες, καὶ πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν, ἀνδράποδα δεδουλευκότα κακῶς, καὶ μάστιξι καταδεδαπανημένα, καὶ τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς ἐν τοῖς ἰδώλοις φέροντα. ἀλλ' ὅμως ἡ γῆ φέρει τούτους τοὺς θεούς.

Intercessionem. conferemus ea, quæ ad sanctorum μεσιτείαν, et eorum cultum, ac reliquiarum maxime venerationem approbandam pertinent. Atque hanc religiosæ in catholica Ecclesia observantiæ partem, tum ex allatis supra idoneorum testium sententiis, non repetitis tamen eorum verbis, adstruere conabimur : tum alia quædam prætermissa illic loca referemus. Sunt autem præcipua cultus illius et honoris approbandi capita, et indicia ista : primum, quod post illorum obitum, veteris instituto Ecclesiæ, et a majoribus accepta et perpetua traditione, memoria est illorum insigni honore celebrata : nec non eorum sepulcris idem religiosæ observantiæ impensum est officium. Deinde, quod altaria supra eorum reliquias erecta; nec non basilicæ, sive templa magnifico sumptu et apparatu in eorumdem memoriam, ac nomen Deo consecrata. Tertium, quod ad illos honorandos festi dies et conventus hilaritatesque ex antiquo Christianis populis institutæ. Quartum, quod sacrificia Deo in eumdem oblata sunt finem, ut illis ipsis honor haberetur. Postremum denique, quod eorum ad sepulcra, et utique interventoribus, ac sequestribus iis, multa divinitus, et ingentia miracula sunt facta. Hæc partim omnia simul, partim eorum aliqua testificantes veteres, in superioribus, aut infra subjectis animadvertere poterimus, atque adversus hæreticam cavillationem, quam post illa diluere, ac refellere statuimus, parati instructique procedere. Hoc igitur aggrediamur*.

Cultus reliquiarum apud veteres capita et indicia.

II. Martyrum sepulcra Christiani olim κοιμητήρια vocari instituerunt**. Erant religiosa loca, in quibus initio soli martyres sepeliebantur. Postea vero [1], etiam Christiani cæteri ibidem terræ mandati sunt : quod in *Annalibus* observatum est a Baronio. Ac tum *martyria****, id est templa, vel sacella privatim martyribus extructa sunt in publicis cœmeteriis. Ea porro cum nondum promiscua essent, aut martyria illa, postquam sanctorum corporibus privata septa sunt attributa, Christiani per festos illorum potissimum dies frequentare solebant, ac sacris illic operari, et religiosos habere conventus. Priorum exempla, et eorum maxime, quæ Romæ erant, nomina collegit *Annalium* conditor. De posterioribus vero, id est martyriis ad ipsa cœmeteria jam vulgata positis, memorabilis est Chrysostomi locus in homilia quadam, cujus inscriptio est *de nomine ipso cœmeterii*. Ibi problema proponit, qua de causa majores instituerunt, ut illo ipso die, quo crucis, et descensus ad inferos Christi memoria celebratur, synaxes et conventus Ecclesiastici extra urbem in Martyrio, quod erat in cœmeterio, fierent. Ac sibi mox ipse respondet : ideo extra urbem decrevisse fieri, quod Christus extra urbem passus sit. Sed rursus inquirit, cur in eo potius martyrio, quod in cœmeterio situm erat, quam alio quovis extra urbem, fideles congregari voluerint [a]. « Quanam vero de causa, inquit, in hoc ipso martyrio, et non in altero? Etenim, Dei gratia, ab utroque latere urbs nostra sanctorum reliquiis munitur. Cur igitur hic potius, quam in alio martyrio, congregari nos majores nostri jusserunt? Nempe quod istic turba mortuorum jacet. Quoniam igitur hodierna die Jesus ad mortuos descendit, idcirco nos in hoc loco conventum facimus [b]. » Videtur ille dies, quem ista verba indicant, parasceve esse majoris hebdomadæ, qua et ad inferos descendit Christus, et crucis anniversariam memoriam Christiana instaurat Ecclesia. Hac igitur die Antiochiæ mos fuit in martyrio, quod in cœmeterio, extra pomœrium conditum erat, synaxim obire. Ex quo illud insuper colligitur, martyrum corpora in sanctiore, et ab communi secreto

Cœmeteria.

De honore cœmeteriis impenso.

a Chrysost. hom. viii. Πολλάκις ἐζήτησα πρὸς ἐμαυτὸν, τίνος ἕνεκεν οἱ πατέρες ἡμῶν τοὺς οἴκους τοὺς εὐκτηρίους τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι παραδραμόντες, ἔξω τῆς πόλεως ἡμᾶς σήμερον, καὶ ἐνταῦθα ἐκκλησιάζειν ἐνομοθέτησαν.

b Ibid. Τίνος δὲ ἕνεκεν ἐν τῷ μαρτυρίῳ τούτῳ, καὶ οὐχὶ ἐν ἑτέρῳ; καὶ γὰρ τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι ἐξ ἑκάστης πλευρᾶς ἡ πόλις ἡμῖν τοῖς λειψάνοις τῶν ἁγίων τειχίζεται. τίνος οὖν ἕνεκεν ἐνταῦθα, καὶ οὐκ ἐν ἄλλῳ μαρτυρίῳ συνάγεσθαι ἡμᾶς ἐκέλευσαν οἱ πατέρες; ὅτι ἐνταῦθα τῶν νεκρῶν κεῖται πλῆθος. Ἐπεὶ οὖν σήμερον Ἰησοῦς πρὸς τοὺς νεκροὺς κατέβη, διὰ τοῦτο ἐνταῦθα συλλεγόμεθα.

* De Reliquiarum apud veteres cultu vide etiam Mabillon. Præf. in Sec. II num. 70 et seqq. Z.

** De cœmeteriis præter Aringhium, et Bottarium in Roma subterranea, itemque Boldettium, nonnulla congessit Mamachius tom. III. *Orig. et Antiquit Christian.* Z.

*** Non *martyria* solum dicta, sed etiam *Concilia Martyrum*. Vide Baronium in notis ad *Martyrolog. Rom.* Cangium in *Lexico med. et infimæ Latinit.* aliosque. Z.

1 Bar. an. 226 § 7 et seq.

loco posita fuisse; et ab Christianis cultum ac venerationem habuisse. De *cœmeteriis*, et *martyriis* meminit Laodicenus canon nonus.

III. Quod autem in cœmeteriis, et ad martyrum, sanctorumque sepulcra, cæterorum deinceps humi mandata sunt corpora, eadem erga sanctos illos Christiani populi religio causa fuisse videtur. Siquidem ex eorum vicinitate fructum in se aliquem redundaturum esse persuasum habebant; atque eorum meritis et intercessione propitium sibi fore Dominum, ac peccatorum sibi gratiam esse facturum. Cujus insiti fidelium animis sensus testes aliquot dabo non vulgaris notæ, nec anilis superstitionis ob inscitiam suspectos *.

Ex vicinitate sanctorum fructum sperabant veteres

Eusebius Cæsariensis in libro IV *de vita Constantini M.* scribit hunc Imperatorem in urbe a se condita et cognomine ingentem extruxisse basilicam in honorem Apostolorum duodecim: et ad eam locum sibi sepulturæ delegisse[1]. « Ut post obitum suum particeps fieret orationum, quas ad honorandos Apostolos, fideles ibi essent postea facturi. Duodecim igitur, inquit, ibidem Apostolorum loculos, tanquam columnas sacras, ad honorem, et memoriam Apostolorum chori excitans, mediam ipse sui corporis capsam constituit, et utrimque sex Apostolorum conditoria disposuit [a]. »

Sozomenus in fine libri secundi, et ex eo Zonaras, et Nicephorus [2], aliique non secus affirmant, ab Constantio filio corpus ejus in Apostolorum basilica sepultum fuisse; quem sibi locum sepulturæ vivens optaverat. Ubi etiam deinceps imperatores omnes positi sunt: nec non episcopi, utpote quorum par sit Imperatoriæ dignitas; imo in sacris locis anteferenda. Ita Sozomenus.

Locus Chrysostomi notandus.

IV. Joannes vero Chrysostomus in homilia XXVI in epistolam secundam *ad Corinthios*, totis eloquentiæ, qua multum excelluit, viribus hoc argumentum exornavit. Nam primum sanctorum sepulcra longe illustriora celebrioraque esse docet imperatorum ac principum palatiis. « Dic mihi, inquit, ubi sepulchrum est Alexandri illius magni? Ostende mihi, et dic qua die sit mortuus. At vero servorum Christi vel monumenta ipsa sunt illustria, quæ regiam, ac dominam omnium civitatem obtinuerunt; tum mortis illorum dies noti sunt omnibus, qui festi per totum orbem aguntur. Atque illius quidem sepulcrum etiam a propinquis, et familiaribus nescitur: hujus autem etiam barbari noverunt. Sane Crucifixi servorum sepulcra regis palatiis splendidiora sunt, non tam ædificiorum magnitudine, ac pulchritudine (quanquam et hoc ipso præstantiora sunt) quam, quod multo amplius est, frequentantium studio. Etenim ille ipse, qui purpura vestitur, vadit, ut monumenta illa complectatur, et fastu posito, stat sanctis supplicans, ut se patrocinio suo apud Deum adjuvent: et scenopegum, ac piscatorem vel vita functos patronos adhibet ille diademate redimitus. Audebisne igitur mortuum dicere Dominum illorum, cujus servi, etiam mortui, totius orbis regum patroni sunt? Atque hoc non Romæ solum fieri videas, sed etiam Constantinopoli. Nam et illic Constantinum magnum magno se affecturum honore hujus filius existimavit, si in vestibulo Piscatoris corpus illius collocaret. Ita quod sunt Imperatoribus in palatio Janitores: hoc in sepulcro Piscatoribus sunt Imperatores; atque illi quidem velut loci domini, interiora tenent: hi vero tanquam externi et vicini, attributa sibi atriensi janua contenti sunt. » Et Augustinus epistola XLII scribit « imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare [b]. »

V. Nec principes tantummodo viri, sed

a EUSEB. lib. IV *de vita Constant.* cap. LX. Ὡς ἂν καὶ μετὰ τελευτὴν ἀξιῷτο τῶν ἐνταυθοῖ μελλουσῶν ἐπὶ τιμῇ τῶν Ἀποστόλων συντελεῖσθαι εὐχῶν. Δώδεκα δὲ οὖν αὐτόθι θήκας, ὡσανεὶ στήλας ἱερὰς ἐπὶ τιμῇ, καὶ μνήμῃ τοῦ τῶν Ἀποστόλων ἐγείρας χοροῦ, μέσην ἐτίθει τὴν ἑαυτοῦ αὐτὸς λάρνακα, ἧς ἑκατέρωθεν τῶν Ἀποστόλων ἀνὰ ἓξ διέκειτο.

b CHRYSOST. in II *ad or.* Ποῦ γὰρ, εἰπέ μοι, τὸ σῆμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι, καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐτελεύτησε. τῶν δὲ δούλων χριστοῦ καὶ τὰ σήματα λαμπρὰ τὴν βασιλικωτάτην καταλαβόντα πόλιν· καὶ ἡμέραι καταφανεῖς ἑορτὴν τῇ οἰκουμένῃ ποιοῦσαι. καὶ τὸ μὲν ἐκείνου καὶ οἱ οἰκεῖοι ἀγνοοῦσι· τὸ δὲ τούτου καὶ οἱ βάρβαροι ἐπίστανται. Καὶ οἱ τάφοι τῶν δούλων τοῦ σταυρωθέντος λαμπρότεροι τῶν βασιλικῶν εἰσὶν αὐλῶν, οὐ τῷ μεγέθει, καὶ τῷ κάλλει τῶν οἰκοδομημάτων μόνον (καὶ τούτῳ μὲν κρατοῦσιν) ἀλλ' ὃ πολλῷ πλέον ἐστὶ, τῇ σπουδῇ τῶν συνόντων. καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ τὴν ἀλουργίδα

* Confer Muratorii dissert. XVII. *de Veterum Christianorum Sepulcris T. I. anecdot.* et Saxium in diss. de SS. Gervasii, et Protasii corporibus.

1 Euseb. IV *de vita Constant.* cap. LVIII. — 2 Niceph. lib. VIII, cap. LV.

Christiani postmodum omnes id maxime studuerunt, ut iisdem in locis, ubi sanctorum essent reliquiæ, sepelirentur; quod iis verbis significat Maximus Taurinensis in homilia *de SS. Tauricis martyribus*, quæ inter Ambrosii sermones LXXVII ponitur. « Nam ideo, inquit, hoc a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus : ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat : dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate.»

Augustinus quoque a Paulino episcopo interrogatus an mortuo prosit, « quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepeliatur, » librum scripsit *de cura pro mortuis agenda* : ubi « genere vitæ acquiri dicit, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos[1]. » Tum ad hoc prodesse ait[2], « ut dum recolunt ubi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem sanctis illos, tanquam patronis susceptos, apud Dominum adjuvandos orando commendant, etc. Cum itaque recolit animus, ubi sepultum sit carissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis, et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis ; qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. »

Isidorus Pelusiota in epistola quinta libri secundi Apostolos multum antecellere regibus, ac principibus ex eo demonstrat, « quod qui terræ, marique dominatur, eat ad monumentum Piscatoris ut ossa ejus amplectatur[a].» Cui simile quiddam universe de martyribus scribit Ambrosius in Lucam[3]. « Et illi fiunt, inquit, supplices, hi patroni. »

VI. Sed honoris illius, quem sanctis, et eorum reliquiis incredibilem Ecclesia christiana perpetuo detulit, firmissimum argumentum ex eo petitur, quod supra illorum sepulcra, altaria, et sacraria, sive basilicas extruere fideles consueverant : quas et *memorias* appellabant, Cujus appellationis causam, et originem insigniter declarat Augustinus libro *de Cura pro mortuis gerenda*, capite quarto : « Sed non ob aliud, inquit, vel memoriæ, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignita fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, et admonendo faciunt cogitari. Nam et memoriæ nomen id apertissime ostendit; et monumentum eo quod moneat mentem, id est admoneat, nuncupatur. Propter quod et Græci μνημεῖον vocant, quod nos *memoriam*, seu *monumentum* appellamus : quoniam lingua eorum memoria ipsa, qua meminimus, μνήμη dicitur. » Falsum est autem, quod recens auctor suspicatur, Asterium in Encomio sanctorum martyrum ὑπουδαίας μνείας, hoc est *subterraneas memorias* illas appellasse, ut postea dicemus. Nam etsi μνήμης vocabulum ei rei conveniat, non tamen etiam alterum τῆς μνείας.

Firmissimum argumentum honoris quem Sanctorum reliquiis Ecclesia semper detulit.

Rupertus libro nono *de glorificatione Sanctæ Trinitatis, et Processione Spiritus sancti*[4], « Solemus, inquit, basilicas martyrum appellare memorias eorum pro eo quod ibi psallendo, et confitendo memoramus martyria illorum. »

VII. Quantus porro veterum Christianorum animis ardor insederit, hoc officii genere sanctorum, præsertim martyrum, reliquias, ac memoriam cultu, et honore celebrandi; innumera scriptorum cujuscumque generis testimonia declarant : quæ si diligentius recensendo persequar, morosa, et injucunda erit oratio. Perpauca tamen, pro eo atque instituti ratio cogit, in medium afferenda sunt.

Huc igitur imprimis illa referenda sunt memorabilia sane, et illustria antiquorum

περικείμενος ἀπέρχεται τὰ σήματα ἐκεῖνα περιπτυξόμενος, καὶ τὸν τῦφον ἀποθέμενος ἕστηκε δεόμενος τῶν ἁγίων, ὥστε αὐτοῦ προστῆναι παρὰ τῷ Θεῷ· καὶ τοῦ σκηνοποιοῦ, καὶ τοῦ ἁλιέως προστατῶν καὶ τετελευτηκότων δεῖται ὁ τὸ διάδημα ἔχων· τολμήσεις οὖν, εἰπέ μοι, τὸν τούτων δεσπότην νεκρὸν εἰπεῖν, οὗ οἱ οἰκέται καὶ τετελευτηκότες, προστάται τῶν τῆς οἰκουμένης βασιλέων εἰσί; καὶ τοῦτο οὐκ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἴδοι τις ἂν γινόμενον μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει. καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα Κωνσταντῖνον τὸν μέγαν μεγάλῃ τιμῇ τιμᾷν ἐνόμισεν ὁ παῖς εἰ τοῖς προθύροις κατάθοιτο τοῦ ἁλιέως. καὶ ὅπερ εἰσὶν οἱ πυλωροὶ τοῖς βασιλεῦσιν ἐν τοῖς βασιλείοις, τοῦτο ἐν τῷ σήματι οἱ βασιλεῖς τοῖς ἁλιεῦσι. καὶ οἱ μὲν, ὥσπερ δεσπόται τοῦ τόπου τὰ ἔνδον κατέχουσιν· οἱ δὲ ὡς πάροικοι, καὶ γείτονες ἠγάπησαν τὴν αὔλειον αὐτοῖς ἀφορισθῆναι θύραν.

a ISIDOR. Ὁ γὰρ γῆς τε, καὶ θαλάσσης βασιλεύων ἄπεισιν εἰς τὸ μνῆμα τοῦ ἁλιέως τὰ ὀστᾶ περιπτυξόμενος.

1 Aug. tom. IX lib. *de cura pro mor.* cap. II.— 2 Ibid. cap. IV. — 3 Amb. in *Luc.* cap. IX supra cit. cap. X. § 9. — 4 Rupert. tom. II.

loca, quæ in superioribus capitibus attuli, in quibus expressa fit basilicarum mentio, quæ in honorem martyrum splendide exædificatæ sunt ab insignibus eruditione, ac sanctitate viris : aut eorum judicio ac præconio commendatæ*. Hujusmodi est basilica duodecim Apostolorum a magno Constantino in urbe cognomine constituta, cujus paulo ante meminimus. Tum quæ in sancti Stephani honorem post inventas ejus reliquias ubique terrarum erectæ sunt memoriæ : ut et sanctorum Gervasii et Protasii ; quorum testem et auctorem antecedenti capite adhibuimus Augustinum. Sic in memoriam Quadraginta martyrum basilicam a se dedicatam, testificantem audivimus ibidem Gaudentium Brixiensem. Ita Romæ principum Apostolorum reliquiis servandis magnificentissimæ sunt ecclesiæ conditæ, quas et *memorias* peculiari ratione instituerunt dicere. Quas quidem omnium sæculorum approbatione, ac frequenti ad illas venerandas Christianorum peregrinatione celebratas esse constat.

VIII. Gregorius Nazianzenus orat. tertia, quæ prima est *Invectiva in Julianum Apostatam*, refert hunc cum Gallo fratre ab Imperatore Constantio in disciplinam traditos, in Clerum adscitos fuisse, ac lectorum officio functos esse : ac tum pietatem suam, et in Christianam religionem amorem multis indiciis professos esse ; præsertim martyrum ornandis sepulcris, « Jam sumptuosissimis, inquit, martyrum monumentis, et votivorum donorum munificentiis, omnibusque aliis rebus, quibus divinus timor insignitur, sapientiæ studium, et amorem Christi præ se ferebant : alter quidem vere, ac serio pietatem profitens : (quamvis enim natura fervidior esset, vere tamen, ac sincere pietatem colebat) alter autem tempus redimens, et sub probitatis specie pravitatem obtegens[a]. » Mox refert insigne, quod in illorum exædificatione factum est divinitus, miraculum, Deo majoris natu Galli pietatem approbante, qui ex animo et sincere officium illud exhibebat; Juliani vero simulationem, ac latentem impietatem damnante. «Nam hujus, inquit, opus promovebatur, et ex ratione procedebat, fratris nempe natu majoris, utpote Deo munus illud libenter admittente ; velut Abelis sacrificium recte et oblatum et divisum[b],» etc. At opus alterius, nempe Juliani, cum assurgere cœpisset, divina quadam excussum vi sponte subruebatur. Vides uti martyribus hujusmodi præstitum honorem, et eorum memoriæ impensam venerationem Deus approbaverit : eique suffragatus sit Gregorius Nazianzenus.

IX. Hujus Juliani similem fuisse dicit impium illum hæreticum Vigilantium Hieronymus in epistola *ad Riparium*, quod « cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret. »

Theodoretus in dialogo tertio *adversus hæreses ;* « Cum in sanctorum, inquit, Apostolorum, vel Prophetarum, vel Martyrum ædes sacras ingressi sumus, sciscitantur. Quis ille est in loculo conditus? Tum qui rei veritatem sciunt, respondentes aiunt, aut Thomam fortasse Apostolum, aut Joannem Baptistam, aut Stephanum martyrum antesignanum, aut alium quempiam sanctorum nominatim appellantes : quamvis exiguæ interdum reliquiæ ibi positæ sint[c]. »

Idem præterea in *religiosa historia* XXVIII, de Thalelæo sanctissimo anachoreta refert, ipsum « subverso dæmonum templo, basilicam maximam victoribus erexisse martyribus, falsis diis divinos opponentem mortuos[d]. »

Neque vero in honorem tantummodo martyrum, et his dicata templa constituebantur : verum etiam qualiacumque, et cujuscumque nomine inscripta forent, martyrum reliquias in illis collocabant : adeo ut sine

a Nazianz. orat. III. Μαρτύρων τε μνήμασι πολυτελεστάτοις, καὶ ἀναθημάτων φιλοτιμίαις, καὶ πᾶσιν οἷς ὁ θεῖος φόβος χαρακτηρίζεται, τὸ φιλόσοφον, καὶ φιλόχριστον κατεμήνυον· ὁ μὲν κατ' ἀλήθειαν εὐσεβῶν· καὶ γὰρ ἦν εἰ καὶ τὴν φύσιν θερμότερος, ἀλλ' οὖν γνήσιος εἰς εὐσέβειαν· ὁ δὲ τὸν καιρὸν ἐξωνούμενος, καὶ κρύπτων ἐν ἐπιεικείας πλάσματι τὸ κακοηθές.

b Ibid. Τοῦ μὲν γὰρ τὸ ἔργον ἠνύετο, καὶ κατὰ λόγον ἐχώρει, τοῦ πρεσβυτέρου λέγω τῶν ἀδελφῶν, οἷα τοῦ Θεοῦ τὴν ἐπίδοσιν ἑτοίμως προσιεμένου, κατὰ τὴν 'Αβὲλ θυσίαν, ὀρθῶς καὶ προσενεχθεῖσαν, καὶ διαιρεθεῖσαν.

c Theodor. Εἰς γὰρ τοὺς τῶν ἱερῶν 'Αποστόλων, ἢ προφητῶν, ἢ μαρτύρων εἰσιόντες σηκοὺς πυνθανομέθα τίς ὁ κείμενος ἐν τῇ λάρνακι· οἱ δὲ τὸ ἀληθὲς εἰδότες, ἀποκρινόμενοι λέγουσιν, ἢ τὸν Θωμᾶν τυχὸν τὸν 'Απόστολον, ἢ τὸν Βαπτιστὴν 'Ιωάννην, ἢ Στέφανον τῶν μαρτύρων τὸν πρόμαχον, ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἁγίων ὀνομαστὶ λέγοντες· καί τοι σμικρῶν ἄγαν ἐνιότε λειψάνων κειμένων.

d Id. Τούτοις χρώμενος ὑπουργοῖς καὶ τὸ τῶν δαιμόνων κατέλυσε τέμενος, καὶ σηκὸν μέγιστον τοῖς καλλινίκοις ἀνήγειρε μάρτυσι, τοῖς ψευδωνύμοις θεοῖς τοὺς θείους ἀντιτάξας νεκρούς.

* Vide etiam Plazzam in *Christianorum devotione vindicata* p. I. Z.

reliquiis nullæ prorsus dedicarentur basilicæ. Cujus ecclesiastici ritus, qui hoc etiam tempore inter Catholicos retinetur, aliquot indicia in superioribus capitibus allata veterum testimonia continent; et quæ subjiciam, manifestius ostendent.

Absque reliquiis nulla ab olim dedicata templa.

X. Quod igitur nudas sine reliquiis memorias dedicare, usu receptum non fuerit; docet imprimis concilii Carthaginensis quinti canon decimus quartus, qui sic habet : « Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros, aut vias, tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur ab episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequententur; ut qui recte sapiunt, nulla ibi devincti superstitione teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint; aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. »

Ambrosius item in epistola LIV *ad Marcellinam sororem*, in qua SS. Gervasii, et Protasii corporum inventionem narrat : « Cum ego, inquit, basilicam dedicare vellem, multi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes; sicut in Romana, sic basilicam dedices. Respondi, faciam, si martyrum reliquias invenero. » Post inventis corporibus sanctorum illorum, « sequenti, inquit, die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam : » ubi sub altari ea collocavit; quod his verbis, ad concionem exposuit : « Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est : isti sub altari qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem : locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, et dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus. »

Basilius quoque epistola CDVIII, Arcadio episcopo gratulatur, quod ecclesiam exædificare velit : et « si reliquias martyrum investigare possit, in votis habere se dicit, aliquid in illius conferre studium [a]. »

Et in alia epistola, reliquias mitti ad se rogat : « Recte autem feceris, ait, si et martyrum reliquias ad patriam tuam miseris; si modo quod ad me scripsisti, persecutio, quæ illic grassatur, etiam Domino martyres adhuc facit [b]. »

XI. Omnium vero luculentissime, idem Paulinus Nolanus episcopus demonstrat in epistolis *ad Severum* : ut in undecima, cum ab eo rogatus esset, ut ad dedicandam basilicam, *de sacris sanctorum reliquiis benedictionem* mitteret, ita respondet. « Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus supra quam nobis ad basilicam, quæ proxime in nomine Domini consummabitur, dedicandam necessarium erat, misissemus unanimitati tuæ. Sed quia nos non habuimus hujus muneris copiam, et ille se spem ejusdem gratiæ copiosam habere dixit a sancta Silvia, quæ illi de multorum ex Oriente martyrum reliquiis spopondisset, invenimus quod digne et ad basilicæ sanctificationem vobis, et ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus, partem particulæ de ligno divinæ Crucis. » Et epistola sequenti. « Quod si Dominus, inquit, desiderium animæ vestræ fecerit secundum fidem vestram, adjiciens ornatui, et sanctificationi operum vestrorum, ut sacros cineres de sanctis gloriosorum Apostolorum, aut martyrum reliquiis adipiscamini; quia hujus voti præsumptione vos aliam apud Primuliacum nostram, et priore majorem basilicam præparasse cognovimus; dignum opere fidei vestræ, et operis fideliter elaborati dedicatione procul dubio celeberrima, sanctorum quoque reliquiis decens arbitramur, ut hoc etiam, quod de Cruce misimus, pariter depositum, sacratumque veneremini. » Subjicit et versus ad idem monumentum adscribendos, quibus rationem reddit, cur in altari reliquiæ martyrum collocentur. Horum posterius epigramma sic habet.

« Pignora sanctorum divinæ gloria mensæ
Velat Apostolicis edita corporibus,

a Tom. II. Ἐὰν δὲ δυνηθῶμεν περινοῆσαι λείψανα μαρτύρων, εὐχόμεθα καὶ αὐτοὶ συμβαλέσθαι ὑμῶν τῇ σπουδῇ.

b Idem epist. CCXLI. Καλῶς δὲ ποιήσεις, ἐὰν καὶ λείψανα μαρτύρων τῇ πατρίδι ἐκπέμψῃς, εἴπερ, ὡς ἐπέστειλας ἡμῖν, ὁ ἐκεῖ διωγμὸς ποιεῖ καὶ νῦν μάρτυρας τῷ Κυρίῳ.

Spiritus et Domini medicis virtutibus instans
Per documenta sacros viva probat cineres.
Sic geminata piis adspirat gratia votis
Infra martyribus, desuper acta sacris.
Vota sacerdotes, viventum et commoda, parvo
Pulvere sanctorum mors pretiosa juvat. »

XII. Quin et suis, hoc est, quas fundabat ipse in Italia, basilicis sacros se cineres, et martyrum reliquias cum Crucis particula condidisse, eadem Paulinus in epistola narrat, ac testes ejus rei, quos ibidem inscripsit, versus ad Severum mittit. In basilica, quam in honorem S. Felicis erexerat, « reliquiis Apostolorum, et martyrum intra apsidem trichora sub altaria sacratis, » hos versus dicavit :

« Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Christi :
Hic est martyribus Crux sociata suis, etc.
Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum Cruce Apostolicos quæ sociant cineres.
Quam bene junguntur ligno Crucis ossa [piorum ;
Pro Cruce ut occisis in Cruce sit requies! »

Sic in altera basilica, quam Fundis exædificavit, idem præstitit de qua sic scribit : » Verum hanc quoque basiliculam de benedictis Apostolorum, et martyrum reliquiis sacri cineres, in nomine Christi sanctorum sancti, et martyrum martyris, et dominorum domini consecrabunt. » Sequitur epigramma de reliquiis :

« Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.
Hic et Apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas,
Martyr et illustris sanguine Nazarius,
Quosque suo Deus Ambrosio post longa re- [velat
Tempora, Protasium cum pare Gervasio.
Hic simul una pium complectitur arcula [cœtum;
Et capit exiguo nomina tanta sinu. »

Augustinus in sermone quinto *de anniversario dedicationis templi* ; qui est CCLVI *de tempore*, in fine, « Adhuc amplius agendæ sunt, inquit, gratiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum martyrum reliquiis amplius honorari. »

XIII. In iisdem porro martyrum memoriis erigi altaria consuevisse, in quibus sacrificium in illorum honorem pie Deo sacerdotes offerrent, ex iisdem vetustatis monimentis accepimus. Augustinus in sermone CCXIV *de Diversis*, capite v, de sancto Cypriano loquens. « Cujus, inquit, victricis animæ sanctam carnem, tanquam illius frameæ vaginam, hoc loco sublimitate divini altaris ornamus, eidem ipsi animæ triumphali resurrectione reddendam, et nulla deinceps morte ponendam. »

Sacrificia in honorem martyrum oblata.

Et sermone CXIII ejusdem tituli *de Diversis*, capite secundo ; « Ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi. Et tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique, sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est : tamen mensa dicitur Cypriani : non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus ; sed quia ibi est immolatus, et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur : sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur. » Mensam porro usitato nomine vocat altare, sub quo martyrum reliquiæ condebantur ; de quo auctor sermonis quarti *de Innocentibus*, qui est septuagesimus tertius in appendice tomi decimi operum Augustini, de his agens *Apocalypsis* verbis [1], *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei ;* « Quid reverentius, inquit, quid honoribilius dici potest, quam sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos : sicut scriptum est, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ?* Recte sub altario justorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur, etc. Convenienter igitur, et quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur. » Quo ex loco colligitur, consuetudinem illam Ecclesiæ, ut sub altari martyrum reliquiæ conderentur, ex illo *Apocalypsis* loco, et Joannis visione ista manasse, de qua vide Ambrosii locum paulo ante citatum [2].

1 *Apoc.* VI, 9. — 2 § 20.

Mensa apud veteres pro altari sumpta.

XIV. Cæterum mensam pro altari sumi complura veterum testimonia demonstrant *: e quibus unum, alterumve proferam. Theophilus Alexandrinus in *Paschali* prima, quam Latine interpretatus est Hieronymus, Origenem refellens, qui Spiritum sanctum *ad irrationabilia pervenire* negabant, sic adversus eum disputat : « Quod asserens non recogitat aquas in baptismate mysticas, adventu Spiritus sancti consecrari : panemque Dominicum, quo Salvatoris corpus ostenditur, et quem frangimus in sanctificationem nostri, et sacrum calicem; quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, et utique inanima sunt, per invocationem, et adventum sancti Spiritus sanctificari. »

Joannes item Chrysostomus, homilia octava in epistolam *ad Romanos*, « Reveremini, inquit, reveremini mensam hanc, in qua omnes communicamus : et jugulatum pro nobis Christum, illam videlicet hostiam, quæ in ipsa posita est [a]. »

Legimus etiam apud supposititium Martialem in epistola prima *ad Burdegalenses*, de S. Stephano ; « Stephanus enim non Deus, sed amicus Dei fuit : qui pro testimonio ejus animam suam posuit; cujus sanguine ipsa mensa est decorata . » etc. Atque ut memoriæ illæ martyrum, et reliquiæ digna hominum veneratione celebrarentur, provisum est, uti psallendi officio, et sacrificiis loca illa frequentarentur. De priori exstat Epaunensis concilii canon xxv. « Sanctorum reliquiæ, ait, oratoriis villaribus non proponantur: nisi forsitan clericos cujuscumque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. »

De sacrificiis vero super mortuorum sanctorum reliquias celebrari solitis meminit Hieronymus in libro *contra Vigilantium :* ubi sic ineptum hæreticum ista reprehendentem arguit : « Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus, et favilla nescio quæ jacet linteamine convoluta, » etc. Igitur Hieronymi sæculo totus orbis Christianus, et episcopi omnes in eam conspirabant sententiam, ut reliquias sanctorum venerandas ducerent, et super illas sacrificia celebrarent. Quod et Augustinus multis in locis auctoritate sua confirmat; sed insigniter in libro vicesimo *contra Faustum* [1], capite xxi, quem locum libro duodecimo retulimus : ubi « Antistitem in locis sanctorum corporum assistentem Altari, Deo martyrum sacrificare dicit. »

Gangrensis concilii memorabilis sanctio.

Exstat Gangrensis concilii de ea re memorabilis sanctio canone ultimo, ubi sic loquitur : « Si quis superbo affectu utens, et abhorrens conventus martyrum, et sacra, quæ in eis celebrantur, et eorum memorias, anathema sit [b], » Λειτουργίας hic ait a Catholicis peractas in memoriis, id est basilicis, aut altaribus in honorem martyrum erectis; quæ et martyria nominari solebant.

Dies certi celebrandis SS. reliquiis ab antiqua Ecclesia attributi.

XV. Est illud præterea antiquioris Ecclesiæ de sanctorum reliquiis in cultu et honore habendis egregium, et illustre testimonium : quod certos dies celebrandis illis, et venerandis attribuit, quos natales eorum appellavit; eos fere scilicet, quibus gloriosam pro Christo necem subierant. Quos sane dies festos, ac religiosos habuere Christiani; ac per eosdem, solemnes cœtus atque conventus ad eorum sepulcra, et *memorias*, hoc est basilicas instituere: eosque genere omni lætitiæ, hilaritastique traduxere, non ejus solum, quæ ad oblectandos, et pascendos animos spectat, cujusmodi sunt laudationes. et panegyricæ conciones de illorum laudibus habitæ, sed etiam corporis propriæ : quales agapæ sunt, et convivia, cæteraque licitæ, et honestæ voluptatis argumenta : de quibus hic nonnulla sunt observanda.

Ac de diebus quidem festis, quos *natales* appellatos esse dixi, non est omittendus Augustini locus insignis ex sermone cxiii *de Diversis ;* quem sic orditur, « Spiritus sanctus doceat nos in hac hora quæ oporteat di-

a Chrysost. vers. 23. Αἰδέσθητε τοίνυν, αἰδέσθητε τὴν τράπεζαν ταύτην, ἧς κοινωνοῦμεν ἅπαντες· τὸν δι' ἡμᾶς σφαγέντα Χριστὸν, τὸ θῦμα τὸ ἐπ' αὐτῆς κείμενον.

b Gangr. syn. can. xxix. Εἴτις αἰτιῷτο ὑπερηφάνῳ διαθέσει κεχρημένος, καὶ βδελυσσόμενος τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς γενομένας λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, ἀνάθεμα ἔστω.

* Vide Petavium nostrum *de Eccl. hier.* lib. III, cap. 5, § 10. Z.

1 Cap. xiv, § 6.

cere. Dicturi enim sumus aliquid de laude Cypriani gloriosissimi martyris, cujus natalem hodie sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est natales, ut natales vocet pretiosas martyrum mortes. Sic, inquam hoc nomen frequentat Ecclesia, ut etiam qui non sunt in illa, hoc dicant cum illa. Quis enim hodie, non dicam in hac nostra civitate, sed plane per Africam totam, transmarinasque regiones non Christianus solus, sed Paganus, aut Judæus, aut etiam hæreticus poterit inveniri, qui non nobiscum dicat natalem martyris Cypriani? Quid est hoc fratres? Quando natus est, ignoramus: et quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. »

Hanc γενέθλιον ἡμέραν τοῦ μαρτυρίου, id est *natalem diem martyrii*, vocat Ecclesia Smyrnensis in Epistola *de Martyrio Polycarpi* apud Eusebium, supra capite superiori citata *.

Quod Patrum testimoniis approbatur.

XVI. Gregorius Thaumaturgus cum Neocæsarienses ac finitimos tractus ad Christianam fidem convertisset, instituit ut martyrum festos dies celebrarent, ut in panegyrica ejus laudatione testatur Gregorius Nyssenus. « Itaque cum alius alibi corpora martyrum occupasset, vertente anni curriculo, conventus facientes, lætabuntur in honorem martyrum festa peragentes [a]. »

Alexandrum item Alexandriæ præsulem a quo Arius ejectus Ecclesia est, auctor est Rufinus [1], cum S. Petri martyris dies festus ageretur, « cum post expleta solemnia, conventuros ad convivium suum clericos expectaret in loco mari vicino, » pueros ludentes, inque his Athanasium prospexisse.

Sed ante hæc Cyprianus in epistola XXXVIII, dies excessus martyrum adnotari jubet, ut cum honore celebrentur. « Denique et dies eorum, inquit, quibus excedunt, annotate: ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quanquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster pro cætera sollicitudine, et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest; scripserit, et scribat, ac significet mihi dies, quibus in carne beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, et celebrantur hic a nobis oblationes, et sacrificia ob commemorationes eorum: quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus. »

Basilii locus est de hoc præclarus in epistola CCXCI ad Ponticæ diœcesis episcopos, qua eos invitat ad natales martyrum celebrandos: « Martyrum honores, inquit, cum summo studio ab iis procurantur, qui in Dominum sperant: tum imprimis a vobis, qui virtuti operam datis, etc. Cum igitur inter martyres excellant Eutychius et Damas, eorumque socii, quorum memoriam civitas nostra, et circumjecta undequaque regio celebrat; hoc vobis tanquam proprio suo ornamento, in memoriam revocat Ecclesia, mea voce vos exhortans; ut veterem invisendi nos consuetudinem resumatis [b]. »

XVII. Gregorius Nazianzenus in priore *invectiva contra Julianum*, acriter hunc insectatur, quod sanctos martyres dedecoravit, « quibus eximii honores, et festi dies sunt constituti [c]. »

Idem in oratione sexta, quam in solemni martyrum festo habuit, hortatur ad hunc ipsum diem, uti par est, hoc est pie, sancteque celebrandum. « Nam si sic, inquit, convenimus aut concurrimus, revera festum hunc diem secundum Christum celebramus: revera martyribus honorem detulimus, aut deferemus: revera triumphalem choream agimus [d]. »

Et epistola XCVI *ad Gregorium Nyssenum*,

a NYSSEN. Καὶ πᾶσαν περινοστήσας ἐν κύκλῳ τὴν χώραν, προσθήκην ἐποιεῖτο τοῖς πανταχοῦ λαοῖς τῆς περὶ τὸ θεῖον σπουδῆς τὰς ὑπὲρ τῶν ἐνηθληκότων τῇ πίστει πανηγύρεις νομοθετήσας. Καὶ διαλαβὼν ἄλλος ἀλλαχῆ τῶν μαρτύρων τὰ σώματα, κατὰ τὴν ἐτήσιον τοῦ ἐνιαυσιαίου κύκλου περίοδον συνιόντες, ἠγάλλοντο, τῇ τιμῇ τῶν μαρτύρων πανηγυρίζοντες.

b BASIL. Μαρτύρων τιμαὶ πᾶσι μὲν περισπούδαστοι τοῖς ἐπὶ Κύριον ἐλπικόσιν, ἐξαιρέτως δὲ ὑμῖν τοῖς ἀρετῆς ἀντιποιουμένοις, etc. Ἐπεὶ οὖν ἐπισημότατοι μαρτύρων Εὐψύχιος, καὶ Δάμας καὶ ὁ περὶ αὐτοὺς χορὸς, ὧν ἡ μνήμη δι' ἔτους παρὰ τῆς πόλεως ἡμῶν, καὶ τῆς περιοικίδος δὲ πάσης τελεῖται, ὑπομιμνήσκει ὑμᾶς τὸν ἴδιον ἑαυτῆς κόσμον, ἡ ἐκκλησία διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα, τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν τῆς ἐπισκέψεως ἡμῶν συνήθειαν.

c NAZIANZ. orat. III. Ὧν αἱ μεγάλαι τιμαὶ, καὶ πανηγύρεις, etc. quæ vide supra cap. II, § 3, vide et orat. XVIII.

d Idem. Εἰ οὕτω συνεληλύθαμεν, ἢ συντρέχομεν,

* De sanctorum martyrum Natalibus dissertationem Muratorius dedit tom. 1. *Anecdot.* Confer etiam Sabbatinium in Calendario Neapolitano, aliosque. Z.

1 Ruf. lib. 1 *Histor.* cap. XIV.

meminit συνόδου id est « conventus, qui in sanctorum honorem martyrum celebrabatur [a]. »

Ita Gregorius Nyssenus in oratione *de sancto Theodoro* martyre, « memoriam ejus vocat, mercatum perpetuum diem festum agentium. Nam etsi anniversariis feriis diem illum celebramus, inquit : at nunquam cessat studiose advenientium multitudo, etc. Ac nos quidem, o beate ! benignitate Creatoris anniversariam circuli vicissitudinem assecuti, publicum tibi conventum coegimus, sacrum videlicet amantium martyres cœtum ; tum communem adorantes Dominum ; tum et triumphalem certaminum tuorum memoriam peragentes [b]. »

Idem in epistola *ad Flavianum* [1] meminit solemnis festi, quod apud Sebastenos in honorem Petri martyris celebratum est ; cui se interfuisse dicit.

Joannes quoque Chrysostomus passim festorum dierum meminit, qui ab Christianis agebantur in memoriam sanctorum martyrum, ut in homilia XI tomi quinti : « Post hæc, inquit, per multos dies festos martyrum cum gaudio celebravimus : et erat importunum, inter martyrum sepulcra versantes, laudationum eorum, quæ martyribus conveniunt, expertes discedere [c]. »

Item in homilia XLIV tomi ejusdem. « Nam etsi martyres, inquit, nondum mercedem acceperint, neque bravia, et coronas, sed in pulverem ac cineres resoluti sint, tamen omni cum alacritate concurrimus ad illorum honores, et velut theatricum spectaculum, sed spirituale congregamus ; et eos tanquam præconis voce victores pronuntiamus, ac coronamus, propter vulnera, et sanguinem [d], etc.

Licet hoc idem animadvertere testantem ipsum in *Panegyricis orationibus*, quas in festis martyrum, aliorumque sanctorum ad populum frequentes habuit. Maxime autem in homilia *de S. Juliano martyre*, quæ est tomi sexti nonagesima secunda. Cujus initio quanta sanctorum martyrum gloria sit apud Deum, argumentatur ex incredibili honore, quem illis conservi homines in terris deferunt.

XVIII. Verum ille imprimis ex homilia XLIV Chrysostomi animadversione dignus est locus, quod etsi nondum illos plenæ felicitatis compotes esse dicat, tamen coli a nobis, et honorari merito censeat. Atqui possunt illa verba de dilata corporis felicitate accipi. At Augustinus interdum beatitatis ejus statum, cujus modo compotes sunt sancti, præ eo, qui post resurrectionem futurus est, pene nihil esse pronuntiat : ut manifeste nondum perspicuo Dei contuitu illos frui sentiat : cum tamen solemnes eorum dies celebrari velit. In sermone centesimo tertio *de Diversis*, capite quinto, « hanc vitam, quam nunc beati martyres habent, parvam particulam promissionis istius esse dicit, imo solatium dilationis, » tum alia quædam ad eamdem sententiam, quæ nos alibi notavimus [2]. Et subinde tamen ad eorum festa peragenda sic hortatur [3]. « Unde solemnitates eorum, sicut facimus, devotissime celebremus, sobria hilaritate, casta congregatione, fideli cogitatione, fidenti prædicatione. »

De beatitudine Sanctorum ante resurrectionem.

Rursus idem homilia quadragesima nona *de quinquaginta*, capite secundo. « Passionum diem, ait, servis plurimis celebramus : nativitatis diem nemini nisi Joanni. » Et sermone CIX *de Diversis*, capite VI, « Machabæi ergo martyres Christi sunt, inquit : Ideo non incongrue, neque importune, imo convenientissime dies eorum, et solemnitas eorum a Christianis populis celebratur. »

Denique idem alibi sic scribit [4] : Ad hoc

ὄντως κατὰ Χριστὸν ἡ πανηγύρις· ὄντως τοὺς μάρτυρας τετιμήκαμεν, ἢ τιμήσομεν· ὄντως χορεύομεν ἐπινίκια.

a NAZIANZ. Σύνοδος ἦν αὐτόθι τελεῖτε τοῖς ἁγίοις μάρτυσι.

b GREGOR. NYSSEN. Πανήγυριν τῶν ἑορταζόντων ἄληκτον. Εἰ γὰρ καὶ ἐνιαυσιαίοις ἑορταῖς τὴν ἡμέραν ταύτην τελοῦμεν· ἀλλ' οὐδέ ποτε λήγει τῶν κατὰ σπουδὴν ἀφικνουμένων τὸ πλῆθος, etc. Ἡμεῖς μὲν οὖν, ὦ μακάριε, τὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ κύκλον καταλαβόντες, φιλανθρωπίᾳ τοῦ κτίσαντος, ἠθροίσαμέν σοι τὴν πανήγυριν, τὸν ἱερὸν τῶν φιλομαρτύρων σύλλογον, τόν τε κοινὸν προσκυνοῦντες δεσπότην, καὶ τὸν ἐπινίκιον πληρώσαντες τῶν σῶν ἀγώνων ὑπόμνησιν.

c CHRYSOST. vers. 40. Μετ' ἐκεῖνο πάλιν πολλὰς ἡμέρας τῆς τῶν μαρτύρων ἀπελαύσαμεν πανηγύρεως, καὶ ἄκαιρον ἦν ἐν τάφοις μαρτύρων διατρίβοντας, τῶν τοῖς μάρτυσι πρεπόντων ἐγκωμίων ἀμοίρους ἀπελθεῖν.

d Idem ibidem vers. 47. Οὔπω γὰρ τῶν μαρτύρων ἀπολαβόντων τὰς ἀμοιβὰς, οὐδὲ τὰ βραβεῖα, καὶ τοὺς στεφάνους, ἀλλ' εἰς κόνιν διαλυθέντων, καὶ τέφραν, μετὰ πάσης προθυμίας συντρέχομεν εἰς τὰς ἐκείνων τιμάς· καὶ θέατρον συγκροτοῦμεν πνευματικὸν, καὶ ἀνακηρύττομεν τούτους· καὶ στεφανοῦμεν αὐτοὺς διά τε τὰ τραύματα, καὶ τὸ αἷμα, etc.

1 Greg. Nyss. tom. II. — 2 Tom. I, lib. VII, cap. XIV, § 9. — 3 Aug. ibid. cap. VI. — 4 Serm. CXVIII *de Divers.*

« istæ festivitates in Ecclesia constitutæ sunt, ut per eos congregatio membrorum Christi admoneatur imitari martyres Christi. Hæc est omnino hujus festivitatis utilitas : alia non est. »

Proclus Constantinopolitanus episcopus sermone XVII *de sancti Stephani natali*, proxime ab festo Theophaniorum, id est Natali Christi, celebrari solito ista dicit : « Festum festo succedit, et solemnitas solemnitatem assectatur. Vocatur autem ab oratione ad orationem : ac Theophania Domini, honor sequitur servi [a]. »

Signa lætitiæ his diebus permissa.

XIX. Jam illud ex compluribus allatis supra testimoniis insuper constat, festos istos sanctorum martyrum dies non animi duntaxat propriis hilaritatibus, hoc est precibus, et sacrificiis, ac panegyricis laudationibus transactos fuisse, sed etiam honestis, ac moderatis corporis relaxationibus ; velut conviviis, quas *agapas*, ut notum est, appellabant *. De quibus exstat Gangrensis synodi canon undecimus, quo illarum contemptores damnatoresque feriuntur. Auctor est Gregorius Nyssenus Thaumaturgum Gregorium, postquam populum suum ab idolorum cultu ad Christianam religionem convertit, cum animadvertisset magnam ad profanos ritus gentilium fovendos illecebram habere festas dapes, et lætitias, quæ sacris illorum erant attributæ : «permisisse, ut in sanctorum martyrum celebranda memoria sese hilarius haberent, et oblectamentis, ac lætitiis indulgerent [b] : » ut paulatim Christianis insuefacti cæremoniis, corporis voluptates istas spiritualibus commutarent gaudiis ; quod et in plerisque accidisse scribit.

Quinetiam eulogias, et munuscula ad amicos per eosdem solemnes dies mittebant, quæ Laodicena synodus canone XXXVII vocat ἑορταστικὰ : quidam Latini *feriatica*, Basilius [1] σύμβολα **.

In Signum grati animi appensa donaria.

Ad hæc cereos in lætitiæ signum accendere solebant ; quod testatur, et approbat Hieronymus in libro *contra Vigilantium* [2]. Tum vero pias feminas Ecclesiæ cancellos, et martyrum conditoria oleo perunxisse Theodoretus observat [3]. Postremo sepulcra eorumdem ac memorias appensis donariis decorare consueverant : præsertim ejusmodi, quæ impetrati meritis illorum, et intercessionibus cujuspiam beneficii monimenta continerent : velut oculorum figuras, aut pedum manuumve, qui membrorum istorum usum, et incolumitatem ab illis exoraverant, ex auro, argento, vel ære fabricatas offerebant ; uti narrat Theodoretus [4] : quem locum postea referam.

CAPUT XIII.

Ex antiquorum Patrum auctoritate informatur argumentum omnium efficacissimum, quo reliquiarum, necnon ipsorum sanctorum honor, et cultus, cujus in antecedentibus capitibus mentio est facta, comprobatur. Hoc autem miraculis continetur, quæ sanctorum intercessio, et eorum pariter cultus reliquiarum divinitus impetravit; quæ quidem exquisitis testimoniis approbantur.

Argumentum firmissimum pro cultu SS. ac reliquiarum, miracula eorum intercessione ac reliquiarum cultu facta.

I. In plerisque veterum testimoniis Græcis, et Latinis, quibus superiora capita refercimus, duo quædam continentur, quæ retractata modo, et latius diffusa, magnum ad id, quod proposuimus, obtinendum, ac persuadendum, robur allatura videntur. Alterum est, quod permulta sanctorum illic intercessione, atque ex cultu reliquiarum illorum, et ad eorumdem sepulcra votis, precibusque susceptis, facta esse miracula constat. Alterum, quod honoris istius, ac venerationis hostes, et impugnatores fortissima disputatione compresserunt : quod eo argumenta omnia, quæ sunt eadem fere, cum iis, quibus hodierni nituntur hagiomachi, diluerunt : quodque subrepentes in legitimum Ecclesiæ ritum, cultumque sanctorum pravitates, quas et Catholici hodieque respuunt, decreto et auctoritate sua damna-

a Procl. Ἑορτὴ γὰρ διαδέχεται ἑορτὴν, καὶ πανήγυρις καταλαμβάνει πανήγυριν· καλούμεθα δὲ ἀπὸ εὐχῆς εἰς εὐχὴν, καὶ τοῦ Κυρίου τὰ Θεοφάνια καταλαμβάνει ἡ τοῦ δούλου τιμή.

b Gregor. Nyssen. Ἐπαφῆκεν αὐτοῖς ταῖς τῶν ἁγίων μαρτύρων ἐμφαιδρύεσθαι μνήμαις, καὶ εὐπαθεῖν, καὶ ἀγάλλεσθαι, etc.

* Vide De Agapis infra cap, XIV, § 10, et quæ ibi adnotabimus. Consule insuper clariss. P. Paciaudii Antiquitates Christianas. Z.

** De his omnibus, ut eum iterum in memoriam revocem, qui in hac tractatione ob oculos semper habendus est, agit luculentissime Trombellius diss. VI, cap. XIII. Z.

1 Epist. CDIV. — 2 Hier. — 3 Theodor. qu. LXXXIII *in gen.* — 4 Serm. VIII *cont. gen.*

runt. Quorum prius divinam attestationem, invictam utique, et humana graviorem omni, firmioremque complectitur. Posterius indicat, ea quæ de sanctorum veneratione, et invocatione, μεσιτεία, deque reliquiarum cultu scriptis suis prodiderunt, non obiter et perfunctorie ipsos injecisse: sed medidate, atque consulte, et ex intimo, penitusque animis suis insito sensu protulisse.

Item disputationes Patrum adversus Hagiomachos illius ævi.

Illius, quod primum et hoc pertractandum capite posuimus, argumenti vis ab Augustino suppeditatur: qui in ultimo libro *de Civitate Dei* capitibus aliquot, Christianam fidem ex iis miraculis adstruit, quæ ab illam professis, et confessis martyribus ubique terrarum facta commemorat. Etenim « Cui (inquit in nono capite) nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, et in cœlum ascendisse cum carne? Nam et ipsi martyres hujus fidei martyres, id est hujus fidei testes fuerunt: huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum, et crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur. »

II. Sane quod de Christiana religione, quatenus resurrectionis dogma profitetur, potissimum affirmare istic voluit; ex inusitatis rebus, ac prodigiis, quæ per illius sectatores facta sunt, veram illam, et certam esse demonstrari; idipsum et de fidei capite hoc, de quo agimus modo, non minori jure usurpare possumus: nimirum catholicam et Christianam Ecclesiam, qua sanctos post eorum obitum colendos, invocandos, et apud Deum mediatores interponendos esse decrevit; tum eorum reliquias in pretio, et honore habendas esse; verissime sentire, ac docere: quod *huic fidei attestentur ista miracula*, quæ in illius professione mortui sancti martyres opem suam et advocationem implorantibus præstiterunt.

Exponitur exquisitissimisque testimoniis approbatur argumentum e miraculis petitum.

Scitum est enim illud quod idem Augustinus in epistola XLIX, quæstione sexta scribit: « Sicut humana consuetudo verbis; ita divina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba nova, vel minus usitata moderate ac decenter aspersa splendorem addunt; ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia. »

Jam miracula sanctorum invocatione, et ad eorum sepulcra, reliquiasque facta, innumerabilia sunt; quæ viri graves, iidemque peræque docti ac sancti, vel a se visa, vel ab idoneis, et fide dignissimis accepta memoriæ mandarunt. Imprimis autem memoranda illa sunt, quæ Ambrosius coram intuente se contigisse narrat [1]; quando sanctorum martyrum Gervasii, et Protasii corpora, ipsismet per visum apparentibus, et significantibus, longo intervallo reperit, et effodit. « Invenimus, inquit, miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Quæ dum transferrentur in basilicam Ambrosianam, cæcus sanatus est. » Tum ad populum verba faciens, « Eruuntur, inquit, nobiles reliquiæ sepulcro ignobili, ostenduntur cœlo trophæa. Sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphalis notæ: inviolatæ reliquiæ loco suo, et ordine repertæ, avulsum humeris caput. » Addit qui tunc Mediolani aderat Augustinus [2]; « cum propalata, et effosa corpora illa quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti sui recondiderat Deus, digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, etiam quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanatos fuisse; tum illud idem de cæco curato subjicit. »

Sic de sanctis Nazario, et Celso, Vitali et Agricola multa ejusdem modi leguntur apud Ambrosium, quæ supra commemoravimus.

Quid porro illustrius, quid ad fidem certius, ac testatius illis potest esse miraculis, quæ ad S. Stephani nuper inventas reliquias, aliorumve sanctorum, in Africa, locisque cæteris accidisse refert Augustinus [3]? ubi etiam de insigni illo, quod Mediolani gestum ex Ambrosio diximus, inventis SS. Gervasii, et Protasii corporibus ita scribit; « Miraculum, quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire; quia et grandis est civitas; et ibi erat tum Imperator, et immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii, et Gervasii, quæ cum laterent et penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt: ubi cæcus ille, depulsis veteribus tenebris, diem vidit. »

III. Hilarius item libro undecimo *de Tri-*

1 Amb. epist. LIV. — 2 Lib. IX *Conf.* cap. VII. — 3 Lib. XXII *de civit.* cap. VIII.

nitate sub initium, ad Apostolorum, et martyrum sepulcra multa fieri miracula, præsertim expellendis dæmonibus, confirmat; atque inde Christianam fidem approbari scribit his verbis : « Non enim negari jam Christus quin Christus sit potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiæ volumina consignant: hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur: hunc Apostolorum, et martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulcra : hunc potestas nominis sui probat : hunc immundi spiritus profitentur : hunc punitorum dæmonum resonant mugitus. »

Et in libro *contra Constantium*. « Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus: diabolum enim per vos vicimus: sanctus ubique beatorum martyrum sanguis exceptus est. Dum in his dæmones mugiunt; dum ægritudines depelluntur; dum admirationum opera cernuntur; elevari sine laqueis corpora, et suspensis pede feminis vestes non defluere in faciem ; uri sine ignibus spiritus; confiteri sine interrogantis incremento fidei. »

Quibus similia narrat Hieronymus in *Epitaphio Paulæ*, ac nonnulla etiam illinc verba transtulit; cum de sancta femina loca sacra circumeunte scribens, ait illam Sebasten, id est Samariam lustrasse. « Ibi siti sunt, inquit, Elisæus, et Abdias prophetæ : et quo major inter natos mulierum non fuit, Joannes Baptista. Ubi multis intremuit consternata mirabilibus. Namque cernebat variis dæmones rugiare cruciatibus; et ante sepulcra sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum : alios rotare caput, et post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede feminis, vestes non defluere in faciem. »

Et in libro *adversus Vigilantium*, « Nolo, inquit, mihi dicas, signa infidelium sunt; sed responde, quomodo in vilissimo pulvere, et favilla nescio qua tanta sit signorum, virtutumque præsentia. Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere; imo hodieque torquetur; et qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur. »

IV. Paulinus Nolanus episcopus, vir magnus, et magnorum virorum præconio celebratus, in *Natali* XI *sancti Felicis*, meminit translationis reliquiarum SS. Andreæ, et Lucæ, quæ Constantinopolim facta est anno vicesimo Constantini; ac tum, quacumque transitum fecerunt, ingentia ibi esse facta prodigia refert.

« Nam divina manus medica virtute per [omnes
Est illic operata vias, qua corpora sancta
Impressere sacro vestigia viva meatu, etc.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ,
Diversis sunt sparsa locis: quaque osse minuto,
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ. »

Idem præterea ad sepulcrum S. Felicis, quód erat Nolæ, infinita, et stupenda facta esse miracula testatur; fide utique dignus, tum propter vitæ sanctitatem, et eximiam doctrinam, ac singularem auctoritatem : tum quod illius urbis episcopatum gerebat, coramque ista cernebat. De illis ergo loquitur sic in *Natali* sexto,

« Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa [tegentem,
Et tacitum obtento servari marmore corpus.
Membra latent positi : placida caro morte [quiescit,
In spem non vacuam redivivæ condita vitæ.
Unde igitur tantus circumstat limina terror ?
Quis tantos agit huc populos? quænam manus [urget
Dæmonas, invitosque rapit, frustraque rebelli
Voce reclamantes compellit adusque sepul- [crum
Martyris, et sancto quasi fixos limine sistit. »

Mitto alia loca, in quibus miracula varia narrantur.

V. De eodem S. Felice, et miris quibusdam ad ejus sepulcrum fieri solitis, testis est locuples Damasus Papa in *Epigrammate eucharistico*, quo se illius præsidio servatum a morte prædicat.

« Qui ad te sollicite venientibus omnia præ- [stas :
Nec quemquam pateris tristem repedare [viantem.
Te duce servatus mortis quod vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota re- [rependo. »

Insigne quoque est illud, quod de eodem Felice testatur Augustinus epistola CXXXVII, peculiare quoddam miraculum ad ejus reli-

quias fieri consuevisse, ut qui in litigando scientes falsum defenderent, eo adducti convincerentur, et ad veritatis confessionem adigerentur. Itaque cum ab quodam ex Augustini sodalitio accusatus esset Bonifacius ejusdem presbyter, neque res ullis argumentis extricari posset ; ad S. Felicis sepulcrum Nolam proficisci eos voluit. « Multis enim notissima est, inquit[1], sanctitas loci, ubi beati Felicis Nolensis corpus conditum est ; quo volui ut pergerent ; quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam et nos novimus Mediolani apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter, et terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, quia ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, et quod abstulerat reddere. Numquid non et Africa sanctorum martyrum corporibus plena est ? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus dicit, non omnes sancti habent dona curationum ; nec omnes habent dijudicationem spirituum ; ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult. »

Chrysostomi loca notanda.

VI. Eleganter Joannes Chrysostomus hunc locum pertractans, martyrum vulnera stellis ipsis, quæ cœlo infixæ sunt, splendidiora esse dicit ; quod inde probat, quia stellas dæmones contuentur, martyrum autem vulnera videre illi non possunt ; sed statim diffugiunt. « Atque hoc, inquit, ego non solum ex iis probabo, quæ jampridem acciderunt : sed ex iis etiam etiam quæ hodieque fiunt. Etenim dæmoniacum aliquem, et furentem capiens, ad illud sanctum sepulcrum adducito, ubi sitæ sunt martyris reliquiæ, et omnino resilire ipsum ac fugere videbis. Sic enim, tanquam super carbones ambulandum sibi esset, ita statim ab ipso vestibulo fugiet, nec vel loculum ipsum aspicere audebit[a]. »

Ex quo concludere sic pergit : « Quod si nunc, tanto post tempore, cum in pulverem, cineremque conversus est, monumenti conspectum non sustinent, neque nudorum ossium sancti ; perspicuum est, tunc cum illum cruore purpuratum videbant, et vulneribus undecumque fulgentem magis, quam radiis solem, obstupefactos dæmones, et oculis reverberatos diffugisse[b]. » Qui locus Chrysostomi recordationi meæ subjicit quod apud Origenem legisse memini in libro octavo *contra Celsum*. Ibi enim martyres ait, dum pro Christo torquerentur, dæmonibus ingentia attulisse damna, et imbecilliores eos effecisse. « Propterea cum id experientia didicissent, inquit, se ab veritatis testibus, id est martyribus, vinci ac superari, veriti sunt iterum ad plectendos Christianos accedere. Ita donec molestiarum, quas perpessi sunt, obliviscantur, verisimile est mundum in pace cum Christianis futurum[c]. »

Asterius quoque oratione *in S. Phocam*, multa de ejus reliquiis, et ad eas factis miraculis tam apud Sinopem Ponti civitatem, quam alibi, quocumque pars illarum aliqua importata fuerat, exponit : « Est, inquit, magnificum illud templum, quod sacrum martyris sortitum est corpus, afflictorum relaxatio, male affectorum medica quædam officina, esurientium mensa[d]. » Atque et paulo ante vocat martyrem illum « columnam, et firmamentum divinarum orbis ecclesiarum[e] : » et postea ubique terrarum per ejus reliquias magna fieri prodigia, et innumera in mortales omnes beneficia conferri scribit : præsertim Romæ, ubi templum ejus nomini dicatum esse dicit, ejusque caput magno

a Chrysost. Καὶ τοῦτο οὐκ ἀπὸ τῶν πάλαι συμβεβηκότων πιστώσομαι μόνον. ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν. ἔτι καὶ νῦν γινομένων. λαβὼν γάρ τινα δαιμονῶντα, καὶ μαινόμενον, εἰσάγαγε πρὸς τὸν ἅγιον τάφον ἐκεῖνον, ἔνθα τοῦ μάρτυρος τὰ λείψανα. καὶ ὄψει πάντως ἀποπηδῶντα, καὶ φεύγοντα. καθάπερ γὰρ ἀνθράκων μέλλων ἐπιβαίνειν, οὕτως ἐξ αὐτῶν εὐθέως ἐξάλλεται τῶν προθύρων, οὐδὲ πρὸς τὴν θήκην αὐτὴν ἀντιβλέψαι τολμῶν.

b Ibid. Εἰ δὲ νῦν μετὰ τοσοῦτον χρόνον, ὅτε κόνις ἐγένετο καὶ τέφρα, οὐ τολμῶσιν ἀναβλέψαι πρὸς τὸ μνῆμα, οὐδὲ πρὸς τὰ γυμνὰ ὀστᾶ τοῦ ἁγίου, εὔδηλον ὅτι καὶ τότε, ὅτε ἐθεώρουν αὐτὸν αἵματι φοινισσόμενον, πάντοθεν τραύμασιν ἀποστίλβοντα μᾶλλον, ἢ τον ἥλιον ταῖς ἀκτῖσι, κατεπλάγησαν, καὶ πληγέντες τὰς ὄψεις ἀνεχώρησαν.

c Orig. VIII *cont. Cel.* Διὰ τοῦτο οἶμαι τῇ πείρᾳ μαθόντες οἱ δαίμονες ἑαυτοὺς ἡττωμένους, καὶ κρατουμένους ὑπὸ τῶν μαρτύρων τῆς ἀληθείας, ἐφοβήθησαν πάλιν ἥκειν ἐπὶ τὸ ἀμύνεσθαι. καὶ οὕτως ἕως ἐπιλάθωνται ὧν πεπόνθασι πόνων, εἰκὸς εἶναι τὴν τοῦ κόσμου πρὸς Χριστιανοὺς εἰρήνην.

d Aster. Ἔστι μὲν οὖν ὁ μεγαλοπρεπὴς ἐκεῖνος ναὸς, ὃς τὸ ἱερὸν ἔχειν τοῦ μάρτυρος ἐκληρώθη σῶμα, θλιβομένων ἄνεσις, κακουμένων ἰατρεῖον, λιμωττόντων τράπεζα.

e Ibid. Στύλον καὶ ἔρεισμα τῶν θειῶν τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν ἐξ ἐκείνου μέχρι τοῦ νῦν τοῦτον ἔχομεν.

1 Aug. ep. cxxxvii.

quæsitum ambitu eo translatum. Tum erga nautas, et in mari periclitantes illius opem esse præsentem. Ex quo mos iste apud illos invaluit, ut quotidie navigantes, dum inter se cibaria dividunt, suam martyri Phocæ partem reservent ; quam unus e numero pretio redimit, et postridie alter ; atque ita deinceps alius : donec ad portum appulsi confectam pecuniam in pauperes largiantur.

Addamus Æneæ Gazæi scriptoris elegantissimi locum ex dialogo, qui *Theophrastus* inscribitur ; ubi de martyrum reliquiis quæ vidit testatur sic. « Animadverti, inquit, complura sanctorum vivorum corpora tantis terroribus exagitasse dæmonum phalangas, quantum a se captum et obsessum hominem vexabant : Tum infinitos morbos, in quibus sanandis medicorum ars non suffecerat, ab illis nullo negotio relaxatos, ac repurgatos, omninoque sublatos [a]. »

VI. Postremus erit Ænea vetustior Theodoretus, qui beatorum martyrum interventu, et in eorum memoriis, ubi reliquiæ ipsorum conditæ sunt, ingentia facta esse miracula testatur ; ac varias ægritudines illorum præsidio, ac patrocinio depulsas. Cujus rei argumento esse dicit donaria, et ἀναθήματα, quæ ad impetratæ sanitatis memoriam et gratulationem a fidelibus offerebantur. Verba Theodoreti, quia consuetudini isti, quæ hodieque usurpatur in Ecclesia catholica, auctoritatem afferunt, et ab superstitionis calumnia, quam hagiomachi falso illi subscribunt, eam vindicant, adscribere hic oportet. Sic igitur Theodoretus, ubi concursum fidelium ad sanctorum reliquias, eorum ibidem vota, precesque commemoravit, (quem locum supra descripsimus [1].) « Quod autem, ait, compotes illorum fiant, qui cum fide postulant, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia. Nam alii oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt : et has nonnulli ex auro ; alii ex ære fabricatas. Hæc autem proposita morborum depulsionem indicant, cui testificandæ, ab iis, qui sanitatem recuperarunt, monimenti loco sunt appensa. Ea porro sepultorum virtutem prædicant ; et eorum virtus, ipsorum Deum verum Deum esse demonstrat [b]. »

Facile quivis intelligit, quanta testium cæterorum copia suppetat, si deinceps uti libeat, et insequentium ad nos usque temporum exempla colligere, quibus admiranda, et humano captu, ac fide majora continentur opera, quæ sanctorum, et reliquiarum veneratio supplicibus impetravit. Cujusmodi in sanctorum actis vitisque descripta sunt ab idoneis auctoribus : quorum plerique ab sese visa, vel certissime comprobata memoriæ prodiderunt. Hos vero dicere si non mentitos omnes esse, at falsa, temereque credita posteris narrasse, non solum impium est, sed etiam incredibile. Certe quos hoc capite produximus testes ex infinitis paucissimos, facile ab ista nugacissima, stultissimaque cavillatione sua se auctoritate, doctrina, integritate vitæ, et antiquitate defendunt.

VIII. Verum imprudens unum pene prætcrieram Eulogium Alexandrinum Patriarcham : quod certe nolim fieri. Hujus apud Photium luculentum fragmentum legitur ex libro V *contra Novatianos*, in quo reliquias sanctorum asserit vi quadam hominibus salutari esse præditas. « Cum David, inquit, de iis, qui per afflictiones justificati sunt, dicit : *Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex illis non conteretur* [2] : ostendit vivificam quamdam ea vim habere, et accedentibus sanationes posse conferre. » Tum ita pergit : « Ac multa quidem et alia licet colligere, quibus demonstretur, inesse vim quamdam ossibus sanctorum [c], » etc., quod probat

a Æneas tom. II *Bibl.* Ὡς ἐγὼ κατανενόηκα ἀνδρῶν ἀγαθῶν συχνὰ σώματα τοσοῦτον ἐκδειματοῦντα τῶν δαιμόνων τὰς φάλαγγας ὅσον ἐκεῖνοι τὸν τεθηραμένον ἄνθρωπον· καὶ τὰ μυρία νοσήματα, ἐν οἷς τῶν ἰατρῶν ἠσθένησεν ἡ τέχνη, ῥᾳδίως χαλῶντα, καὶ ἐκκαθαίροντα, καὶ ὅλως ἐκκόπτοντα.

b Theodor. orat. viii *cont. Gent.* Ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα· καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. δέχεται γὰρ ὁ τούτων δεσπότης καὶ τὰ σμικρά τε, καὶ εὔωνα, τῇ τοῦ προσφέροντος δυνάμει τὸ δῶρον μετρῶν. δηλοῖ δὲ ταῦτα προκείμενα τῶν παθημάτων τὴν λύσιν. ταῦτα δὲ κηρύττει τῶν κειμένων τὴν δύναμιν. ἡ δὲ τούτων δύναμις τὸν τούτων Θεὸν ἀληθινὸν ἀποφαίνει Θεόν.

c Eulog. apud Phot. cod. cclxxx. Ὅτι ὁ Δαβὶδ, φησὶ, περὶ τῶν διὰ θλίψεως δικαιωθέντων λέγων· φυλάσσει Κύριος πάντα τὰ ὀστὰ αὐτῶν· ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ συντριβήσεται· δείκνυσιν, ὅτι ζωτικὴν (δύναμιν) ἔχουσι, καὶ παρέχειν ἐστὶν ἱκανὰ τοῖς προσιοῦσιν ἰάματα, etc.

Καὶ πολλὰ μέν ἐστι καὶ ἄλλα λαβεῖν εἰς ἀπόδειξιν, ἐνεῖναι δύναμίν τινα τοῖς τῶν ἁγίων ὀστέοις.

1 Cap. x, § 16 — 2 *Psalm.* xxxiii.

exemplo Elisæi prophetæ, cujus ossa mortuum quemdam contactu suo ad vitam excitarunt[1].

Corollaria ex supra dictis.

In istiusmodi porro testimoniis maxime consideranda sunt tria: primum, quod ea fere non simplicem habent affirmationem, ac sententiam, qua quisque sibi quod visum est pronuntiat: (tametsi non leve pondus etiam hoc modo decretis illorum, ac judiciis inesset) verum quis tunc Christianorum omnium, et Ecclesiæ totius usus et sensus esset, velut historica narratione comprehensum subjiciunt lectorum oculis: et quod ait Plutarchus[2], τὸ ἱστορικὸν ἀποδεικτικὸν ἔχουσι, hoc est, *historiæ specie demonstrationem exhibent*, quod ad faciendam rei fidem multo gravius est, et efficacius. Secundum est, ritus illos sanctorum honorandorum sic in illis exstare approbarique testimoniis; ut non recens, ac nuper exortos in Ecclesia fuisse appareat: sed constanti, ac perpetuo more servatos. tertium denique, in omnibus orbis Christiani partibus, et provinciis pari consensu, religiosos illos cultus obtinuisse; non in una tantum, aut altera Ecclesia: ut sinceræ fidei, ac disciplinæ Catholicæ corruptela quædam videri posset.

CAPUT XIV.

Argumento altero colligitur Veterum sententia de honore sanctis adhibendo Catholicæ doctrinæ consentanea, quod pravas consuetudines, quæ in receptum illorum cultum irrepserant, emendare studuerunt: unde constat, ritus ipsos ab illis approbatos fuisse. 1. *Gentiles cultum istum idololatriæ tribuisse.* 2. *Nec non hæreticos, ut Manichæos, Eunomianos.* 3. *Vigilantium quoque, et Eustathium.* 4. *His omnibus responsa Patrum opponuntur.* 7. *Quanto delectu probatæ sint reliquiæ antequam venerandæ proponerentur.* 9. *Et quemadmodum magno in id studio Patres incubuerint, ut depravatæ consuetudines resecarentur.*

Alterum sequitur argumentum, ex quo capi certa notitia potest, quæ de honore sanctis, et eorum reliquiis tribuendo, deque ipsorum salutari intercessione ab antiquis testata memoravimus, prorsus illos ex animi sui sententia, et intimis mentis sua protulisse sensibus, non leviter, et quasi aliud agendo jactitasse. Sic enim de illis arbitrari par est, qui talia oppugnantes et irridentes, pro impiis, et Christianæ religionis hostibus habuerunt; eorumque quæ contra Catholicos objectabant argumenta refellerunt. Quæ tam ipsa, quam ad ea sanctorum Patrum responsa, prorsus eamdem illa sunt, quæ et hagiomachi hodie contra catholicum opponunt institutum; et pro eo Catholici nos vicissim respondere consuevimus. Ea vero hic a nobis exponi, expendique operæ pretium fuerit: uti pars utraque sui dogmatis, et professionis auctores, ac magistros recordetur: quique ex his infames sint, et pudendi; qui audiendi, assectandique cognoscat. Ergo ita sese res habet, ut ei cultui, qui sanctis, et eorum reliquiis adhibetur, soli quondam adversati sint infideles, et hæretici. De prioribus testis est primum Eunapius gentilis scriptor in Ædesio: quem locum ante descripsimus. Asserebat enim Christianos martyrum suorum ossa recondere, ac venerari, et eos, tanquam deos, et *mediatores* apud superiores deos, atque interventores assumere, ac sepulcrorum contagione pollui.

Gentiles cultum Sanctorum ac reliquiarum idololatriæ insimulabant.

Eamdem illudendi Christianis usurpavit causam gentilis ille, quem Isidorus Pelusiota vir magnus in libro primo, epistola LV refutavit. Usurpavit item Julianus impius apostata[a]; et eo nomine Christianos exagitavit; quod gentilium relictis sacris, ad Judæos defecissent: neque tamen constanter eorum decretis inhæsissent; quod si facerent, tolerabilius utique desiperent, quod unum saltem pro multis Deum colerent, non hominem unum, (Christum porro iste nefarius intelligebat) imo plures, et infelices homines, nempe martyres. Ac quanto idem odio martyres, et eorum sepulcra ac reliquias insectaretur, testis est Nazianzenus in oratione IV et ipsemet Julianus *in Misopogone*.

Sic Theodoretus in sermone octavo *contra Gentiles*, qui est de martyribus, insultare istos ait Christianis, quod martyres veneren-

a JULIAN. apud Cyrillum lib. VI *contra Julian.* Ἀλλὰ χεῖρον μὲν ἢ πρότερον, ὁπότε σὺν ἡμῖν ἦτε· οἰστὰ δὲ ὅμως πεπόνθειτε ἄν, καὶ φορητά. ἕνα γὰρ ἀντὶ πολλῶν θεῶν ἐσέβεσθε ἄν, οὐκ ἄνθρωπον· μᾶλλον δὲ καὶ πολλοὺς ἀνθρώπους δυστυχεῖς.

1 IV *Reg.* cap. XIII. — 2 Plut. *de virt. mulierum*, init.

tur, et « hunc honorem ludibrio traducere; imo abominabile putare ad busta propius accedere[a]. »

Maximus quoque Madaurensis, homo ethnicus ad Augustinum scribens[1], Christianos arguit, quod martyres loco deorum colant : « Qui conscientia nefandorum facinorum specie gloriosæ mortis, scelera sua sceleribus cumulantes, dignum moribus, factisque suis exitum maculati repererunt. Horum busta, si memoratu dignum est, rejectis templis, rejectis majorum suorum manibus, stulti frequentant : ita ut præsagium vatis illius indigne ferentis emineat.

Inque Deum templis juravit Roma per umbras.

Sed mihi hac tempestate propemodum videtur bellum Actiacum rursus exortum, quo Ægyptia monstra in Romanorum Deos audeant tela vibrare minime duratura. »

Gentilibus accesserunt hæretici Manichæi.

II. Gentilibus, uti fere assolet, accesserunt hæretici. Olim quidem Manichæi : qui ne ipsi tamen ab gentilibus eximendi sunt. Horum princeps Faustus apud Augustinum libro XX *de Civitate Dei*, Catholicos arguebat, quod martyres quasi deos colerent, et iisdem illos ritibus, honorisque significationibus venerarentur, quibus idola sua gentiles adorarent. « Sacrificia, inquit, eorum vertistis in agapes, idola in martyres; quos votis similibus colitis : defunctorum umbras vino placatis, et dapibus : solemnes gentium dies cum ipsis celebratis, ut calendas, et solstitia. De vita certe mutastis nihil. Estis sane schisma, a matrice sua diversum, nihil habens nisi conventum. »

Necnon Eunomiani.

Post Manichæos commemorandi sunt Ariani; ac præsertim omnium deterrimi Arianorum Eunomiani. Quod imprimis testatur Asterius in *Encomio sanctorum Martyrum*; cujus verba, quia mendose concepta sunt, adscribam. Diabolum igitur ait ille spe sua falsum esse, quam de opprimendis martyribus habuit, et eorum abolenda memoria. « Eodem, inquit, modo et in martyribus illi accidit; quos multi ex propria stultitia contemnunt, eorum dignitatem elevantes. Nonne, inquiunt, homo est iste? nonne corpus illius est consumptum? Nonne parvis in reliquiis, iisque defossis illorum memoria consistit? Talia potissimum Græci, et Eunomiani jactitant[b]. » Græca, quia depravata sunt, recte, nisi fallor, emendavimus. Frustra cum interprete ὑπουδαίας μνείας legendum censeas, hoc est *subterraneas memorias*. Nam neque *subterraneæ cryptæ* fuerunt omnes martyrum memoriæ : et ut sepulcra significari putes; non congruit μνείας vocabulum : quod actionem ipsam recordandi, non monumentum exprimit. Μνήμη quidem pro utroque usurpatur, ut et Latina vox *memoria*. Sed et nemo *subterraneam recordationem* dixerit pro *monumento*, vel *memoria*. Sic neque μνεία pro μνήμη istic usum habet.

Eunomii propriam hanc labem fuisse, ut ab sanctorum reliquiis abhorreret, testatur Hieronymus libro *contra Vigilantium*. « O portentum, inquit, in terras ultimas deportandum! Rides de reliquiis martyrum, et cum auctore hujus hæreseos Eunomio Ecclesiis Christi calumniam struis : nec tali societate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. Omnes enim sectatores ejus basilicas apostolorum, et martyrum non ingrediuntur, ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris auctoritatis arbitrantur, quam Evangelium, » etc. Idcirco signa atque virtutes elevabant, quæ in basilicis martyrum et ad eorum reliquias fiebant; quemadmodum et Ambrosius queritur in eo sermone, quem inventis SS. Gervasii et Protasii reliquiis ad populum habuit. « Et nunc audistis, inquit[2], clamantes dæmones, et confitentes martyribus, quod pœnas ferre non possint, et dicentes; Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt; Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare; cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, et beneficia martyrum remediis cæcorum, et absolutorum indiciis declarentur : » et alia plura hujuscemodi per totum sermonem.

a Theodoretus. Ἀλλὰ γελᾶτε, καὶ κωμῳδεῖτε τὸ τούτοις παρὰ πάντων προσφερόμενον γέρας, καὶ μῦσος ὑπολαμβάνοντες τὸ πελάζειν τοῖς τάφοις.

b Aster. Τὸ αὐτὸ δὴ καὶ ἐπὶ τοῖς μάρτυσι πέπονθεν, ὧν καταφρονοῦσι πολλοὶ ὑπουδίας μνείας (corrig. ὑπ' ἰδίας ἀνοίας) ἐξευτελίζοντες αὐτῶν τὸ ἀξίωμα. οὐκ ἄνθρωπός ἐστιν; οὐκ ἐδαπανήθη τὸ σῶμα; οὐκ ἐν ὀλίγοις λειψάνοις, καὶ τούτοις ἐγκεχωσμένοις, αὐτῶν ἡ μνήμη Μάλιστα δὴ ταῦτα Ἕλληνες, καὶ Εὐνομιανοί φασιν.

1 Aug. ep. XLIII. — Ambros. serm. 2.

Vigilantius eamdem hæresim renovavit.

III. Sic Vigilantius natione Gallus, sed Barcinonensis ecclesiæ in Hispania presbyter, Hieronymi tempore hanc eamdem hæresim instauravit[1]; et Catholicos, qui « reliquias suspiciebant, appellabat cinerarios, et idololatras, qui mortuorum hominum ossa venerarentur. O infelicem hominem (pergit Hieronymus) et omni lacrymarum fonte plangendum; qui hæc dicens non intelligat esse Samaritanum et Judæum, qui corpora mortuorum pro immundis habeat. »

De Samaritanis testis est Epiphanius in hæresi nona, quæ est *Samaritanorum*, eos mortuorum cadavera abominanda duxisse.

Jonas Aurelianensis libro primo *de cultu Imaginum Eustathianum* [2], et *Vigilantianum* vocat eum, qui illam hæresim amplectitur; cui et affinem Claudium Taurinensem, quem contra disputat, esse scribit. Quod ad Eustathianum vero nomen attinet, id ab Eustathio derivatum est; qui in Gangrensi concilio damnatus est ob errores varios: quorum unus fuit, quod basilicas, et memorias martyrum, et conventus apud illas celebrari solitos; necnon sacrificia ibidem oblata contemneret, ac damnaret; quem nos canonem supra citavimus[3].

Cæterum qui pro Eustathii vocabulo substituendum *Eutactum* suspicantur, non leviter aberrant, et multis modis refelluntur. Narrat Epiphanius hæresi XL quam vocat *Archonticorum*, extitisse quemdam Eutactum, ex minore oriundum Armenia, haud procul Satala; qui a Petro quodam perdito nefariam Archonticorum edoctus hæresim, quæ Gnosticorum erat portio, et Archontas varios, similesque nænias asserebat, iis venenis patriam suam infecit. Hunc igitur esse conjectant; qui in Gangrensi synodo damnatus, ibidem Eustathius appellatur, pro quo *Eutacti* nomen reponendum putant. Verum quis persuadere sibi possit, tam infamem hæreticum, et execrandis Gnosticorum dogmatibus imbutum, qualem Eutactum describit Epiphanius, de levioribus tantummodo quibusdam, præut erant illa nefanda mysteria, appellatum in Gangrensi synodo, et damnatum fuisse? Deinde quis verisimile credat, *Eustathii* nomen tam constanter in omnibus libris, pro *Eutacto* hærere potuisse, non solum in Gangrensis concilii Synodica: sed etiam apud Sozomenum[4]: tum apud Zonaram, et Balsamonem: ut nullus codex ab isto librarii errore vindicatus exstiterit?

Quomodo calumniis Gentilium occurrerunt Patres.

IV. Operæ pretium est animadvertere, quemadmodum calumniis istis, falsisque criminationibus occurrerint antiqui Patres, et quatenus martyres, ac sanctos cæteros colendos, et invocandos; tum eorum corporibus, et reliquiis honorem deferendum esse statuerint. Non enim dubium est, quin veram ac sinceram Christiani, et catholici dogmatis in ea re professionem expresserint; ut si quid falso ab inimicis objectum, intentatumque fuerit; hoc præcise, aperteque negaverint; ut in aliis plerisque fecerunt, quæ ab usu, institutoque Christianæ fidei, et religionis aliena, temere ab iisdem exprobrari solebant. Quidnam igitur adversus obtrectatores illos vicissim elocuti sint, ac præ se tulerint catholicæ partis propugnatores audiamus.

Gentilium primo petitiones ita Theodoretus eludit in octavo sermone adversus illos. « Nos, inquit, o viri, nec sacrificia, nec libamina martyribus offerimus: sed eos tanquam divinos, et Deo caros honoramus. Tanto enim creatorem, salvatoremque suum amore prosecuti sunt, ut jugulari pro ipso optabile duxerint[a]. » Deinde contra eosdem adversarios præscribit, non martyres ab Christianis haberi pro diis, neque divis honoribus affici; ut ab gentilibus homines nequissimi ejusmodi cultus sibi et affectare ausi sunt, et impetrarunt: verum tanquam divinos homines orari, et apud Deum intercessores ut esse velint obsecrari. Græca, quibus exponit ista Theodoretus, jam supra reddidimus[5].

Eodem prorsus modo Cyrillus Alexandrinus Juliani criminationi respondet, Christianos neutiquam sanctos martyres tanquam Deos adorare eo genere adorationis, quod soli debitum est Deo: sed tantummodo σχετικῶς hoc est *relative*, non λατρευτικῶς, quem locum alibi descripsi[6].

Cultu latriæ.

V. Augustinus quoque perinde calumniantibus occurrit, uti Fausto Manichæo, Nam Christianos fatetur memorias martyrum reli-

a Theodoretus. Ἡμεῖς δὲ, ὦ ἄνδρες, οὔτε θυσίας, οὔτε μὲν χοὰς τοῖς μάρτυσιν ἀπονέμομεν· ἀλλ' ὡς θείους, καὶ θεοφιλεῖς γεραίρομεν ἄνδρας. οὕτω γὰρ τοῦ πεποιηκότος, καὶ σεσωκότος ἠράσθησαν, ὥς τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ σφαγὴν ὑπολαβεῖν ἀξιέραστον.

1 Hier. ep. LIII.— 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* — 3 Cap. XII, paragr. 14. — 4 Lib. III, cap. XIV. — 5 Cap. X, par. XVI. — 6 Lib. II *de Ang.* cap. VIII, parag. 5.

giosa solemnitate celebrare, et altaria constituere, in iisque sacrificia Deo, non martyribus offerre. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, inquit[1], aliquando dixit : Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit : ut ex ipsorum locorum admonitione, major affectus exurgat, ad acuendam caritatem, et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adjuvante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis, et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus : sed illos tanto devotius, quanto securius, post superata certamina; quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At vero illo cultu, quæ Græce *latria* dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo. Et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut condemnetur, sive ut caveatur. »

Idem in libro ultimo *de Civitate Dei*, capite decimo, « Nos autem martyribus nostris, ait, non templa sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus : sed uni Deo et martyrum et nostro, sacrificium immolamus : ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, et ordine nominantur : non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat : quamvis in memoriam sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis; quia hoc sunt et ipsi. »

Et alio in loco[2], « Nos martyres nostros, quibus illi (Gentilium dii) nulla ex parte sunt conferendi, pro Diis non habemus, non tanquam Deos colimus. Non eis templa, non eis altaria, non sacrificia exhibemus, non eis sacerdotes offerunt. Absit, Deo præstantur, imo Deo ista offeruntur, a quo nobis cuncta præstantur, etiam apud memorias sanctorum martyrum. Quando imus ad memorias sanctorum martyrum, cui offerimus? nonne Deo? Habent honorabilem locum martyres sancti, advertite. In recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis, offero tibi Petre, aut offero tibi Paule? Nunquam audistis, non licet : Et si dicatur tibi, numquid tu Petrum colis? Responde quod de Fructuoso respondit Eulogius : Ego non colo Petrum, sed colo eum, quem colit et Petrus. Tunc te amat. »

VI. Similis est Hieronymi responsio ad objecta Vigilantii[3]. « Quis enim, o insanum caput! aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus, et Barnabas cum a Lycaonibus Jupiter, et Mercurius putarentur, et eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, et se homines esse dixerunt? Non quod meliores non essent olim mortuis hominibus, Jove, atque Mercurio : sed quod sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur, » etc.

Et in epistola *ad Riparium* contra eumdem Vigilantium; « Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem, et lunam, non angelos, non archangelos, non cherubim, non seraphim, omne nomen, quod nominatur et in præsenti sæculo, et in futuro, colimus, et adoramus; ne serviamus creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum; qui ait, *Qui vos suscipit, me suscipit.* »

Nam quod mortuis tantos honores adhiberi moleste ferebant ethnici, facile hoc ab nostris refellitur : et in illos ipsos retorquetur, qui vita functos illustres viros summis honoribus affecerunt : ut Herculem, et alios innumerabiles; quos etiam in Deorum numerum adscripserunt; ut Theodoretus observat[4]: et Cyrillus[5]; qui et Athenis refert, eos, qui contra Persas pro patria dimicando fortiter occubuerant, anniversariis laudationibus ornatos fuisse. Ac Platonem insuper citat, qui tales viros pro tuenda patria cæsos tanquam salutares genios colendos esse censuit. Epi-

1 August. lib. XX. *cont Faust.* cap. XXI. — 2 August. serm. ct *de diver.* cap. VII. — 3 Hier. tom. I. — 4 Orat. VIII *cont. Græc.* — 5 Cyrill. lib. VI *cont. Jul.*

phanius quoque contra Judæos ostendit, non esse, tanquam impura, mortuorum abominanda corpora, vel ossa : idque Patriarchæ Joseph exemplo adstruit : cujus ossa Moses[1], ex ipsius mandato, secum ex Ægypto in Chananæam exportari voluit, eaque totos quadraginta annos in castris habita sunt; nec inde piaculi quidquam contrahi putarunt.

Ecclesia reliquiarum delectum haberi semper præcepit

VII. Eodem pertinet, ac de colendis sanctorum reliquiis veteris Ecclesiæ judicium ostendit, quod earum delectum haberi semper illa præcepit; et ab veris falsas, nec idoneis testimoniis approbatas secerni; ut hæ segregatæ, rejectæque fucum amplius non facerent, illæ vero religiose haberentur, et colerentur.

Est de hac martyrum instituenda cautione vetus sanctio Laodicenæ synodi : « Quod omnem Christianum non oporteat deserere martyres Christi, et ire ad pseudomartyres, id est hæreticorum, et quos ipsos constet hæreticos exstitisse ; hi namque sunt alieni a Deo ; sint igitur anathema qui ad tales accesserint[a].» Ita Dionysius Exiguus Latine vertit.

Celebris Martini Turonensis historia.

Sed nihil in eo genere præclarius, nihil exquisitius trita illa S. Martini Turonensis historia, quam æqualis ejus, et familiaris Severus Sulpicius prodidit in libro de ejus vita : quem librum magna totius orbis approbatione susceptum fuisse Postumianus ex Orientali peregrinatione reversus, apud eumdem testatur[2]. Nam et Paulinus Nolanus Romanæ illum urbi primus invexit; et Alexandriæ, ac per totam Ægyptum, perque monasteria omnia, et eremi cellulas magna cum laude vulgatus, et omnium lectione, commendationeque celebratus est ; quod ideo dixi, ut de eo, quod liber iste continet, intelligeretur consentientia Catholicorum tam in Oriente, quam in Occidente fuisse judicia. Sic igitur de Martino Severus (Nam hujus verbis exponenda res est gesta, quibus frustra meliora quærantur.) « Erat, inquit[3], haud longe ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa hominum opinio velut consepultis ibi martyribus sacraverat ; nam et altare ibi a superioribus episcopis constitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui majores natu erant, presbyteris, vel clericis, flagitabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi : grandi se scrupulo permoveri, quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset. Cum aliquandiu ergo in illo loco se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret : quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit. Deinde super sepulcrum ipsum astans, oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meritis sepultus ostenderet. Tum conversus ad lævam, vidit prope assistere umbram sordidam, trucem : imperat nomen, meritumque ut loqueretur : nomen edicit, de crimine confitetur : latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum; sibi nihil cum martyribus esse commune : cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis qui aderant audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus quid vidisset exposuit : jussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore. »

Hinc apparet Martini tempore, et eodem probante, verorum martyrum reliquias, quorum certa, et idonee probata fides exstaret, religiose ab Christianis habitas fuisse, et memoriis, atque altaribus sacratas : cui quidem religioni derogare Martinus noluit, et eo solum abstinuit ab illarum veneratione, quod falsas esse suspicaretur, et hanc illius cautionem Deus ingenti miraculo comprobavit.

VIII. Quocirca *Martyricis temporibus* (ut veteres aliqui loquuntur) non temere quorumcumque, vel pro Christo morte affectorum, corpora ad venerationem illam eximi solebant, neque publice in Ecclesia proponi : sed post accuratam inquisitionem; qua de supplicii causa, et fidei catholicæ integritate constaret. Cujusmodi perillustre est exemplum in historia, et origine Donatistarum, quam Optatus Milevitanus ex reliquiarum occasione conflatam apud Carthaginem asserit[4], « per Lucillam nescio quam feminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correctionem archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum, et potum, os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, et

a Laodic. can. xxxviii. Ὅτι οὐ δεῖ πάντα Χριστιανὸν ἐγκαταλείπειν μάρτυρας Χριστοῦ καὶ ἀπιέναι πρὸς τοὺς ψευδομάρτυρας, τουτέστιν αἱρετικῶν, ἢ αὐτοὺς πρὸς τοὺς προειρημένους αἱρετικοὺς γενομένους. οὗτοι γὰρ ἀλλότριον τοῦ Θεοῦ τυγχάνουσιν· ἔστωσαν οὖν ἀνάθεμα οἱ ἀπερχόμενοι πρὸς αὐτούς.

1 *Exod.* xiii, 19. — 2 Sever. in Dial. i *de virtut monach.* cap. xvi. — 3 Sever. *de vita Mart.* cap. viii. — 4 Optatus lib. i.

cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed needum vindicati, correpta, cum confusione, irata discessit. » Vindicandi vox sedulam inquisitionem, et probationem ab episcopo factam significat, sine quæ nullæ ad cultum admittebantur reliquiæ. Quamobrem cum ex Donatistarum secta passim impuri nebulones, ac nefandi sicarii, ut invidiam Catholicæ parti facerent, aut inter martyres adscriberentur, seipsos præcipitio, vel aquis, vel incendio, vel alio genere mortis interficerent, aut ad necem sibi inferendam prætereuntes cogerent, et eo nomine martyrii decus apud suos obtinerent, catholici episcopi diligenter animadverterunt, ne talibus honor ullus in Ecclesia tribueretur. De qua re latius disputant *Annales* Baroniani [1]. Est etiam de reliquiarum, et ossium sacrorum mangonio, et adulteratione memorabilis epistola Amulonis Lugdunensis archiepiscopi, qui Caroli Calvi tempore vixit, ante annos octodecim edita*.

Pastorum Ecclesiæ cura, ut in SS. solemnitatibus omnia decentur pieque peragerentur.

IX. Pari studio ac vigilantia in id incubuerunt Ecclesiæ præpositi, ut solemnes martyrum, aliorumque sanctorum dies, quos lætos, ac celebres agi vetere apud Catholicos ritu consuevisse supra notavimus, pie ac religiose traducerentur; luxu omni, et petulantia circumscripta : quæ paulatim irrepsit, et laudabilem usum flagitiosa et intolerabili corruptela contaminavit : præsertim in conviviis, et epulis, quas δημοθοινίας Theodoretus nominat [2]: in quibus crapulæ et ebrietati sese dedere, ac deinde saltare, et lascivire solebant. Hæc vero præclari et eruditi præsules ita partim concionibus suis exagitarunt, partim in conventibus, ac synodis repetitis sanctionibus, ac decretis notarunt; ut neque solemnium illorum legitimo cultui, ac celebritati detractum aliquid vellent; et turpitudine, ac pravitate omni resecta, rem ad originis suæ sinceritatem, et disciplinam pristinam revocarent.

Publica convivia.

Quam quidem brevi sententia sic complexus est Augustinus [3]. « Ad hoc istæ festivitates in Ecclesia constitutæ sunt, ut per eas congregatio membrorum Christi admoneatur imitari martyres Christi. Hæc est omnino hujus festivitatis utilitas; alia non est. »

Chrysostomus item in homilia LXXXIX, tomi quinti, *in Pentecosten*, quomodo festa celebrare Christianos deceat, præscribit sic; « Propterea rogo vos, inquit, ut pro dignitate concessorum nobis donorum festum celebremus : non ut fores coronemus : sed ut animam exornemus : neque ut aulæis forum obtendamus; sed ut animam nostram virtutis vestibus nitidiorem reddamus; ut et spiritus gratiam capere, et prodeuntes inde fructus percipere possimus [a]. »

Sic Gregorius Nazianzenus oratione quarta, quæ secunda est *in Julianum Invectiva*, « Festum, inquit, diem agamus, fratres, non corporis nitore, neque vestitus mutatione, ac magnificentia non commessationibus, et ebrietatibus; quarum fructum cubilia, et impudicitias esse didicisti : neque vicos floribus coronemus : neque vel mensas unguentorum fœditate, vel vestibula ornemus. Non aspectabili domus igne splendescant : nec tibiarum concentibus, aut plausibus indecore personent. Hæc enim lex est Græcanicarum solemnium : Nos autem non ad eum modum Deum honoremus, etc. sed animæ splendore, ac lucernis totum Ecclesiæ corpus illuminantibus [b]. »

His similia diputat in oratione XXXVIII *de Natali Domini*. Sed et Philo Judæus in libro *de Cherubimis*, quæritur suos, hoc est Judæos, nihil in festorum celebritatibus aliud persequi, præter remissionem, hilaritatemque corporis, epulas, comessationes; lateque in hoc loco spatiatur. Legendus et Origenes octavo libro *contra Celsum* : ubi de carnali et spirituali modo festorum celebrandorum disserit.

a CHRYSOST. vers. 14. Διὸ παρακαλῶ, πρὸς ἀξίαν τῶν δεδωρημένων ἡμῖν ἀγαθῶν καὶ ἡμεῖς ἑορτάσωμεν, οὐ τὴν πύλην στεφανοῦντες, ἀλλὰ τὰς ψυχὰς καλλωπίζοντες· οὐ κοσμοῦντες τὴν ἀγορὰν παραπετάσμασιν, ἀλλὰ φαιδρύνοντες τὴν ψυχὴν τοῖς τῆς ἀρετῆς περιβολαίοις· ἵν' οὕτω δυνηθῶμεν καὶ τοῦ πνεύματος τὴν χάριν ὑποδέξασθαι, καὶ τοὺς ἐντεῦθεν καρποὺς ἀποδέξασται.

b NAZIANZ. orat. IV. Πρῶτον μὲν, ἀδελφοὶ, πανηγυρίσωμεν, μὴ φαιδρότητι σώματος, μηδὲ ἐσθῆτος ἐξαλλαγαῖς, καὶ πολυτελείαις, μηδὲ κώμοις, καὶ μέθαις, ὧν κοίτας, καὶ ἀσελγείας τὸν καρπὸν ἔμαθες. μηδὲ ἄνθεσι στέψωμεν ἀγυιάς· μηδὲ μύρων αἰσχύναις τραπέζας· μηδέ πρόθυρα καλλωπίσωμεν· μὴ τῷ αἰσθητῷ φωτὶ καταλαμπέσθωσαν οἰκίαι· μηδὲ συναυλίαις, καὶ κρότοις ἀσχημονείτωσαν. οὗτος μὲν γὰρ ἑλληνικῆς ἱερομηνίας ὁ νόμος. ἡμεῖς δὲ μὴ τούτοις τὸν θεὸν γεραίρωμεν, etc. Ἀλλὰ ψυχῆς φαιδρότητι, καὶ λύχνοις τοῖς ὅλον τό σῶμα φωτίζουσι τῆς ἐκκλησίας.

* Probari etiam per ignem solebant reliquiæ; qua de re illustria exempla adfert Mabillonius Præf. in sæc VI. num, 45. Z.

1 Ad annum 55. — 2 Theodoretus orat. VIII *cont. Gr.* — 3 Aug. serm. CXVIII *de Divers.*

X. Hinc frequentes Patrum querelæ de conviviis in ipsis martyrum memoriis nequaquam ex decoro, Christianaque moderatione peractis, præsertim in Africa. De quibus in Africanorum conciliorum sub Bonifacio et Cœlestino collectione, canon exstat ejusmodi[1], quo postulandum ab Imperatore decernunt, ut « quæ contra præcepta divina convivia multis locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt, vetentur : maxime cum etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas civitates, et in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam (quod pudoris est dicere) saltationes sceleratissimas per vicos, atque plateas exercent *. » Tum canone sequenti petendum illud statuunt, « ut spectacula theatrorum, cæterorumque ludorum, die Dominica, vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur. »

Cabilonensis item synodus canone XIX, pravam illam consuetudinem castigat[2], « qua per dedicationes basilicarum, aut festivitates martyrum, ad ipsa solemnia confluentes chorus femineus turpia quidem, et obscena cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut Clericos psallentes audire. »

De iisdem corruptis moribus sæpe disputat Augustinus : ut in libro XX *contra Faustum Manichæum*[3]. « Qui autem se in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari possunt, cum eos, etiamsi in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet ? Sed aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus : aliud quod præcipere jubemur : aliud quod emendare præcipimur ; et donec emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum. » Et alibi, « Oderunt martyres lagenas vestras ; oderunt martyres sartagines vestras; oderunt martyres ebrietates vestras. » Vide ejusdem epistolam LXIV.

Sic Hieronymus contra Vigilantium, « de vigiliis et pernoctationibus in basilicis martyrum celebrandis, » si quid ab nonnullis per illas peccatur, respondet, « paucorum culpam non præjudicare religioni. »

CAPUT XV.

Quæ adversus sanctorum invocationem, et cultum ab hæreticis objici solent, expensa quædam, ac primum illa, quæ ad elevandam Patrum auctoritatem universe attinent. 1. *Quæ sunt duo. Alterum, Patres primi, et secundi sæculi nullos citari : alterum, homines eosdem, et errori obnoxios fuisse.* 2. *Primum caput utili disputatione refellitur ; quod exemplo synodorum œcumenicarum, Patrum testimoniis utamur, et eosdem testes adhibeamus, quibus illæ, tanquam idoneis, contentæ fuerunt ; ut Ephesina.* 3. *Tum Chalcedonensis, quinta, et sexta.* 4. *Item Patres singuli, ut Augustinus, Theodoretus, Cyrillus, Gelasius Papa,* 5. *Adversarios fateri primorum sex sæculorum Patres probabili auctoritate constare.* 6. *Altera cavillatio, quod Patres errare potuerunt, eliditur eo quod saltem fide digni testes habendi sunt ejus, quod universa Ecclesia de sanctorum intercessione sentiebat, cum ipsi viverent, ut Lanfrancus ait.*

I. Adversus illa, quæ de sanctorum invocatione, cultuque tam horum, quam reliquiarum, fuse disputata sunt in antecedentibus capitibus, multa objici solent ab catholicæ veritatis inimicis, in quibus rudem deprehendi, ac minus exercitatum theologum neutiquam oportet. Sed eorum pleraque ab eruditis viris hoc, et superiore sæculo plenissimis sunt refutata voluminibus ; de quibus agere hoc loco nihil est necesse. Quamobrem ea tantummodo persequar, quæ ab recentioribus hagiomachis allata, vel prætermissa sunt a nostris, vel non penitus explicata mihi videntur : ac primum ea tractabo, quæ ad superiora veterum testimonia proprie spectant, quatenus dubios, et suspectos testes illos facere conantur : aut eorum verbis, aliter quam ferat res, interpretando, pondus detrahunt.

Ex iis porro quædam generatim præscripta sunt : alia particulatim contra singulos op-

* Huc spectat de *Agapis sublatis* disquititio Muratorii in *Anecdotis Græcis*. Vide etiam Mamachium tom. III *de moribus primitivorum Christianorum*. Z.

1 In lat. Coll. est XXVII et in græca, LX. — 2 Cabill. syn. tom. I conc. gall. — Lib. XX, cap. XXI.

Duæ adversus supra dicta hagiomachorum exceptiones. I° Nullum primi vel secundi sæculi testem adhiberi.

posita ; de quibus ordine dicam, et a prioribus incipiam, Duo sunt universe contra Patres illos ab hagiomachis excipi solita : alterum, neminem illorum primo, aut sequenti sæculo vixisse ; tertio, nonnisi unum, aut alterum : esse autem consentaneum, dogmatum probandorum auctoritatem ab ultimis repeti temporibus, et ætati Christi proximis, per quæ nondum inventis erat hominum infecta fidei ac disciplinæ velut hereditaria possessio ; alterum, illos ipsos Patres eo minus idoneos fidejussores, assertoresque esse catholicæ veritatis, quod in multis eos errasse constet.

Respondetur : œcumenicas synodos, recentiores testes, neglectis antiquioribus, constanter adhibuisse.

II. Sed in horum primo qui molestiam nobis faciunt vel imperiti sunt, vel ad circumveniendum fraude potius, quam probabili ratione nituntur. Etenim qui caput aliquod fidei Christianæ Patrum testimoniis approbare velit, nulla id alia via melius instituere potest, quam si œcumenicarum synodorum, et eorum ipsorum, quos testes adhibet, Patrum imitatione exemploque faciat. Quibus igitur auctoritatis præsidiis armata vetus Ecclesia in generalibus conciliis, vel adversus imminentes subinde novas hæreses in controversiam adductum fidei dogma defendit ? De iis, quorum acta penitus interciderunt, judicium ex istis facere non possumus. In cæteris, quorum plenior ad nos memoria, rerumque inibi gestarum, et disputationum commentarii pervenerunt, sic omnino reperies ; non illos ab antiquissimis, sed ab citimis potius, et recentis memoriæ doctoribus probationes, et testimonia sumpsisse. Hoc in Ephesina, Chalcedonensi, quinta et sexta synodis œcumenicis, ut alias taceam, usurpatum videmus. Harum in prima [1], Deum natum esse de Virgine, non simplicem hominem probant ex Cypriano, Petro Alexandrino, Athanasio, Julio Papa, Felice item Papa, Theophilo Alexandrino, Ambrosio, Gregoriis Nazianzeno et Nysseno, Basilio, Attico, et Amphilochio. Ex iis autem qui vetustissimus est Cyprianus non plenis ducentis annis antecessit Ephesinæ synodi tempus, cæterorum erat memoria recentior. Nunc illud velim mihi respondeant adversarii ; utrum existiment, synodum illam, quia nullos priorum sæculorum suffragatores decreti sui proferre poterat, recentiores, et paucis ante se annis mortuos advocasse, an cum alios antiquiores nominare posset, novis istis, utpote idoneis, fuisse contentam. Horum utrum dixerint, tum causam nostram adjuvabunt, tum deteriorem facient suam. Nam si nemo fuit Ecclesiæ doctor primis illis sæculis, qui catholico de Christi divinitate dogmati fidem faceret, ut ex nuperis affirmari illud oportuerit, frustra nobis invidiam ex antiquissimorum illorum temporum silentio comparare student. Quod si exstabant aliqui primis illis sæculis, sed consulto his antepositi sunt qui proxime præcesserant, nihilo nos magis accusare deberent, si in appellandis novissimis, illorum exempla sequeremur. Sed non facimus ; siquidem testes ejus, quod probare volumus, ab sæculo ante nos decimo quarto repetitos adducimus ; tum, quod etiam atque etiam considerandum est, eosdem illos citavimus Patres, quorum auctoritate standum esse synodus ista decrevit.

III. Sic etiam Chalcedonense concilium auctores inscribit sibi vix toto sæculo anteriores : unum etiam proxime, hoc est ante sex annos vita functum, Cyrillum Alexandrinum. Nec deerant, opinor, vetustiores alii, quorum uti testimonio poterant ; ac tanto plures, quam nobis, quanto major illis suppetebat librorum copia ; nondum ad inanitatem redactis, aut variis casibus consumptis bibliothecarum forulis. Nos certe ad duas in Christo naturas affirmandas, antiquissimorum Patrum suffragia conquisivimus, et a primo usque sæculo [2] ; ut Clementis Romani, et Ignatii martyris, ac deinceps aliorum, Justini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Hippolyti martyris, Origenis, quorum nemo in ista synodo est auditus.

Similiter quinta synodus [3], cum Patres enumeraret, quos se in omnibus sequi profiteretur, Athanasium, Hilarium Basilium, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Chrysostomum Leonem, Proclum nominavit, antiquiorem neminem. Atqui illi ipsi sunt, quos tum in hoc toto dogmatum theologicorum opere ; tum in præsenti controversia auctores laudavimus : quibus tot insequentium sæculorum ad nos usque decursus, uti majorem quodammodo ætatem dedit, ita plus auctoritatis debet afferre.

Non aliter synodus sexta contra Monothelctarum hæresim haud illis antiquiores Patres advocavit, ut ex octava, et decima actione liquet : hoc est Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Joannem Chrysostomum, Leonem Papam, Gregorium Nyssenum, Cyril-

1 Eph. Synod, act. I. — 2 Supra lib. III, cap. VI. — 3 Quint. Syn. Coll. III, tom. IV Conc. vide tom. nostr. III, lib. VII, cap. VIII.

lum, Epiphanium, Ephræmium Antiochenum, Anasthasium, Joannem Scythopolitanum. Nam qui omnibus ætate superior est, Justinus martyr [1], citatur ille quidem : sed non est germanus ejus liber, qui ibi nominatur, fidei scilicet expositio.

Eadem Patrum ratio in refellendis hæreticis.

IV. Non dissimilis est singulorum Patrum ratio, qui in refellendis novorum hæreticorum erroribus, recentiorum, ac pene æqualium suorum Patrum testimonia non dubitarunt opponere. Augustinus adversus Julianum Pelagianæ columen hæresis disputans [2], in libro primo, auctores aliquot citat; ex quibus primi nullum sæculi, unum secundi martyrem Irenæum, tertii itidem unum Cyprianum, reliquos eodem, quo natus erat, sæculo mortuos, quarto scilicet, in medium adduxit, Reticium Augustodunensem, Olympium Hispanum, Hilarium, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Joannem Chrysostomum ; et, qui nuper obierat, Hieronymum.

Theodoretus in dialogis tribus, Apollinaris hæresim impugnans, et duarum in Christo manentium naturarum discrimen adstruens, e secundo sæculo duos laudat, Ignatium, et Irenæum; e tertio, Hippolytum et Methodium: cæteros e quarto et quinto, hoc est proxime ante vita defunctos, Eustathium, Athanasium, Basilium, ambos Gregorios, Flavianum, Cyrillum Hierosolymitanum, Amphilochium, Ambrosium, Hilarium, Severianum, Antiochum, Chrysostomum, Augustinum, Atticum, Gelasium, Cyrillum Alexandrinum : quo cum postremo graves contentiones, offensionesque ipse susceperat.

Cyrillus idem in libro *de recta fide* [3], Nestorii dogma confutans Patrum testimoniis aliquot, non illos ex primis sæculis tribus, sed ex quarto, quintove delectos citat, Athanasium, Amphilochium, Atticum, Chrysostomum, Theophilum avunculum suum, et alios quosdam. Non deerant, opinor, in illa causa, et tam communi, ac trito asseverando fidei capite complures antiquiores testes : cum a nobis allati passim haud pauci fuerint. Sed hoc recte Cyrillus intellexit, in catholicæ fidei testibus, non tam ætatem, quam ex doctrina, et integritate gravitatem, auctoritatemque esse præstandam.

Ita Gelasius Papa [4] de Christi agens duplici natura, eamque veterum testimoniis confirmans, præter Ignatium, et Hippolytum, reliquos omnes arcessit e quarto, quintove sæculo. Joannes item secundus in ejusdem argumenti epistola, quarti et quinti solos appellat, Cypriano excepto.

V. Missos facio cæteros, qui in testibus catholicorum dogmatum percensendis, citerioribus contenti fuerunt. Nondum enim frigidum illud, et insulsum audiri cœperat calumniæ genus, quod postremis hisce temporibus excogitatum est ; ut ad primum, ac secundum sæculum, aut vero tertium, et quartum, controversorum capitum disceptatio revocaretur. Quanquam aliqui sunt e numero Calvini, aut Lutheri sectatorum, qui longiore finito spatio, ad sextum usque sæculum antestandi copiam faciunt : ut Andreas Rivetus in capite quarto *Critici sacri*, ubi « in confesso esse dicit apud omnes orthodoxos (Ita gregales suos nominat) signum publice erexisse Antichristum post sexcentos a nato Christo annos, regnante Phoca. » Hunc ergo præfixit auctoritati, et advocationi terminum, Joannem imitatus Puellum, ex eadem secta ; quem gloriatur *Pontificios ad Patrum auctoritatem provocasse*. Præclare ; nihil enim ad causam, controversiamque nostram opportunius accidere potuit. Itaque, velut ex antiqua formula, *unde isti ex jure manu consertum vocant*, *inde ibi eos revoco*. Summa hæc litis est nostræ, utrum præter Christum, primarium, ac præcipuum mediatorem, alii sint adhibendi minores, et secundarii, qui apud hunc pro hominibus intercedant : an hos invocare liceat, et religiose colere ; sacra in eorum celebrare memoriam ; et in eamdem basilicas erigere; tum eorum corpora vita defunctorum, ac reliquias venerari. Hoc Lutheri, et Calvini discipuli, hoc est veterum errorum interpolatores nefarium, et sacrilegum esse clamant, et idololatriæ damnant. Nos id pium, et Christianæ religioni consentaneum esse, inde potissimum contendimus, quod perpetuo usu, ac more Ecclesiæ catholicæ receptum, commendatumque fuerit. Cujus instituti testes adduximus bene multos ex antiquioribus Patribus ; qui secundo, tertio, quarto, quinto, sextoque sæculo floruerunt, viros imprimis eruditos, ac peræque graves, et sanctos; tum eosdem ipsos, quos œcumenicæ synodi ab adversariis probatæ controversiarum suarum disceptatores, et arbitros esse voluerunt : qui non una regione circumscripti particularis alicujus ecclesiæ testificari consuetudinem, ac sententiam videri possint : sed ex omnibus

1 Sexta synodus Act. x. — 2 Aug. l. I *cont. Jul.* c. II. — 3 Cyr. tom. V, par II. — 4 Tom. IV *Bibl. Patr.*

orbis Christiani provinciis exciti, et in idem congruentes ritus, et dogmatis catholici genus, perspicuum faciunt, totius Ecclesiæ sensum parem, et eumdem ubique terrarum exstitisse. Jam si ad illos omnes priorum vetustiorumque temporum doctores, insequentium ad nostram hanc ætatum lumina quispiam adjungat, cum superioribus apprime consententia, (quod complures catholici scriptores *Collectaneis* suis utiliter fecerunt) quindecim ferme sæculorum testificatione corroboratum habebit catholicum, ac nostrum de proposita quæstione judicium.

IIª Exceptioni: *Patres errori obnoxios esse*, satisfit.

VI. Verum illud commode pene aliud agentibus nobis accidit, ut ad alterum caput e duobus, quæ initio proposuimus, sermo noster delapsus sit. Nam duo præscribi ab adversariis solere dixi : quorum uno jam defunctus, ad alterum venio; quod est ejusmodi : Patres omnes, ut erant homines, nec immunes ab errore fuisse, et in plerisque reipsa propemodum omnes aberrasse : ex quo sequitur, non satis idoneos esse fundos, et auctores fidei Christianæ, dogmatumque catholicorum. Sed eo perpauca dicenda sunt, et hæc ipsa ratione illa continentur, quam proxime ante declaravimus. Ut enim auctoritatis pondus, quale inest in regula fidei, ac judice. ab antiquis Patribus abjudicetur; de quo alius erit disputandi locus : illud certe negari non potest, dignos illos esse, quibus, tanquam veridicis testibus, de Ecclesiæ, in qua censebantur, professione ac sententia fides habeatur.

Quamobrem cum per terras omnes regionesque dispersi, quod et in illis, in quibus degebant, mundi partibus doceri, et usurpari videbant : et in aliis perinde institutum esse sciebant, scriptis suis prodiderint ; quis sic impius importunusque sit, qui non per totam Ecclesiam receptum ac probatum , vel invitus agnoscat ? Denique, ut, quod alia in re Lanfrancus in libro *contra Berengarium* usurpavit, haud absimili ratione, parique momento præsens ad negotium transferam ; « Hæ scripturæ, quas ex Patribus attulimus[1], tametsi illam excellentissimam auctoritatis arcem non obtinent, qua donatæ sunt, quas propheticas seu Apostolicas nuncupamus; hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, a priscis temporibus habuerunt. »

VII. Sed nihil agimus, nisi hoc ipsum, quod dicimus adversariorum voce, ac testimonio comprobamus. Exstat epistola Genevensium pastorum [2] , ac professorum *de unitate essentiæ divinæ et tribus in ea subsistentibus personis adversus Arianos* ὁμοιουσίους *ad Nicolaum Radzwilum magni Ducatus Lituaniæ supremum Marescalcum ?* a Theodoro Beza conscripta anno 1565. In ea postquam Nicæni concilii, Hilarii, Tertulliani, Athanasii auctoritatem illis opposuit, demum ad Patres eos provocat his verbis : « Age igitur probent aperte suum dogma, quod ex Philopono, Severo, Damiano, et cæteris infelicis memoriæ monstris hauserunt, idque si possunt vel rationibus vel ex Scripturis, vel Patrum veterisque Ecclesiæ consensu confirment. Nos vicissim eamdem conditionem accipimus : et nisi tam manifeste ipsorum blasphemiam patefecerimus, quam clarus est meridies, tum demum, Illustrissime Princeps, pro pseudoprophetis haberi, ac traduci minime recusamus. »

Homœousios

Hac ergo sponsione, qua ultro semetipsos obligarunt, devincti et obstricti tenentur in illa, de qua disputamus, invocatione, cultuque sanctorum; quem idololatriæ, ac nefariæ superstitionis accusant. Prorsus enim « *Patrum, veterisque Ecclesiæ consensu confirmatum*, *et aperte probatum* habet Ecclesia catholica *suum dogma :* cui tot a nobis commemorati Patres, et vel iidem, quos isti citant, vel æquales, antiquioresve subscribunt.

Pergunt deinde in epistola sua, et, « Augustinum autem, inquiunt, optimum, ac doctissimum scriptorem , cur tandem non admittunt ? Nempe quoniam illis est sophista : adeo ut Augustinianum quemdam Deum per ludibrium jactent. Atqui vel unica ista vox, Illustrissime Princeps, sic mentes piorum omnium vulneravit, ac merito quidem, ut minime miremur, pios omnes, qui nunc istic supersunt, ab istis non minus, quam ab ipso diabolo refugere. Quis enim sano homini persuaserit, aliter docuisse Augustinum de Trinitate, quam Africanas ecclesias, et istas rursus aliter, quam catholicus consensus ferret, sensisse. » Vides cujusmodi de se, suaque secta præjudicium Genevenses isti pastores, professoresque faciant.

Qui ab Augustino dissentit uno, hunc ab universa Ecclesia, et catholico consensu dis-

1 Lanfranc. tom. VI *Bibl. Patr.* — 2 Bezæ Opusc.

crepare, et abhorrere pronuntiant : quia non aliter docuisse putandus est Augustinus, quam Africa ipsa, imo Christianus sentiebat orbis. Atqui disertissima sunt a nobis et innumeris repetita locis, ex Augustino producta testimonia; quæ et cultum sanctorum, et invocationem, et reliquiarum venerationem, et ingentia in illorum memoriis divinitus edita miracula, et impetrata beneficia sine ulla dubitatione demonstrant. Nec minus luculentæ sunt Patrum cæterorum in idem conspirantes collatæ sententiæ. Sed ut in uno immoremur Augustino: Numquid causæ est, quin neque *sani homines*, neque cum Ecclesia tota et *Catholico consensu* eadem *sentientes*; neque *pii*; imo vero *non minus* quam *Diabolus ipse fugiendi*, ac detestandi suopte judicio sint : qui usque eo dissident ab Augustino, ut quod ille Catholicum judicavit; quod Christianorum omnium usu, ac moribus receptum testatus, laudavit et observavit ipse; quod servare, ac tenere constanter cæteros docuit; quod reprehendentes, et illudentes paganos, Manichæos, ac pestes reliquas hæreticas, et iisdem, quibus hagiomachi nuperi, machinis, et argumentis oppugnantes repressit, ac retudit; illud ipsum nefarium, sacrilegum, idololatriæ gentilitiæ proprium, invisum Deo, hujusque verbo contrarium, et abominandum esse proclamant ?

VIII. Nam quod de Patrum erratis causari supra illos diximus; audiamus porro quid de ea re iidem illi Genevenses in epistola scribant. « Sunt quidem, fateor, sui in Patribus nævi, inquiunt; quis enim hoc neget ? sed tales, ut fundamentum istud salvum retineant : quo sublato, quam fuisse illorum fidem, et quam Ecclesiam arbitrabimur ? » Quinam obsecro, *nævi fundamentum fidei minime salvum retinent*, nisi qui idololatriam Deo exosam, ac verbo Dei damnatam jugulatamque continent? Antichristus est omnis, qui contrarius est Christo. Hic vero contrarius est, qui « hunc inhonorat, et solius Mediatoris titulo spoliat : qui ut illi in singularem prærogativam datus est; ita neque alio transferri debet. » Verba sunt Calvini in eos intonantis [1], qui sanctorum intercessiones, et invocationes cum Augustino tuentur; quos acrius deinceps insectari pergit. « Atque hoc quidem, ait, ipso gloriam nativitatis ejus obscurant, crucem evacuant: quidquid denique fecit aut passus est, sua laude exuunt, ac defraudant.»

Hæc omnia, et iis plura, quæ ibidem elatrat furiosus ille contra catholicos veteris, et Augustiniani dogmatis assertores, cum fidei fundamento consistere non possunt. Nihil enim sic adversatur fidei christianæ, ut infidelitas, et idololatria. Atque hæc unica est [2], et potissima ratio, quam Calvinistæ Gallicani discessioni suæ ab unitate Ecclesiæ, ac schismati prætexunt; cum se Romanæ communioni nuntium idcirco remisisse in fidei suæ confessione profitentur; quod in ista Ecclesia superstitiones omnes, et idololatriæ regnant. » Hujusmodi vero illud esse, quod de sanctorum patrocinio eadem docet Ecclesia, Calvinus et in illo, quem adduxi, loco *Institutionum* asserit, et in brevi *fidei confessione* inter ejus opuscula edita : ubi « abominari se dicit superstitionem, quam nonnulli excogitarunt, accedendi ad sanctos, et sanctas, quasi patronos pro nobis apud Deum futuros. » Præterea in commentario ad epistolam priorem Apostoli *ad Timotheum*, dum hæc illius verba explicat ; *unus mediator Dei et hominem homo Christus Jesus* [3] : « execrandam dicit esse blasphemiam, affingere sanctis dignitatem, quæ nobis apud Deum gratiam conciliat, » et alia ejusdemmodi. Tum alio in loco, « totidem Christo idola apponere Papistas, ait, quot sibi patronos comminiscuntur. » Quæ duo loca magistri sui laudat et propugnat Beza in *Refutatione Tilemanni Hesusii* [4], et ex eo prævaricationis turpissimæ convictus tenetur, qui cum in supra citata epistola doceat, Augustinum, aliosque Patres « fundamentum fidei salvum retinere : nec aliam ipsorum fidem, quam totius Ecclesiæ fuisse : » illud ipsum tamen, quod adeo prolixe, et constanter asseverarunt, *idololatriæ*, *blasphemiæ execrandæ*, et aliis genus quæ fidei proprie sunt adversantia, titulis infamat.

1 Calvin. l. III *Instit.* c. XX, paragr. 21. — 2 Act. XXVIII *Confess. fidei* Calv. — 3 I *Timoth.* II, 5. — Tom. I Opusc.

CAPUT XVI.

Occurritur iis, quæ adversus catholicum dogma de cultu Sanctorum ab recentioribus hæreticis objecta sunt, præsertium a Petro Molinæo. 1. Ac primum explicantur aliquot veterum testimonia ab illo prolata, ut Ignatii. 2. Clementis Alexandrini, S. Irenæi, Tertulliani, etc. 4. Molinæi ejusdem hallucinatio. 5. Tum altera insignis. 6. Origenis locus ab ejus calumnia vindicatus. 7. Explicata ejusdem de Deo sententia. 8. Ut quod solum Patrem supremum Deum esse statuit. 9. Nefaria illius opinio de Filio. 10. Ex quibus loca quædam illius explicantur a Molinæo perperam usurpata. 12. De Angelorum cultu quid senserit : et quemadmodum gentiles cum unum summum Deum venerarentur, plures tamen, ac minores Deos coluerint.

I. Ad illa modo explicanda, diluendaque venio, quæ contra superiorum capitum testimonia e Patribus allata objiciunt hagiomachi, non illi quidem paulo vetustiores : (nam ad eorum argumenta Catholici, ut jam dixi, complures copiose, et erudite responderunt) sed qui postremo de hac quæstione commentati sunt : maxime Petrus Molinæus in libro, qui *Papismi novitas* inscribitur, quem contra Cardinalem Perronium elucubravit. Hic in libro septimo, ejusque prima controversia, quæ est *de Invocatione Sanctorum*, multa de antiquorum Patrum sententiis disserit, ac partim quædam eorum affert loca, in quibus aliter, ac nos volumus, sensisse ipsos, et pronuntiasse contendit : partim variis modis illorum, quæ adduximus, vim et auctoritatem conatur infringere. Quibus ut omni ex parte satisfaciam, aliquot peragrabo illius libri capita, quæ hujus argumenti propria continent.

Explicantur aliquot veterum loca adversus cultum SS. ab hæreticis allata.

In septimo itaque libro, capite septimo, trium sæculorum Patres aliquot enumerat, qui neminem præterquam Deum, invocandum esse censuerunt. Horum primus Ignatius martyr adducitur : qui in epistola *ad Philadelphenses*, ita virgines hortatur. « Virgines, inquit, solum Christum præ oculis habete, et ejus Patrem in animabus vestris, illuminatæ a Spiritu sancto [a]. » Ita vetus Latina versio : cujus auctor legisse videtur ἐν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν, pro εὐχαῖς, quo admisso, nulli jam Molinæo usui erit. Sed ut verior sit altera lectio; nihilo magis ad ministri mentem faciet : primum quia sententia ista in germana epistolarum illarum editione, quæ nuper e Florentino codice est extracta, non occurrit : nec in vetusta Latina, quæ ad verbum illi respondet. Deinde quamvis germanam esse periocham hanc Ignatii velimus, nihil ad rem facit. Jubet enim inter orandum Deum habere præsentem : quod tum etiam fit, cum ad ipsum per intercessores sanctos preces nostras allegamus. Nam quisquis per interventorem, et sequestrem aliquem Regi supplicat, aut Judici, eo ipso de rege cogitat, aut judice, et utrumvis proponit sibi. Ad hæc, solum habere præ oculis Christum, ejusque Patrem; nihil aliud est, quam in Deum, tanquam primarium et principale, ut scholæ nominant, *objectum*, defixo, et intento esse animo; et ad eum, velut ultimum finem, sua omnia referre. Quod si quis contentiosus esse pergat, et vocem μόνον ad excludendos alios omnes, præter eos qui ibidem nominantur, pertinere velit : hoc in se trahet absurdi, ut ne Spiritus quidem meminisse sancti inter orandum oporteat, quandoquidem solum Christum, ejusque Patrem præ oculis haberi jubet Ignatius; non Spiritum S. cujus duntaxat luce perfusos orantes esse vult; ut quasi δᾳδούχου, et *ministri faculam allucentis* vices præbeat, quod in se nefarium, et impium dictu illius importunitas admittet. Ignatii.

Clementis Alexandrini

II. Clementem deinde laudat Alexandrinum, qui in octavo *Stromateo* solum Deum orandum esse dicit; et ab eo bonum postulandum, quia solus est bonus. Verum Clemens ibi de ea loquitur oratione, qua quippiam tanquam a Deo, et ejus, quod postulatur, domino, ac dandi arbitro postulamus; quippe gentiles reprehendit, qui ab illis, qui non sunt dii, tanquam a diis aliquid petunt. Integrum hic totum adscribam locum, quem mutilum, et truncatum Molinæus posuit. « Extrema, inquit, est inscitia, ab iis, qui non sunt dii, tanquam a diis petere : vel ea petere, quæ non conducunt, dum per bonorum speciem, nobis mala postulamus. Unde

[a] IGNAT. Αἱ παρθένοι, μόνον τὸν χριστὸν, πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχετε, καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐν ταῖς εὐχαῖς, φωτιζόμεναι ὑπὸ τοῦ πνεύματος.

merito cum unus sit bonus Deus, ab ipso solo bonorum alia dari, alia conservari orantes petimus tam nos, quam Angeli [a]. » Ut igitur, qui sanctos orant ideo, quia Dei servi sunt, et eum pro nobis interpellant, atque ab ipso quod volumus exorant, Deum reipsa, et δυνάμει, hoc est, ut scholæ loquuntur *virtualiter* rogant : ita hoc ipsum, quod ab illis, hoc est per illos petimus, non ab alio quam ab Deo petere censemur; ut qui ab rivo vel canali frigidam haurit, non aliunde, quam ab ipso fonte accipit. Ac plerumque locutiones hujusmodi, quibus soli Deo alicujus possessionem, vel effectionem Scripturæ tribuunt, non præfracte, aut simplici absolutoque sensu accipi debent, ne falsa sit earum sententia : sed modus aliquis, ac ratio tacite est intelligenda, secundum quam id quod dicitur, soli convenit Deo : in idque nobiscum necessario consentiunt adversarii. Ut cum bonum se vocanti cuidam Christus respondit, *Quid me dicis bonum* [1] *? Nemo bonus, nisi unus Deus.* Et de Patre Apostolus [2], *Qui solus habet immortalitatem* ; de quibus, et similibus locis alibi dixi [3]. Et cum *solus verus Deus* idem nominatur Pater [4]: quod Anabaptistæ Photiniani solent objicere. In his nimirum subaudiri aliquid necesse est; et stulta deponenda pervicacia, quæ absurdis, et inextricabilibus nugis sophistas implicat. Quod etiam in illo loco Clementis, et ejusdemmodi cæteris adhiberi, sana, beneque considerata ratio persuadet.

Irenæi. III. Irenæi locus, quem ex libro secundo, capite LVII profert, nihil ad rem facit : et mirum est adeo socordem, et aliud agentem fuisse Ministrum, ut illum nobis opponeret. Nam hæreticos Valentinianos Irenæus exagitat, qui Æonas suos et falsos angelos invocabant, atque incantationibus operam dabant : quod abhorrere ait ab Ecclesiæ catholicæ instituto, ac moribus : « quæ munde, et pure, et manifeste orationes dirigit ad Deum, qui omnia facit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocat. » An sanctos, vel angelos, vel homines invocare, est incantationibus operam dare ; aut orare Deum quisquam prohibet cultor, invocatorque sanctorum ? Nugæ sunt istæ, et otiosorum declamatorum næniæ, quibus stultæ concionis aures implent indocti ministri, ut Romanæ ecclesiæ invidiam faciant. De hac Angelorum invocatione disputatum est alio in loco [5].

Tertulliani Tertullianus item, quem Molinæus deinde testem nominat, *in Apologetici* capite tricesimo, nihil ad causam pertinet, ibi enim gentilium criminationibus occurrit, qui pro salute Imperatorum diis non supplicare Christianos iniquo animo ferebant. Quos Tertullianus redarguit, quod ab illis petant, qui dare nequeunt, « præterito eo, in cujus est potestate. » Tum ista subjicit : « Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum : quoniam et ipse est qui solus præstat. » Itaque diis opponit, id est dæmonibus, falsis bonorum ac salutis largitoribus, verum ac principalem bonorum omnium auctorem; cui non adversatur intercessorum, et administrorum opera. Ut si duo reges bellum inter se gerant; et qui in unius castris militat, donativum neget se ab alio accipere velle, quam ab suo rege : certum est, qui sic loquatur, non excludere ab donandi functione interjectos inter se ac principem dispensatores, et quæstores ærarios. Hoc enim tantummodo significat, se nonnisi nomine regis sui et auctore ipso ac mandante, præmium illud accipere velle : non ab inimico rege, vel ejus ministris, et fisci curatoribus.

Tantumdem Novatiani locus, hoc est omnino nihil, ad negotium spectat, qui in libro *de Trinitate*, capite XIV, Christum probat Deum esse, non hominem merum, eo quod tanquam *mediator in orationibus invocatur.* Est autem mediatoris duplex genus : sicut et *Patris*, et *doctoris*, et *fundamenti*, et hujus generis cæterorum, quæ nonnunquam Deo soli tribuuntur, detrahuntur aliis : et ea tamen alio sensu ac modo idem, qui illis deferri vetuerat, Christus Dominus assignat. Vide de duplici mediatore quæ supra libro duodecimo, capite primo diximus. De Origene post agemus.

IV. Athanasius vero, quem idem citat Molinæus, recte Arianos refutat, qui Christum creaturam esse putantes, Deum tamen appellabant, et eum adorabant tanquam aliquid creatura præstantius. Non enim quivis honor,

a CLEMENT. VII *Strom.* Ἐσχάτη δὲ ἀμαθία παρὰ τῶν μὴ θεῶν ὡς θεῶν αἰτεῖσθαι· ἢ τὰ μὴ συμφέροντα αἰτεῖσθαι, φαντασίᾳ ἀγαθῶν κακὰ αἰτουμένους σφίσιν. ὅθεν εἰκότως ἑνὸς ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ, παρ' αὐτοῦ μόνου τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν δοθῆναι, τὰ δὴ παραμεῖναι εὐχόμεθα, ἡμεῖς τε καὶ οἱ ἄγγελοι.

1 *Marci* x, 18. — 2 I *Tim.* VI, 16.— 3 Vide lib. II *de Trin.* cap. IV, § 10.— 4 Vide lib. III ejudem operis, cap. I.— 3 Tom. III, lib. II *de Aug.* cap. VIII.

et cultus, hoc est etiam summus, et Dei solius proprius, quamlibet excellenti creaturæ vindicandus est : de quo sequente libro plura disseremus, cum de adoratione Christi, aliorumve ex professo dicemus. De Laodiceno canone xxxv et cæteris eodem pertinentibus, vide quæ in secundo libro *de Angelis* explicata sunt[1].

Molinæi hallucinatio

Nec omitttenda ministri Molinæi insignis hallucinatio, et eo pudenda magis, quod in reprehendendo Cardinali Perronio, eoque falsi accusando, turpiter est ipse lapsus. Hunc enim Eusebio falso id affinxisse, scribit, laudari ab eo Platonem quidixerit[2], « honorem habendum esse mortuis virtute præditis, et eorum adoranda monumenta. Hoc vero (Molinæus ait) est falsum : nec unquam Platoni doctrinam istam Eusebius affinxit : atque in capite primo libri duodecimi *de Præparatione Evangelica*, quod ad marginem notat Perronius, nullam facit ejus mentionem. » Hæc Molinæus ; quem apparet cursim ac negligenter in commentandis istis versatum fuisse. Nam et apud Eusebium, ac Platonem ista leguntur : et Perronius librum Eusebii decimum tertium citaverat[3], non duodecimum. Nos utrumque, hoc est Platonis, et Eusebii locum descripsimus supra[4]. Illic ergo revera Plato statuit illos, qui in acie fortiter se gerendo cecidissent, et ἀγαθοὶ, atque εὐδοκιμοῦντες fuissent, hoc est *boni*, et *virtute bellica inclili*, post mortem iisdem, quibus dæmones coluntur, honoribus afficiendos esse, et eorum adoranda sepulcra; hæc totidem verbis ex Platone Eusebius ; ex hoc Perronius transtulit. Non dubium est itaque quin præstantissimi, et eruditissimi Cardinalis odio cæcus minister, ad hæc, ut et alia pleraque per totum opus illud, offenderit.

Tum altera insignis.

V. Cujus etiam specimen ibidem alterum præbuit in quodam Eusebii loco de sanctorum vita functorum sollicitudine pro vivis adhuc hominibus, et oratione : in quo cum Hebræis veteribus Platoni convenire demonstrat; qui locus ab Eminentiss. Cardinali Perronio citatus ad præsens institutum nostrum attinet, et idcirco paucis eum perstringam.

Eusebius in libro duodecimo *de Præparatione Evangelica*, cum hoc docere vellet, quod initio libri proposuit, multa Platonem scriptis suis prodidisse Hebræorum oraculis consentanea, adeoque Christianæ fidei, quam hoc præsidio ab gentilium calumnia tueri vellet, inter alia locum quemdam commemorat ex libro undecimo *de Legibus*, in quo Plato « mortuorum animas censet, post hanc vitam obtinere vim quamdam, qua humanarum rerum curam gerunt[a]. » Hæc Eusebius consentanea esse scribit ei narrationi, quæ habetur in secundo libro *Maccabæorum*[5], ubi scriptum est, « Jeremiam Prophetam orantem, esse visum post mortem pro populo, tanquam curam hominum in terra degentium habentem[b]. » Eminentiss. Card. Perronius in eo loco, quem paulo ante memoravi, Eusebii verba ista referens postrema illius ita vertit, « tanquam sollicitudinem gerentem rerum humanarum ; » quod ita illum interpretatum esse Minister ait, quod Græce imperitus esset : satis inciviliter et odiose. Sed hanc cantilenam de inscitia Græcitatis, passim, et ad nauseam usque in Cardinalem ingerit; quæ puerilis insectatio cum per se putida est et inepta : tum ab homine profecta illius linguæ parum consulto, ludibrio est digna majore. Atqui non erat vellicandus ideo Cardinalis, quod τῶν ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων φροντίδα ποιεῖσθαι idem reipsa putavit esse, τῶν κατ' ἀνθρώπους πραγμάτων, ut Plato scripserat; cujus sensum exprimere voluit Eusebius. Qui enim hominum in terra degentium curam habet, is profecto res curat humanas. Frivola itaque Ministri est argutatio; tum multo ineptior ejus illa distinctio, sanctos generatim pro omni populo supplicare, non pro singulis ; de qua post agemus.

Hominum qui sunt super terram curam habere.
Rerum humanarum

Origenis locus ab ejus calumnia vindicatus.

VI. Jam ex Origene complures affert sententias; sed cassas et inutiles, si quis earum scopum, et quæ illas antecedunt, aut sequuntur animadvertat. Primus est locus e libro octavo *contra Celsum*, ubi asserit, soli supremo Deo esse supplicandum, nec non unigenito ejus filio, unde sequitur, orandos non esse sanctos. Verum pronuntiandi sic causam inde Origenes sumpsit, quod Celsi paulo ante verba posuerat, quibus affirmabat, « non soli Deo, sed etiam dæmonibus, propterea quod Dei sunt,

a Plato lib. II *de Leg.* Ὡς ἄρα αἱ τῶν τελευτησάντων ψυχαὶ δύναμιν ἔχοισί τινα τελευτήσασαι, ᾗ τῶν κατ' ἀνθρώπους πραγμάτων ἐπιμελοῦνται.

b Euseb. XII *de Præp.* cap. iii. Καὶ ἐν τῇ βίβλῳ δὲ τῶν Μακκαβαίων λέγεται Ἱερεμίας ὁ Προφήτης μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ βίου εὐχόμενος ὁρᾶσθαι ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, ὡς φροντίδα ποιούμενος τῶν ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων.

1 Cap. ix, tom. III. — 2 Molin. lib. VII, cap. vii. — 3 Perron. lib. V, cap. xix. — 4 Libri hujus cap. xi.— 5 II lib. *Mac.* xv.

credendum esse, ac litandum ex præscripto legum, et supplicandum ut propitii sint[a]. » Contra quæ paucis interjectis, sic invehitur Origenes. « Apage consilium illud Celsi dicentis, supplicandum esse dæmonibus. Non enim ullo modo ei auscultandum est. Quippe solus est orandus supremus Deus; sed et unigenitus ejus orandus, ac primogenitus omnis creaturæ, hoc est Verbum Dei; et postulandum ut ipse, tanquam Pontifex, orationem nostram, quæ ad ipsum pervenerit, ad Deum suum, Deumque nostrum perferre velit[b].» Manifestum est, Origenem asseverasse nulli alteri, quam Deo vero, hunc honorem ab hominibus tribui debere, quem dæmonibus adhiberi impurus ille Celsus volebat : ac proinde non eo modo rogandos angelos, ac precibus nostris, et religiosis officiis ambiendos, quo et gentiles dæmones, ac secundarios Deos suos prosequebantur, et Epicureus ille coli ab Christianis oportere dicebat. Et quoniam insignis, ac memorabilis est iste locus, ac de Angelis, et eorum intercessione, adituque ad eos hominum, multa disputat Origenes, quæ et hominis intimos sensus aperiunt super instituta controversia, nec parum ad rem faciunt, idcirco paulo accuratius illa pertractabimus.

VII. Origenis ea fuit opinio de Deo, qualem in tomo secundo, primo *de Trinitate* libro demonstravimus ex antiquorum testimoniis, hominum sanctitate, ac doctrina præstantium; quibus integra, et germana illius scripta suppetebant : unde liquido, quid sentiret, intelligi poterat; cujus et in libris *contra Celsum* haud obscura sunt impressa vestigia.

Super omnia Deum

Origenis nefaria de Verbo Dei sententia.

Unum asserebat esse summum omnium, ac supremum Deum, quem τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν appellat : atque hunc per Redemptorem nostrum Verbum ipsius, et filium adeundum esse; per eumque preces nostras allegandas ad Patrem. Ita primario, ac per sese Deo Patri supplicandum existimat : filio vero quadam cautione, nec sine scientia; quæ hoc doceat, quid inter nominum proprietatem et abusionem intersit. Verba Origenis sunt ista : « Omnem postulationem, et orationem, et supplicationem, et gratiarum actionem offerendam esse supremo omnium Deo, per eum, qui supra omnes Angelos est, Pontificem, animatum Verbum, et Deum. Postulabimus autem et ab ipsomet Verbo, et ei supplicabimus, et agemus gratias : sed et ipsum orabimus, dummodo possimus intelligere, quis sit nominis illius, *oratio*, proprius usus, et quis abusione deflexus[c]. » Vides ut aperte dissimilem in eo conditionem esse Dei Patris, ac Verbi, Filiique sentiat, quod Pater omnino, et sine ulla cunctatione sit orandus, et quidem solus orationis eo genere, quod proprie, ac citra vocis abusionem usurpatur : Filius autem non proprie dicta, et exquisita oratione, sed καταχρηστικῶς ita nominata, et secundaria. Nimirum proprie dicta προσευχή, id est *oratio* (quo vocabulo cætera religiosi cultus officia complectitur Origenes :) Deum solum verum, et supremum, auctorem omnium, conditoremque respicit : altera vero, quæ secundi generis est, et gradus, er καταχρήσει, *abusioneque* nominis ita vocatur, ad inferiores et summi Dei ministros pertinet : qui recta, hoc est absolute per se, ac primario non interpellatur (hæc enim prima, et principalis est oratio soli tributa supremo, quem τὸν ἐπὶ πᾶσι nuncupat) sed tantummodo per illos, et eorum intervento ac μεσιτείᾳ, noster ad Deum dirigitur affectus. Orantur autem etiam et ipsi; sed oratione καταχρήστικῶς ita dicta, quæ velut ex obliquo tendit ad supremum, nec in interjectis illis, et mediis acquiescit.

Abusive.

Mediatione.

Abusive.

VIII. Cujusmodi ratio, et discrimen in finibus apparet. Nam unus est ultimus, et præcipuus, ad quem omnia vel directe, vel oblique, et δυνάμει, hoc est *vi*, et *interpretatione* referuntur; qualis in recta et bene constituta actione Deus est solus; alii porro sunt proximi, et interpositi, in quibus sistere non oportet, sed per eos tenditur ad extremum, et primarium : qui (ut in analogis dicere solent dialectici) per se, proprieque finis, et ultimi, sive οὗ ἕνεκα, notionem includit : cæteri καταχρηστικῶς, id est σχετικῶς, et

Cujus gratia.
Abusive id est *relative.*

a Cels. apud Origen. lib. VIII. Ὅτι καὶ οἱ δαίμονές εἰσι τοῦ θεοῦ, καὶ διά τοῦτο πιστευτέον ἐστὶν αὐτοῖς, καὶ καλλιερητέον κατὰ νόμους, καὶ προσευκτέον ἵν' εὐμενεῖς ὦσι.

b Ibid. Orig. Ἄπαγε δὴ τοῦ Κήλσου συμβουλὴν λέγοντος, προσευκτέον εἶναι δαίμοσι. καὶ οὐδὲ κατὰ τὸ ποσὸν ἀκουστέον αὐτῆς. Μόνῳ γὰρ προσευκτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ, καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ, καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως λόγῳ θεοῦ, καὶ ἀξιωτέον αὐτὸν, ὡς ἀρχιερέα, τὴν ἐπ' αὐτὸν φθάσασαν ἡμῶν εὐχὴν ἀναφέρειν ἐπὶ θεόν αὐτοῦ, καὶ θεὸν ἡμῶν.

c Origen. lib. V *contra Cels.* Πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου, καὶ θεοῦ, δεησόμεθα δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ ἐντευξόμεθα αὐτῷ, καὶ εὐχαριστήσομεν, καὶ προσευξόμεθα δὲ, ἐὰν δυνώμεθα κατακούειν τῆς περὶ προσευχῆς κυριολεξίας, καὶ καταχρήσεως.

per habitudinem, ac relationem ad ultimum.

Quemadmodum igitur propria ratio finium interjectorum est, ut per eos tendatur ad summum et ultimum, non ut in illis actio, vel agentis nisus insistat; quod si secus fiat, hoc ipso recta, et ordinata esse desinet actio, et in vitium, pravitatemque deflectet: quales ii fuerunt, quos Apostolus primo epistolæ *ad Romanos* capite describit; *qui coluerunt, et servierunt creaturæ potius, quam Creatori*[1]: Sic oratio, vel, ut universe loquar, religionis officium et cultus, proprium hoc habet, ut ad Deum per sese, tanquam ad ultimum, et præcipuum referatur: in mediis, ac Deo minoribus non hæreat, sed sic eos respiciat, ut unum illum per istos conetur attingere.

Supremum Deum solum Patrem statuit Origenes.

Animadvertendum est autem in superioribus verbis, Deum summum ab Origene vocari τὸν ἐπὶ πᾶσι, hoc est *qui supra omnia est*, vel *supremus omnium*: λόγον autem, et Filium, τὸν ἐπὶ πάντων ἀγγέλων, hoc est, *qui supra angelos est omnes*, et iis antecellens. Quem ne ipsum quidem orandum eximio illo, et soli supremo Deo congruente cultu, et affectu censet Origenes: verum inferiori, et σχετικῷ, qui in eo situs est, ut per illum, tanquam μεσίτην, allegemus ad summum vota, precesque nostras. Hoc enim docere scientiam illam ait orandi, sine qua religiosæ pietatis opus istud exerceri non oportet; quod his verbis explicat; quæ superioribus paulo ante descriptis proxime subjungit. «Angelos enim invocare, non percepta scientia illa, quæ de ipsis est humano captu superior, non est rationi consentaneum. Atque ut hoc concedamus, ejusmodi de illis scientiam prorsus admirabilem, et arcanam esse comprehensam, hæc ipsa naturam illorum explicans, et quibus singuli muneribus attributi sint; non permittit, ut precari ullus audeat quempiam alterum, præter eum, qui ad omnia sufficit, supremum Deum per Salvatorem nostrum Dei filium; qui est Verbum, et sapientia, et veritas[a]. »

Relativo.

Mediatorem.

IX. Hæc propria sors est et functio Filii ac Verbi, ex Origenis præscripto, ut per illum adeamus ad supremum numen, et ei supplicemus; non ut Filium adoremus, ac precemur ipsum absoluto, et eximio illo genere, sed καταχρηστικῷ, ac σχετικῷ cultus, et orationis. Quod in eodem quinto *contra Celsum* libro postea declarat, et argumento probat a simili petito. « Etenim Salvator noster, inquit, et Dominus, cum se ita compellantem quempiam audisset, *Magister bone*, hunc ipsum sic loquentem ad Patrem suum revocans, *Quid me dicis bonum? ait. Nemo bonus, nisi unus Deus Pater*. Quod si pro eo ac decebat, is, qui imago bonitatis Dei erat, usurpavit Filius caritatis Patris; quanto rectius, et magis consentanee suis hoc adoratoribus diceret sol; Cur me adoras? *Dominum quippe Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies*; quem et ego et omnes mecum adoramus eique servimus[b]. » Perspicuum est his ex verbis, Origenem arbitratum esse Dei Filium, non solum qua pro homine se gerebat, et ex humana conditione loquebatur, bonitatem abs se abjudicasse, et in summum Deum Patrem suum transtulisse (excellentem dico bonitatem illam, quæ supreno Deo proprie convenit) sed etiam qua Deus erat; qualicumque tandem in gradu divinitatis ab illo reponeretur. Nam merito, et ut decebat, repudiatum esse titulum illum bonitatis, exquisitæ scilicet et summæ, asserit ab eo, qui imago Dei bonitatis esset, adeoque non archetypa bonitas. Hujusmodi autem bonitatis imago, non ut homo est, sed ex potioris naturæ statu Christo competit. Quare consequens est, ex Origenis sententia, Christo, ut est Deus, non convenire summam bonitatem; adeoque nec eamdem, quæ est in Patre, divinitatem, atque naturam.

Improprio ac relativo.

Hanc germanam fuisse sententiam, vel

a Origen. ibid. Ἀγγέλους γὰρ καλέσαι μὴ ἀναλαβόντας τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπους περὶ αὐτῶν ἐπιστήμην, οὐκ εὔλογον, ἵνα δὲ καὶ καθ' ὑπόθεσιν ἡ περὶ αὐτῶν ἐπιστήμη θαυμάσιός τις οὖσα, καὶ ἀπόῤῥητος καταληφθῇ, αὕτη ἡ ἐπιστήμη παραστήσασα τὴν φύσιν αὐτῶν, καὶ ἐφ' οἷς εἴσιν ἕκαστοι τεταγμένοι, οὐκ ἐάσει ἄλλῳ θαῤῥεῖν εὔχεσθαι ἢ τῷ πρὸς πάντα διαρκεῖ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν υἱοῦ θεοῦ, ὅς ἐστι λόγος, καὶ σοφία, καὶ ἀλήθεια.

b Origen. lib. V *contra Cels.* Ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ κύριος ἀκούσας ποτὲ, διδάσκαλε ἀγαθὲ, ἀναπέμπων τὸν λέγοντα τοῦτο ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα φησί. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεὸς ὁ πατήρ. εἴπερ δὲ τοῦτ' εὐλόγως, ὡς εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος τοῦ θεοῦ τυγχάνων, εἴρηκεν ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ πατρὸς, πῶς οὐχὶ εὐλογώτερον ἂν τοῖς προσκυνοῦσιν εἶπεν ἥλιος· τί με προσκυνεῖς; Κύριον γὰρ τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, ᾧ κἀγὼ, καὶ πάντες οἱ σὺν ἐμοὶ προσκυνοῦμεν, καὶ λατρεύομεν.

1 *Rom.* xxv. — 3 *Matth.* xix, 16. — *Deut.* vi, 15.

hæresim potius Origenis affirmat Hieronymus in epistola *ad Avitum*, et nos fusius alibi demonstravimus in primo libro *de Trinitate* [1]: ubi id ostensum est, non ejusdem cum Patre substantiæ constitutum ab illo esse Filium, sed inferioris, et creatæ; ita tamen ut cæteris omnibus creatis rebus excelleret. Cui quidem dogmati consentanea quædam adspersit in opere illo *contra Celsum*: præsertim in octavo libro; in quo locus est quidam instituto sermoni magnopere utilis; ex quo illud explicari et patefieri potest, quod in allatis paulo ante verbis idem obscure significavit, cum diceret; non prius orandum esse Dei filium, quam scientiam quamdam adepti fuerimus, quæ vim orationis, proprietatemque nos doceat, ac tam propriam illius vocabuli notionem, quam impropriam, et abusione nominis usurpatam. Hoc, inquam, dogmatis arcanum, et illam καταχρηστικὴν invocationem Filii Dei perspicue declarat, et evolvit ille, quem dixi, locus ex octavo *contra Celsum*: qui propterea hic necessario proponendus, et excutiendus est.

Impropriam

Quædam loca Originis explicantur male a Molinæo usurpata.

X. Cum igitur de unius Dei cultu multa contra Celsum disputasset Origenes in octavo libro [2]; tandem criminationi huic illius occurrit, qua Christianorum inconstantiam arguebat in unico illo adstruendo Deo, ejusque singulari cultu; quod præter summum et τὸν ἐπὶ πᾶσιν θεόν, quem cum Judæis communem habebant, ac venerabantur, alterum adhiberent nuperum ac novitium, Christum. « Si nullum alium colerent, ait Celsus, præter unum Deum, haberent adversus alios constantem fortasse rationem. Nunc autem nuper emersum illum mirifico cultu prosequi instituerunt; et tamen nihil se putant adversus Deum peccare, cum ejus famulo venerationem deferunt [a].» Huic Epicurei philosophi ac gentilis argumento respondet Origenes. Illud objecisse propterea Celsum, quod hanc Christi vocem neutiquam intellexerit, *Ego et Pater unum sumus* [3]: tum illud: *Ut sint unum, sicut ego et tu unum sumus* [4], » Si enim ista scisset, non putasset Christianos alium colere præter summum Deum, hoc est τὸν ἐπὶ πᾶσι θεόν. Hæc Origenes vera quidem per sese, et catholicæ regulæ consentanea, sed ea perperam accepit, et prava interpretatione corrupit. Nam statim ista subjicit: « Quod si quis ex iis, quæ dixi in eam suscipicionem abducatur, ne ad eorum sectam forte transeamus, qui negant hypostases esse duas Patrem et Filium: velim hoc expendat, quod scriptum est [5]; *Erat autem eorum, qui crediderant, cor unum, et anima una;* ut hoc etiam consideret: *Ego et Pater unum sumus* [b]. » Ac postremo locum hunc absolvit sic. « Quocirca veritatis Patrem colimus; nec non Filium veritatem: quæ sunt duæ res hypostasi; una autem res concordia, et consensione, et identitate voluntatis [c]. » Nimis istud est angustum et pusillum genus unitatis in personis divinis: et Arianæ magis impietati congruens, quam sanæ, ac catholicæ doctrinæ. Cæterum ὑπόστασιν in illis Origenis verbis arbitror non personam, aut subsistentiam proprie significare, sed rem solide exstantem, non fictam, et adumbratam; quæ antiquissima est illius vocabuli notio, ut sæpius ostendimus: tanquam hoc velit, res esse duas, et reipsa distinctas, Patrem et Filium; sed unum esse concordia, et consensione voluntatis. Ac verisimilius est, Origenem naturas hic esse duas voluisse dicere: præsertim cum unitatem illis, non φυσικὴν, sed σχετικὴν, ac *moralem* attribuat, cujusmodi inter homines caritate mutua devinctos, ac colligatos cernitur. Quam quidem Origenis opinionem fuisse, citra calumniam memoriæ prodidere summi viri Epiphanius, Hieronymus, aliique non pauci, et, quod majoris apud nos ponderis est, Œcumenica quinta synodus: ut in primo *de Trinitate* dixi.

Super omnia Deum.

Naturalem sed.

XI. Horum omnium, quæ ex Origene hucusque sunt allata, eo summa redigitur; orationem, adorationem, ac reliqua pietatis, et religionis officia, de quibus ibi disputat,

a Cels. apud Orig. Εἰ μὲν δὴ μηδένα ἄλλον ἐθεράπευον οὗτοι πλὴν ἕνα θεὸν, ἦν ἄν τις αὐτοῖς ἴσως πρὸς τοὺς ἄλλους ἀτενὴς λόγος. νυνὶ δὲ τὸν ἔναγχος φανέντα τοῦτον ὑπερθρησκεύουσι. καὶ ὅμως οὐδὲν πλημμελεῖν νομίζουσι περὶ τὸν θεὸν, εἰ καὶ ὑπηρέτης αὐτοῦ θεραπευθήσεται.

b Orig. Εἰ δὲ τις ἐκ τούτων περισπασθήσεται, μή πη αὐτομολοῦμεν πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας δύο εἶναι ὑποστάσεις πατέρα, καὶ υἱὸν, ἐπιστησάτω τῷ· ἦν δὲ πάντων τῶν πιστευσάντων ἡ καρδία, καὶ ἡ ψυχὴ μία· ἵνα θεωρήσῃ τὸ, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν.

c Ibid. Θρησκεύομεν οὖν τὸν πατέρα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸν υἱὸν τῆς ἀληθείας (τὴν ἀλήθειαν) ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ, καὶ τῇ συμφωνίᾳ, καὶ τῇ ταυτότητι τοῦ βουλήματος.

1 Tom. II, lib. I *de Trinit.* cap. IV. — 2 Orig. lib. VIII in fine. — 3 *Joann.* X. — 4 Ibid. XVII, 23. — 5 *Act.* IV, 32.

angustiori significatione accipi, pro iis, quæ τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, hoc est *summo*, ac *supremo*, et omnium auctori, ac parenti Deo persolvuntur; hunc autem solum esse Patrem ex iis evidens est, quæ illo eodem in loco scribit Origenes. Quamobrem solum Deum Patrem orandum ac venerandum per sese, absoluteque statuit, Filium vero nonnisi *Relative.* σχετικῶς, et quatenus nostiæ per eum preces ad illum diriguntur. Quod his verbis disertius exponit : « Sed unum Deum, ait, et unum ipsius filium, ac Verbum, et imaginem, quibus possumus supplicationibus, et postulationibus colimus, repræsentantes universorum Deo vota precesque nostras per unigenitum ipsius, cui primum illas offerimus, postulantes, ut qui propitiatio est nostrorum peccatorum, tanquam Pontifex, supremo omnium Deo preces, et sacrificia, supplicationesque nostras commendare velit. Itaque circa Deum fides nostra versatur interventu filii ejus, qui illam confirmat in nobis[a]. » Orationibus ecce, votisque Deum ambiri Patrem, ac cæteris religiosis officiis coli primario, ac propter se ibi Origenes existimat : Filium vero catenus, quod quæ ad summum Deum ipsius Patrem diriguntur, prius illi committuntur, et in ejus manus quodammodo deponuntur, ut per ipsum offerantur. Non igitur proprie, ac per se Filio adhibetur illa veneratio, nec ad eum oratio illa respicit, vel religiosi cæteri cultus in eo sistunt, de quibus illic agit Origenes; sed ad solum supremum et maximum Deum proprie referuntur : perinde ac libelli supplices, qui per comites, aut magistros offeruntur principi, non ad eos spectant quibus traduntur, nisi ut illorum opera, et ministerio repræsententur. Itaque mirum non est, si nec Angeli, nec alii sancti in partem illius honoris veniant; in quam ne ipse quidem filius, ex impuri *Improprie.* hominis sententia, nisi καταχρηστικῶς, et quasi sequester, et interpres assumitur.

Hoc sensu capiendum illud est, quod in libro quinto ejusdem operis affirmat : « Christianos persuasum habentes, solem, lunam, et stellas orare summam omnium Deum per ipsius Unigenitum, neutiquam eos, qui orent, orandos putare. Nam et illi provehere nos malunt ad Deum, cui supplicant, quam ad seipsos deprimere : aut precandi vim, quæ inest nobis, inter Deum, ac seipsos partiri[b]. » Nimirum de eo precationis genere loquitur, quo summus adoratur, et interpellatur Deus; hoc enim solum per sese, primarium, ut dialectici loquuntur, *objectum* respicit, cætera *Relative.* post ipsum nonnisi σχετικῶς, quatenus orantur, et coluntur, ut per eos preces nostræ ad supremum numen allegentur.

Quem cultum Angelis adimi voluit Origenes.

XII. Neque vero cultum, hoc est θεραπείαν omnem funditus angelis ademptam voluit; sed eum duntaxat, quem gentiles diis suis, sive potius dæmonibus præstabant : quos etsi summo aliquo numine inferiores agnoscerent, in eorum tamen jure ac potestate quædam esse vitæ vel commoda vel incommoda censebant, quorum arbitri, ac dispensatores erant : quemadmodum sub præpotenti totius orbis Imperatore reges, ac principes esse possunt, qui sic illi subjecti, vectigalesque sint, ut et suos ipsi subjectos populos teneant, quibus bene, vel male possunt facere; ob idque supplices eosdem et obnoxios habeant. Quocirca minores Deos suo quemque ritu venerari, ac placabiles facere gentiles instituerant; penes quos certarum rerum erat curatio, et administratio, quam per se summus ille non attingeret. De hac munerum descriptione in Deos omnes pluribus agit Augustinus in libris *de Civitate Dei*, præsertim in quarto. Ovidius vero in secundo *Metamorphoseon* hoc ipsum indicat; licet supremus Deorum antistes Jupiter in omnes imperium exerceret, non tamen peculiaria, et singulis attributa munia præstare potuisse. Nam Phœbum introducit ob Phaetontem filium ictu fulminis extinctum ab Jove, ita, et dolore percitum, et officium lucis impertiendæ mundo negantem, ægre ab diis cæteris, ipsoque adeo Jove exoratum fuisse; cum quidem neminem esse jactaret, qui hoc munus exequi facile posset, ac ne ipsum quidem Jovem; sic enim loquitur :

a ORIGEN. ibid. Ἀλλὰ τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ λόγον, καὶ εἰκόνα, ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις, καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν, προσάγοντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ. ᾧ πρῶτον προσφέρομεν αὐτὰς, ἀξιοῦντες αὐτὸν ἱλασμὸν ὄντα τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν προσαγαγεῖν ὡς ἀρχιερέα καὶ εὐχὰς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς ἐντεύξεις, ἡμῶν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ. περὶ τὸν Θεὸν οὖν ἡ πίστις ἡμῶν διὰ τοῦ ταύτην βεβαιοῦντος ἐν ἡμῖν υἱοῦ αὐτοῦ.

b ORIG. lib. V *contra Cels.* Πειθόμενοι δὲ καὶ αὐτὸν ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἀστέρας εὔχεσθαι τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ, κρίνομεν μὴ δεῖν εὔχεσθαι τοῖς εὐχομένοις· ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ ἀναπέμπειν ἡμᾶς βούλονται μᾶλλον ἐπὶ τὸν Θεὸν, ᾧ εὔχονται, ἢ κατάγειν πρὸς ἑαυτοὺς, ἢ μερίζειν ἡμῶν τὴν εὐκτικὴν δύναμιν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ πρὸς ἑαυτούς.

« Quilibet alter agat portantes lumina currus,
Si nemo est, omnesque Dei non posse fatentur,
Ipse agat ut saltem, dum nostras tentat ha-
[benas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat.
Tunc sciat ignipedum vires expertus equo-
[rum,
Non meruisse necem, qui non bene rexerit
[illos. »

Igitur Celsum ad venerandos Deos gentilium, perinde uti Christum colerent, Christianos impellentem, refellit Origenes : ac primum hæc illius verba ponit : « Deinde sic arbitratur, inquit, pro eo quod una cum Deo filium ejus religiose colimus, id esse consequens, ut et instituto nostro non solum Deus, sed etiam ministri ipsius colantur[a]. » Deinde sic ista dissolvit : « Si quidem veros Dei ministros cognosceret Celsus, nempe post unigenitum Dei filium, Gabrielem, Michaelem, cæterosque Angelos, et Archangelos, et hos esse colendos diceret, fortasse nos, inquit, hujus vocabuli, quod est colere, significationem, et colentium actiones repurgantes, de hoc loco aliquid diceremus[b]. » Nimirum tam unigenitum Dei filium, quam angelos, Dei ὑπηρέτας, hoc est *famulos et ministros* esse putavit Arianæ præludens hæresi : tametsi præstantiori sorte filium esse crediderit. Porro angelos ita colendos esse confessus est, si verbi illius, quod est θεραπεύειν, hoc est *colere*, proprietas caute, ac prudenter animadversa fuerit ; nempe ut ne idem, qui Deo soli debetur, cultus ministris illis attribuatur : tum ne aliter invocentur, quam ut per eos communi Domino preces nostræ repræsententur. Cum autem non veros illos Dei ministros, hoc est angelos ; sed nefarios dæmones, ac diaboli satellites, et inimicos Dei ac nostros, colendos esse Celsus affirmet ; negat Origenes illi auscultandum esse : quin potius odio habendos ait, et execrandos.

XIII. Ex hac itaque tota de Origene disputatione colligitur, haud satis illum honorifice de Filio Dei in opere isto *contra Celsum* esse locutum : nec æqualem, et ὁμοούσιον illum *Patri* constituisse, vel pari cultu, adoratione, et invocatione dignandum putasse : sed priores potioresque Patri detulisse partes. Quod quidem in quinto libro declarat. Postquam enim solem et lunam, stellasque (quas videlicet intelligentes, animatasque esse credidit, et pro angelis habuit) nolle se ab hominibus adorari dixit ; sed hortari eos potius, uti Deum adorent : quem sententiam supra descripsimus[1] : statim ista subtexuit : « Ac tametsi tanta non sit præditus dignitate quispiam, nihilominus etiam hujusmodi Dei Verbum precetur, qui se sanare potest : multoque magis ipsius Patrem ; qui et ad priores justos misit verbum suum, et sanavit ipsos[c]. » Quæ idcirco ab Origene dicta sunt, quod, ut paulo ante scripserat[2], primario et principaliter venerandus, et orandus est Deus Pater : Verbum autem et filius ipsius, non absque delectu, et notitia quadam ; ut intelliganus, non illam præcipue, ac propter se adeundum, et invocandum esse, sed καταχρηστικῶς, et σχετικῶς, ut per eum ad supremum orationes nostræ perveniant. Verum hanc scientiam, quæ in perfectis inest ; quales sunt angeli, qui solem, lunam, ac stellas insident ; in idiotis compensat magistrorum institutio, quæ hoc præscribit, ut securi non solum Patrem, sed hujus etiam filium invocent. Hæc ille.

Consubstantialem.

Improprie et relative.

Indidem præterea constat, Origenem de sola invocatione illic agere, quæ Deo vero proprie convenit : nempe de ea, quam gentiles diis suis bonorum auctoribus, et largitoribus deferre solebant, etiam inferioribus supremo. Hos enim appellare promiscue solet Homerus δώτορας, vel δωτῆρας ἐάων, hoc est *bonorum datores*.

Quamobrem nihil adversus sanctorum cultum, et invocationem Origenis loca illa promovent, quæ Molinæus accumulavit. Non enim æquali cum gentilium diis, aut cum vero, summoque Deo veneratione et honore illos afficimus ; nec ad eamdem formulam conceptas orationes utrisque nuncupamus.

a Orig. lib. VIII. Εἶτ' οἴεται ἐκ τοῦ θρησκεύειν ἡμᾶς μετὰ τοῦ θεοῦ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀκολουθεῖν ἡμῖν τὸ καὶ καθ' ἡμᾶς οὐ μόνον τὸν θεὸν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὑπηρέτας αὐτοῦ θεραπεύεσθαι.

b Ibid. Εἰ μὲν οὖν ἐννόει τοὺς ἀληθῶς ὑπηρέτας τοῦ θεοῦ μετὰ τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ, τὸν Γαβριὴλ, καὶ τὸν Μιχαὴλ, καὶ τοὺς λοιποὺς ἀγγέλους, καὶ ἀρχάγγελους, καὶ τούτους ἔλεγε δεῖν θεραπεύεσθαι, ἴσως ἂν τὸ περὶ τοῦ θεραπεύειν αὐτοῦ σημαινόμενον ἐκκαθήραντες, καὶ τῶν τοῦ θεραπεύοντος πράξεων εἴπομεν ἂν εἰς τὸν τόπον.

c Orig. V *contra Cels.* Κἂν μὴ τηλικοῦτος δέ τις ᾖ, οὐδὲν ἧττον καὶ ὁ τοιοῦτος εὐχέσθω τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ δυναμένῳ αὐτὸν ἰάσασθαι, καὶ πολλῷ πλέον τῷ πατρὶ αὐτοῦ, ὃς καὶ τοῖς πρότερον δικαίοις ἐξαπέστειλε τὸν λόγον αὐτοῦ, καὶ ἰάσατο αὐτούς.

1 § 9. — 2 Vide supra § 7.

CAPUT XVII.

Expenduntur, ac diluuntur aliqua, quæ adversus Sanctorum invocationem, et ex Patribus supra disputata, a Petro Molinæo præsertim objecta sunt in libro adversus Cardinalem Perronium; ac primum ea diluuntur, quæ generatim excepit. 1. Imprimis refellitur illa hujus distinctio, sanctos pro nobis intercedere, non tamen invocandos esse. Horum prius ad rationem mediatoris sufficere; ac proinde mediatores esse sanctos. 2. Licere sanctorum opem implorare. 3. Refellitur quod passim objiciunt hagiomachi, sanctos non audire preces nostras. 4. Non esse curiosius inquirendum quanam ratione preces audiant. 5. Augustinum varios modos afferre, et inter alia, quod præsentes adsint. 6. Quod et Hieronymus affirmat. Sed et ex aliis ostenditur humanas res curæ illis esse. 7. Nugaces Molinæi captiunculæ refutantur: velut quod sancti nequeant res infinitas simul percipere. Explicatur quid sit in Verbo cognoscere. 8. Inepta Molinæi ejusdem ratio, sanctos ideo res nostras ignorare, quod pleræque fœda hic et indigna gerantur. 9. Explicantur quædam loca Scripturæ ab illo citata.

I. Adversus illa omnia, quæ de sanctorum intercessione, ac μεσιτεία hucusque disputavimus, quædam generatim ab adversariis objici solent: alia particulatim ad certorum testium fidem, et auctoritatem elevandam excipi; maxime autem ab Petro Molinæo utroque illo genere contradictum est opere in illo, quo eminentissimum Cardinalem Jacobum Perronium insectatus est. In illis igitur excutiendis, ac refutandis paululum immorabimur: ut hac veluti fultura, superiorum dissertatio capitum tanto, ac validius stabilita consistat.

Refellitur distinctio: *Pro nobis intercedere, nec tamen orandos esse sanctos*

Ex iis vero, quæ universe præscripsit minister, præcipuum illud est; quod aliud esse dicit, sanctos pro hominibus intercedere; aliud intercessores istos ab hominibus invocari: et ut intercedant fusis adeo precibus rogari: horum enim prius concedit: posterius nefas esse judicat. Verum sanctos pro hominibus interpellare Deum, quod ille post Calvinum, Kemnitium, cæterosque Romanæ communionis hostes fatetur, satis est argumenti ad illam retundendam invidiam, quam ex mediatoris titulo et functione Catholicis facere conantur. Nam quia *mediator unus* ab Apostolo Christus esse dicitur, ideo calumniantur nos contra auctoritatem Scripturæ venire, qui sanctis mediatoris quasi secundas partes attribuimus; quod late disserit Calvinus in tertio libro *Institutionum*[1]. Cum igitur de nobis, nostraque sollicitos salute sanctos esse concedant adversarii, frustra tricari pergunt de singulari Mediatore; tanquam ei repugnent plures illi secundarii, et principali subjecti: quod secus se habet. Ac mediatoris quidem qualiscumque nota propria χαρακτηριστική, est intercessio, hoc est deprecatio, et conciliatio, qua in gratiam potentioris aliquis reducitur, præsertim alienati, et offensi. Hujusmodi functionem apud Patrem primario Christum exercere, ac munus istud præstantissima, et peculiari quadam illi ratione convenire, fuse demonstravimus in libro duodecimo. Nihil ea res tamen obstat, quin post ipsum, et ejus auctoritate, ac virtute suffragatores sint, ac mediatores alii, per quos ad principalem accessus pateat. Ad hoc vero satis est illud, quad dant ultro nobis hagiomachi, sanctos cum Christo regnantes pro hominibus interpellare: cum in eo sit, uti dixi, posita τῆς μεσιτείας propria conditio. Etenim si eadem esset hujus in Christo ratio, quæ est divinitatis, cæterarumque proprietatum, quæ ex illa dimanant, et communicari cum aliis nequeunt, profecto nulli penitus, neque vivo, neque mortuo, citra sacrilegium ac basphemiam tribui posset. Quis enim ferat si quis diceret, sanctorum quempiam, ac vel sanctissimam ipsam Dei genitricem, Deo æqualem esse, aut omnipotentem, aut rerum omnium creatricem? Hæc enim, et hujusmodi alia, quæ Christo, qua Deus est, congruunt, in nullam rem creatam conferre licet. At conciliatorem, et mediatorem esse, quod præcipua et excellenti ratione convenit in Christum, in sanctos participatione quadam competit: quos propria muneris illius officia exequi non dubitant adversarii, dum eos placandi, ac propitiandi Numinis, et ei reconciliandorum hominum curam gerere profitentur.

Characteristica.

Mediationis.

Sanctorum præsidia implorare licitum.

II. Quod vero iidem Ecclesiæ Romanæ hostes invocationem excipiunt, ac sanctorum implorare præsidium nefas esse pronuntiant;

1 Cap. xx, § 19 et seq.

ridicule oppido faciunt, et insulse. Primum enim absurdum istud est, quos et apud Deum gratiosos, et præpotenti auctoritate præditos esse sentias, et ultro se, ac minime rogatos ad opem nobis ferendam interponere, non id ut faciant, aut facere pergant, optare fas esse; aut ut optare liceat, non licere petere, hoc est precibus ab illis contendere. Tum si ideo sanctos orare nefas est, quia soli Deo hic honos habendus est; quemadmodum summus ille cultus, et adoratio, quæ λατρεία dicitur, nemini præter Deum impune tribuitur; ne viventes quidem in carne mortali homines justos, et sanctos implorare oportet, et eorum commendare se precibus : sicut adorationis summo illo genere venerari neque vivos, neque vita functos permittitur. At viventes apud Deum adhibere precatores, hoc est *invocare*, nemo prohibet : ad idque canonicæ Scripturæ nos hortantur. Multo ergo magis viventium cum Deo sanctorum preces et auxilium implorare fas erit citra superstitionis, aut idololatriæ, aut cujuscumque criminis notam, quam Catholicis inurere tam impie, quam stolide, imperiteque solent hagiomachi. Sed hæc argumentatio quæ est Hieronymi adversus Vigilantium, alibi a nobis est in illos intentata, cum de cultu Angelorum egimus in secundo libro tertii tomi. Cujus quidem tanta vis est ad illorum frangendam proterviam, ut, quod, recte Bellarminus observat[1], nunquam *eam adversarii potuerint solvere* : eludere autem quibus effugiis, et captionibus tentaverint, non hic necesse habeo persequi : cum tot aliorum lucubrationibus occupata ejus rei tractatio fuerit. Sane quæ ex antiquis Patribus producta sunt a nobis supra testimonia Græca pariter et Latina, non id tantummodo persuadent, sanctos pro nobis orare, et a Deo impetrare beneficia, sed etiam pie a nobis invocari, et ad suffragandum opitulandumque sollicitari. Quod cum ab universa per totum orbem Ecclesia tot jam sæculis probatum, usurpatum, institutumque fuerit; stultas, et morosas hagiomachorum querimonias, quibus aures nostras fatigant, contemnemus si sapere volumus, et pristino in usu, rituque perseverabimus.

Latria.

Refellitur objectio. Sanctos res humanas ignorare.

III. Atenim instant Calvinus, et alii : tum qui ex eorum commentariis suffarcinatum librum suum edidit Petrus Molinæus[2]; idcirco non esse sanctos invocandos, quia vota nostra precesque non audiunt. Hoc vero posterius futilibus argumentis approbare nititur : quæ quidem duplicis sunt generis. Aut enim nondum divini conspectus, hoc est summæ, ultimæque felicitatis compotes sunt sancti; ut eorum quæ fiunt in terris, certam, et perspicuam notitiam habeant. Aut quamvis Dei aspectu perfruantur, ne sic quidem omnia capere mentis acie, intelligentiaque possunt. In priore loco pluribus operosiusque Minister insistit : et Catholicorum causam multum gravare se putat, si hoc efficiat, vel falsam omnino sententiam illam esse, quæ Deum videri statuit ab solutis corpore sanctorum animis : vel certe dubitabilem, et incertam. Atqui saltem posterius hoc fatendum esse pugnat ex veteri dissidio, quod inter Catholicos hac de re diuturnum exstitit : cum antiquorum diversa inter se, et quorumdam fluctuantia fuisse judicia constet : de quo actum est a nobis in libro septimo *de Deo*[3], qui est tomus primus operis hujus. Ubi etiam, seposita fidei Catholicæ regula, hoc est auctoritate Scripturæ ex Ecclesiæ interpretatione loquentis, ostensum est, multo plures ex veteribus affirmare Dei modo conspectum in cœlo repræsentari sanctorum animis, nec in postrema mundi tempora reservari. De qua re nemini Romanæ catholicæque communionis hodie fas est ambigere, aut œcumenicarum de ea synodorum elevare decreta. Quæ qui pro veris, ac certis habet, expedire se nullo negotio poterit ab illa quæstione, quomodo sancti cogitata nostra, et vota, precesque cognoscant : quam machinam sane puerilem, et ludicram magno in Perronium conatu Molinæus commovet : sed irrito prorsus, et inani.

Non est curiosius indagandum, quanam ratione Sancti nostras preces audiant.

IV. Contra quam primum illud breve, sed efficax præscribimus : sanctos et orare pro nobis, et a nobis invocandos esse ex antiquorum, hoc est Ecclesiæ per totum orbem, perque omnia tempore diffusæ auctoritate constare. Id autem quemadmodum fiat, uti preces nostras exaudiant, neque curæ nobis esse, neque scrupulosius attinere quærere. Hunc adeo omnibus in fidei nostræ mysteriis saluberrimum esse temperamenti modum; e quibus nullum est; cujus exacta pervestigatio non humanam fatiget industriam. Quis enim liquido istud explicet, qui tandem una sit, et singularis essentia divinitatis in personis tribus : aut in una Christi persona naturæ sint integræ duæ, et a se mutuo nihilominus

1 Bell. lib. I *de Sanc. Beat.* cap. XIX. — 2 Lib. VII *cont. Perron.* cap. II et seq. — 3 Cap. XIII et seq.

distinctæ? et tamen utrumque certissime profitetur etiam qui quemadmodum id fiat, animo capere, vel oratione declarare non potest. Bene hoc Chrysostomus observat, hæreticos plurimum hac uti voce consuesse, πῶς, id est *quomodo*? et in ea latebram, ac receptum impietatis suæ constituere; dum ideo falsum esse, quod Christiana docet fides, argumentantur; quia quomodo id possit fieri, nulla ratione consequi possunt. Locus est in homilia xxiv in caput tertium Joannis, ubi de Nicodemi hæsitatione illa disserit; *Quomodo potest homo nasci*? etc. « Sic hæretici, inquit, in hæresi sua perseverant, hanc vocem sæpius requirentes; dum alii dicunt, quomodo genitus est? alii quomodo est incarnatus? atque ita ratiocinationum suarum imbecillitati, infinitam illam Dei substantiam subjiciunt. Quæ quidem scientes nos vitare par est importunam illam curiositatem. Neque enim quomodo istud, intelligent qui talia percontantur, et ab recta fide insuper excident[a]. » Item Calvinus, et Molinæus, aliique similes instituunt in ea, de qua modo agimus, invocatione sanctorum. Instant enim, et modum, ac rationem explicari sibi volunt, qua ad illorum notitiam præcationes ac vota nostra perveniant. Stulta, et otiosa quæstio : neque veteribus aut ignota, aut adeo visa difficilis, ut ob eam vadimonium sibi deserendum putarent.

Hæretici plurimum usi hac voce quomodo.

V. Respondet huic percontationi pluribus modis Augustinus in libro *de cura pro mortuis gerenda* [1] : quorum hæc est summa : Mortuos ex sese nescire *quid hic agatur ;* sed vel *ab Angelis audire posse*, vel *revelante spiritu Dei.* « Hinc et illa solvitur, ait [2], quæstio, quonam modo martyres ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant vivi. Non enim solis beneficiorum effectibus, verumetiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem civibus, vel inquilinis pie a se dilectis, cum a Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verum ista divinitus exhibentur longe aliter, quam se habet usitatus ordo singulis creaturarum generibus attributus, » etc. Itaque « per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.» Ac subinde dubitat, utrum « martyres per seipsos adsint uno tempore tam diversis locis, et opitulentur iis, quos per eos certum est adjuvari : an iis generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, Deus exaudiens martyrum preces, per angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia, etc. Res hæc altior est, inquit, quam ut a me possit attingi, et abstrusior, quam ut a me valeat perscrutari : et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum : aliquando per angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo : mallem a scientibus ista perquirere. »

Varios modos quibus SS. res humanas scire possunt offert Augustinus.

Itaque non improbabile judicavit Augustinus, martyres ipsos interdum præsentes adesse supplicantibus, et opem suam invocantibus; neque quod, uti se res haberet, pro comperto non scivit, ideo negandum funditus existimavit, sanctos ad eorum memorias invocandos esse; vel preces ignorare postulantium, et id genus alia; quæ inepti, et imperiti isti temere condemnant; vera autem esse, et divinis affirmat miraculis tot vir ille summus testimoniis, dictisque comprobavit, quæ supra descripsimus.

VI. At illud ipsum, quod hæsitando in medium protulit Augustinus, et probabile putavit, asseverantius docuit Hieronymus, sanctos neutiquam certis affixos esse sedibus, ut huc illucque volitare ad opem ferendam nequeant, et hoc arguentem Vigilantium acriori oratione pungens ab veterno excitat. « Ais, inquit [3], vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, et martyrum consedisse : nec posse suis tumulis, et, ubi voluerint, adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere; sed in libera honestaque custodia in Fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges pones? tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo : de quibus scriptum est : *Sequuntur agnum, quocumque ierit* [4]? Si agnus ubique : ergo et hi, qui cum agno

Consentit Hieronymus

[a] Chrysost. hom. xxiv *in Joan.* Οὕτω καὶ οἱ αἱρετικοὶ μένουσιν ἐπὶ τῆς αἱρέσεως, ταύτην πολλαχοῦ τὴν λέξιν ἐπιζητοῦντες· οἱ μὲν λέγοντες, πῶς ἐγεννήθη; οἱ δὲ λέγοντες, πῶς ἐσαρκώθη; καὶ τῇ τῶν οἰκείων λογισμῶν ἀσθενείᾳ τὴν ἄπειρον ἐκείνην ὑποβάλλοντες οὐσίαν· ἅπερ οὖν εἰδότας φεύγειν χρὴ τὴν ἄκαιρον ταύτην πολυπραγμοσύνην. οὔτε γὰρ τὸ πῶς, εἴσονται οἱ ταῦτα ζητοῦντες, καὶ τῆς πίστεως ἐκπεσοῦνται τῆς ὀρθῆς.

1 Cap. xv et imo iv. — 2 Ibid. cap. xvi. — 3 Hier. *cont. Vigil.* — 4 *Apocal.* xiv.

sunt ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus, et dæmones toto vagentur orbe, et celeritate nimia ubique præsentes sint : martyres, post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, et inde exire non poterunt. »

Ex aliis veteribus ostenditur res humanas sanctis esse curæ.

Theodoretus item in libro octavo *de curandis Græcorum affectionibus*, ubi de martyribus agit, eorum refellit errorem, qui *martyres* credebant *nullum sensum eorum habere*; *quæ in terris geruntur*[a]; quod refutat ex eo, « quod divina quadam et beatissima in sorte constituti sint; tum Pindari poetæ lyrici testimonio, qui sic cecinit : Animæ piorum in cœlo habitantes, beatum et magnum hymnis concinunt. » Ergo quoniam in cœlo degunt martyres, nostrarum eos rerum habere notitiam ex consequenti probat Theodoretus. Qui et paulo post auctoritate Platonis in libro undecimo *de legibus*, adstruit mortuorum animas rerum humanarum curam gerere; quem Platonis locum supra citavimus[1]. Gregorius vero Papa libro duodecimo *Moralium*, capite XIV, tum illud præclare demonstrat, sanctos corpore functos res curare nostras, earumque notitiam ex Dei claritate capere : tum ex libri *Job* capite XIV, locum quemdam explicat, quo abutuntur hagiomachi, ac præsertim Molinæus[2] : qui est hujusmodi : *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*[3], ait ille de mortuo loquens. Quem ad locum Gregorius adnotat, de hominibus malis, et carni deditis, et ex usu corporum, ac sensuum illud intelligi debere. « Quia et vita spiritus longe est a vita carnis, et sicut corporea, atque incorporea diversa sunt genere ; ita etiam distincta cognitione. »

Itaque si naturam spectes, vitamque corpoream, ac sensibus affixam, neque vivi mortuorum res, nec illorum isti sentire possunt : verum divina vi ac potestate, quæ ad alienum statum pertinent, possunt ambo cognoscere : maxime vero mortui divinæ lucis, ac felicitatis compotes, qua statim post obitum beari sanctos Gregorius arbitratus est, humanarum rerum scientiam obtinent. Quare ita pergit ille : « Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est : quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent; » nempe quod scire ipsorum interest, et ad felicitatis suæ statum attinet.

VII. Gregorii hunc locum Julianus Toletanus affert in libro secundo *Prognosticon*[4], capite XXXI, necnon Albinus Flaccus libro *de Divinis officiis*, capite *de celebratione Missæ*[5]: tum Hildebertus Cenomanensis episcopus epistola LI, qua Vigilantianæ hæresis interpolatorem nescio quem exagitat, qui sanctorum animas nescire dicebat, quid in hac vita gereretur, neque preces audire nostras : ideoque supervacaneas illas esse. Quod utrumque ex superioribus abunde convincitur. Nam sive post mortem animæ sanctorum, æterna felitate donantur, facile id omne vident in Deo, quod, ut dixi, ad illas utcumque pertinet : sive, quod hodie nonnisi ab catholica professione dissentientes asserunt, nondum Dei conspectu perfruuntur; nihilominus ista cognoscunt : ut vel antiqui illi diserte fatentur, quos dilatæ beatitatis testes hagiomachi proferunt, velut Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, et cæteri; quorum de invocatione sanctorum luculentissimas sententias ante reddidimus.

Bernardus quoque, qui eidem sententiæ patronus inscribitur, non minus sanctos de nobis sollicitos, ac rerum nostrarum cognitores esse credidit : tum eos invocandos esse tam exemplo suo, quam oratione docuit, ut in sermone secundo *de S. Victore Confessore* : et in sermone *de vigilia Petri et Pauli Apostolorum*.

Postremo ut nec istud omittam, precationum nostrarum cognitionem ad vita functos pervenire sanctos, Athanasius indicat in libro *ad Marcellum, de Interpretatione Psalmorum*; ubi ea ratione illum hortatur, ut ne psalmorum verba commutet; « ut sancti, qui scripta hæc administrarunt, agnoscentes ea verba pro suis, nobiscum orent[b]. »

VIII. Atenim, ut illud detur, Deum ab sanctis modo conspici, fieri tamen haud potest, ut precatores suos audiant, (objicit Molinæus ; imo ante hunc Calvinus, et hagio-

a Theodoret. Εἰ δὲ ἀναισθήτως αὐτοὺς ἔχειν τῶν γιγνομένων νομίζετε, καὶ μὴ θείας τινὸς, καὶ τρισολβίας ὄντως λήξεως ἀπολαῦσαι, Πινδάρος ὁ λυρικὸς ταύτην ὑμῶν ἐκβαλλέτω τὴν δόξαν, λέγων ὧδί. ψυχαὶ δ' εὐσεβῶν ἐν οὐρανοῖς ναίουσαι, μολπαῖς μάκαρα μέγαν ἀείδουσιν ἐν ὕμνοις.

b Athanas. Ὑπὲρ τοῦ τοὺς διακονήσαντας ἁγίους αὐτὰ ἐπιγινώσκοντας τὰ ἑαυτῶν συνεύχεσθαι ἡμῖν.

1 Cap. XVI, § 5. — 2 Lib. VII cap. II *cont. Perr.* — 3 *Job.* XIV, 21. — 4 Tom. IX *Bibl. Patr.* — 5 Tom. X *Bibl.*

Refellitur Molinæi instantia: *Non posse sanctos res humanos capere quia loco circumscripti sunt.*

machi cæteri) idque multis de causis. Quarum prima est, quod « Sancti, quantumvis excellenti gloria prædili, creaturæ tamen sunt, naturaque circumscripti [1]: et idcirco res infinitas uno temporis momento capere animo nequeunt, aut in eas aciem intendere. » Hæc vero ratiocinatio futilis est, nec homine digna melioribus utcumque litteris expolito. Quid enim? Non beati Deum, hoc est rem omnibus modis infinitam, clarissime contuentur? Deinde, ne hoc quidem scisse ministrum, nihil prorsus in creatis esse rebus infinitum; non homines, non angelos; non illorum quantumlibet assiduas iteratasque preces? Quamobrem nihil hac ex parte argumentatio ista promovet. Porro quænam sit ratio cognitionis illius, qua beatæ mentes supplices suos, eorumque vota, et orationes intelligunt, non est necesse quærere. Stultum vero est rem in scholarum controversiis agitatam et ambiguam, ad exploratissimi et testatissimi dogmatis elevandam auctoritatem assumere; quod Molinæus ex suæ sectæ indole facere consuevit. Etenim sanctos precibus nostris intentas aures mentis admovere, nec eas ignorare, innumera, quæ hucusque percensuimus, et quæ prætermisimus, Patrum testimonia demonstrant. Hoc illos eatenus posse, quod videntem ac scientem omnia Deum intuentur; aut eo certe, quibus novit modis significante, ac revelante, non minus illi ipsi veteres aperte prædicant.

Nam « quod in essentia divina speculi cujusdam instar inesse Cardinalis asseruit, in quo quæ extant omnia repræsentantur, » ut ab eo recte, et ex antiquorum theologorum fide, auctoritateque proditum est, sic impudenter ab Ministro tanquam temerarium damnatur, ac respuitur. An enim temerarius fuit Augustinus, qui res creatas ab angelis in Verbo prius fuisse cognitas affirmat, quam in seipsis cognitæ fuerunt? Ex quo duplicem cognitionem distinxit; unam matutinam, hoc est illam in Verbo priorem; alteram vespertinam, in ipsismet creaturis; de qua duplici cognitione vide quæ suo loco diximus[2]. Porro in Verbo cognoscere nihil aliud est quam in ipsa Dei essentia videre, non absoluta, præcisaque notione sumpta : sed quatenus idea est rerum fabricandarum. Sunt autem in Verbo rerum omnium procreandarum exemplaria; quoniam imago est tum essentiæ divinæ, tum omnium creaturarum, quæ in illa continentur. Est etiam « ars quædam Dei omnipotentis, » ut ait Augustinus : de qua, ut et idea, legenda sunt quæ in libro quarto *de Deo*, capite undecimo diximus. Quamobrem in Verbo videre creatas res idem est atque in Dei arte contueri; vel « in Dei claritate; » ut loquitur Gregorius[3]; aut « in ipso fonte scientiæ, » ut idem alibi scribit Gregorius[4], quod est « in Verbo facta per Verbum, » ut Bernardus ait[5].

Quæ quidem omnia merito *speculi* nomine comprehenduntur a theologis : quo nomine Senonensis usa synodus est in decreto XIII [6], cum dixit, « beatis pervium esse omniforme illud divinitatis speculum, in quo quidquid illorum intersit, illucescat. » Atque hæc omnia vocabula congessit in unam sapientiam, quæ utique Verbum est Dei, liber *Sapientiæ. Vapor est*, inquit[7], *virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera : et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Quæ Scripturæ verba ad increatam Dei sapientiam ab antiquis plerisque referuntur : ut ab Augustino libro IV *de Trinitate*, capite XX, et tractatu XX *in Joannem*, et Faustino libro *contra Arianos*, capite tertio[8] : necnon Vigilio, qui Tridentinus vulgo dicitur, *in Disputatione contra Arianos*[9]; et aliis compluribus.

Ineptum Molinæi objectum : *sanctos multa fœda fore conspecturos.*

IX. Per illud vero est ineptum, quod idem Molinæus opponit; Multa fieri in terris inania, et sordida, quæ sciri ab sanctis minime deceat. Quasi peccato res sit ulla fœdior : quod tamen et ab Angelis, et a sanctis criminosorum resipiscentium patronis, et a Deo ipso cernitur, sine ulla interpellatione felicitatis; aut ulla sit per sese molestior, quam eorum, quos in vita caros habuerint, sempiterna damnatio : quæ nihilominus sanctorum beatitati nullam nebulam vel levissimi mœroris asperget; de quo Prosper in libro primo *de vita contemplativa*, capite undecimo : « Tunc filiorum, inquit, parentum, conjugum miseria, qui ibi non fuerint, beatos contristare non poterit : quia nomina omnium necessitudinum corporalium, quæ hic nostra fragilitas habuit, excellentia illius beatitudinis non admittit, ubi omnes quicumque fuerint, unum corpus erunt, et sin-

1 Molin. lib. VIII, cap. II. — 2 Lib. I *de Ang.* cap. VI. — 3 Citatus § 7 et in IV *Dial.* cap. XXXIII. — 4 Lib. II *Moral.* cap. II. — 5 Bern. lib. V *de cons.* cap. I. — 6 Tom. IX concil. — 7 *Sap.* VII, 25. — 8 Tom. IV *Bibl. Patr.* — 9 Tom. XV *Bibl. Patr.*

guli de sua, vel singulorum felicitate gaudebunt. »

Gregorius item Papa libro VI *Moralium*, capite xvi. « In vastitate ergo, et fame justus ridebit, inquit, quia divinæ justitiæ per speciem inhærens inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit; quia has a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Unde bene per Psalmistam dicitur; *Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent*[1]; *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.* Iniquos enim justi nunc vident, et metuunt; tunc visuri sunt, et ridebunt,» etc. Sed neque commissorum olim peccatorum recordatio felicitatem sanctorum ullo sensu doloris infuscabit : ut idem Gregorius in quarto *Moralium,* capite xxxi latius edisserit : « quia sicut sæpe nunc tristium læti reminiscimur; ita tunc transactæ nequitiæ sine læsione nostræ beatitudinis recordamur. »

Pari est, et eadem inscitia suffusum, quod Molinæus sic adversus illam in Verbo creatarum rerum notitiam elatrat, tanquam ex ea consequens sit, omnia videri a beatis, si quid in divina videatur essentia : cum tamen plurima constet ignota illis esse; velut novissimi judicii diem. Verum non est necesse omnia, quæ utcumque divina continentur essentia, sigillatim, ac distincte ab iis perspici, qui illam intuentur : sed pro modulo visionis plura, pauciorave cognoscunt : quod in theologicis scholis accuratius exponitur : et a præsenti instituto alienum est inquirere.

Explicantur quædam loca Scripturæ a Molinæo allata.

X. Nam quod omni rerum terrenarum notitia mortuorum animas destitutas esse Scripturarum probat testimoniis, oppido languida est, et sine nervis illius argumentatio. Primus e Jobi capite xiv locus est petitus, in quo sic ille de mortuo loquitur : *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Sed incredibilis est oscitantia Ministri hac abutentis Scripturæ sententia. Nam ut est illius ratiocinatio, sequitur falsum esse, quod Lucas Evangelista scripsit de divite illo[2], qui apud inferos sepultus fratrum suorum meminit, et curam salutis illorum gerit. Noverat enim nondum illos resipuisse, nec pœnitentiam egisse; cujus eos admoneri per Lazarum postulabat. Sane R. Levi ben Gerson in commentariis ad illum locum, adnotat, « Totam hanc sententiam pronuntiasse Jobum ex opinione amicorum suorum, qui palam facere studebant, afflictiones istas illi accidisse in pœnam rebellionis suæ[a]. » At Joannes Mercerus, ejusdem cum Molinæo sectæ ad eumdem locum, « De corporibus, inquit, loquitur sepultis et dormientibus, quæ omnis sensus sunt expertia, et a viventium societate et communione semota : quum interim spiritus ad Deum, ut est in *Ecclesiaste* convolantes redierint. » Quæ interpretatio totam Molinæi machinam evertit.

Similis est adhibenda responsio ad alium locum ex libro quarto *Regum* quem Molinæus affert[3] : ubi Josiæ regi sic loquitur Dominus, *Idcirco colligam te ad patres tuos; et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* At Minister vocem *oculorum* tacite dissimulavit, quæ de corporeo viventis aspectu sermonem esse demonstrat.

Rursus *Ecclesiastæ* capite nono; *Viventes,* ait Scriptura[4], *nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.* » Verum hæc Hebræi Aben Hezra, et Kimhius ex persona dici putant Epicureorum, et improborum hominum; quod refert approbatque Mercerus. Alii, quibus ex persona Salomonis usurpari placet, sic illa, ut et alia complura libri hujus intelligunt, ut ad vitæ præsentis usum, ac mortalium captum, quamdiu istic degunt, accommodari censeant. Vide Mercerum eumdem; et Ministri incuriosam negligentiam animadverte; qui ludicris istis, et inanibus gerris paginas omnes opplevit; neque quid scriberet, ac quanti quidque esset curavit expendere.

Tale denique est illud, quod idem Molinæus opponit, Dei solius esse, nosse corda hominum; ideoque sanctis tacitas, et arcanas precationes exploratas non esse. Verum an negare audebit posse Deum sanctis suis indicare secretas aliorum cogitationes; aut quam eis natura non concessit, vim earum intuendarum omnipotenti sua bonitate largiri?

Quid magis est proprium Dei, quam futura certo præscire, ac prædicere? Certe Deus apud Isaiam falsos Deos eo convincit argu-

a R. Levi ad cap. *Job.* xiv, 21. והנח אמר איוב כל זה לפי רעת דעיו שיראושאלו המכות חלו עליו לענש על מריו.

1 *Psalm.* li. — 2 *Luc.* xvi, 27. — 3 Lib. IV *Reg.* xxii, 20. — 4 *Ecclesiastæ* ix, 5.

mento, quod futura nesciant; et hac cum eis velut stipulatione contendit, ut si vere Dii sunt, illa prænuntient: *Annuntiate quæ ventura sunt*, inquit[1], *in futurum: et sciemus quia dii estis vos.* Atqui Prophetis eadem illa communicata notitia est; et quæ ventura erant, longe ante prænoscere, ac prædicere potuerunt. Quamobrem quidquid ad hoc responsuri sunt, si quis Prophetas fuisse nullos asserat, eo quod solius est Dei futura cognoscere, idem sibi responsum a nobis existiment hagiomachi, cum unius Dei proprium esse clamant, aliorum intima et arcana sensa rimari.

CAPUT XVIII.

Excutiuntur nonnulla speciatim objecta contra veteres aliquot in testimonium citatos. 1. Gregorii Nazianzeni auctoritas contra Molinæum defenditur. 2. Non illum in Sanctorum probanda invocatione fluctuasse: et super ea re Ministri inscitia. 3. De Ambrosio error ejusdem. 4. Tum multo gravior stupiditas in ejusdem Ambrosii narratione de inventis corporibus Sanctorum Gervasii, et Protasii. 5. Explicantur loca quædam Chrysostomi ab Molinæo perperam exposita. 9. Insignis ejus ἀκρισία, in Chrysostomi scriptis dijudicandis. 10. De Alexandro Macedone ad duodecim cœlestes Deos adscripto.

Critices carentia.

Nunc ad ea progrediamur, quæ particulatim contra Patrum quorumdam in superioribus capitibus laudatorum auctoritatem præscripsit Molinæus: in quibus incredibilis hominis ἀκρισία, et inscitia luculentis vestigiis notata deprehenditur.

S. Gregorii Naz. auctoritas defenditur.

Gregorium Nazianzenum « inter Patres affirmat[2] primum invocatorem fuisse sanctorum: nec eum tamen pro certo istud habuisse, utrum illi se invocantes audirent. » Verum quod ad horum prius attinet, falsum est, principem Gregorium invocasse sanctos: cum et hujus ex scriptis, et aliorum, qui æquales ipsius fuerunt, nec ab eo utique didicerunt, appareat, non illum repertorem usus talis, ac moris fuisse; sed olim receptum, inveteratumque tum ipsum servando; tum testificatione sua probando tenuisse. Ac si tanti viri auctoritas unius exstaret, tacentibus, minimeque reclamantibus cæteris Patribus, jure id illius existimationi, ac dignitati tribuendum putaretur, ut et ritum istum crederemus per id tempus usitatum in Ecclesia fuisse; nec eum incusare temere auderemus, ac pro nefario, superstitiosoque traducere. Quis enim ambigat, quin mille Lutheris, totidemque Calvinis, ac duplo triplove pluribus Molinæis unus sit anteponendus Nazianzenus Gregorius? Atqui sanctorum invocationi non solus ille suffragatur; sed ejusdem ætatis, et consequentis deinceps, innumeri non minus graves ac celebres: qui per omnes orbis christiani provincias dispersi, ac siderum instar, velut in cœlo quodam Ecclesiæ locati, ritus ejusdem, ac religionis usu pariter, et professione luxerunt. Quorum quidem nec dubios hactenus testes adduximus: et eos duntaxat, qui illo ipso, quo Gregorius vixit, sæculo, et duobus fere sequentibus simile pietatis institutum admirabili consensu, ac concordia tenuerunt. Ex quibus habes in Cappadocia Basilium, et Nyssenum Gregorium: in Ponto, Asterium: in Isauria, Basilium Seleuciensem: in Syria, Joannem Chrysostomum, Hieronymum, Theodoretum, Augustinum in Africa: in Italia Damasum, Leonem, Gregorium Romanos Pontifices, Ambrosium, Paulinum, Gaudentium; ex Hispania Prudentium: Eucherium in Gallia, et postea Jonam, Theodulphum, Bernardum: atque in Anglia, Bedam, et Alchuinum. Sed posteriores istos ex inferioribus delibavimus sæculis; quæ religionis illius exemplis, et testimoniis multo sunt referta magis: quanquam a nobis, utpote infinita, sunt omissa: valent tamen adjuncta prioribus, et adversariorum judicio probatis, ad constantem et perpetuam Ecclesiæ christianæ de eo, quod nunc igitur, sententiam consuetudinemque testandam.

Ac revocanda sane est in memoriam Genevensis, ut vocant, Ecclesiæ confessio; quam supra retuli[3]: quæ quod unus Augustinus de Trinitatis fide scriptis prodidit, idipsum Africanæ totius Ecclesiæ fuisse dogma, et consequenter Catholicæ totius usquequaque terrarum, ratiocinando colligit. Quanto nos igitur verius, ac robustius iisdem instamus illis, ut, quod non solus ille, cui tantum deferunt, Augustinus; sed multo plures, nec

1 *Isaiæ* XLI, 23. — 2 Molin. lib. VII, cap. XI. — 3 Cap. XV, § 7.

eo inferiores alii, suo testimonio, ac judicio ratum faciunt : id inter Ecclesiæ placita totius, ac decreta numerari patiantur; nec in oppugnando eo, ac damnando, tam a seipsis turpiter, quam sacrilege ab tot sanctorum Patrum, hoc est, ut ipsimet interpretantur, Ecclesiæ auctoritate dissideant.

Molinæi hallucinatio

II. Nam quod in ista de invocandis sanctis opinione fluctuasse Gregorium Nazianzenum asserit Molinæus[1], multum fallitur : et futile ex eo trahit argumentum, quod nonnunquam hæsitantis modum, ac formulam in illis implorandis adhibet. Ut cum in priore *Invectiva contra Constantium Imperatorem*, quem velut unum ex beatorum numero compellat, loquitur sic : « Audi etiam magni Constantii anima, si quis est sensus[a]. » Et alibi in laudatione funebri sororis suæ, eam alloquens; « Quod si quam rerum nostrarum rationem ducis; et hoc sanctis animis, inquit, præmii loco divinitus conceditur, ut ista sentiant, hanc nostram orationem suscipias velim[b], » etc. Hinc Molinæus argumentatur, Gregorium haud penitus animo combibisse sententiam illam, quæ sanctorum animis rerum humanarum, et orationum nostrarum notitiam adspergit : alioqui non de his dubitando loqueretur ; *Si quis est sensus*, aut, *si quid curæ est.* Atqui Ministri notatio ista prorsus est inepta. Nam particula, *si*, plerumque non est dubitantis, sed confirmantis potius, et certo rem asseverantis. Hujus exemplum insigne est apud Apostolum in epistola posteriore *ad Thessalonicenses :* ubi sic scribit : *Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo, cum Angelis virtutis ejus*[2]. » Quem ad locum Chrysostomi memoranda sunt verba. « Vox illa, *si tamen*, hoc loco, ait, posita est, pro, *quoniam*, quod ad res valde certas et confessas, et quibus contradici nequit, exprimendas usurpare solemus : quasi diceret, admodum est justum. Si justum est, inquit, apud Deum istos punire, omnino puniet : si rerum curam Deus habet : si sollicitus est Deus. Ita et Apostolus locutionem hanc usurpat, si quidem hoc est ; tanquam quispiam sic dicat, si malos odio habet Deus; quo genere locutionis idcirco utitur, ut illos ad hoc dicendum impellat, Deum tales odisse[c]. »

Idem et Theophylactus adnotavit, particulam εἴπερ non esse δισταγμοῦ, id est *dubitationis*, sed βεβαιώσεως, id est *affirmationis*. Quippe nos in communi locutione dicere solere, si Deus improbos odit : si Deus curam habet rerum; quibus adstipulatur Œcumenius. Quinetiam apud Latinos auctores frequens ille loquendi modus occurrit : sic Virgilius in primo *Æneidos*,

« Dii tibi, si qua pios respectant numina; [si quid
Usquam justitiæ est, et mens sibi conscia [recti,
Præmia digna ferant. »

Quem ad locum Servius negat esse dubitantis voculam : « nec enim congruit optare dubitantem. » Et ad illa quinti *Æneidos*.

« Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, »

Observat idem, « pro confirmativa positam esse : » ut illud primo *Georgicon*,

« Vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista. »

Sic illud Catulli[3]

« Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia. »

Accedit quod ille ipse Gregorius, quem velut titubantem in duobus illis locis invocasse sanctos putat Molinæus, alias affirmate, ac pro certo istud asseruit ; ut in oratione XXIV[4].

III. Majore risu dicam[5], an stomacho ex-

a NAZIAN. initio orat. III. Ἄκουε καὶ ἡ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίου ψυχὴ, εἴ τις αἴσθησις.

b Id. orat. II. Εἰ δέ τίς σοι καὶ τῶν ἡμετέρων ἐστὶ λόγος, καὶ τοῦτο ταῖς ὁσίαις ψυχαῖς ἐκ θεοῦ γέρας, τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, δέχοιο καὶ τὸν ἡμέτερον λόγον, etc.

c CHRYSOST. hom. II in II *ad Thess.* Τὸ, εἴπηρ, ἐνταῦθα, ἀντὶ τοῦ, ἐπεὶ, κεῖται· ὅπερ ἐπὶ τῶν σφόδρα ὁμολογουμένων καὶ ἡμεῖς τίθεμεν, καὶ ἀναντιῤῥήτων· ἀντὶ τοῦ, σφόδρα δίκαιον. Εἰ δίκαιόν ἐστι, φησὶ, παρὰ θεῷ τούτους ἀμύνασθαι, πάντως ἀμυνεῖται. εἰ μέλει τῷ θεῷ τῶν πραγμάτων, εἰ φροντίζει ὁ θεὸς. οὕτω καὶ αὐτὸς τίθησι τὸ εἴπερ τοῦτο, ὡς ἐπὶ τῶν ὡμολογημένων. ὡς εἰ ἔλεγέ τις· εἰ μισεῖ τοὺς πονηροὺς ὁ θεός. διὰ τοῦτο λέγων οὕτως, ἵνα ἐκείνους ἀναγκάσῃ εἰπεῖν, ὅτι μισεῖ.

1 Lib. VII, cap. III. — 2 II *Thess.* I, 6. — 3 Catull. epig. XIV. — 4 Vide supra cap. X, § 5. — 5 Molin. cap. XI.

De Ambrosio Molinæi stupor.

cipiendum illud est Ministri de Ambrosio; quem ait, in funebri laudatione Theodosii imperatoris, invocationem improbasse sanctorum, cum dixit : « *Sed tamem tu solus Domine invocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis repræsentes.* Atque hoc, addit Minister, tanquam castigatio quædam haberi debet ejus, quod in libro *de Viduis* tomo primo dixerat, orandos esse Angelos, et martyres. Scripsit enim librum de Viduis adhuc neophytus triennio post baptismum : orationem vero funebrem illam, sub vitæ, et episcopatus sui finem. » Ita Molinæus. Locus ille porro libri *de Viduis* supra est descriptus a nobis capite decimo [1]. In eo tam Angelos, quam martyres obsecrandos esse docet, et intercessores adhibendos. Contra quæ frigida, putidaque Ministri est exceptio de Christiana professione recens suscepta. Quippe nihil istic Ambrosius aliud dixit, præter id, quod eodem tempore Basilius, Gregorii ambo, Nazianzenus, et Nyssenus, Hieronymus; ac paulo post inumerabiles alii in Oriente, Occidenteque scripserunt, veterani utique christianæ cultores religionis, et Christianorum doctores ac magistri; plerique etiam episcopi : qui quid haberet catholicæ fidei confessio, et quemadmodum ab superstitione, vel sacrilegio repurganda foret, melius scivere, quam Calvinus, et Molinæus, ac cæteræ fæces istius sæculi. Quid de Augustino dicam? An aliud credidit, scriptisve prodidit illa de re quam quod ab magistro et institutore, imo spirituali genitore suo didicerat. Ambrosio? atqui cum ab eo baptizatus, et initiatus est Augustinus, complures ille jam in episcopatu annos exegerat. Vide quæ ex hoc, et aliis testimonia selegimus; in quibus frequens et usitata per illud tempus sole clarius lucet obsecratio, invocatioque sanctorum. Nam quod *solum invocandum* ait *esse Dominum* Ambrosius, ut Theodosium patrem repræsentet in filiis, non eo pertinet, ut intercessores excludantur cæteri. Sed ille significatur videlicet ac monstratur, qui solus hoc quod rogatur efficit ac præstat; et in sanctis suis ut honore affectis, honorari; aut sublevatis pabulo, pasci : sic invocatis et rogatis, invocari et rogari creditur : præsertim cum non interpellentur sic, ut quod petitur per se ipsi faciant ac tribuant : sed ut ipsi quoque supplices nobiscum ad summum, et unicum muneris auctorem ac largitorem adeant. Itaque tota vis seriesque prensationis, ac postulationis ad unum solumque Dominum spectat, et in eo terminatur et acquiescit.

De eodem Ambrosio aliud Molinæi erratum.

IV. Audiamus nunc de eodem Ambrosio Molinæi aliud erratum priore illo multo immanius, et stupidius[2]. In epistola LIV *ad Marcellinam sororem*, Ambrosius longam et accuratam historiam narrat inventorum a se corporum SS. Gervasii et Protasii ex divina revelatione; quos et Mediolanensis patronos urbis appellat : et alia quædam de cultu reliquiarum, et ad eas factis miraculis catholicæ fidei, ac ritui consentanea refert. Molinæus tum epistolam hanc [3], tum sermonem eadem de re ad populum habitum pro ementitis, ac supposititiis habet, hoc uno fretus argumento, quod in illa epistola scriptum est deportata esse martyrum corpora « in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Atqui neque vivente adhuc, inquit, Ambrosio, nec diu postea, ulla sancti Ambrosii basilica exstitit. » Potestne quidquam majore dictum temeritate ac levitate proferri? Etenim Augustinus, qui tum Mediolani, cum inventa illa corpora sunt, interfuit, tum eadem narrat, quæ illic Ambrosius; tum « propalata, et effossa corpora digno cum honore translata scribit ad Ambrosianam basilicam. » Neque vero *Ambrosiana basilica* ideo vocata est, quod in honorem sancti Ambrosii Deo consecrata fuerit : sed ab ejus conditore videtur appellata, si non illo ipso qui hæc narrabat; certe altero nominis ejusdem.

Chrysostomi... vindicatur... explicatur.

V. De locis illis Chrysostomi, quæ ad impugnandam sanctorum invocationem Molinæus plurima congessit, illud primo loco respondemus; cujusquemodi ea sint, neque illis esse disertiora, validioraque ad extorquendam Catholicis implorationem sanctorum, nec explicatu difficiliora, quam quæ superioribus capitibus ad illam propugnandam adduximus, cum ex aliis Græcis, ac Latinis Patribus, tum ex eodem ipso Chrysostomo. Deinde nihil aliud testimoniis istis significare Chrysostomum, nisi hoc, non absolute, ac præfracte necessarium esse sanctos apud Deum intercessores adjungere : sed posse quemlibet sine sequestre et internuntio Deum adire, ab eoqué postulare quæ volet. Non ut Gentiles putabant, necesse hominibus esse, qui ad supremum Deum aspirare velint, per interjectos minores deos, hoc

1 § 7. — 2 Supra cit. cap. x, § 6 et cap. xi, § 6. — 3 Molin. lib. VIII, cap. xi.

est, dæmones, ad illum contendere. Sic enim Apuleium, aliosque Platonicos existimasse, testis est Augustinus [1]; nempe, « ita esse medios dæmones inter deos et homines, tanquam internuntios, et interpretes; qui hinc ferant petitiones nostras; inde referant deorum suppetias. » Tum [2], « ita inter homines quadam medietate versari, ut hominibus apud ipsos Deos necessarii videantur. » Item [3], « eosdem dæmones inter homines, et Deos ita medios constitutos putant, ait idem, tanquam nullus Deus homini misceatur : ut hinc perferant desiderata, inde referant impetrata : atque hoc Platonici præcipui philosophorum, ac nobilissimi sentiunt. »

Quibus ex Christianæ sapientiæ decretis resistit Augustinus, et id necessarium esse negat, homines per interjectos ullos, et interpretes ad summum Deum exorandum accedere : tanquam iste proxime, ac per se cum illis neutiquam misceatur. « Nullo modo igitur, ait idem[4], quasi per dæmonum medietatem, ambiendum est ad benevolentiam, seu beneficentiam deorum, vel potius bonorum angelorum : sed per bonæ voluntatis similitudinem, qua cum illis sumus, et cum illis vivimus, et cum illis Deum quem colunt colimus. »

Hoc sensu Chrysostomus negat Angelos, aut sanctos, velut mediatores, necessario interponendos esse : cum per se quisque vitæ integritate, vel piæ voluntatis affectu niti possit ad Deum : quem qui animum ad orandum afferet, citius et efficacius impetrabit quidquid ab illo petet, quam si id per interpretes alios ita faciat, ut vel nullum, vel minus acrem et incensum pietatis ardorem in orationem conferat. Ita, inquam, Chrysostomi locus ille est interpretandus, quem ex homilia XLIV in caput *Geneseos* XIX Molinæus attulit; ut illa duo impetrandi, et exorandi Dei adjumenta inter se comparet; quorum alterum est, adhibere deprecatores, conciliatoresque sanctos; alterum, per se ipsum rogare Deum, sed cum magno animi desiderio, et mentis affectu ; qui si æqualis utrobique sit, nec ipse Chrysostomus, nec alius quispiam talium doctorum dubitat, quin celerius, et prolixius postulatis annuat Deus, si martyres, aliive sancti, et illius amici, suffragatores adhibeantur. Certe Chrysostomus in illis locis, quæ supra, capite X et XI descripta sunt idipsum docet; et ad intercessores confugere sanctos, eorumque preces emereri, ac fulciri præsidiis hortatur : quæ potentissima et efficacissima esse confirmat. Cui et cæteri ibidem in medium adducti veteres adstipulantur.

VI. Quod autem ita, ut dixi, Chrysostomi locus ille sit accipiendus, ut illa inter se duo præcise conferat; advocatorum intercessionem, et propriam cujusque, sed sedulam, et ardentem pro seipso precationem ; ex ipsamet homilia XLIV *in Genesim*, unde locum illum citavit Molinæus, animadverti potest. Nam ante citata illa verba, de Loto agit Chrysostomus [5] : quem in Abrahami gratiam Dominus ex Sodomorum incendio liberavit : et hoc inquirit; utrum propter Abrahami preces, an suapte justitia, cladi isti sit Lotus ereptus. Cui respondet, utrumque illi saluti fuisse. « Cum enim quæ in nostra potestate sunt una contulerimus, inquit, tum et justorum intercessio magnam nobis affert utilitatem. Nam si nos quidem socordes ipsi simus; spem autem salutis nostræ in illis solis constituamus, nihil ex eo proficiemus : non ob justorum imbecillitatem : sed ideo, quod nos ipsimet nostra negligentia prodamus [a].» Quod deinceps aliquot Prophetarum testimoniis, et exemplis approbat. Ut cum Jeremiam prohibet Dominus orare pro populo Judaico [6], ne non exaudiatur. Itaque populum hortatur, ut ad sanctorum intercessiones ita confugiat, et eos oret ut pro se Deum precentur, ut non totam in illorum precibus fiduciam suam collocent, sed pro virili parte laborent ipsi, ex eorum uti precibus fructum capiant. Postea Chananææ mulieris exemplum subjicit [7], quæ fidei ac devotionis suæ merito id a Christo consecuta est, quod aliena intercessione nondum obtinere potuerat; ubi hoc præclare, quod de ejus mente dixi, comprobat his verbis : « Hanc vero totam historiam Chananææ in medium afferre coacti sumus, ut hoc discamus, non ita nos per alios inter-

a CHRYSOST. *in Gen.* Ὅταν γὰρ τὰ παρ' ἑαυτῶν συνεισενέγκωμεν, καὶ ἡ παρὰ τῶν δικαίων πρεσβεία τὰ μέγιστα ἡμᾶς ὀνίνησιν. ἐπεὶ ἐὰν αὐτοὶ μὲν ῥαθυμῶμεν, τὰς δὲ ἐλπίδας τῆς ἡμετέρας σωτηρίας ἐπ' ἐκείνοις μόνοις ποιώμεθα, οὐδὲν ἡμῖν ἔσται πλέον· οὐκ ἐπειδὴ ἀσθενεῖς οἱ δίκαιοι, ἀλλ' ἐπειδὴ ἡμεῖς διὰ τῆς οἰκείας ῥαθυμίας ἑαυτοὺς προδίδομεν.

1 August. lib. VIII *de civit. Dei* cap. XXII.— 2 Ibidem cap. XXIII.— 3 Ibidem, lib. IX, cap. I.— 4 Aug. VIII *de civit.* cap. XXIII — 5 Chrysost. hom. XLIV *in Genes.* — 6 *Jerem.* VII, 15. — 7 *Matth.* XV.

pellantes quod volumus impetrare, ut cum per nos ipsi rogamus, quando scilicet cum ardore animi, et alacri, atque experrecta mente, Deum supplices adimus [a]. »

Sane Paulus in posteriore *ad Corinthios*, etsi multum gratia valeret apud Dominum, et per se quæ vellet, si tamen expedirent, impetrare posset, nihilominus suffragatores illos habere cupit : *In quem speramus*, ait [1], *quoniam et adhuc eripiet*, ex periculis, *adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis*. Quod et ibidem, et alibi non semel facit, multum illius moderationem suspiciente [2], ac prædicante Chrysostomo.

VII. Nam quod de eo genere intercessionis quod a sanctis in carne degentibus impenditur, tam Apostolus isto in loco, quam Chrysostomus in illo utroque loquuntur, non autem de sanctorum corpore perfunctorum precibus; nihil hoc interest : et in eo ipso Molinæi incredibilis stupiditas apparet. Quorum duorum prius jam a nobis ante demonstratum est ex eo, quod sanctorum cum Christo regnantium preces multo, quam cum in carne viverent, efficaciores sunt, ut et ipse Chrysostomus supra decimo capite citatus asserit [3] : et quod iidem post hanc vitam, longe melioris, ac verioris sint vitæ compotes; ut propterea non mortui, sed vivi censendi, appellandique sint. Atque hoc adversus hagiomachos argumento jam usi sumus alibi [4] ; et ne leve istud existimes, idem Gregorius Nazianzenus, et ex eodem, quem attulimus, Scripturæ testimonio confectum attulit in oratione XXI, quæ est Athanasii laudatio. « Deo vivunt, inquit, omnes, qui secundum Deum vixerunt ; quamvis hinc excesserint. Unde et Deus [5], vocatur *Deus Abraham, et Isaac, et Jacob, ut viventium Deus, non mortuorum* [b]. » Posterius autem, quod ad Molinæi stuporem ostendendum singulare esse dixi, hoc modo constat. In libro illo septimo contra Cardinalem Perronium, ubi de invocatione sanctorum disputat, fatetur id [6], quod et Calvinus, aliique similes agnoscunt, licere viventibus pro se viventes implorare sanctos, et apud Deum intercessores adjungere : mortuos autem, nefas esse. Porro ut hoc secundum probet, cum aliorum Patrum, tum imprimis Chrysostomi testimonia congerit illa ipsa [7], quæ paulo ante memoravi ; velut istud est ex homilia XLIV *in Genesim*, ubi Chananææ probat exemplo, nihil intercessore nobis apud Deum opus esse ; quoniam melius, celeriusque per nos ipsi Dominum adeuntes exaudimur, et obtinemus quæcumque petimus. Ad quod insuper Chrysostomi ejusdem locum alterum citat ex homilia LIV *in Matthæum* [8], in qua Chananææ historiam enarrat, et similem ἐπίστασιν adhibet Chrysostomus de orando per *Observationem.*
nos ipsos, ac sine interpretibus Deo. Præter ea locum alium corrogat ex homilia LX tomi quinti editionis Savilianæ ; in quo negat « opus nos habere mediatoribus apud Deum ; vel circumcursatione ; vel adulatione ad conciliandos alios [c] : » quod Chananææ rursus exemplo probat. His allatis Chrysostomi sententiis, tandem Minister ita concludit : « Post tam diserta testimonia non esse credibile sanctum illum virum invocasse sanctos homines, aut Angelos, præsertim cum aliis in locis perinde loquatur, ac nondum existimans, sanctos vita functos cœlesti felicitate perfrui ; quocirca Satanæ organum quodpiam mendacii parentis hujusmodi loca, quibus sanctorum invocatio continetur, Patris illius scriptis inseruisse » Ita Molinæus, prorsus ἀκρίτως, ac temere, ut paulo post evin- *Absque judicio.*
cam. Sed quod instat agamus modo, et quæ decreverat evertentem, ac sibi ipsi misere contradicentem audiamus Ministrum. Cum enim illis in locis omnibus, quæ ad labefactandam sanctorum invocationem e Chrysostomo proposuit, ex Chananææ historia, et aliis, quæ ibidem disserit, evidens sit, de viventium in corpore pro viventibus intercessione loqui sanctissimum Doctorem, non potest de sanctorum, qui ex hac vita discesserunt, invocatione ex illis argumentari Molinæus, et eam nefariæ superstitionis, ac Scripturæ fideique contrariæ indidem accu-

a CHRYSOST. ibid. vers. 29. Ταύτην δὲ πᾶσαν τὴν ἱστορίαν εἰς μέσον παραγαγεῖν ἠναγκάσθημεν, ἵνα μάθωμεν, ὅτι οὐχ οὕτω δι' ἑτέρων παρακαλοῦντες ἀνύομεν ὡς αὐτοὶ δι' ἑαυτῶν, ἐπειδὰν μετὰ θερμότητος προσίωμεν, καὶ διεγηγερμένης διανοίας.

b NAZIANZ. init. orat. XXI. Θεῷ γὰρ ζῶσι πάντες οἱ κατὰ Θεὸν ζώσαντες, κἂν ἐνθένδε ἀπαλλαγῶσι. καθὸ καὶ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ ἀκούει Θεὸς, οὐ νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων.

c CHRYSOST. tom. V, hom. LX, vers. 30. Οὐ χρεία σοι μεσιτῶν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, οὐδὲ πολλῆς τῆς περιδρομῆς, καὶ τοῦ κολακεῦσαι ἑτέρους, etc.

1 II *Cor.* I, 11. — 2 Chrysost. hom. in II *ad Cor.* — 3 Chrysost. hom. LXV tom. V supra cap. X, § 8. — 4 Tom. III lib. III *de Aug.* cap. IX § 2. — 5 *Matth.* XXII, 2. — 6 Molin. lib. VII, cap. XII. — 7 Molin. cap. XI. — 8 Chrysost. hom. LIV *in Matth.*

sare, ac convincere, quin eamdem notam subscribat invocationi sanctorum viventium; contra quam valere omnino loca illa, si quam vim habeant, oportet. Quare scelus ac flagitium erit vivorum preces implorare vivos, et, quod Jacobus Apostolus hortatur, Christianos petere, *ut pro invicem orent*, *ut salventur*: nec ab grandis istius sacrilegii noxa vindicari poterit Apostolus, qui eorum, ad quos scribebat, orationes tam ardenter, et enixe postulabat. Vides quam infeliciter sua Molinæum in argumentando, ac ratiocinando logica, imo communis sensus, ac ratio destituerit.

VIII. Quod autem ad illam infringendam auctoritatem Chrysostomi, cum de invocatione sanctorum jam corpore solutorum loquitur, duo præscribit: alterum, non illum putasse sanctos adhuc æternæ felicitatis esse participes: alterum, inculcata Chrysostomi libris, nec auctoris istius germana esse loca, quæ invocationem illam præ se ferunt; de priore jam diximus, nihil ad hoc interesse, utrum adhuc supremæ sint sancti felicitatis compotes, an non, ut pro viventibus interpellent; cum Jeremias mortuus *pro* vivente *populo* Judaico *multum orasse legatur, et pro universa sancta civitate Jerusalem* [1], in historia Machabæorum; quam etsi Molinæus respuit, plerique tamen antiquorum Patrum pro canonica scriptura receperunt: ipseque adeo Cæsariensis Eusebius hanc eamdem de orante Jeremia narrationem, ex illo libro citat [2]: dum ostendere vult Platonis dogmata cum nostris, id est cum Hebræorum antiquorum placitis, quæ perinde ac veteris eorum Testamenti libros, Christiani complectantur, apprime esse consentanea: velut est hoc, de quo nunc agimus, « Mortuorum animas, *nimirum justorum*, vim quamdam habere solutas corporibus, et humanarum rerum curam regere; » quod a Platone scriptum in libro undecimo *de Legibus* comparat Eusebius cum simili Ecclesiæ veteris, id est synagogæ Judaicæ, sententia quam ex libro secundo *Machabæorum* adstruit; ubi Hieremias Propheta, licet defunctus, orare pro populo visus ab Juda Machabæo esse dicitur. Poterunt itaque sancti post obitum, quamvis nondum suprema felicitate donatos eos arbitremur intercedere pro viventibus, et de eorum commodis esse solliciti.

IX. In altero ubi certa Chrysostomi, et aliorum quorumdam scripta obelo configit, velut adulterina, et supposititia, criticum se esse prodit hebetem prorsus et indoctum. Nam sine ratione, sine judicio, homo ab litteris istis non satis paratus, censoriam ibi virgulam distrinxit. Primum in homilia XXVI [3] Chrysostomi ad epistolam secundam *ad Corinthios* pleraque recidit ethicæ partis; propterea quod de Apostolorum reliquiis Constantinopoli collocatis, et honore ab Imperatoribus illis haberi solito plenam illic eloquentiæ, et gravitatis orationem exposuit; unde nonnulla supra capite duodecimo descripsimus [4]. At quibus hoc argumentis persuadere conatur? Plane futilibus et ineptis. Negat imprimis laciniam istam cohærere cum antecedente tota disputatione: tum stylo cæteris esse dissimili. In quo utroque mentitur. Horum quæ assuta credit, initium ab illis verbis ducitur. « Sic enim et idololatriæ primum invaluerunt, cum homines in majorem, quam pro merito, admirationem venissent [a], » et cætera, quæ deinde referam. Solet autem Chrysostomus homilias suas, in quibus Scripturæ libros enarrat, hoc est Evangelia, et epistolas, nec non *Genesim*, bifariam partiri sic, ut in priori parte contextum, ut vocant, ipsum diligenter exponat: in posteriori, quam et ab altera distinguit, moralem aliquem locum pertractet; cujus occasio vel ex ipso Scripturæ corpore, vel ex injecta obiter aliqua sententia nascitur. Nam sæpe levi de causa in postremum illum sermonem delabitur. In capite ergo duodecimo epistolæ secundæ *ad Corinthios*, quod interpretatur hom. XXVI Chrysostomus, disputat Apostolus de se, suisque vexationibus, et persecutionibus, quas singillatim percenset, ac tandem ita concludit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*, etc. *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Horum expositioni moralem subjicit partem Chrysostomus, in qua de perpessionibus, et earum fructu, utilitateque disputat, ac demum eo pervenit, ut sanctos ipsos divinitus illis exerceri solere dicat, ut neque majores illi spiritus assumant, neque

Jejuna critice Molinæi in Chrysostomi scriptis dijudicandis

a CHRYSOST. hom. VI in II *ad Cor.* vers. 29. Οὕτω γὰρ καὶ εἰδωλολατρεῖαι τὴν ἀρχὴν ἐκράτησαν, τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων.

1 II *Mach.* cap. XV, 14. — 2 Euseb. XII *de Præp.* cap. II. — 3 Molin. lib. VII, cap. XI. — 4 § 4

cæteri plus eis, quam par sit, judiciis suis, tribuant. Hinc enim accidisse ut nullis adversis rebus nimia quorumdam compressa prosperitas, amplius aliquid de illis suspicandi, quam humana fert conditio, causam attulerit hominibus; ex quo falsa religio deorum originem accepit : ut cum Alexander Macedo ad id fastigium opinione hominum ascendit, ut ad duodecim majorum gentium Deos tertius decimus adscriberetur. Non dubium est quin antecedenti narrationi consentanee sit annexa, et contexta pars posterior; et perperam τὸ ἀνακόλουθον sermoni huic impingat Molinæus.

Cohærentiæ carentiam.

Nam de styli dissimilitudine quod tricatur, non tanti de ea re faciendum est hominis istius judicium : quem constat in Græcis litteris parum admodum esse consecutum. Certe quæ illa ex homilia resecanda censuit, apprime Chrysostomi stylum, ac dicendi characterem redolent : neque quisquam hactenus est inventus, cui peregrini saporis vel minimam suspicionem attulerint ; cum et Casaubonus, et alii Græce haud paulo, quam iste, doctiores, locum illum accurate pertractaverint, quem pro germano, ac genuino, auctoris ipsius habuerunt.

De Alexandro Macedone ad duodecim cœlestes Deos adscripto. Apotheosi.

Proxima huic est querela, quod insulsam et ineptam fabulam lacinia ista complectitur de Alexandro in Deorum numerum relato ex Romani decreto senatus ; ac de Christi ἀποθεώσει similiter tentata, sed non impetrata. De quibus priusquam agam, totum Chrysostomi locum, in quem ille dentes infigit, huc adscribam ab illis verbis, quæ proxima sectione paucula descripsi. « Sic Alexandrum, inquit, tertium decimum habendum esse Deum, decrevit Romanus senatus. Hic enim ea potestatis dignitate præditus erat, uti Deos quos vellet eligeret, et in numerum referret. Cujus rei argumento est, quod ubi quæ ad Christum attinent renuntiata sunt omnia ; qui tum genti præerat, litteras misit ad Senatum, quibus sciscitabatur, utrum ipsi placeret illum inter Deos adoptare. Verum Senatores abnuerunt, irati, et iniquo animo ferentes, quod citra decretum et sententiam, Crucifixi vis ubique diffuso splendore suo, totum orbem terrarum in sui cultum, venerationemque traxisset [a]. » Hæc narratio Chrysostomi vera falsis admista complectitur. Alexandrum in Deorum numerum relatum fuisse, ut tertius decimus haberetur, multorum testimonio compertum est. Clemens imprimis Alexandrinus hoc refert in *Protreptico* : tum Cyrillus libro VI *contra Julianum* [1]. Æneas Gazæus in *Theophrasto*, qui hunc honorem ab Atheniensibus illum ait esse consecutum [b]. Non igitur ab Romano senatu, sed ab Atheniensibus pro Deo consecratus est. Atenim Molinæus absurdissimum id esse judicat, arbitrari apud illos, qui Alexandrum jussere esse Deum, præstitutum fuisse Deorum numerum ; et suo quemque ordine numeratum. Verum rem ille valde protritam ignoravit, duodecim apud Romanos, sed et apud Græcos, fuisse primarios Deos : de quibus Ennianum hoc est vulgare distichum.

« Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, [Mars ;
Mercurius , Jovis , Neptunus , Vulcanus, [Apollo. »

Duodecim Dei.

Hi sunt δωδεκάθεοι , nempe sex Deæ, totidemque Dii, ut Suetonius refert *in Augusto*, capite LXX, cum de cœna illius agit δωδεκαθέῳ. Atqui hi sunt, quos ʼΟλυμπίους θεοὺς nominabant, hoc est *cœlestes*. Hæc enim est vocis ʼΟλυμπίου notio : ut apud Philonem libro *de Dei immutabilitate* ὀλύμπιος ἔρως, *amor cœlestis* vocatur : et ὀλύμπιος, καὶ οὐράνιος ψυχὴ, *cœlestis anima* ὀλύμπιος θησαυρός. Et Hesychius ὀλυμπιος, ait, οὐράνιος.

Cœlestis thesaurus.

XI. Quamobrem in eo Chrysostomus memoria lapsus est, quod senatui Romano tribuit id, quod Atheniensibus imputari oportuit. Sic de Christo Domino quod refert, de hoc inter Deos reponendo ad senatum retulisse gentis præsidem, paululum deflexit a vero, dum hoc esse gestum credidit jam ubique nuntiato, et diffuso per orbem Evangelio, quod sub passionis tempus accidisse, sed acci-

a Chrysost. ibid. Οὕτως ʼΑλέξανδρον τρισκαιδέκατον ἐνόμισεν εἶναι θεὸν ἡ σύγκλητος Ῥωμαίων. καὶ γὰρ αὕτη ταύτην εἶχε τὴν ἀξίαν χριροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεοὺς· ὅτε γοῦν τὰ κατὰ Χριστὸν ἀπηγγέλη πάντα, ἔπεμψεν ὁ τοῦ ἔθνους ἄρχων πυνθανόμενος, εἰ δοκεῖ αὐτοῖς καὶ αὐτὸν χρειροτονῆσαι θεόν. οἱ δὲ οὐκ ἐπένευσαν, ὀργιζόμενοι, καὶ ἀγανακτοῦντες, ὅτι πρὸ τῆς αὐτῶν ψήφου, καὶ γνώμης ἡ δύναμις τοῦ σταυρωθέντος ἐκλάμψασα, εἰς τὸ οἰκεῖον ἐπεσπάσατο σέβας τὴν οἰκουμένην ἅπασαν.

b Æneas tom. XII *Bibl.* Ὁ δὲ ʼΑλέξανδρος τρισκαιδέκατος θεὸς παρ' ʼΑθηναίοις ἀνηγορεύετο.

1 Cyrill. lib. VI *contra Julian.*

disse tamen memoriæ proditum est a Tertulliano [1], et post hunc ab Eusebio [2]. Verum non est acuti critici hac una de causa, quod in historicis circumstantiis aberratum illic est, ab Chrysostomo funditus abjudicare laciniam illam; quam qui ad Lampridii Alexandrum Mammææ filium commentarios elucubrarunt, Molinæi consectanei, Casaubonus, et Salmasius, germanum fetum illius esse minime dubitarunt.

Critices carentiam.

Accedat et illud ad ejusdem temeritatem, et ἀκρισίαν convincendam aptissimum, quod in oratione sexagesima tomi sexti Chrysostomus eadem scribit de honore quem Imperatores Apostolorum sepulcris habebant, ut post mortem illorum janitores Constantinopoli esse vellent: quod ad illorum basilicas corporum suorum conditoria, ac mausolea collocari voluissent. « Illi (inquit de Apostolis loquens) ducti, et circumducti, contemptim habiti, vincti, infinita mala perpessi, post obitum majori in honore quam ipsi reges habentur. Quod qua ratione fiat, deinceps accipe. Romæ in regina omnium urbe, spretis cæteris, ad piscatoris, et tentoriorum artificis sepulcra imperatores accurrunt, et consules, et duces. Quinetiam Constantinopoli ne propius quidem Apostolos ipsos, sed ad eorum limina humi mandari cadavera sua pro magno duxerunt ii, qui diademate coronantur. Ita Piscatorum janitores facti sunt Imperatores : nec eos post obitum tales esse pudet : verum id sibi decorum existimant non ipsi tantum, sed et illorum posteri [a]. » Hæc Chrysostomus, in ea oratione, qua Christi divinitatem approbat; quæ profecto supposititia nec est, nec haberi potest.

Quomodo sunt interpretandi veteres qui solum Deum invocandum prædicant.

XII. Ad extremum nec illud prætererim quod ad veterum quorumdam explicandas sententias plurimum potest conducere; in quibus solus invocandus Deus esse dicitur, ac sine internuntiis, et conciliatoribus adeundus: quod pro sua benignitate faciles præbere nobis aures, et votis annuere sit paratus. Habent enim dicta hujusmodi, vel hortationes, eam vim, non ut intercessores adhibere vetent omnino, ac nefas esse istud affirment : sed ut propensam in nos Dei voluntatem esse significent, et indulgentem adeo, ut per nos ipsos adeuntes, ac supplicantes clementer accepturus sit. In quo humanum ad usum, moremque temperata locutio est. Ut cum præpotens rex aliquis, ad quem per *admissionales*, et εἰσαγγελεῖς ordinarius est aditus, propensum in aliquem animum suum amoremque testificari volens, ei loquitur sic : Tu si qua in re opus me habes, potes me quoties volueris, per te convenire; Ego tua causa omnia faciam. Qui hæc dicat : non propterea succenseat, si is, cui copiam fecerit sui, præ modestia, et principis sui reverentia, non per seipsum interpellare audeat interdum : sed per aulicos regi intimos, et gratiosos supplicem libellum offerat. Non dissimilis est apud omnipotentem Dominum causa Christianorum. Quamvis enim per se ipsi interpellare possint ; et vero plerumque ita faciunt ; ut ex usitatis in Ecclesia catholica precibus constat; nonnunquam tamen precatores allegant sanctos ac Deo caros, uti vivos, ita defunctos; vel potius meliore apud illum vita degentes.

XIII. Huc Hilarii spectat eximius, et ad rem præsentem aptissimus locus : imo Christi ipsius ante, quam Hilarii. Dixit enim ille Apostolis suis [1]: *In illo die in nomine meo petetis : et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia a Deo exivi* [3]. Quibus allatis Christi verbis, hæc Hilarius pertexit. « Caret apud Patrem intercessionis necessitate perfecta de Filio fides; quæ quod a Deo exierit credat atque amet : et per se ipsa jam et audiri meretur, et amari, natum ex Deo filium, missumque confessa [4]. »

Vides ut Christus naturalis, ut ita loquar, et proprius, ac necessarius mediator Dei et hominum, necessariam nihilominus operam suam in intercedendo neget esse Apostolis, eo quod Pater ipse sic illos amet, ut absque interventore, ac sequestre nihil non petentibus ipsis, imo ne rogantibus quidem, largiri sit paratus. Quod dupliciter explicare licet. Primum ut tanta erga illos caritate flagrare

a Chrysost. vers. 13. Οἱ γὰρ ἀγόμενοι, καὶ περιαγόμενοι, οἱ καταφρονούμενοι, καὶ δεσμούμενοι, οἱ τὰ μυρία πάσχοντες δεινὰ, τελευτήσαντες αὐτῶν εἰσι τῶν βασιλέων τιμιώτεροι. καὶ πῶς σκόπει ἐντεῦθεν· ἐν τῇ βασιλικωτάτῃ πόλει Ῥώμῃ πάντα ἀφιέντες, ἐπὶ τοὺς τάφους τοῦ ἁλιέως, καὶ τοῦ σκηνοποιοῦ τρέχουσι καὶ βασιλεῖς, καὶ ὕπατοι, καὶ στρατηγοί· καὶ ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει δὲ οὐδὲ πρὸς τοὺς Ἀποστόλους ἐγγὺς, ἀλλὰ παρ' αὐτὰ τὰ πρόθυρα ἔξω ἀγαπητὸν εἶναι ἐνόμισαν οἱ τὰ διαδήματα περικείμενοι τὰ σώματα αὐτῶν κατορύττεσθαι. καὶ γεγόνασι θυρωροὶ λοιπὸν τῶν ἁλιέων οἱ βασιλεῖς· καὶ ἐν τῇ τελευτῇ οὐκ αἰσχύνονται, ἀλλὰ καὶ ἐγκαλλωπίζονται οὐ μόνον αὐτοὶ, ἀλλὰ καὶ ἔγγονοι αὐτῶν.

1 Ter. *Apol.* cap. v et xxi. — 2 Euseb. lib. II *Hist.* cap. ii. — 3 *Joann.* xvi 26. — 4 Hilar. lib. VI.

Patrem suum significet, ut antequam ea, quibus habent opus, a Patre postulent, adeoque mediatorem, et interpellatorem Christum interponant : quemadmodum proxime ante uti facerent admonuit his verbis ; *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*[1]*: Petite, et accipietis*; antequam igitur et mediatorem se, et per eumdem, Patrem suum conveniant, hunc omnia nondum petentibus concessurum esse pollicetur; non quidem absque mediatoris opera, et merito : sine quo nihil omnino tribuitur : sed absque peculiari necessariæ istius rei postulatione, quam egentium Apostolorum preces eliciant; qui ne cogitent quidem. Quo illud referri potest profani hominis votum minime profanum Deum rogantis, uti

« bona quidem sive postulemus, sive non [postulemus,
Nobis tribuat[a]. »

Tum illud Isaiæ[2] : *Eritque antequam clament; ego exaudiam.*

Hyperbolice. Deinde potest dictum illud Christi καθ' ὑπερβολὴν accipi: quemadmodum intellexisse videtur Cyrillus : nimirum ut vim amoris, quo Apostolos filii sui prosequitur cœlestis Pater, exprimat : qui tantus est, ut commendatione filii quodammodo non egeat : adeo ut etiam hoc tacente, minimeque satagente, nihilominus suapte sponte bene sit illis facturus.

Jam vero uti nemo christianus mediatorem apud Patrem interponendum esse Christum negare audeat, ex eo quod minime necessarium id esse Evangelii verbis Hilarius colligit; neque Christo prætermisso, solum esse Patrem adeundum dicere : sic absurde, imperiteque faciunt qui mediatores advocandos esse sanctos non putant, sententiis illis adducti, quæ ad Deum; sine ullius interventu, confugiendum esse prædicant.

Sed finis sit; nam reliquas Molinæi, ac similium nugas persequi non est otii, neque stomachi nostri. Cujusmodi illius est stupor, dum Theodoreti negat esse germanas orationes *de Curandis Græcorum affectionibus* : nec non Gregorii Nysseni, orationem *de S. Theodoro.* De Cyrilli vero *Catechesibus mystagogicis* dicemus alio loco.

a Apud Xenoph. Socrates.

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις,
Ἄμμι δίδου.

1 *Joan.* XVI, 24. — 2 *Isaiæ* LXV, 24.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE INCARNATIONE VERBI

LIBER DECIMUS QUINTUS

IN QUO DE ADORATIONE CHRISTI HOMINIS, AC SANCTORUM, TUM CRUCIS, ATQUE IMAGINUM DISSERITUR.

CAPUT PRIMUM

De religione, quæ virtus adorationem exercet, obiter disputatur. 2. *Ejus varia nomina.* 3. θρησκεία *quid sit, et unde dicta.* 5. *Religionis et superstitionis nominum interpretatio. Cicero perperam reprehensus ab Lactantio.* 7. *Religioni inesse debet sapientia, et cognitio.* 8. *Tria necessaria videri ad constituendam religionem.* 9. *Ex quibus informatur religionis definitio. Eam porro Dei solius cultum proprie per seque spectare, cæteros nonnisi* σχετικῶς, *et illius gratia.*

I. Nemo hactenus theologus exstitit, qui, cum de sacramento Dominicæ incarnationis ageret, non de Christi hominis adoratione disputandum sibi esse putaverit. Quod veteres quidem parcius, et quatenus ad solum fere Christum pertinebat, explicare sunt aggressi : posteriores latius plerique tractarunt : ut, præter Christum, de hujus sanctissimæ genitricis, ac cœlitum cæterorum : nec non de Crucis dominicæ, deque imaginum cultu, et adoratione diligenter inquirerent. Credo quod recentiorum hæreticorum ad id illos importunitas excitabat; qui ex omnibus Catholicæ religionis ritibus, illum sibi potissimum oppugnandum, evertendumque sumpserunt. Etenim nullum propemodum cum illis de rebus fidei colloquium, nulla disputatio suscipitur, in qua non illud primum, ac præ omnibus unum exprobrent, idololatras nos esse, hoc est *idolorum adoratores*, quod præter unicum, ac supremum Deum, beatissimam quoque Dei matrem, sanctosque post eam reliquos; tum eorum reliquias, et imagines; crucem denique Salvatoris colere nos, et adorare profiteamur. Quæ Catholicæ partis accusatio cum periniqua sit, et vel ex inscitia, vel ex impudenti calumnia profecta, propulsari, ac refelli, itidem ut ab aliis theologis solet, a nobis hoc loco debet : ad idque plurimum conferet, bene comprehensam, et perspectam habere vim nominum eorum, quibus ille tum Deo, tum homini Christo, ac proxime ante memoratis cæteris adhiberi solitus in Ecclesia cultus exprimitur. Quocirca de adorationis ante omnia propria notione, ac de ejus multiplici specie, quam potero paucissimis exponam.

II. Ejus virtutis, quam *religionem* appellant, cum variæ sint actiones, harum una est *adoratio* : quæ cujusmodi sit, tum facilius cognoscetur, cum illa ipsa virtus, a qua proficiscitur, religionis intellecta fuerit. Eam Græci compluribus vocabulis indicant; sed his potissimum, quæ sunt, σέβας, vel σεβασμὸς, εὐσέβεια, θεοσέβεια, θρησκεία, ἐθελοθρησκεία, λατρεία, θεραπεία δουλία. Latini præter *religionis* peculiare nomen, *cultum*, et *pietatem* usurpant : de quibus vocibus pauca sunt adnotanda, quæ ad sequentem disputationem nonnihil conducent. Adorationis propria notio, ejusque varia nomina.

Σέβας proprie est *cultus*, unde σέβω, vel σέβομαι est *colo*, ut habent Glossæ veteres. Hesychius σέβεσθαι sic interpretatur, ut sit λατρεύειν, προσκυνεῖν; unde σεβαστὸν exponit *adorandum*, et *honorandum* [a]; quod idem in Cyrilli lexico legitur, ut et illud, σέβας, προσκύνησις. Hinc Σεβαστὸν Græci, quem Latini *Augustum*, nominant; quod cognomen assumptum ab

a Hesych. Σεβαστὸς, προσκυνητὸς, τιμητός.

Octavio primum in successores manavit Cæsares : quippe « loca religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dici, » auctor est Suetonius [1], Lucas [2], quem, « ut ejus scripta indicant, Græci sermonis non ignarum fuisse » testatur Hieronymus [3], τοὺς σεβομένους προσηλύτους *religiosos*, et *divini cultus apprime studiosos* appellat *proselytos*; vetus Interpres *colentes ;* at idem paulo post τὰς σεβομένας γυναῖκας, *religiosas mulieres* interpretatur. Græcus Scholiastes in priore loco *proselytos colentes* vocari dicit, « quod in observando cultu, ac religione sua sint ardentes, et ignei, ac zelo reliquis antecellant [a]. » Ab hoc nomine deducta sunt εὐσέβεια et θεοσέβεια, quibus opponitur ἡ ἀσέβεια. Quibus in vocabulis impie ac sacrilege lusisse [4], fertur Eudoxius Arianus Constantinopolitanæ sedis invasor; qui in frequenti concione populi dicere est ausus, Deum Patrem esse ἀσεβῆ, quod nullum coleret; cum *impium* vox ista significet : Filium vero, εὐσεβῆ, quod Patrem coleret.

Treskia quid sit, et unde dicta apud Græcos.

III. Θρησκείας vox a Thracibus deducta creditur : « quos asserunt primos divinitatis notionem invenisse [b], » ait Etymologici auctor; qui Gregorium Nazianzenum testem illius laudat ita scribentem : « Non Thracum orgia, quorum est θρησκεύειν, hoc est *religiose Deum colere*, ut fama celebratum est [c]. » Θρεσκεύειν Hesychius exponit vocabulis istis, *colere*, *venerari*, *Deo affixum esse, ministrare Deo*, *eique famulari* [d]. Cyrilli Lexicon θεοσεβεῖν interpretatur.

Cæterum vox ista tam in bonam partem, quam in deteriorem accipi solet. Nam generatim ad cultum qualemcumque, et cujuscumque Numinis accommodatur. Interdum vero superstitionem significat. Ita glossarium græco-latinum Θρησκεία, *superstitium*, *religio*, *ritus*. Gregorius vero Nazianzenus in *Iambico* XV *de Definitionibus minus exactis*, θρησκείαν ita discernit ab εὐσεβείᾳ, ut illa « cultum etiam dæmonum significet : hæc vero Trinitatis adorationem [e] : » hoc est veram pietatem ; quibus verbis indicat, θρησκείαν, veram et falsam religionem ; εὐσέβειαν nonnisi veram exprimere. In quo falli puto Eliam Cretensem Gregorii commentatorem [5] : qui θρησκείαν ab illo putat adstringi solum ad cultum idolorum ac dæmonum : cujus repertorem ait fuisse Orpheum Thracem ; qui primus Gentilium mysteria, et ritus venerandorum numinum memoriæ prodidit. Sed perspicuum est hoc solum docere Gregorium, θρησκείας nomen *etiam pro cultu dæmonum usurpari ;* quæ vox *etiam* ostendit non pro eo solo, sed pro vero quoque sumi. Certe idem ipse Gregorius in prima oratione, θρησκεύεσθαι pro vero. et Christiano cultu accipit, cum de præfectura, et magistratu, præsertim Ecclesiastico, loquens, hoc est episcopatu, negat ab omnibus esse repudiandum. Nam si omnes detrectent, « Ubinam, inquit, et a quibusnam Deus mysticis illis, et sursum ferentibus sacris coleretur [f] ? » Tum Clemens Alexandrinus eumdem veri Dei cultum hac voce designat [6]: Synesius item epistola quarta θρησκευτὴν appellat *religiosum*, id est *monachum*. Et, quod caput est, Jacobus in epistola canonica, θρῆσκον pro *pio*, et *religioso* sumit : *Si quis putat se religiosum esse* [g]. Habent Græci vocem alteram, id est addita altera eamdem auctam, qua *superstitionem*, sive *cultum illicitum* nuncupant, ἐθελοθρησκεῖαν, quasi dicas, propria voluntate, non ex divina, congruentique disciplina usurpatum Numinis cultum, quo nomine utitur Apostolus Paulus in epistola *ad Colossenses*, ubi *superstitionem* reddidit interpres. Quanquam Eusebius in libro primo *de Demonstratione Evangelica* ἐθελοθρησκείαν appellat Mosaicam legem, parvulis, et imbecillis olim per Mosem Judæis editam [h].

Latria et Dulia.

De λατρείᾳ, et δουλίᾳ pluribus dicam postea, cum de adoratione disseram.

IV. Apud Latinos ad eamdem significandam virtutem trita sunt præsertim tria ista

a OEcum. in cap. XIII *Act.* Τοὺς περὶ τὸ οἰκεῖον σέβας θερμοὺς, καὶ διαπύρους, καὶ ζηλωτὰς τῶν ἄλλων μᾶλλον.

b Etymol. Οὗτοι γὰρ πρῶτον ἐξεῦρον τὴν περὶ τὸ θεῖον ἔννοιαν.

c Naz. Οὐ Θρακῶν ὄργια, παρ' ὧν καὶ τὸ θρησκεύειν, ὡς ὁ λόγος.

d Hesych. Θρησκεύει, σέβεται, θεραπεύει, προσεδρεύει, ὑπηρετεῖ τῷ θεῷ, λατρεύει.

e Nazianz. *in carm. Iamb.*
Θρησκείαν οἶδα καὶ τὸ δαιμόνων σέβας.
Ἡ δ' εὐσέβεια προσκύνησις (τῆς) τριάδος.

f Idem. orat. I. Ποῦ δ' ἂν ἔτι, καὶ παρὰ τίνων θρησκεύοιτο ἡμῖν ὁ θεὸς τὰ μυστικὰ, καὶ ἄνω φέροντα, etc.

g *Jac.* I, 26. Εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος εἶναι.

h Eusebius I *de Dem.* vers. 29. Ἰουδαίων δὲ ὡσαύτως τῶν ὑπὸ Μωσέως ἀτελῆ, καὶ οἷα νηπίοις, καὶ ἀσθενέσι κατάλληλον ἐθελοθρησκείαν.

1 Suet. *in Octa*, cap. VII. — 2 *Act.* XIII, 43 et 51. — 3 Hieron. *de Scrip.* cap. XVII. — 4 Niceph. lib. IX cap. XLVI. — 5 Elias ad orat. I Nazian. nu. 12 et ad orat. III num. 4 et 104. — 6 Clem. V *Strom.* et lib. VI initio.

Item apud Latinos, Religio et pietas.

nomina, *religio, pietas*, et *cultus :* quibus hæc proprie Græca respondent, θρησκεία, εὐσέβεια, sive θεοσέβεια, et θεραπεία. De his omnibus fere Græcis, Latinisque vocabulis Augustinus accurate disputat. Et initio quidem *Enchiridii*, capite secundo, commemoratis his Scripturæ verbis ex libro Job[1], *Ecce pietas est sapientia*, ista pertexit : « Si autem quæras quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in Græco reperies θεοσέβειαν, qui est Dei cultus. Dicitur enim Græce pietas et aliter, id est εὐσέβεια : quo nomine significatur bonus cultus : quamvis et hoc præcipue referatur ad colendum Deum. » Tum in libro decimo *de Civitate Dei*; capite primo fusius de illis vocibus disserit. Ubi primum Latriam in Scripturis sanctis accipi dicit pro *ea servitute, quæ pertinet ad colendum Deum :* de qua dicam paulo post. Deinde ipsum colendi, vel cultus vocabulum ad alia multa transferri ait, « Et quia et aliarum rerum dicitur cultus, ideo Latine uno verbo significari Deo debitus cultus non potest. » Quinetiam ne ipsum quidem *religionis* nomen, « quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur, unde eo nomine interpretati sunt nostri eam quæ Græce θρησκεία dicitur, » nihilominus ambiguum esse docet, quod eo significetur officium, et cultus ille præterea, qui « cognationibus humanis, atque affinitatibus, et quibusque necessitudinibus exhibetur. » Quod ipsum et de pietatis vocabulo dicit, quam Græci εὐσέβειαν vocant : quæ quidem « et ergo parentes haberi officiose dicitur, » et operibus misericordiæ tribuitur. Demum ita concludit Augustinus. « Quæ itaque λατρεία Græce nuncupatur, et Latine interpretatur *servitus*, sed ea, qua colimus Deum : vel quæ θρησκεία Græce, Latine autem *religio* dicitur, sed ea, quæ nobis est erga Deum : vel quam illi θεοσέβειαν, nos vero non uno verbo exprimere, sed *Dei cultum* possumus appellare : hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores Deos. »

Religionis etymologia.

V. Sed apud Latinos præcipuum est, ac præ reliquis usitatum nomen religionis, cujus origo et interpretatio varie traditur. Nam aut ab *relegendo;* aut ab *relinquendo;* aut ab *religando* deducitur. Primam amplexus est Cicero in secundo libro *de Natura Deorum* ubi superstitionem a religione discernit. « Nam qui totos dies precabantur, et immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati : quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo : ut elegantes ex eligendo : tanquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso. Ita factum est in superstitioso, et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis. » Hunc locum, et hanc Ciceronis interpretationem arguit Lactantius[2], atque ineptam judicat; sed ita, ut illius mentem minime videatur assecutus. Nam hoc velle Ciceronem putat, « precari pro salute filiorum semel, religiosi : et idem decies facere, superstitiosi esse hominis. » Atqui « si semel facere optimum est, quanto magis sæpius? » Item, « si totos dies precari, et immolare, criminis est; ergo et semel. Si superstites filios subinde optare, vitiosum est, superstitiosus igitur et ille, qui etiam raro id optaverit. Aut cur vitii nomen sit ex eo tractum, quo nihil justius optari potest? » Verum non ex eo superstitiosum appellatum esse dicit Cicero, quod sæpius, et totos dies precaretur, ac deos adiret, aut iis sacra faceret : quod qui ageret, religiosus vocari perinde mereretur : sed inde potius, quod eamdem rem nimis improbe anxieque peteret : ac non tam honoris deorum cupidus, quam proprii commodi in illa ipsa re postulanda videretur. Siquidem optare superstites liberos, patris familias interest : idque si immoderate, et nimis avide roget, ac contendat, in vitio ponitur. At vero Numinis cultum studiose persequi, et in eo pervestigando, ac relegendo diligentiam, et industriam adhibere, si id per se spectetur, hoc est privata utilitate seposita, laude dignum et honestum merito censebitur. Ita religio, laudabilem cultum, superstitio vituperabilem significat : quoniam hæc non tam ad illius, quem colit, honorem : quam ad utilitatem, cupiditatemque propriam officium suum refert : illa nihil nisi cultum Dei, ac venerationem respicit.

Frustra Cicero a Lactantio reprehensus.

De superstitione.

VI. Non est tamen hoc omittendum, *religiosi* vocem apud antiquos in deterius acceptam fuisse, et cum *superstitioso* promiscue habitam : quod ex Nigidio Figulo homini doctissimo Aulus Gellius commemorat[3] ; a quo et incerti poetæ versum hunc allatum refert;

1 *Job*. xxviii, 28. — 2 Lact. lib. IV, cap. xxviii. — 3 Lib. IV, cap. ix.

« Religentem esse oportet; religiosum nefas.»

« Hoc, inquit Nigidius, inclinamentum semper hujusccmodi verborum, ut vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus, signat copiam quamdam immodicam rei, super qua dicitur. Quocirca religiosus is appellabatur, qui nimia, et superstitiosa religione sese alligaverat : eaque res vitio assignabatur. »

Lactantius porro tum religionem a superstitione distinguit ita[1], ut « religio veri cultus sit; superstitio, falsi;» tum « religionis nomen a religando, et a vinculo pietatis esse deductum; quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit : quia servire nos ei ut Domino, et obsequi ut patri necesse est, etc. Superstitiosi autem vocantur (pergit idem dicere) non qui filios suos superstites optant, (omnes enim optamus) sed aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites colebant imagines eorum domi, tanquam deos penates. Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. Eos vero, qui publicos, et antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Unde Virgilius octavo *Æneidos*,

Vana superstitio, veterumque ignara deo-
[rum. »

At Massurius Sabinus, ut scribit Gellius[2], religiosum dici putat, « quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est; verbum a relinquendo dictum, tanquam ceremoniæ a carendo. » Huic religionis origini suffragatur Nonius Marcellus, qui et superstitiosi aliud etymon profert. « Sed vere superstitiosi, ait, proprietatem ex hoc habent, quod præ cultura deorum supersedeant cætera, id est negligant. Itidem et religiosi, quasi religiosi omnium cæterorum, sacrificiis deserviant. » Fortean legendum *reliquosi*, quod cætera omnia relinquant. Sed et Macrobius idem cum Gellio docet, auctore fretus Servio Sulpicio.

Interpres vero Virgilii Servius ad illum octavi *Æneidos* versum, superstitionem, quam definit *timorem superfluum, et delirum*, dictam putat « ab aniculis, quia multæ superstites per ætatem delirant, et stultæ sunt. Aut secundum Lucretium, superstitio est superstantium rerum, id est, cœlestium, et divinarum, id est quæ super nos stant, inanis, et superfluus timor. » Respexit autem ad illos Lucretii versus, quibus religionem ita describit in libro primo :

« Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub relligione,
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans. »

Nam *religionem* passim pro *superstitione* ponit, et ab religando derivare videtur : ut cum in eodem primo libro *religionum nodos* appellat,

« Primum quod magnis doceo de rebus, et
[artis
Religionum animos nodis exsolvere pergo. »

Denique ad *Æneidos* octavum librum, Servius religionem dictam inde vult, « quod ea homines regantur ad cultum divinum. »

VII. Ut has omnes originationes missas faciam, quarum pleræque fortassis insulsæ sunt, usus jam obtinuit, ut *religio* in virtute, *superstitio* in vitio poneretur. Itaque Philo Judæus τὴν εὐσέβειαν, quæ est *religio*, vel *pietas*, duobus extremis vitiosis utrimque stipari asserit, δεισιδαιμονίᾳ, id est *superstitione*, et ἀσεβείᾳ, quæ est *impietate*. Quod etiam Clemens Alexandrinus observat *in Protreptico ad* gentiles : et utrumque vitium allegorice significari dicit *Deuteronomii* capite XXIII, ubi ab ingressu Ecclesiæ Domini duo hominum genera prohibentur, *eunuchus*, sive attritis, sive amputatis testiculis; et *de scorto natus* : quæ sic interpretatur, « ut eunuchi generum duum, impium animi affectum significent, divina, et fecunda et genitali virtute privatum : reliquus autem, et tertius, id est e scorto natus, eum designet, qui pro uno veroque Deo, plures sibi falso appellatos inscribit deos : quemadmodum qui e scorto natus est, multos sibi, ob veri inscitiam, patres adscribit[a]. » Huic Clementis allegoriæ

a CLEM. ALEX. Αἰνίττεται δὲ διὰ μὲν τῶν προτέρων τὸν ἄθεον τρόπον, τὸν τῆς θείας, καὶ γονίμου δυνάμεως ἐστερημένον· διὰ δὲ τοῦ λοιποῦ τοῦ τρίτου, τὸν πολλοὺς ἐπιγραφόμενον ψευδωνύμους θεοὺς, ἀντὶ τοῦ μόνου ὄντος θεοῦ. ὥσπερ ὁ ἐκ τῆς πόρνης τοὺς πολλοὺς ἐπιγράφεται πατέρας, ἀγνοίᾳ τοῦ πρὸς ἀλήθειαν πατρὸς.

1 Loco citato. — 2 Ibid.

suffragatur usitata propheticis in libris illa similitudo, qua cum adulterio, vel scortatione Israelitici populi idololatria comparatur. Eoque pertinet illud Lactantii libro IV, capite III. « Cultus igitur deorum veri esse non possunt; eodem modo, quo matrimonium dici non potest, ubi mulier una multos viros habet : sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur, etc. Sic et religio deorum impudica est, et incesta; quia fide caret. »

Idem Clemens in libro septimo *Stromateon*, de cultu Dei ac vera religione disputans, ostendit solum eum, qui Christianus est perfectus, ac suis omnibus numeris absolutus, quem ab scientia γνωστικὸν appellat, esse « sanctum, et religiosum, prout divinæ majestati convenit, verum Deum colentem[a]. » Hanc virtutem[1], θεραπείαν τοῦ θεοῦ, id est *cultum Dei* vocat, et θεοσέβειαν, nec non θεοπρέπειαν, hoc est *cultum divinæ majestati congruentem*. Quam quidem definit sic, ut sit *habitus qui id servat quod Deo convenit*[b]. Hunc autem habitum partim scientia, et notitia constare rerum illarum, quæ ad Deum colendum pertinent, partim pio affectu animi integri et innocentis; recte scripsit Hierocles Pythagoreus in commentario *ad aurea Pythagoræ carmina* « Religiosus, inquit, est, qui divinam scientiam, et sui perfectionem adeptus est; utpote qui præstantissimum honorem tribuit bonorum causis, et principiis, per creaturæ studium ad eos, qui ad largiendum natura comparati sunt, sese convertens; et eo ipso quod bona potest capere, honorans illos, ab quibus ista perpetuo donantur[c]. »

Gnosticum.

Philo Judæus in tractatu, *Quod deterior potiori insidietur*, alio modo definit, « Religionem esse ministerium hujusmodi, quale servi impigre quidquid jussum fuerit facere parati, dominis exhibent[d]. »

Nec pœnitenda est illa definitio, quam Festus grammaticus his verbis complectitur : « Religiosi dicuntur, inquit, qui faciendarum, prætermittendarumque rerum divinarum, secundum morem civitatis dilectum habent, nec se superstitionibus implicant. »

VIII. Ex quibus omnibus tria colliguntur, quæ religionis naturam constituunt. Imprimis, uti dixi, inesse scientia debet, ex qua delectus oritur rerum ad Dei cultum congruentium; unde *religio* nomen accepit. Quod late Clemens Alexandrinus libro sexto, et septimo *Stromateon* declarat : in quibus propositum ei est, ostendere, *Gnosticum*, quem perfectum dixi esse Christianum, non modo non ἄθεον, et *impium* esse, quod Gentiles passim de Christianis jactare solebant : verum e contrario solum esse veri Numinis cultorem, vereque pium, ac religiosum. Propterea duo illa vitia, quorum in medio sitam esse *religionem* scribit in *Protreptico*[e]; ἀμαθίας, id est *inscientiæ* propria esse statuit. Et alibi « nullum servare dicit religionis vestigium nec in hymnis, nec in sermonibus : sed nec in scriptis, vel dogmatibus, minime convenientem Deo sententiam; quæ in abjectas, et minime decoras cogitationes sensusque deflectit[f]. » Et in *Stromateo* sexto, « religiose Deum colere, id esse ait veræ officia justitiæ cum cognitione conjungere[g]. » Lactantius item in libro IV, capite IV, negat « religionem a sapientia separari posse, aut sapientiam a religione secerni. »

Tria necessaria ad religionem constituendam.

Secundo inest in religione servitus quædam, quam Deo præstamus : quam quidem vocabula ipsa declarant, quibus *religio* solet affici, λατρεία, θεραπεία : et *religionis* origo ipsa, quam a *religando* deductam existimant. « Sapientia spectat ad filios, ait Lactantius[2], quæ exigit amorem : religio ad servos, quæ exigit

a Clem. Alex. init. VII *Strom.* Πρόκειται τοίνυν παραστῆσαι ἡμῖν, μόνον τὸ γνωστικὸν ὅσιόν τε, καὶ εὐσεβῆ, θεοπρεπῶς τὸν τῷ ὄντι θεὸν θρησκεύοντα.

b Clem. ibid. Ἡ θεοπρέπεια ἕξις ἐστὶ τὸ πρέπον τῷ θεῷ σώζουσα.

c Hier. *in aur. carm.* Εὐσεβὴς δὲ ὁ τὴν θείαν ἐπιστήμην ἔχων, καὶ τὴν ἑαυτοῦ τελείωσιν, ὡς τιμὴν ἀρίστην προσάγων τοῖς τῶν ἀγαθῶν αἰτίοις, τῇ σπουδῇ τῆς κτίσεως πρὸς τοὺς χορηγεῖν πεφυκότας ἐπιστρεφόμενος· καὶ τῷ λαμβάνειν τὰ ἀγαθὰ δύνασθαι τιμῶν τοὺς ἀεὶ διδόντας αὐτά.

d Philo. Εὐσέβειαν ὑπηρεσίαν τινὰ τοιαύτην, ὁποίαν δοῦλοι δεσπόταις τὸ κελευόμενον ἀόκνως ποιεῖν ἐγνωκότες ὑπηρετοῦσιν.

e Clem. *in Protr.* Ἀκρότητες ἄρα ἀμαθίας ἀθεότης, καὶ δεισιδαιμονία.

f Idem VII *Strom.* Καθόλου τοίνυν οὐδεμίαν σώζει θεοσέβειαν οὔτε ἐν ὕμνοις, οὔτε ἐν λόγοις, ἀλλ' οὐδὲ ἐν γραφαῖς, ἢ δόγμασιν, ἡ μὴ πρέπουσα περὶ τοῦ θεοῦ ὑπόληψις· ἀλλ' εἰς ταπεινὰς καὶ ἀσχήμονας ἐκτρεπομένη ἐννοίας τε, καὶ ὑπονοίας.

g Idem. Τὸ δ' ἐστὶ θρησκεύειν τὸ θεῖον διὰ τῆς ὄντως δικαιοσύνης ἔργων τε, καὶ γνώσεως.

1 Clem. VII *Strom.* — 2 Loco citato.

timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent, et honorare; sic hi dominum colere, ac vereri. Deus autem, qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, et patris, et domini: et amare eum debemus, quia filii sumus, et timere, quia servi. » Cui consentaneum est, quod nomina illa duo, quibus Hebræi religionem, piumque Dei cultum significant, servitutem ac timorem sonant; עבודה, et יראה. Sed et *metus* pro *religione* ab Latinis sumitur; quod auctoritate Virgilii confirmant Nonius Marcellus, et Servius ad septimi *Æneidos* versum hunc,

« Sacra comam, multosque metu servata [per annos. »

Tertio in religione spectari debent officia quædam, ὑπηρεσίαι, id est *ministeria*, ut Philo loquitur, cujusmodi servituti sunt annexa. Quanquam non talis est ista servitus, qualem a mancipiis exigunt, coacta scilicet, ac vi ab hominibus expressa, et ut ita dixerim servilis: sed *justa et clemens*, ut cum Comico loquar[1], et in qua *liberaliter serviunt*. Siquidem utraque persona conjungitur, *patris et domini*, in eo qui colitur, Domino, ac Deo, ut ait Lactantius[2].

Atque hæc officia, et ministeria, quibus ille colendus est, non temere sibi quisque debet præscribere, et qualiacumque vult adhibere: sed ab illo ipso, qui religiose est observandus, antea discere: quod per fidem, et sapientiam obtinetur, « quia idem Deus est, pergit Lactantius, obtinetur, qui et intelligi debet, quod est sapientiæ: et honorari, quod est religionis. Sed sapientia præcedit: religio sequitur: quia prius est, Deum scire; consequens, colere. » In quo animadvertenda *Socratis sententia est*, quam refert Augustinus[3], « unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præcepit. »

Religio Dei cultum spectat, cætera nonnisi relative.

IX. Ad extremum quæ sit natura *religionis* ac definitio, licet ex omnibus hactenus explicatis ita colligere: « Religio virtus est, quæ Deo tanquam supremo omnium Domino debitum, et congruentem cultum adhibet. »

Qua ex definitione illud intelligimus, religionem proprie ac per se solum intueri, ac sibi colendum proponere Deum; quod quidem in libro *de vero cultu*, qui est operis totius sextus, hac sententia complexus est Lactantius[4]: « Ergo in Dei agnitione, et cultu rerum summa versatur. In hoc est spes omnis, ac salus hominis; hic est sapientiæ gradus primus; ut sciamus quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur: huic pareamus: huic devotissime serviamus: in eo promerendo actus omnis, et cura, et opera collocetur. » Quod si in alios officii aliquid, et cultus virtus eadem impendat, non id erga illos principaliter exercet: sed per eos tendit ad Deum, ejusque gratia, et in istis honorandi illius causa facit. Quem cultum σχετικὸν Græci nominant, hoc est *relativum*, et quasi *transitorium*: qui non in eo sistit hæretque, qui colitur; sed per eum transit ad primarium, ut vocant, *objectum*. Quemadmodum amor ille, quo propter Deum caros habemus homines, ac de his bene mereri studemus, ad ipsum proprie pertinet, qui in iis diligitur, Deum. Quo illa Christi sententia spectat: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*[5]. Hoc vero diligenter observare oportet, quod accuratius postea docebitur; cum adversus catholicæ criminatores fidei, ac pietatis, causam hujus agemus. Nunc de adoratione, cujus gratia paululum in religionis explicanda natura commorati sumus, disputare aggredimur. Quam unum ex officiis religionis, et externi cultus functionibus, S. Thomas constituit in *summa Theologica*[6]; ubi de religione, et ejus actibus luculenter disserit[7].

1 Terent. *in Andr.* actu I, sc. I. — 2 Lib. IV, cap. IV. — 3 Lib. I *de cons. Evang.* cap. XVIII. — 4 Lib. VI, cap. IX. — 5 *Matth.* XXV, 40. — 6 In II II qu. LXXXIV. — 7 Ibid. qu. LXXXI.

CAPUT II.

De adorationis natura et definitione : 1, Adorationis definitio. Ea proprie soli Deo convenit ; creaturis secundum analogiam. 2. Duplex hujus differentia. 3. Adorationem esse duplicem, interiorem, et exteriorem. 4. Explicata vobabula, quæ adorationem significant, ut προσκύνησις. *5. De latria. 7. Quæ soli Dei adorationi tribuitur. 9. Externæ adorationis quædam species soli Deo deferuntur.*

I. Adoratio, quam Græci προσκύνησιν vocant, ut Joannes Damascenus in oratione prima *de Imaginibus* ait, est *submissionis, et honoris indicium*[a]. Et in tertia, *Submissionis, et abjectionis signum*[b]. Quod ex Anastasio Theopolitano, id est Antiocheno episcopo sumpsit ; qui in epistola quadam, « Adorationem dixit honoris expressionem esse[c]. » Quamobrem pro eo atque honor se habet, ita de adoratione judicandum est. Est autem honor[1], « testificatio quædam excellentiæ, quam in quopiam agnoscimus. » Aristoteles vero « signum esse dicit opinionis quæ de beneficentia alicujus excitata est[d], » (sic enim verba illius interpretor) quod tam de eo dictum intelligi vult, qui bene fecit, quam qui bene potest facere. Pro differentia igitur excellentiæ, aut beneficæ virtutis, variat honos qui illi tribuitur : varia itidem testificatio est honoris, et submissionis, abjectionisque sui, quam *adorationem* esse diximus. Dei ut natura, sic excellentia est, et dignitas infinita ; vis itidem infinita bene merendi ; quibus cum nullus ab creaturis profectus honor adæquari ; nulla par, et idonea compensari prædicatio ac testificatio potest : hominum vero, vel Angelorum, quantacumque sit amplitudo ac præstantia, si cum illa comparetur, non est exigua, sed nulla. Itaque distat hæc ab altera immenso quodam intervallo : nec sub eodem genere ambæ continentur. Ex quo manifestum est, προσκύνησιν, id est *adorationem*, quæ excellentiæ, honorisque testimonium habet, proprie soli convenire Deo : sicut et esse, sive τὸ ὄν, et opulentia bonorum omnium, ac possessio : creatis porro rebus nonnisi participatione quadam, et adumbratione ; ex quo ἀναλογία consequitur. Cujusmodi ex sanitate vulgatum et aptissimum exemplum philosophorum usus ascivit. Hæc enim proprie, ac soli congruit animanti : cæteris de quibus usurpari solet, nonnisi quatenus ad illud principale referuntur ; et ut ejus vel causæ sunt efficientes, ac conservantes : vel indicia tantum, et vestigia : vel quocumque alio modo ad illud pertinent. Græci σχέσιν hanc nominant : Latini *habitudinem*, ac *proportionem*. Ita τὸ ὄν, quod est *ens*, de Deo, creatisque rebus ἀναλόγως dicitur, et commune fit utrisque : qui proprie solus ille est, qui *se esse qui est*, verissime dixit : creata vero omnia cum eo comparata nihil sunt, utpote de nihilo facta, et eodem reditura, nisi ille conservet.

Adoratio per se soli Deo competit, creaturis vero per analogiam.

Per analogiam.

II. Sed est aliquid in ea re dignum animadversione nostra, quod magno deinceps usui futurum est : Nimirum ea, quæ σχετικῶς, et ἀναλόγως a principali tanquam a fonte derivatam appellationem capiunt, in duplici esse discrimine. Quædam enim formam ipsam, a qua denominantur, in sese continent, genere quidem diversam, sed pro captu creatarum rerum congruentem, et a primario participatam. Sic homo substantia dicitur, et intelligens, ac rationalis, sapiens item, et justus : quarum omnium appellationum causas, id est formas ipsas, et qualitates in se complectitur : quæ si cum Deo comparentur, valde sunt imperfectæ, et nonnisi ἀναλόγως tales nominantur. Alia vero forma ipsa carent, a qua denominantur ; nec nisi habitudine ad eam, quæ in principali residet, ac comparatione censentur ; quemadmodum in exemplo superiore sanæ dicuntur herbæ ; sana item inambulatio, quia salubres sunt ; id est sanitatem conciliant : quam sibi inhærentem non habent : nonnulla item sana dicuntur, quia sanitatis duntaxat indicium præbent. Eodem prorsus modo, ut ad propositum revocetur oratio nostra, honor atque cultus, et adoratio,

Duplex hujus differentia.

Relative et analogice.

Per analogiam.

a Damasc. Ἡ προσκύνησις, ὑποπτώσεως, καὶ τιμῆς ἐστι σύμβολον.

b Idem orat. III. Προσκύνησις τοίνυν ἐστὶ σημεῖον ὑποπτώσεως, τουτέστιν ὑποβάσεως, καὶ ταπεινώσεως.

c In VII syn. act. IV. Τιμῆς γὰρ ἔμφασίς ἐστιν ἡ προσκύνησις.

d Arist. I *Rhet.* cap. V. Τιμὴ δέ, ἐστι μὲν σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης.

1 S. Thom. II, II, qu. CV. art. I.

quæ propter excellentiam, et dignitatem alicui defertur, divinæ quidem primo et principaliter, ac proprie soli tribuitur. (Hanc enim spectat religio ipsa, cujus officia illa esse dicuntur) reliquis vero ἀναλόγως, et secundo loco defertur. Atque Angelis quidem, et hominibus, id est ratione præditis creaturis, ita convenit, uti causam et formam, ad quam honor adhæreseit, sui generis, et conditionis obtineant : cæteris vero, velut imaginibus, ac mutis eorum monimentis, quæ nullam ex sese capiunt excellentiam ejusmodi, in quam quadrat honor et cultus : minus proprie ac perfecte competere. Quare mere σχετικῶς coli, et adorari dicuntur : eo quod ad ista non adhæreseit, neque in his insistit veneratio nostra : sed per ea transit ad prototypum : uti postea copiosius exponam. At in sanctis non est sola σχέσις. Inest enim forma ipsa, excellentiaque sui generis, in quam honor, et cultus consentaneus dirigitur.

Relative.

Relatio.

Duplex adoratio interior et exterior.

III. Illud est præterea considerandum ; adorationem, ac religiosum cultum esse duplicem ; unum exteriorem, qui corporis administratione, et externo aliquo gestu, ac significatione præbetur, velut inclinatione capitis, adgeniculatione, et similibus : alterum interiorem, qui in mentis actione consistit, et exteriorem quodammodo animat et format; fit autem dupliciter. Nam et intelligentia capimus, ac profitemur excellentem illius dignitatem, qui a nobis colitur : et voluntatis affectu in eumdem rapimur, ut honestatum, et illustri in gloria positum eum esse cupiamus. « Etenim quia duplici natura constamus, ait Joannes Damascenus, aspectabili, et in aspectum non cadente, hoc est intelligibili, ac sensibili, idcirco duplicem conditori nostro adorationem offerimus [a]. » Utrumque Jonas Aurelianensis explicat sic [1], ut interior, *colendi* vocabulo; exterior, *adorandi* significetur. Ideo *Exodi* xx præcepisse Dominum : *Non adorabis ea, neque coles.* « Aliud est, inquit, colere, aliud adorare. Potest quis interdum et invitus adorare : sicut nonnulli regibus adulantes cum eos in hujusmodi studia deditos vident, adorare se simulant idola ; cum in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum. Colere vero est toto huic affectu, et studio mancipari. Utrumque ergo resecat sermo divinus; ut neque affectu colas, neque specie adores. » Atque hæc non omni ex parte vera est observatio ; recte tamen illud notatum est ; adorationem proprie in externo cultu, ac veneratione ita consistere, ut ejus comes esse debeat interior animi affectus, quo nos Deo subjicimus ; ex quo metienda, dijudicandaque est externa conformatio corporis, aut quælibet alia gestio; ut qualis ille cultus sit, et utrum major minorve, quam pro rei objectæ merito, ac dignatione sit, æstimari possit. Siquidem externus per sese spectatus potest fallere ; cum unus et idem homini plerumque tribuatur, ac Deo. Sed interest animi, ac propositi mentis, quod utrobique dispar est, et exterioris modum, ac rationem determinat.

Adoratio exterior per internum animi affectum dijudicanda

Explicantur vocabula quæ adorationem significant.

IV. His velut fundamentis positis, varia sunt consideranda vocabula, quibus adorationis species utraque circumscribitur ; quæ ambabus significandis pleraque sunt communia, uno fere duntaxat excepto, quod summæ majestatis venerationi usu magis et consensu, quam certa ratione delectum, et exemptum videtur. Sunt autem hæc præcipue nomina, προσκύνησις, σέβας, τιμὴ, λατρεία, δουλεία, de quibus nonnulla sunt adnotanda. Ea Latine reddi sic possunt : *Adoratio*, *cultus*, *honor*, *famulatus*, *servitus*.

Προσκυνεῖν, quod, *adorare*, ac *venerari* glossæ veteres interpretantur, ab κυνῶ et κύω quod est *osculari*, deducit auctor Etymologici magni, et Tarasius in epistola *ad Constantinum, et Irenem Imperatores* [2]. Hic enim salutandi mos apud antiquos fuit, ut oscularentur; quod ex Homero, aliisque tam Græcis, quam Latinis veteribus constat. Sed videtur non simplex *osculandi* vel *salutandi* notio ei subesse vocabulo : verum ejusmodi potius, quæ cum inclinatione, incurvationeque corporis ac vultus fieret : ita ut terræ os admoveretur ; propemodum κυνηδὸν, id est *canino more*. Fuit hoc salutandi genus Orientalibus præsertim populis usitatum. Aristoteles in primo *Rhetoricorum*, capite quinto, ubi de honore agit, partes ejus recenset, sacrificia, laudationes, et id genus alia : tum « quæ apud barbaros usurpari consueverant, ut adorationes [b] ; » ubi

a Damasc. lib. IV, cap. xiii. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἐξ ὁρατῆς τε, καὶ ἀοράτου, ἤτοι νοητῆς, καὶ αἰσθητῆς συντεθείμεθα φύσεως, διπλῆν, καὶ τὴν προσκύνησιν τῷ δημιουργῷ προσάγομεν.

b Arist. I *Rhet.* cap. v. Τὰ βαρβαρικὰ, οἷον προσκυνήσεις.

1 Jonas lib. I *de cultu imag.* tom. IV. *Bibl. Patr* — 2 Taras. in syn. vii act. vii.

necesse est προσκύνησιν sumi pro ea, quam dixi, cervicis, imo totius corporis inclinatione, et osculatione terræ : a qua liberi populi præsertim Græci, semper abhorruerunt. Scribit Plutarchus Themistoclem profugum a Græcia cum ad Xerxem, sive, ut aliis placet, Artaxerxem ejus filium venisset, monitum fuisse ab Artabano tribuno militum, ut si regem adire vellet, hunc prius more Persarum adoraret : « Nam vos, inquiebat, libertatis præ cæteris, et æqualitatis observantes esse ferunt. Apud nos autem cum plurimæ sunt, ac præclaræ leges; tum hæc præstantissima; honorare regem, et imaginem adorare servantis omnia Dei[a], » etc. Addidit, « regi usitatum non esse cuiquam aures præbere, a quo non prius sit adoratus. » Hic προσκυνεῖν, nullo adjuncto alio, pronum in terram venerari significat. At Herodotus libro septimo addidit verbum προσπίπτοντας, id est *in terram procumbentes*, ubi de Lacedæmeniorum legatis ad Xerxem adeuntibus meminit. « Primum, inquit, cum satellites eos juberent, et cogerent procumbentes regem adorare, negaverunt se, vel si in caput protruderentur, id esse facturos. Non enim in more sibi esse, hominem adorare[b]. »

Idipsum in Syria, et Palæstina receptissimum fuisse, testes sunt Scripturæ sacræ exemplis istiusmodi refertæ, in quibus non Deus solum ritu illo, sed etiam viri principes; et inferioris etiam conditionis homines salutati leguntur.

V. Quocirca generalis est ea vox, et ex usu sacrarum litterarum, tam ad profanum, et civilem honorem, quam ad sacrum, et divinæ majestatis peculiarem adhibetur. Nonnunquam tamen ad hunc proprie restringitur : ut cum ita lex præcipit, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*[1]. Quod et Patres imitati plerumque. Athanasius in epistola *ad Adelphium*, cum ita scribit; « Non enim creaturam adorat creatura[c]. » Et Basilius apud Gregorium Nazianzenum præfecto Valentis ad Arianam hæresim sequendam minis, et hortationibus instigante respondit; « Nullam creaturam adorare sustineo, cum sim ipse creatura Dei, et Deus esse jubear[d]. » Cyrillus quoque sæpius προσκυνεῖν pro adoratione sumit, quæ soli convenit Deo, et creaturæ interdicitur, ut in libro tertio *contra Nestorium*. Ubi hæreticus iste verbo σέβειν, quod est *venerari*, usus est pro λατρεύειν, et προσκυνεῖν. Itaque complures antiqui diligenter hoc notarunt τὴν προσκύνησιν non hujusmodi in Scripturis usum ac significationem habere. Imprimis vero Joannes Damascenus oratione prima, et tertia *de imaginibus* : et Tarasius in synodo septima : Jonas Aurelianensis libro primo *de imaginibus* contra Claudium Taurinensem : et Dungalus adversum eumdem; nec non liber *Excerptorum de imaginibus*.

Explicatur vox *Latriæ*, quæ ex usu supremum Dei cultum significat.

VI. De λατρείᾳ, quod nomen supremum Numinis cultum vulgo significat, Græci hoc Grammatici perhibent, λάτριν pro mercenario, vel servo accipi. Ita Hesychius, et Eusthatius[2], qui et λάτρον dici constitutam mercedem, asserit. Addit Cyrilli Dictionarium λάτριν significare *ancillam cum metu servientem*[e]. Quare non multum ab δουλείᾳ discrepat λατρεία. Nihilominus pervicit usus Græcorum Latinorumque Patrum, ut λατρεία peculiare nomen esset supremi cultus, et adorationis, quæ nulli rei creatæ : sed uni vero, ac sempiterno Deo tribuitur, de quo audiendus est Augustinus, qui libro X *de Civitate Dei*, capite I sic scribit : « Latriam quippe nostri, ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcepit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet. Latria vero, secundum consuetudinem qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. » Et libro V, capite XV. « Pietas, inquit, vera non exhibet servitutem

a PLUT. *in Them.* Ὑμᾶς μὲν οὖν ἐλευθερίαν μάλιστα θαυμάζειν. καὶ ἰσότητα λόγος. ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων, καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾷν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ τοῦ τὰ πάντα σώζοντος, etc. Βασιλεῖ γὰρ οὐ πάτριον ἀνδρὸς ἀκροᾶσθαι μὴ προσκυνήσαντος.

b HEROD. lib. VII. Πρῶτα μὲν, τῶν δορυφόρων κελευόντων, καὶ ἀνάγκην σφι προσφερόντων προσκυνέειν βασιλῆα προσπίπτονται, οὐκ ἔφασαν, ὠθεόμενοι ὑπ' αὐτέων ἐπὶ κεφαλὴν ποιήσειν ταῦτα οὐδαμᾶ. οὔτε γάρ σφι ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν.

c ATHAN. tom. I. Οὐ γὰρ κτίσματι ἡ κτίσις προσκυνεῖ.

d NAZIANZ. orat. X. Οὐδὲ κτίσμα τε προσκυνεῖν ἀνέχομαι, θεοῦ τε κτίσμα τυγχάνων, καὶ θεὸς εἶναι κεκελευσμένος.

e CYRILL. Λάτρις μετὰ φόβου δουλεύουσα.

1 *Matth.* IV, 10. — 2 Ad *Illiad* φ.

religionis, quam latriam Græci vocant, nisi uni vero Deo. »

Et in libro XX *contra Faustum*, capite XXI, postquam colendos esse martyres religioso quodam cultu docuit, de quo post agemus; de altero, qui soli Deo convenit, ita disserit : « At vero illo cultu, quæ Græce *latria* dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo. »

Tum in primo libro *de Trinitate*, capite sexto, subtilius illud λατρεύειν *nomen* expendit, ubi et Spiritum sanctum Deum esse, non creaturam ostendit ex eo, quod *jubemur non servire creaturæ, sed creatori* [3]; ubi verbum λατρεύειν, posuit Apostolus; at vero Spiritui sancto eodem modo servire oportere Apostoli testimonio probat; qui *spiritui Deo*, vel *Dei*, sese λατρεύειν, id est *servire*, alibi scribit[1]. Verum aliter hic locus in Græcis plerisque concipitur, nec est necesse modo de illius verbi lectione contendere, de quo me alibi scripsisse memini [2]. Hoc unum impræsentiarum agimus, ut λατρείας usum illustremus ex Augustini sententia.

Latriæ. VII. Hoc igitur λατρείας vocabulum non tantum apud Græcos, sed etiam apud Latinos catholicæ communionis, sic ex antiquo deinceps in consuetudinem est receptum, ut ad solum adhiberetur cultum significandum divinæ ac supremæ majestatis; nec ulli creaturæ tribueretur, cum προσκύνησις, et *adoratio* nonnunquam ad sanctorum, et reliquiarum, tum etiam imaginum venerationem accommodata sit : uti plenius postea constabit. Quod ipsum generales synodi secutæ sunt, præeunte maxime septima in *fidei definitione* : ac scriptores omnes catholici : qui adversus Iconoclastas pro sanctarum imaginum cultu, et sanctorum veneratione impigre certamen sumpserunt : velut Joannes Damascenus; Jonas Aurelianensis, Dungalus, et complures alii : qui omnes nullum in Latina lingua proprium nomen invenientes, quod soli divino cultui sic congrueret, ut alio transferri se minime pateretur, Græcum ipsum *latriæ* nomen sui, hoc est Latini juris fecerunt; cum haberent servitutis, hoc est δουλείας pene notionis ejusdem, ut jam dixi, vocabulum : verum illud potius peregrinum retineri placuit, ut in aliis plerisque, in quibus stultum est tricari, et otiose litigare, cum nulla sit ars, ac disciplina, quæ non proprias, et a se nonnunquam repertas, fabricatasque voces ac nomenclaturas asciverit; quas velut dictata magistrorum excipiunt, et ediscunt, non reprehendunt, aut corrigunt illarum studiosi.

Neminem proinde sobrium ac pudentem pigebit eo more, iisque vocibus animi sensa sui, et notiones exprimere, quas a majoribus acceperit : nec tam in vocabula rerum, quam in res ipsas, et sententias inquiret. Quamobrem etsi προσκυνεῖν, et *adorare*, ac δουλεύειν id est *servire*, et hujus generis alia, minorem ex sese ἔμφασιν non habeant, quam λατρεία, ob quam promiscue usurpari mereantur potius quam ista : nihilominus communi sermonis consuetudini par est eos obsequi, qui sic loqui curant, ut intelligantur : non secus ac nummis utimur in communi vita vulgo receptis, et cujus hoc interest auctoritate probatis. *Emphasim.*

VIII. Hic ipse loquendi arbiter, et magister usus antiquorum testimonio sancitus nos docuit, cætera præter λατρείαν vocabula religiosi cultus interdum ad supremi gradus venerationem, hoc est soli debitam Deo significandam assumere : alias Angelis accommodare, vel hominibus sanctis, aut iis rebus, quæ anima carentes, aura quadam sanctitatis afflari creduntur : nec temere ad offensionem, et maledicti occasionem trahere promiscuam illam usurpandarum vocum licentiam. *Latriam.*

Ad id vero facilius impetrandum, duo quædam paulo a nobis ante notata conducent. Alterum, religionem, qua ex virtute adorandi, et hujus generis cæterorum officia ducuntur, ad unum Deum colendum, et congruo honore prosequendum per sese, ac primario, proprieque referri : ad aliorum venerationem, nonnisi secundo loco, et principalis illius gratia : ut quidquid creaturis religiosæ observantiæ, et honorificæ testificationis adhibetur, id Deo potius, cujus unius causa et voluntate tribuitur, quam illis, quæ coli videntur, imputari merito debeat.

Atqui uti sanctos Deus pro infinita sua benignitate, tum bonorum suorum omnium, tum etiam gloriosorum nominum participes et consortes esse voluit : (nam et deos, et filios, et fratres Christus illos non dubitavit

1 *Rom.* I, 25. — 2 *Phil.* III, 3. — 3 Tom. II lib. II *de Trin.* cap. XIII, § 8.

dicere) sic in honoris communicationem vocatos iisdem honoris vocabulis propemodum nobilitari concessit : sed ita tamen, ut in eorum usu ratio haberetur, quatenus unumquodque, quod illis vocibus subest, cultus, et officii genus utrique conveniat.

Alterum, eamdem religionis virtutem, et quæ ex ea oritur, adorationem duplici actione censeri, exteriore scilicet, et interiore; quarum prior corporis administratione geritur : posterior animi affectu continetur : qui et potiores in cultu partes obtinet, et est simili in observantiæ signo gestuque dissimilis. Quapropter eadem conformatio corporis, ut genuflexio, vel capitis inclinatio, vel in humum depressio, ex interiore sensu et affectu, diversum genus sortitur adorationis : ac vel ad λατρείαν pertinet; vel ad communem, et creaturis concessam. *Latriam.*

Sacrificium soli Deo fas est offerre. IX. Quanquam externæ sunt quædam cultus species, quæ communiter ambobus impendi nequeunt, Deo et creaturis : sed illi duntaxat; et ad λατρείαν proprie pertinent, quale est sacrificium, quod nulli, præterquam summo Deo, licet offerre, ne externa quidem actione tenus, et cæremonia : ut Augustinus sæpe significat[1]. Scribunt Hebræorum magistri cum de Idololatria disputant, suum cuique idolo, ac falso numini attributum esse cultus, et venerationis modum ex gentilium præscripto; quem nisi quis Judæus religionis desertor in quovis colendo deo secutus sit; sed alterius proprium, alteri detulerit; pœnam in idololatras constitutam non committere; sed impune ferre. Ita Rambam in tractatu *de Idololatria*, capite tertio. Excipit deinde adorationem, et sacrificium, et huic annexa, quæ universe prohibentur; ut si quis ea cujuscumque Dei in honorem præstiterit, ex lege plectatur. Adorationem vocant illi משתחוה, quæ est προσκύνησις, id est *incurvatio;* λατρείαν vero עבודה, quæ proprie servitus dicitur, et generale nomen est sacrificium, et alia complectens. Sed apud Græcos Patres λατρεία plerumque speciatim pro sacrificio sumitur, quod singulare habet Ecclesia Christiana, et catholica, et λατρεία τῆς οἰκονομίας appellatur, ut libro secundo ex Epiphanio monuimus[2]. *Latriam.* *Latria œconomiæ.*

CAPUT III.

An homo in Christo, perinde ac Verbum latriæ cultu sit honorandus. 1. *Quæstionis forma constituitur.* 2. *Apollinaristæ unica adoratione latriæ carnem cum Verbo complexi : quia de substantia Dei credebant utrumque esse.* 3. *Ideo Catholicos vocabant hominicolas, quod veram in Christo substantiam hominis asserentes colerent.* 4. *Nestorius unica itidem adoratione ambas naturas colendas putabat, sed subdole, quia morali duntaxat unitione illas conjunctas esse dicebat.* 5. *Gilberto Porretano error iste tributus, quod carnem non latria; sed minori adoratione dignatus sit :* 6. *Unica, et summa latriæ veneratione humanam naturam in Christo coli debere defenditur; primum ex auctoritate Conciliorum.* 7. *Tum Patrum, ut Athanasii,* 8. *Epiphanii,* 9. *Cyrilli, Theodoreti.* 10 *Ambrosii de ea re exquisitum testimonium,* 11. *Item Augustini,* 13. *Damasceni,* 14. *Ildephonsi.*

I. Duplici natura constare Christum Dominum, Christiana religio profitetur : eademque singulas docet quæ sibi propria sunt, et insita retinere, citra commutationem, aut confusionem aliquam : quod Græci ἀσυγχύτως, et ἀτρέπτως vocant[3]; ut nec in divinam velut consumpta, vel absorpta cesserit hominis natura : nec in hanc illa quoquo modo conversa transierit. Cum igitur humana in illo substantia nostræ non dissimilis, nec specie diversa maneat; creata sit et servilis ex sese conditionis oportet. Ex quo non levis, nec absurda causa dubitandi oritur, utrum Christus totus, et in solidum, proque indiviso sit adorationis genere illo colendus, quod divinitatis esse proprium, et λατρείαν nominari, capite antecedente diximus. Etenim qui creaturæ serviunt, quod est λατρεύειν, vel δουλεύειν, et ad supremæ genus adorationis, cultusve pertinet; eos Apostolus alienos ab veri Dei notitia, et religione judicat; primum in epistola, quam *ad Romanos* scripsit : ubi de antiquis philosophis loquitur : *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacio*[4] *: et coluerunt,* *Inconfuse et immutabiliter.* *Latriam.*

1 Lib. *de civit.* c. I. 4 et lib. XX *cont. Faust.* cap. XXI. — 2 Sup. lib. II, c. I, § 5. — 3 Vide lib. II, c. II. — 4 *Rom.* I, 25.

et servierunt creaturæ potius, quam creatori [a]. Deinde in ea, quæ est *ad Galatas, Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis* [b]. Igitur λατρεύειν, et δουλεύειν creaturæ nefas videtur. De quo legenda sunt quæ in secundo libro *de Trinitate* dixi [1]: ubi filium Dei hoc argumento demonstrari a Patribus docui verum esse Deum, quod λατρείας, et δουλείας cultu sit affectus. Hic igitur status est inquisitionis nostræ, an sit adoratione unica, eaque summa et divina, colendus Deus et homo Christus: an potius ita dividi cultum oporteat, ut λατρεία sola sit adoranda divinitas Verbi; altero vero genere, et longe inferiore, honoranda sit in eodem hominis natura.

Colere creaturam eique servire.

Latriæ et servitutis.

Status quæstionis.

II. In hujusmodi controversia primi nobis occurrunt Apollinaristæ; qui unica Christum adoratione venerandum esse docuerunt; sed aliter, ac catholica fides habet, communem cum ea sententiam interpretati sunt. Non enim naturas convenisse duas existimarunt; quippe hominem negantes in Christo fuisse perfectum, ac nostri similem, solam a Verbo carnem esse susceptam eamque de cœlo lapsam, et Patri ὁμοούσιον, hoc est *ejusdem substantiæ* cum Deo statuerunt; ut latissime tradit Athanasius in libro *de Incarnatione Verbi* : et nos in libro primo capite sexto, ubi de hæresi Apollinaris actum est, ostendimus. Quare merito idem Athanasius illos arguit, quod Incarnationem revera e medio tollerent, hoc est humanæ carnis assumptionem; nec aliud præterquam solam illius speciem ac larvam admitterent, quemadmodum Marcionitæ, ac Manichæi. Non enim vera esse potest incarnatio, ubi vera caro non est. Non est autem vera caro, quæ Deo consubstantialis est, ac divina et increata; quæ enim est hujusmodi, Deus est. Hæc, ut summatim dicam, Athanasii est illo in libro, et in aliis contra Apollinaristas repetita disputatio.

Apollinaristæ unica Christum adoratione colendum docuerunt, et qua ratione.

Cui quidem illorum errori necessario connexa, et consentanea erat altera hæc sententia, quam dixi; unica tantum adoratione Christum, hoc est Verbum divinum, et divinam, consubstantialemque carnem, coli a nobis oportere. Siquidem qui hoc affirmat, nihil aliud profitetur, nisi Deum, ac creatorem latriæ cultu venerandum esse; quoniam increata caro, creatura non est, sed Deus, et Creator.

III. Hac imbuti opinionis perfidia Catholicos incessebant Apolllinaristæ, et eos probrose nominabant ἀνθρωπολάτρας, hoc est *hominicolas*, eo quod hominem in Christo una cum Deo pari, et eodem latriæ cultu prosequerentur. At Catholici vicissim hoc se convicio ulciscebantur, ut illos σαρκολάτρας vocarent, id est *carnicolas:* quia carnem expertam animæ sumpsisse Christum putabant. Quanquam caro ista non erat; sed carnis adumbratio quædam, et ementita species, ut paulo ante dixi; quam quidem divinitatis particulam esse profani homines asserebant; ut non tam σαρκολάτραι, quam εἰδωλολάτραι nuncupandi forent, qui carnis εἴδωλον, hoc est *larvam et simulacrum* adorarent.

Carnicolæ quam idololatræ.

Auctor est Gregorius Nazianzenus in epistola posteriore *ad Cledonium*, quæ vulgo inscribitur oratio LII, consuevisse istos hæreticos hanc præ se ferre sententiam, atque ædium suarum vestibulis inscribere, « Adorandum esse non hominem deigerum, sed Deum carnigerum [c]. Sed, ut vere loquamur, non σαρκοφόρον θεὸν colebant; ut qui carnis haberet, aut gestaret nihil; sed *spectrum*, id est εἴδωλον σαρκοειδές. Hinc autem ratio constat, cur Apollinaristæ naturas duas in Christo profiteri nollent, ne carneam quidem veram ac solidam, et nostræ similem, hoc est creatam. Nimirum vereri se dicebant, ne aut ambas adorarent, et ita creaturam in ejusdem cum Deo consortium honoris adsciscerent, aut alteram duntaxat adorandam sibi proponerent: alteram relinquerent.

Carnigerum Deum.

Idolum carnis habens speciem.

Leontius libro *de Sectis*, capite octavo, epistolam quamdam commemorat falso Julii Romani pontificis nomine inscriptam ad Dionysium Corinthi episcopum, in qua sententia hæc erat, cujus antea meminimus [2]: « Necessarium est enim duas asserentes ipsius esse naturas, alteram quidem adorare: alteram non adorare : et in divinam quidem baptizari, in humanam vero minime baptizari [d]. » Deinde alterum ex Athanasio locum refert

a Rom. I, 25. Καὶ ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.

b Gal. IV, 8. Ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες θεὸν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς.

c NAZIANZ. Τὸ δεῖν προσκυνεῖν μὴ ἄνθρωπον θεοφόρον, ἀλλὰ θεὸν σαρκοφόρον. Vide supra lib. I, cap. VI.

d LEONT. tomo II *Bibl. PP.* Ἀνάγκη γὰρ δύο λέγοντας αὐτοὺς φύσεις, τὴν μὲν προσκυνεῖν, τὴν δὲ μὴ προσκυνεῖν· καὶ εἰς μὲν θείαν βαπτίζεσθαι· εἰς δὲ τὴν ἀνθρωπίνην μὴ βαπτίζεσθαι.

1 Cap. I, § 5. — 2 Lib. IV, cap. VI, § 9.

idem Leontius, in quo unum ait esse filium : non autem naturas duas, unam adorandam; alteram non adorandam. Verum ambo ista loca germana non esse, sed supposititia, et ab Apollinaristis pessima fide Catholicis auctoribus attributa, ex eodem Leontio probavimus supra [1]. Quare ad hoc tantummodo spectant, ut Apollinaristarum sensum de Christi adoratione perspectum habeamus; et eos sciamus, quod ex ipsorum hæresi consequens est, affirmasse, unica λατρείας adoratione Christi carnem, utpote divinam et Deo consubstantialem, cum Verbo sibi copulato coli a nobis debere.

Latriæ.

Item Nestoriani, sed subdole.

IV. Eamdem adorationis unitatem in contrario propugnando dogmate Nestorius amplexus est. Qui etsi naturas duas revera disjunctas ac separatas induceret, hoc est hypostases, et personas totidem, nequaquam tamen id verbis fatebatur, sed unam tantummodo personam : ut in libro primo, capite septimo accurate demonstravimus, nec non in libro tertio, capite tertio : ubi de unitione naturarum ex Nestorii sententia disputavimus. Hinc enim constat, hæreticum istum hominis naturam cum Verbo putasse in consortium dignitatis ejusdem, et honoris ascitam. Itaque simul adorandam cum Deo Christi carnem asserebat : ut ex illius dictis probat Cyrillus, quæ libro quinto, capite quinto descripsimus [2]; quo in capite multa Nestorii loca congesta reperies, in quibus αὐθεντίαν id est *auctoritatem*, et ἀξίαν, *dignitatem*, μίαν καὶ μοναδικὴν id est *unam*, et *singularem* constituit utriusque naturæ. Tum vero « naturas separare se, ait, honorem et adorationem minime separare [3]. » Item alia ejusdemmodi, quæ mentem illius hanc fuisse testantur; etsi naturæ prorsus distinctæ, nec ulla substantiva copulatione, sed σχετικῇ duntaxat conjunctæ fuerint; honorem tamen, adorationem atque cultum pro indiviso utrique eumdem, et unum attribuendum esse. In quo tamen fucus idem ac dolus latebat, quem in naturis, ac personis illum adhibuisse monstravimus. Ut enim reipsa Deum ab homine separatum esse, ac sola σχέσει, et *morali*, ut vocant, unitione junctum, eamdem facere personam adstruebat : ita duas perinde adorationes re, ac consequentia sermonis orationisque suæ decernebat; quæ *morali* itidem nexu in unum concurrerent. Siquidem Deum duntaxat absoluta, et directa latria venerabatur : hominem vere σχετικῇ, hoc est *secundum rationem*, ut loquitur Facundus ex Nestorianorum sensu [4]; quem et illa ejusdem verba reddebant; « Propter gestantem, cum qui gestatur veneror : propter latentem, eum qui apparet adoro [5]; » et alia similia, quæ in capite illo quinto quinti libri retulimus.

Morali.

Sic cum Imperator, aut rex quispiam cum regia veste ac purpura, ut olim dici consueverat, adoratur, etsi unicus est cultus numero, ratione tamen diversus ac duplex videtur. Personæ quippe Principis absolutus, ac præcipuus impenditur : purpuræ autem, ac vesti, nonnisi σχετικῶς, et ἀναλόγως propter eum, qui illa est indutus. Minorem certe omnium opinione venerationem meretur vestis ipsa, quam corpus, aut corporis membrum aliquod, velut caput, aut manus principis. Hæc enim, quia reipsa unum per sese, et οὐσιωδῶς sunt cum principe, parem, et absolutum, ac directum cum illo cultum obtinent : vestis autem nonnisi σχετικόν. Non dissimilis fuit opinio Nestorii de Christi λατρείᾳ : hanc enim proprie, et directe soli imputabat Deo; homini vero, quem ab eo non minus impie, quam subdole distrahebat, relatione sola, et habitudine, itidem ut naturas inter se copulari credebat.

Relative... improprie.

Substantialiter.

Relativum.

Latria.

Hujusmodi erroris insimulatus Gilbertus Porretanus.

V. Hujusmodi nefariæ virus opinionis, quod occultabat Nestorius, testatur Gaufredus Claravallensis monachus, S. Bernardi discipulus palam aperteque præ se tulisse Gilbertum Porretanum Pictaviensem quondam episcopum : qui in Remensi concilio sub Eugenio Papa ob quasdam sententias parum catholicæ fidei consentaneas in judicium adductus, easdem recantavit; adversante sibi præ cæteris S. Bernardo. Cujus discipulus uti dixi, qui ei concilio intererat, Gaufredus in epistola ad Cardinalem Albanensem, alium ejusdem Gilberti refert errorem, ex ipsius *Scholiis in Psalterium;* ubi carnem Christi negat latriæ cultu venerari oportere. Gaufredi verba libet hic adscribere : « De cætero super capitulis aliis, inquit [6], de quibus mandatum vestræ dignationis accepi, diligenter considerans in libro Glossarum Psalterii, quas idem Gilbertus Porretanus composuit super versum, *Adorate scabellum pedum ejus* [7], ita scriptum inveni; Caro de terra est; et de carne Mariæ carnem accepit Christus. Hæc sine

1 Lib. IV, cap. VI. — 2 § 7. — 3 Id. — 4 Lib. IV, cap. II. — 5 Vide supra lib. V, cap. V, paragr. 5. — 6 Tom. VII, p. II, concil. — 7 Psalm. XCVIV.

impietate adoratur a nobis : quia nemo carnem ejus spiritualiter manducat, nisi prius adoret. Hucusque verba sunt Augustini, quibus continuo addit Gilbertus declarationem, quod est additamentum eorum : Non illam dico adorationem, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur : sed illam, quæ dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur : quæ duas habet species : unam, quæ hominibus indifferenter : alteram, quæ soli humanitati Christi exhibetur. » Hæc Gaufredus ex Gilberto ; qui carnem Christi non putavit eadem cum Deo adoratione dignandam : sed media quadam inter eam quæ Deo soli, et quæ creatis rebus tribuitur.

Cæterum minime prætereundum illud est ; librum istum Gilberti manu exaratum in membranis invenisse me, ex bibliotheca monasterii S. Victoris ad muros hujus urbis exprompturn, in quo quæ Gaufredus refert, minime continentur. Adscribam hic quæ in membranis illis legi, ad illum *Psalmi* nonagesimi octavi locum. *Adorate scabellum pedum ejus*. Cum alio loco dicat « Scriptura : Terra est scabellum pedum meorum, quid hic præcipit adorari scabellum ? Sed sciendum, quod de terra terram id est, de carne carnem accepit, et eam nobis dedit ad manducandum, quia nemo manducat, nisi prius adoret. Hæc unita verbo Dei, assumpta sine impietate adoratur : et peccat qui non adorat. Non tamen propter ipsam : quia caro non prodest quidquam. Sed propter ipsum, cujus pedum scabellum est, quod adoras. Unde supponit, Quoniam sanctus est ille, in cujus honore scabellum adoras. Melius dixit sanctus, quam sanctum, ut corpus a divinitate discernas : etsi sint una persona. Vel sanctum est ipsum scabellum, id est corpus : sed propter eum, cujus scabellum est. Pedes vero sunt indefecta stabilitas divinitatis, cujus est caro scabellum. » Hactenus Glossæ Gilberti, quarum sententia multum discrepat ab iis, quæ Gaufredus exscripsit, estque communiter catholicæ fidei consentanea. Nam et ex Augustino tota fere est expressa.

VI. Jam vero unica Christum Deum et hominem adoratione colendum esse, jamdudum synodalibus decretis, et consensu sanctorum Patrum, et, quod caput est, Scripturarum sacrarum auctoritate constitutum est.

Christum Deum et hominem unica adoratione colendum probatur ex synodorum, Patrum et Scripturæ auctoritate.

Primum synodus Alexandrina præside habita Cyrillo : ex qua missa est synodalis ad Nestorium epistola, cum duodecim capitulis, sive anathematismis, quæ tertia, et ultima est earum, quas ad hæreticum illum dedit Cyrillus, in octavo capitulo, confitendum hoc ei, subscribendumque præfixit sub interminatione τῆς ἀκοινωνησίας, hoc est *excommunicationis :* « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari, tanquam alterum cum altero (Nam particula *cum* addita hoc cogit intelligi) ; et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod verbum caro factum est, anathema sit [a]. » Hoc Alexandrinæ synodi decretum, una cum epistola synodica ad Nestorium missum ab Cyrillo, Chalcedonensis synodus approbavit *in Definitione fidei*. Ibi enim synodicas epistolas Cyrilli ad Nestorium admittere se profitetur [1]. Tum quinta synodus novo illud canone confirmavit [2], qui est ordine nonus. Itidemque Lateranensis synodus sub Martino primo [3] ; quæ Chalcedonensem *fidei Definitionem*, ut et quintæ synodi, ratam habuit, et omnia illa in Acta sua retulit. Quinetiam anathematismos duodecim Cyrilli in eadem inseruit [4], cum hac epigraphe ; *Symbolum, apud Ephesum ducentorum Patrum*. Nos hoc loco quintæ synodi canonem nonum, in quo illa traduntur, Græce subjiciemus, cum Latina interpretatione, qualem Lateranensis synodus exhibet [5] : « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, et semotim homini : aut si quis ad peremptionem carnis ; aut ad confusionem deitatis, et humanitatis unam naturam, sive essentiam convenientium protense dicens, sic adorat Christum ; sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat ; juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit [b]. » Hinc illud apparet ex Eccle-

Synodus Alexandrina

Quinta Synodus.

a Anath. VIII Cyrilli. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ θεῷ λόγῳ, καὶ συνδοξάζεσθαι, καὶ συγχρηματίζειν θεὸν, ὡς ἕτερον ἑτέρῳ· τὸ γὰρ σὺν ἀεὶ προστιθέμενον τοῦτο νοεῖν ἀναγκάζει. καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷ τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ μίαν αὐτῷ τὴν ὁμολογίαν ἀναπέμπει, καθὸ γέγονε σὰρξ ὁ λόγος, ἀνάθεμα ἔστω.

b Canon. IX synodi quintæ coll. 8. Εἴ τις προ-

1 Chalced. concil. act. v. — 2 Collat. VIII. — 3 Consul. IV. — 4 Ibid. — 5 Canon IX Synodi quintæ et Lateron. Synod.

siæ consensu, et traditione fixum, et stabilitum esse, unica tantum adoratione, eaque divina, et suprema, carnem id est naturam hominis venerandam esse cum Verbo. De quo nonulla scripsimus in libro sexto, capite decimo sexto, ad anathematismum octavum Cyrilli; quæ hic repetenda non sunt.

Athanasius. VII. Cum his egregie consentit imprimis Athanasius in epistola *ad Adelphium episcopum:* ubi de hoc argumento copiosam orationem exponit; negans adorationem carnis ab illa Verbi separandam: sed ambas naturas jubens unica coli veneratione. « Nos creaturam non adoramus, inquit, absit. Gentilium enim, et Arianorum ejusmodi est error. Sed dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat; Recede a corpore, ut te adorem [a]? »

Hic veram, certamque rationem dicti sui Athanasius attulit, cum idcirco una erga utrumque fungendum adoratione dixit, quod caro propria sit Verbi: « Nam ipsius erat corpus, et in eo Verbum inerat [b], » ut subinde ait: « Ubinam vero, pergit idem, omnino impii isti separatim, ac per se carnem invenient, quam Salvator suscepit: ut dicere audeant: Adoramus nos Dominum cum carne: sed dividimus corpus, et illi soli latriæ cultu servimus [c]. » Quare gentiles vocat illos, atque ethnicos, minimeque Christianos, qui separandum a carne putant esse Verbum, ut adorare possint. Tales autem Arianos esse dicit toto hoc opusculo: quos quidem nihil præter corpus, carnemve hominis habuisse Christum existimasse, in primo libro memoravimus. Qui cum solum latriæ cultu adorandum esse Verbum, seposita carne, dicerent, parum sibi erant consentanei. Siquidem Verbum ipsum creaturam esse profitentes, in illud incidebant Apostoli maledictum, cujus supra mentionem fecimus [1]; ut κτισματολάτραι, id est *creaturæ*, tanquam Dei, cultores, adoratoresque vocari posseut. Quam illorum ἀλογιστίαν sub epistolæ illius finem traducit Athanasius. *Inconsiderantiam.*

Idem præterea in libro *de Incarnatione Verbi* contra Apollinarem, hoc ejus argumentum refellit, quo carnem, cujusmodi a Catholicis esse creditur, hoc est nostræ similem, et inter creaturas numerandam adoratione minime esse dignam adstruebat. « Atenim, inquit, dicitis: Nos creaturas non adoramus. O stulti! cur non illud cogitatis, corpus Domini, etiam creatum, minime creaturæ propriam adorationem requirere? quippe quod increati Verbi factum est corpus. Nam cujus est corpus, huic adhibetur adoratio. Quare uti meretur, ac par est, adoratur, et divina afficitur adoratione. Deus enim est Verbum, cujus proprium est corpus [d]. » Atque idem in epistola *ad Adelphium*, corpus Christi, « quod indumentum Verbi fuit, adorabile esse dicit [e]. »

σκυνεῖσθαι ἐν δυσὶ φύσεσι λέγει τὸν Χριστὸν, ἐξ οὗ δύο προσκυνήσεις εἰσάγονται, ἰδίᾳ τῷ Θεῷ λόγῳ, καὶ ἰδίᾳ τῷ ἀνθρώπῳ· ἢ εἴ τις ἐπὶ ἀναιρέσει τῆς σαρκὸς, ἢ ἐπὶ συγχύσει τῆς θεότητος, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ἢ μίαν φύσιν, ἤγουν οὐσίαν τῶν συνελθόντων τερατευόμενος οὕτω προσκυνεῖ τὸν Χριστόν. ἀλλ' οὐχὶ μιᾷ προσκυνήσει τὸν θεὸν λόγον σαρκωθέντα, μετὰ τῆς ἰδίας αὐτοῦ σαρκὸς προσκυνεῖ, καθάπερ ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία παρέλαβεν ἐξ ἀρχῆς, ἀνάθεμα ἔστω.

a Athanas. Οὐ κτίσμα προσκυνοῦμεν· μὴ γένοιτο. ἐθνικῶν γὰρ, καὶ Ἀρειανῶν ἡ τοιαύτη πλάνη. ἀλλὰ τὸν κύριον τῆς κτίσεως σαρκωθέντα τὸν τοῦ θεοῦ λόγον προσκυνοῦμεν. Εἰ γὰρ καὶ σὰρξ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν μέρον ἐστὶ τῶν κτισμάτων· ἀλλὰ θεοῦ γέγονε σῶμα. τῶν οὔτε τὸ τοιοῦτον σῶμα καθ' ἑαυτὸ διαιροῦντες διὰ τοῦ λόγου προσκυνοῦμεν· οὔτε τὸν λόγον προσκυνῆσαι θέλοντες μακρύνομεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς σαρκός. ἀλλ' εἰδότες, καθὰ προείπομεν, τὸ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, τοῦτον καὶ ἐν σαρκὶ γενόμενον ἐπιγινώσκομεν θεὸν, τίς τοιγαροῦν οὕτως ἄφρων ἐστὶν, ὡς λέγων (for. λέγειν) τῷ Κυρίῳ· ἀπόστα ἀπὸ τοῦ σώματος, ἵνα σε προσκυνήσω;

b Ibid. Αὐτοῦ γὰρ ἦν τὸ σῶμα καὶ ἐν αὐτῷ ἦν ὁ λόγος.

c Idem. Ποῦ δὲ ὅλως οἱ ἀσεβεῖς, καὶ καθ' ἑαυτὴν εὑρήσουσι τὴν σάρκα, ἣν ἔλαβεν ὁ σωτὴρ, ἵνα καὶ τολμῶσι λέγειν· προσκυνοῦμεν ἡμεῖς τὸν Κύριον μετὰ τῆς σαρκός. ἀλλὰ διαιροῦμεν τὸ σῶμα;

d Idem. Ἀλλὰ πάλιν λέγετε ὅτι ἡμεῖς κτίσματα οὐ προσκυνοῦμεν. ὦ ἀνόητοι· διὰ τί οὐ λογίζεσθε, ὅτι καὶ ποιηθὲν τὸ σῶμα τοῦ κυρίου οὐ κτιστὴν ἀποφέρεται τὴν προσκύνησιν; τοῦ γὰρ ἀκτίστου λόγου γέγονε σώμα. οὗ γὰρ σῶμα γέγονε, τούτῳ προσάγεται ἡ προσκύνησις. ἄρ' οὖν καὶ προσκυνεῖται ὀφειλομένως, καὶ θεϊκῶς προσκυνεῖται. θεὸς γάρ ἐστιν ὁ λόγος, οὗ τὸ σῶμα ἴδιον τυγχάνει.

e Athan. Πῶς τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τὸ πανάγιον, καὶ πάνσεπτον ἀληθῶς, ὑπὸ μὲν τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ

1 Paragr. 1 hujus capitis.

Epiphanius.

VIII. Illustre est de eadem adoratione corporis Christi, Epiphanii testimonium in *Ancorato* : ubi contra Arianos probat filium Dei increatum ac Deum esse, propterea quod adoratur. Deinde refert hæreticorum calumniam Catholicis exprobantium, adorari ab ipsis creaturam, quoniam Christi corpus a creatura genitum, et ipsum creatum adorare se profitentur. Contra quos adorandum esse corpus illud contendit, et quanam id ratione fiat explicat sic : « Etenim purpura indutus Imperator, inquit, adoratur. Utrumnam igitur purpura, an Imperator adoratur? Perspicuum est ipsum adorari Imperatorem : cum eo vero simul adoratur ea, quæ gestatur, purpura. Cum autem hanc Imperator exuit, et suo loco reposuit, non amplius adoratur purpura. Sæpenumero accidit, ut Imperator in augustali, suoque in throno sedeat : et qui adoratum veniunt, in augustali suo, atque in throno Imperatorem adorent. Ubi autem Imperator assurrexit, nemo, vel augustale, vel thronum adorat. Nemo vero sic insanit, ut cum adorare velit Imperatorem in ipsius augustali, dicere huic audeat; exi ab illo tuo augustali ut te adorem. Sic igitur nemo Unigenito dixerit : Depone corpus ut adorem te. Quin potius ipsum adorat cum corpore Unigenitum increatum, cum templo sancto, quod veniens assumpsit [a]. »

Hunc Epiphanii locum imitatus est suppositilius Cæsarius dialogo primo, interrogatione XL, et perinde censet, una adoratione Deum Verbum cum carne sua venerandum; sicut rex cum purpura sua, vel throno una adoratione colitur.

Gregorius Nazianzenus.

Gregorius item Nazianzenus in priore *ad Cledonium* epistola, in qua hæresim Apollinaris refutat, « anathema dicit ei, qui crucifixum non adorat, et in eorum numero reponit, qui Deum occiderunt [b] : » ad illud videlicet respiciens, quod hæreticus ille sentiebat, non esse veram hominis carnem a Verbo susceptam, et in cruce suffixam.

Cyrillus Alex.

IX. Idipsum Cyrillus Alexandrinus constanter docet; ejusque, præter anathematismum, quem paulo ante descripsimus, quamplurima exstant loca, in quibus disertissime istud asseverat. Ut in enarratione ejusdem anathematismi, et in responsione ad objecta Andreæ, sive Orientalium, ac Theodoreti pro eodem anathematismo. Neque vero controversiam de eo moverunt ullam adversarii illi, Orientales, inquam, et Theodoretus; sed omnino huic assentiuntur Orientales quidem, dum sic loquuntur : « Non se coadorari velle hominem Deo, tanquam duæ sint personæ et hypostases; aut tanquam duo intelligendi sint filii : neque aliter adorationem carni; aliter Deo Verbo adhibendam putare; quin potius unam adorationem, ac cætera, inquiunt, velut uni filio deferimus [c]. »

Theodoretus et Orientales

Nec aliter Theoderetus in oppugnatione illius octavi anathematismi : ubi unicam Christo Domino glorificationem offerendam asserit; quando unus et idem Deus et homo est, quod ipsa unitionis ratio postulat. Porro hæc acerrimorum Cyrilli adversarorium cum eo concordia in hac simplici, et singulari adoratione tuenda, plurimum valere debet ad corroborandam catholicam professionem, et adorationes duas repudiandas. Non enim tam consentientes in hac re illos haberemus, nisi exploratissimum id illis fuisset; non esse distrahendum unius ab altera cultum, adorationemque naturæ.

Præterea Cyrillus in epistola secunda *ad Nestorium* idem asseverat, ex eo quod unitione sit Christus, « nec alienum sit a Verbo illius corpus [d] : » sic etiam in tertia ad eumdem

εὐαγγελισθὲν, ὑπὸ δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος πλασθὲν, καὶ τοῦ λόγου γεγονὸς ἔνδυμα, οὐ προσκυνητόν;

a Epiph. *Ancor.* § 51. Καὶ γὰρ βασιλεὺς πορφύραν ἐνδεδυμένος ὑπὸ πάντων προσκυνεῖται. ἆρα ἡ πορφύρα προσκυνεῖται, ἢ ὁ βασιλεύς; εὔδηλον ὅτι ὁ βασιλεύς. συμπροσκυνεῖται δὲ αὐτῷ καὶ ἡ πορφύρα φορουμένη. ἐκδυσαμένου δὲ ταύτην τοῦ βασιλέως, καὶ εἰς τόπον θεμένου, οὐκέτι προσκυνεῖται ἡ πορφυρὶς. Καθέζεται καὶ ἐν ναῷ πολλάκις βασιλεὺς ἐπὶ θρόνου ἰδίου· καὶ οἱ προσκυνοῦντες προσκυνοῦσι τὸν βασιλέα ἐν τῷ ναῷ τῷ ἰδίῳ, καὶ τῷ θρόνῳ. ἐξεγερθέντος δὲ τοῦ βασιλέως, οὐδεὶς οὔτε τὸν ναὸν, οὔτε τὸν θρόνον προσκυνεῖ. οὐδεῖς δὲ μεμηνὼς θέλων προσκυνῆσαι τὸν βασιλέα ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, λέγει τῷ βασιλεῖ· ἔξελθε ἐκ τοῦ ναοῦ σου, ἵνα σε προσκυνήσω. οὕτω γοῦν οὐδεὶς εἴπῃ τῷ μονογενεῖ· ἄφες τὸ σῶμα, ἵνα σε προσκυνήσω. ἀλλὰ προσκυνεῖ σὺν τῷ σώματι τὸν μονογενῆ ἄκτιστον σὺν ναῷ τῷ ἁγίῳ, ὃν ἔλαβεν ἐλθὼν.

b Nazianz. orat. 51. Εἴ τις μὴ προσκυνεῖ τὸν ἐσταυρωμένον, ἀνάθεμα ἔστω, καὶ τετάχθω μετὰ τῶν θεοκτόνων.

c Orient. apud Cyrill. Τὸ συμπροσκυνεῖσθαι καὶ συνδοξάζεσθαι, ὡς περὶ προσώπων, ἢ ὑποστάσεων, ἢ υἱῶν δύο οὐ λέγομεν, ὡς τῇ σαρκὶ ἑτέρως προσκυνήσεως γινομένης, καὶ τῷ θεῷ λόγῳ ἑτέρως. ἀλλὰ μᾶλλον μίαν προσκύνησιν, καὶ τὰ λοιπὰ, ὡς ἑνὶ υἱῷ προσφέρομεν.

d Cyrill. epist. iv. Ἀλλ' ὡς ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν προσκυνοῦντες, ὅτι μὴ ἀλλότριον τοῦ λόγου τὸ σῶμα αὐτοῦ, etc. Ἀλλ' ὡς ἑνὸς καθ' ἕνωσιν μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς.

data epistola, cui anathematismos subjecit. Et in epistola ad monachos Ægypti : « Adora, inquit, tanquam unum, non dividens in duos post unitionem [a]. »

Sic in *Scholiis de Incarnatione unigeniti*, capite XXVII. « Adoratione non est dividendum, ait, in hominem seorsum, et Deum seorsum, etc. Sed unum adorandum hominem factum et incarnatum Dei Verbum. » Tum in paschali homilia octava idem explicat.

Ambrosius. X. Præclare istud quoque demonstrat Ambrosius in libro tertio *de Spiritu sancto*, capite XII, in quo Spiritum sanctum probat esse Deum, eo quod adoratur cum Patre et Filio. Ibidem vero verba illa *psalmi* XCVIII, *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est;* sic accipit, ut scabellum pro carne sumatur, « quia in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sunt. » Ac paucis interpositis de scabello isto fusius disserit : et, « Non mediocris igitur, inquit, quæstio; et ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi; *Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum*[1]. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur : per terram autem caro Christi : quam hodie quoque in mysteriis adoramus : et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus : neque cum adoraretur, tanquam Dei filius, natus ex Virgine negabatur. Cum igitur incarnationis adorandum sit sacramentum, Incarnatio autem opus Spiritus sit, Sicut scriptum est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi :* et *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei :* haud dubie etiam sanctus Spiritus adorandus est : quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu est. » Luculentus omnino est hic Ambrosii locus, et ad rem nostram in paucis accommodatus. Primum enim carnem Christi, hoc est naturam hominis a Verbo susceptam, adorandam esse decernit, non qualicumque cultu, sed latriæ : qua scilicet Spiritum sanctum venerari oportere statuit. Etenim Spiritum sanctum hoc argumento probat adorandum esse genere illo adorationis, quod soli Deo competit; quoniam tale opus effecit, quod ipsum summo cultu, ac divino debet affici; nimirum Incarnationem, sive Christi carnem, atque corpus, quod templum est opusque Spiritus sancti. Quare uti Spiritum sanctum latriæ cultu adorandum esse recte colligat, eadem necesse est latriæ veneratione Christi corpus adorari. Quod etiam totum illud Ambrosii caput ostendit. Nam de illo cultu loquitur, quo Deo servire, et eum adorare jubemur *Exodi* XX, et *Matthæi* quarto, quem Spiritui sancto deberi ex eo consequens facit, quod ejus operi, id est carni Christi tribuitur. Rursus ex eodem Ambrosii loco illud efficimus, carnem Christi *in mysteriis*, hoc est in Eucharistiæ sacramento, supremo latriæ cultu honorandam esse : hoc enim in exemplum, et argumentum assumitur similis adorationis Spiritui sancto tribuendæ. Ex quo duplex jugulatur error : alter recentiorum hæresum, quæ Christi corpus adorari vetant in sacramento Eucharistiæ, de quo suo loco dicetur : alter is, contra quem modo disputamus, negantium una, et eadem adoratione carnem Christi cum Verbo esse venerandam : quos ex illo Ambrosii loco, et simili Augustini confutabimus : de quo nunc agendum.

XI. Augustinus ad illum *Psalmi* duodecentesimi versum, quo Propheta jubet *adorari scabellum pedum Domini,* cum Ambrosio mirifice consentit. Cujus nonnulla verba Gilbertus Porretanus in scholiis suis *ad Psalterium* descripsit. Quæ quamvis supra sint a nobis posita; libet tamen hic integrum locum subjicere. Est enim eximius, et ad multas res opportunus; præsertim vero ad hanc, quam tractamus modo; singularem adstruendem Verbi et carnis adorationem. Augustinus.

Sic igitur Augustinus in illa *Psalmi* XCVIII enarratione scribit : « Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus. Suppedaneum dicitur scabellum. Quod dicunt Græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini scabellum; et alii dixerunt suppedaneum. Sed videte fratres, quid vos jubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit, *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Ergo terram vos jubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus ter-

a CYRILL. Προσκύνησον ὡς ἕνα, μὴ διελὼν εἰς δύο μετὰ τὴν ἕνωσιν.

1 *Isa.* LXVI. — 2 Paragr. 5.

ram, cum dicat aperte Scriptura, *Dominum Deum tuum adorabis* : et hic dicit, *Adorate scabellum pedum ejus?* Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum ejus, dicit, *Terra autem scabellum pedum meorum.* Anceps factus sum : timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum et terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, *Adorate scabellum pedum ejus.* Quæro quid sit scabellum pedum ejus, et dicit mihi Scriptura, *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione ejusdem terræ loqueretur : *Spiritus est qui vivificat*, *caro autem nihil prodest.* Ideo et ad terram quamlibet cum te inclinas, atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum cujus pedum scabellum est, quod adoras: propter ipsum enim adoras; ideo et hic subjecit: *Adorate scabellum pedum ejus*, *quoniam sanctum est*. Quis sanctus est? In cujus honore adoras scabellum pedum ejus.»

Auctor commentariorum in Psalmos.

XII. Commentarius in *Psalmos*, cui nomen Hieronymi præfigitur, ad eumdem *Psalmi* locum observat: scabellum ibi corpus significare Dominicum. « Quod autem adorari debeat, eo ascendente, inquit, Apostoli docuerunt, cum adorantes regressi sunt in Hierusalem. » Hic autem animadvertendum est, Dungalum in libro *contra Claudium Taurinenem*[1], allato illo *Psalmi* loco, ubi adorari jubetur scabellum pedum Domini, Hieronymi bene longam enarrationem adduxisse; in qua de scabello adorando, contra quam Scriptura præcipere videtur, nonnulla ponit iis similia, quæ ex Ambrosio retulimus; tum eo delabitur, ut per scabellum sanctos significari putet, et adorare idem esse atque honorare. Quem quidem locum in Hieronymi *Scholiis* non reperio.

Rusticus diaconus.

Ac Rusticus diaconus in libro *contra Acephalos*, scabelli nomine Christi corpus intellexit : « Adoratur enim corpus, ait[2], quod de terra est : non ut per semetipsum, aut propter semetipsum adoretur, ut Deus : sed ut per corpus, et per carnem, sive humanitatem Deus Verbo, qui inhumanatus est, coadoretur. »

Auctor appendicis illius[3], quæ ad Augustini tractatum LXXVIII *in Joannem* addita, sermonem quinquagesinum octavum *de Verbis Domini* secundum Joannem constituebat, et ab Lovaniensibus in appendicem de diversis rejecta, octava ponitur; cum hoc sibi objicientes induxisset Arianos : « Quid quod carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras; atque ei non minus quam divinitati deservis? » sic illis occurrit : « Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quod a divinitate suscepta, atque deitati unita est : ut non alium, sed unum eumdemque Deum, hominem Dei filium confitear. Denique si hominem separaveris a Deo, ut Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo , nec servio. Velut si quis nostrum aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, numquid ea conabitur adorare? Cum vero ea rex fuerit indutus , periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, aut nudam, sed divinitati suæ unitam, unum Dei filium Deum verum et hominem verum qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur. »

Damascenus

XIII. Joannes præterea Damascenus primum in libro tertio *de fide*, capite octavo, idipsum egregie confirmat. « Unus igitur Christus est, inquit, Deus perfectus, et homo perfectus : quem adoramus cum Patre, ac Spiritu unica adoratione, cum ejus immaculata carne : nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis ei facta est : Neque tamen hoc agentes, creaturæ servimus. Non enim velut nudam carnem adoramus , sed ut divinitati conjunctam , et quatenus in unam personam, unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur. Timeo carbonem tangere propter ignem, qui cum ligno conjunctus est. Adoro utrumque, quod est Christi, propter divinitatem

1 Dung. tom. IV par. II *Bibl. Patr.* — 2 Rust. tom. IV *Bibl.* — 3 In append. tom. X Aug.

carni copulatam. Non enim quartam aliquam personam in Trinitatem inculco. Longe a me istud absit. Verum unicam personam Dei Verbi et carnis ipsius confiteor. Nam Trinitas mansit Trinitas etiam post incarnationem Verbi[a]. »

Tum in quarto libro, capite tertio « carnem asserit ex suapte natura, si subtilibus considerationibus id quod videtur ab eo separes quod intelligitur, non adorabilem esse utpote creatam : verum, qua Deo est unita Verbo propter ipsum, et in ipso adorari[b]. » Quod usitatis deinceps similitudinibus explicat, imperatoris primum; qui sive nudus, sive vestitus adoratur; at purpura, qua simplex purpura est, conculcatur et abjicitur. Cum autem Imperatorium fit amiculum, honore afficitur et gloria : ac si quis eam lædere, ac perforare audeat, capitis ,sæpe damnatur, Deinde ligni hoc exemplo adstruit : quod cum solum est, contrectabile est : sed cum igne conjunctum, et in carbonem conversum, non propter se, sed ob adjunctum ignem contactum refugit. Ita caro Christi natura sua non est adorabilis : verum eadem adoratur in incarnato Deo Verbo, non propter se, sed propter unitum sibi secundum hypostasim Deum Verbum. Itaque non adoratur simplex, et sola caro : sed caro Dei; hoc est incarnatum Verbum. Hæc Joannes Damascenus, superiorum, quos laudavimus, Græcorum, Latinorumque Patrum consentanea decretis, et diligenter observanda.

Hildephonsus. XIV. Accedat his Hildephonsus Toletanus episcopus in libro *de Virginitate sanctæ Mariæ :* qui et Cyrillum testem laudat ita scribens[1] : « De quo sane mysterio Cyrillus ad Nestorium, ita unum Christum confitetur, scilicet Deum et hominem : non tanquam hominem adorantes cum Verbo : ne per hoc divisio quædam spiritus introducatur, sed unum eumdemque adorantes in unitate personæ : quia non alienum a Verbo corpus suum est, neque diversum; quia Verbum caro factum est, et homo in Deum ita connitus et assumptus, ut unus sit Deus. » Est autem Cyrilli locus ille in epistola secunda *ad Nestorium*[2]; in quo nonnulla mutavit, aut prætermisit Hildephonsus. Porro verba illa, *ut per hoc divisio quædam spiritus introducatur*, non bene Græcis respondent; quæ hic erant vertenda : *ne per hoc divisionis quædam opinio ac species introducatur.* Itaque vox illa *spiritus* aliena et depravata videtur. Quid autem de adoratione illa senserit Hildephonsus nihilominus intelligimus : nempe non esse carnem ab Verbi adoratione separandam : sed unam et eamdem utrique tanquam uni et indiviso tribuendam.

a Damasc. lib. III, cap. viii. Εἷς τοίνυν ἐστὶν ὁ Χριστὸς θεὸς τέλειος, καὶ ἄνθρωπος τέλειος, ὃν προσκυνοῦμεν σὺν πατρὶ, καὶ πνεύματι μιᾷ προσκυνήσει μετὰ τῆς ἀχράντου σαρκὸς αὐτοῦ. οὐκ ἀπροσκύνητον τὴν σάρκα λέγοντες· προσκυνεῖται γὰρ ἐν τῇ μιᾷ τοῦ λόγου ὑποστάσει· ἥ τις αὐτῇ ὑπόστασις γέγονεν· οὐ τῇ κτίσει λατρεύοντες· οὐ γὰρ ὡς ψιλὴν σάρκα προσκυνοῦμεν· ἀλλ' ὡς ἡνωμένην θεότητι, καὶ ὡς εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑποστασιν τοῦ θεοῦ λόγου τῶν δύο αὐτοῦ ἀναγομένων φύσεων. Δέδοικα τοῦ ἄνθρακος ἅψασθαι, διὰ τὸ ξύλῳ συνημμένον πῦρ. προσκυνῶ τοῦ Χριστοῦ τὸ συναμφότερον, διὰ τὴν τῇ σαρκὶ ἡνωμένην θεότητα. οὐ γὰρ τέταρτον παρεντίθημι πρόσωπον ἐν τῇ τριάδι. μὴ γένοιτο. ἀλλ' ἓν πρόσωπον ὁμολογῶ τοῦ θεοῦ λόγου, καὶ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. τριὰς γὰρ ἔμεινεν ἡ τριὰς καὶ μετὰ τὴν τοῦ λόγου σάρκωσιν.

b Idem lib. IV, cap. iii. Ἡ τοίνυν σὰρξ αὐτοῦ κατὰ μὲν τὴν ἑαυτῆς φύσιν, ἂν διέλῃς ἰσχναῖς ἐπινοίαις τὸ ὁρώμενον ἐκ τοῦ νοουμένου, ἀπροσκύνητός ἐστιν, ὡς κτιστή. ἑνωθεῖσα δὲ τῷ θεῷ λόγῳ, δι' αὐτὸν, καὶ ἐν αὐτῷ προσκυνεῖται.

1 Hildeph. tom. IX *Bibl. Patr.* — 2 Cyrill. Epist. iv.

CAPUT IV.

Eadem unica humanæ naturæ in Christo cum divina veneratio Scripturarum auctoritate comprobatur. 1. *Ex epistola ad Hebræos.* 2. *Ad Philippenses.* 3. *Ex aliis locis.* 4. *Tum argumento theologico; quod Christi propria sit caro, sive humanitas.* 5. *Quo pertinet illud, quod de quaternitate vitanda in Trinitate alibi dictum est.* 6. *Regula quædam ex Rustico diacono de multiplicatione adorationis.* 7. *Expenditur et illustratur Veterum quædam argumentatio.* 8. *De coadoratione humanæ naturæ Cyrilli sententia declaratur, et quanam ratione ductus eam damnaverit.* 9. *Usurpantibus aliis.* 10. *Rustici diaconi utilis observatio de particula* σὺν *in verbo* συμπροσκυνεῖν. 11. *Gregorii Nazianzeni locus ab eodem Rustico citatus excutitur, et fortassis emendandus videtur.* 12. *Summa totius disputationis; et Wicleffi, ac Gilberti Porretani error obiter refellitur.*

Unica adoratione Christum esse colendum probatur e Scripturis.

Quæ sunt hactenus de unica Christi Dei, et hominis adoratione conquisita, collectaque veterum loca, eadem alia duo nobis exhibent ad illud ipsum probandum argumenta theologica; quæ auctoritate sacrarum litterarum, et ex iis, aliisque principiis effecta ratiocinatione continentur, quæ duo quam potero paucissimis verbis hoc capite complectar.

Imprimis e Scriptura locus hic expressissimus videtur, qui est in primo capite epistolæ *ad Hebræos. Et quum iterum introducit*, inquit[1], *primogenitum in orbem terræ, dicit, et adorent eum omnes angeli Dei.* Quod Apostoli testimonium ad unicam adorationem comprobandam Cyrillus affert in expositione anathematismi octavi: et in *Scholiis* capite XXVII. Non dubium est, quin adorationem hoc loco Apostolus eam intellexerit, qua summa divinitas colitur. Hanc enim significat, quæ nec Angelis, nec ulli creaturæ alteri conceditur; hanc, inquam, Dei filio, omnium creatori, et ad dexteram Patris assidenti vindicat Paulus, et tunc jussu Dei Patris Christo Domino delatam asserit: quando carnem assumpsit; et primogenitus omnis creaturæ factus in orbem terrarum introductus est. Ac tum maxime adoratus est homo ille, hoc est natura hominis in filium, ejusque divinam hypostasim assumpta, eodem illo momento, quo in mundum ingressus est. Sic enim mos est regibus, cum in regni societatem viventes adhuc filios tuos natu maximos asciscunt, diem constituere, quo eum purpura, et corona sceptroque prodeuntes a principibus, et magnatibus solemni veneratione coluntur, et hac velut inauguratione in regni possessionem mittuntur. Ita locum hunc Apostoli Chrysostomus enarrat. Qui id imprimis affirmat, « non de Deo Verbo ista dici, sed de Christo, qui est carne præditus. Non enim aliter introductus in mundum Dei filius dicitur, quam in carne, cum in mundo jam esset, ut ait Joannes, et mundus per ipsum factus sit[a]. » Deinde ex eo, quod ingressus in mundum statim adorari jubetur ab Angelis, demonstrari ait dominum eorum ac principem esse. « Ut si quis regem aliquem in domum introduxerit, statim eos, qui illi præsunt, adorare præcipit[b]. »

Sic etiam Theophylactus ad illum locum ex Gregorio Nysseno, et Cyrillo Alexandrino adnotat hæc de incarnato Verbo prorsus accipi debere; « quod quidem antequam carnem susciperet, nihil habebat commune cum creatura, utpote carnis expers Deus. Postquam autem carnem induit, tum communicans cum creatura, quatenus creatum sibi aliquid univit, introductus esse dicitur in creaturam[c]. » Nec aliter Œcumenius, et apud eum Photius.

II. Alter locus ejusdem Apostoli ab Cyrillo profertur in libro *Scholiorum*, capite XXVII,

a Chrys. hom. III in epist. *ad Heb.* Οὐ περὶ τοῦ θεοῦ δὲ λόγου φησὶ ταῦτα· ἀλλὰ περὶ τοῦ κατὰ σάρκα Χριστοῦ. Εἰκότως. εἰ γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, κατὰ τὸν Ἰωάννην, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, πῶς ἑτέρως ἂν εἰσήχθη, ἀλλ' ἢ ἐν σαρκί;

b Ibid. Διὸ καὶ ὡς ἂν εἴ τις εἰσαγαγὼν τινα εἰς οἰκίαν βασιλέα, τοὺς προεστῶτας αὐτῆς εὐθέως κελεύει προσκυνεῖν αὐτῷ· οὕτω καὶ αὐτὸς ποιεῖ περὶ τοῦ κατὰ σάρκα λέγων τὴν ἐν κόσμῳ εἰσαγωγήν.

c Theophyl. Ὁ δὲ Νύσσης Γρηγόριος, καὶ ὁ ἐν ἁγίοις Κύριλλος οὕτως ἐνόησαν τὸ, εἰσαγαγεῖν, ὅτι πρὸ μὲν τῆς σαρκώσεως οὐδὲν κοινὸν εἶχε πρὸς τὴν κτίσιν, ἅτε θεὸς ὢν ἄσαρκος. ὅτε δὲ ἐσαρκώθη, τότε κοινωνήσας τῇ κτίσει, καθὸ τὸ κτιστὸν ἥνωσεν ἑαυτῷ, εἰσαχθῆναι λέγεται εἰς τὴν κτίσιν.

1 *Hebr.* I, 6.

et in *Paschali* VIII, ex capite XI epistolæ *ad Philippenses*; in qua postquam voluntariam filii Dei abjectionem exposuit, ita scribit[1]: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, et terrestrium, et infernorum.* Manifestum est hic de filio Dei incarnato, non autem ut est Deus, Apostolum loqui, ut adversus Arianos contendit Chrysostomus[2]: et ex antecedentibus constat, ubi de κενώσει, id est *exinanitione* filii Dei loquitur, et obedientia ad usque mortem Patri præstita. In cujus compensationem singulare nomen accepit, hoc est, ut interpretatur idem Chrysostomus, *gloriam*, quæ in eo consistit, quod adorari meruit, ut idem asserit : et Paulus ipse perspicue significat, dum nomen illud declarans, ad eam gloriam refert, qua omnes creaturæ rationales genu flexo illum adorarent. Eodem modo Basilius exponit in libro quarto *contra Eunomium*, et adversus hæreticum istum probat, non ad divinitatem Filii verba illa pertinere, sed ad humanæ naturæ susceptionem. Nam si filio suo, qua Deus est, Pater nomen illud eximium ac decus donasset, consequens esset, Deum Verbum post incarnationem ad majorem quam ante gloriam fuisse provectum ; quod absurdum est dictu. Ambo itaque Apostoli loca illa fidem faciunt, Christum Deum et hominem, sive hunc hominem, in unam cum Deo personam ascitum, una cum ipso adoratione de voluntate Patris honoratum fuisse.

III. Tertio Athanasius in epistola *ad Adelphium* episcopum, et Cyrillus *in Scholiis*, capite XXVII, eamdem adorationem utriusque confirmant ex variis locis, in quibus Christus homo inter homines degens, pro Deo, ac Dei filio agnitus, et adoratus legitur. Ita cæcus ille ex matris utero a Christo sanatus, eidem sciscitanti. *Tu credis in filium Dei?* respondit, *Quis est Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus.* Et *vidisti eum; et qui loquitur tecum, ipse est. Et ille ait, Credo, Domine. Et procidens adoravit eum*[3]. Hic vero filius Dei idem appellatur ille qui et oculis visus est, et locutus, et in hunc credi, hunc adorari voluit Christus; non alium utique, quam semetipsum; quod profecto non exigeret, nisi se Deum et fidei propositum nostræ, et adoratione suprema, hoc est latria, venerandum intelligeret, etiam hominem, et aspectabilem, et inter homines humano more versantem. Etenim credere in aliquem nemo debet, nisi quem verum esse Deum noverit[4]; et adoratio illa, quam Christus admisit, ac probavit impensam ab eo, cujus non tam corporis, quam mentis oculos apertos esse testatus est, non alia est, quam quæ Dei filio, hoc est Deo, non creaturæ, convenit.

Ita Magi[5], divino impellente spiritu profecti sunt e patria, ut recens natum puerulum adorarent. *Et procidentes adoraverunt eum.* Quod cum ab grandiore Christo sibi postularet Satanas, soli Deo tribuendum esse ille ipse respondit. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*[6]. Igitur Dominus Deus erat infans ille, et adultus ille, qui per ætatis incrementa fidem humanæ conditionis adstruebat. Quem et sæpius adoratum ab iis, quibus sanitatem, ut alia beneficia dederat, Evangelica testatur historia ; vel palam approbante, vel non repugnante saltem eo, cui hic honos habebatur ; quod utrumque non sine grandi culpa , imo sacrilegio , facere potuit, si non Deus cum mortali corpore, et in ea, qua colebatur, specie verus esset, et illo cultu adorationeque dignandus.

Vide quæ de hoc argumento copiose disputavimus in libro secundo *de Trinitate*, capite duodecimo[7]; tum Chrysostomum homilia tertia *in Joannem*[8].

IV. Jam quod ad alterum spectat probationis genus, quod ratiocinatione constat ; est hæc apud Patres usu maxime frequens : colendam esse cum Verbo naturam hominis τῇ ἀνωτάτῳ et ἰσολυμπίῳ τιμῇ, ut Philo loquitur[9], hoc est *supremo honore, ac cœlesti;* quæ est adoratio latriæ : quod ista ipsa natura, sive caro, ut appellari solet, propria Verbi est, non aliena. Itaque non est cultu, ac veneratione separanda, quæ proprietate non disjungitur. Hæc est argumentatio Cyrilli in epistola quarta, quæ secunda est *ad Nestorium*[10]: et ante hunc Athanasii[11]. Vide quæ libro quinto, capite XVII, de hac re obiter injecimus[12]. Item argumentis theologicis.

Atque ut recte colligit Athanasius supra citatus a nobis[13], etsi caro per sese creatura sit, ac servilis conditionis, eo ipso tamen, quod corpus est Verbi, et unum cum eo per sese, ac substantivum, hoc est unam personam et hypostasim constituit, eodem honore, et adoratione censetur. Quocirca hæreticos

1 *Phil.* II, 9. — 2 Chrysost. hom. VII in epist. *ad Phil.* — 3 *Joann.* IX, 35, — 4 Vide tom. II nostrum lib. II cap. XII, § 12. — 5 *Matth.* II. — 6 Ibid. IV, 10. — 7 Maxime § 17. — 8 Vers. 17. — 9 Libr. *de Decalogo* vers. 1 et 10. — Vide cap. III, § 9. — 11 Ibid. paragr. 7. — 12 Paragr. 9. — 13 Paragr. 7.

illos, qui Verbum incarnatum adorare se nolle profitentur, sed separatum a carne, solumque Deum præ se ferunt colere velle[1]; eos gentiles, ac Judæos appellat; qui indivisum Christum dividere, ac dissolvere conantur. Igitur cum et adorari Verbum incarnatum debere contendat, nec in adorando separari carnem; prorsus unica ambo hæc adoratione vult affici.

Atque ut pressius, et validius argumentatio hæc informetur, repetendum est animo quod libro quinto postremis sex capitibus accurate pertractavimus[2], ac certissimis rationibus approbavimus, Deum revera genitum a matre sanctissima Virgine Maria; et hanc idcirco vere proprieque dici, et esse θεοτόκον id est *Dei genitricem :* quippe Deum illam vere concepisse, genuisseque in utero. Quod si ita est, et nemo nisi impius revocare in dubium hoc audet: necesse est illum eumdem adorari summo genere λατρείας, qui a Maria genitus est. Is autem non Deus est simplex, sed unus, idemque cum carne; nec aliter genitus, quam ut carne constat. Quare adoratio illa carnem respicit. Atqui non ad carnem solitariam, et a Verbo Deo separatam dirigitur: alioqui σαρκολάτραι et ἀνθρωπολάτραι merito diceremur. Ergo unica, et communis utrique simul impertienda est adoratio.

Latriæ.

Carnicolæ et hominicolæ.

Quomodo Adoratio carnis in Christo quaternitatem in Trinitate non inducat

V. Hic referenda est illa libro quinto a nobis agitata controversia[3], an in Trinitatem, τετράδα, id est *quaternitatem* invexerit incarnatio divini Verbi. Nam si λατρεία, id est *adoratio divinitati debita,* seorsim a Verbo, ac diversa carni tribuitur, quartum nescio quid in Trinitatem inducitur æquale Deo, ac supremum: quod et consequens videtur quartam appellare personam.

Deinde nihil cultu λατρείας adoratur nisi quod Deus est, si non mere σχετικῶς, ac citra ullam sibi insitam excellentiam, cujusmodi sola capit natura rationalis, colitur; ut antea diximus. Cum igitur humana natura summa sit adoratione veneranda, ut ostendimus; nec tamen per se, et a Verbo disjuncta, sit Deus; non separatim, nec diverso cultu λατρείας, sed uno eodemque debet affici. Hinc est quod Cyrillus Alexandrinus in dialogo *de Incarnatione Unigeniti* negat « Emmanuelem adorandum, ut est homo; et hoc asseverare, delirium ac fraudis, errorisque plenissimum appellat nihilque qui hoc faciant distare putat ab gentilibus, qui creaturæ potius, quam creatori, et factori serviunt [a]. »

Relative.

Latriæ.

Procul itaque privatam hominis in Christo, sive hujus, ut homo est, adorationem summovet Cyrillus: et ad unam nos auctoritate sua revocat.

VI. Bene hoc Rusticus diaconus animadvertit in *Disputatione contra Acephalos,* ubi ita disputat: quamvis assumpta hominis natura ad Trinitatem accesserit; ut quartum quiddam numeretur, cum personis tribus, ut Acephalus contendit; non tamen quartum esse ad adorandum; quia non est consubstantiale; et uni ex tribus personis adjunctum nonnisi eadem, et una cum hac, et cum reliquis duabus adoratione colitur. « Quod etsi quartum sit aliquid, neque tamen consempiternum (verba sunt Rustici[4]) nec absque initio, nec increatum, neque per se, et ex sua substantia est: sed per unitionem est id, quod esse glorificatur: illa vero tria et coæterna, et consubstantialia, et absque inchoatione increata sunt. Ob hoc etiamsi ad existendum quartum quis aliquid esse id quod humanum est dicat; non tamem quartum similiter erit neque ad adorandum, neque ad colendum, neque ad glorificandum. Aliud est enim, quod tanquam alterum quiddam (quippe quod creata est) his, quæ increata sunt, secundum quantitatem facit additamentum: eo quod non hoc idem, sed alterum quiddam sit: et aliud, tanquam consubstantiale, et consempiternum coadorari quod illud, et glorificari, et pariter coli. Insuper nec adoratio, et cultura, veluti sub numero offertur. Nec enim tres culturæ, aut tres adorationes sunt Trinitatis. Quare neque quatuor, neque duæ, vel si, ut dixi, unius, aut etiam trium, proprium sit aliquid alterum. » Hæc Rusticus: ex quo illud habemus, ad multiplicandas adorationes non sufficere naturarum vel personarum diversitatem: sed ambarum requiri. Cum enim cultui omni duo quædam objiciantur; quorum alterum, est is qui colitur; alterum, id cujus gratia colitur: quæ est excellentia quædam et dignitas, ut ante dixi; non potest cultus esse multiplex, nisi ambo illa sint diversa. Non enim unius duntaxat varietas sufficit. Sic cum imperator aut rex quispiam honore afficitur, etsi diversa

a Cyrill. Ἄρ' οὖν ὡς ἄνθρωπον προσκυνήσομεν τὸν Ἐμμανουήλ; Ἀ. Μὴ γένοιτο. λῆρος ἤδη τουτὶ, καὶ ἀπάτη, καὶ πλάνησις· οἰοίσομεν δὲ κατ' οὐδὲν τῶν τῇ κτίσει λελατρευκότων παρὰ τὸν κτίστην, καὶ ποιητήν.

1 Athan. *ad Adel.* — 2 Præsertim cap. xvii. — 3 Cap. x. — 4 Rust. tom. IV *Bibl. Patr.*

et inæqualis in eodem sit excellentia; velut animæ major quam corporis; pari tamen et eadem utrumque veneratione complectuntur, qui honorem illi habent; eo quod una sit ambarum persona, cui hæc observantia præstatur. E contrario vero etsi divinæ sint personæ tres, unica tamen adoratione fungimur, quia unica est, simplexque trium natura, et excellentia. Inde ergo consequens est, quod ait Rusticus, naturam humanam accessione sua novam adorandi rationem non afferre Trinitati; quoniam in unius de tribus personæ communionem, unitatemque coalescit.

Expenduntur comparationes a Patribus usurpatæ.

VII. Solent ad unius adorationis, qua cum carne Verbum coli dicitur, affirmandam fidem, exempla quædam a Patribus afferri, quæ paulo attentiori contemplatione opus habent. Cujusmodi est quod Athanasius in epistola, quam ad Adelphium scripsit, contra eos affert, qui carnem Christi adorandam negabant; Hierosolymitani templi, et Arcæ; necnon Cherubinorum. Jubet enim de hæreticis illis sciscitari Adelphium, an, cum Judæis præceptum esset editum de adeundo templo Hierosolymitano, et adorando illic Deo tot rerum creatarum insignibus vallato, recte illi mandato paruerint. Quod ubi ingratiis confessi fuerint, tum iisdem sic instandum admonet: « Si recte hoc agebant, idque Deo erat acceptum, nonne perire sæpius digni sunt scelesti, et omnium fœdissimi hæreticorum Ariani; qui cum veterem populum collaudent, propter honorem, quem habebant Templo, Dominum in carne, tanquam in templo, adorare detrectent[a]? » Alii vestis ac purpuræ similitudinem accommodant, quæ communi cum rege veneratione colitur: ut Epiphanius[1], aliique, quos Joannes Cantacuzenus imitatus est libro primo *contra Muhammedanos*.

Verum etsi valet istarum rerum comparatio ad retundendos adversarios illos, qui veram hominis carnem ideo Christo detrahebant, ne non adoranda esset, si non ejusdem foret cum divinitate substantiæ; non est tamen eadem utrobique ratio. Nam Cherubinorum effigies, et totus ille templi apparatus, cum inter illa Deus adorabatur, non hunc hominum cultum soli debitum divinitati proprie, ac directe, sed mere σχετικῶς excipiebant, et ex accidenti: quemadmodum purpura principis aut ipsius etiam vestimenta Christi, cum ab supplicibus adoraretur. Non enim in illis hærebat adoratio, nec in cæteris, quæ dignitatem: et excellentiam istiusmodi non capiunt, cui adoratio tribuitur: sed per illa, et inter illa transibat ad archetypum. At homo Christus, cujusmodi contuentium in oculos, et usum, ac colloquium incurrebat, persona erat eadem cum Verbo, et pro indiviso Deus et homo simul et habebatur ab credentibus in eum, et ab iisdem adorabatur. Sed de adorationis utriusque discrimine postmodum accuratius disputabitur. *Moraliter.*

Expenditur locus Cyrilli coadorari hominem assumptum vetans.

VIII. Nunc illud paucis expendere, ac pertractare juvat, quod Cyrillus, in anathematismo octavo *contra Nestorium* decernit; nefas esse, hominem assumptum *coadorare* Deo Verbo, vel *conglorificare*, et *connominare tanquam alterum cum altero*. Quod Orientalibus displicuit; tanquam ex hac Cyrilli tam exacta cautione naturarum confusio, ac commistio ab Apollinari introducta consequatur. Verum hanc de se suspicionem Cyrillus abstersit in apologia, qua anathematismos suos ab illorum impugnatione defendit; uti nos in fine libri sexti, in explicatione controversiæ hujus ostendimus. Eadem vox συμπροσκυνεῖν, et similes, bonum, vel malum usum, ac sensum habere possunt, prout ejus est animus, qui illas adhibet. Primum ita potest usurpari vocabulum *coadorandi*, ut duo sint non solum natura distincti, sed etiam subsistendi proprietate: qui in uno Christo σχετικῶς cohæreant; non autem aliquid unum per se ac substantive constituant; quæ fuit opinio Nestorii: « qui hominem Deo copulabat secundum externam habitudinem; et eatenus, quod ejusdem ille cum hoc dignitatis erat particeps; unde communiter adorandum cum Deo putabat hominem[b]: » ut scribit Cyrillus. Quod nefarii hæretici voces istæ testantur; « Propter gestantem eum qui gestatur veneror[2]; propter eum, qui latet, eum qui *Coadorare.* *Moraliter.*

a Athan. Εἰ δὲ καλῶς ἔπραττον, καὶ ἐν τούτῳ εὐάρεστοι τῷ Θεῷ ἐγίνοντο, πῶς οὐκ ἀπολωλέναι πολλάκις εἰσὶν ἄξιοι οἱ μιαροὶ, καὶ πάσης αἱρέσεως αἴσχιστοι Ἀρειανοὶ, ὅτι τὸν πάλαι λαὸν ἀποδεχόμενοι διὰ τὴν πρὸς τὸν ναὸν τιμὴν, οὐ βούλονται τὸν Κύριον ἐν σαρκὶ ὡς ἐν ναῷ ὄντα προσκυνεῖν;

b Cyrill. lib. II *cont. Nest.* Ὁ δὲ ἄνθρωπον συνάπτει Θεῷ κατά γε τὴν ἔξωθεν σχέσιν· καὶ ὡς ἐν ἰσότητι τῆς ἀξίας· καὶ ὡς ἕτερον ἑτέρῳ συμπροσκυνεῖν οὐκ αἰσχύνεται.

1 Cap. antec. paragr. 8. — 2 Cyr. II *cont. Nest.*

apparet adoro. » Quibus verbis veram, et ὑποστατικὴν unitionem defugiebat, ac duos manifeste statuebat: uti pluribus Cyrillus exponit [1]: et ex eo nos in libro tertio. Deinde sic intelligi potest, ut naturarum tantummodo differentia significetur, salva personæ ejusdem in ambabus unitate. Atque hoc modo Cyrillus ipse « Deum Verbum ait adorari cum carne [a]. » Quamobrem non tam de usu vocabuli quam de sensu, et modo utendi, ac proposito, litem movet Nestorio Cyrillus, dum negat συμπροσκυνεῖσθαι hominem cum Verbo.

Substantivam.

Coadorari.

IX. Joannes certe Damascenus in libro *de duabus Christi voluntatibus*, non dubitavit dicere *coadorari carnem*, id est una cum Verbo adoratione coli. Cujus hanc rationem affert, quod una sit, et eadem hypostasis Verbi tam ante, quam post incarnationem: quemadmodum idem est ensis igni candefactus, qui antea fuerat. « Sic adoro, inquit, incarnatum Deum Verbum, et coadoro carni, non propter naturam carnis, sed propter Deum Verbum ipsi copulatum [b]. » Atque hoc eadem, quà Epiphanius usus est [2], similitudine declarat, purpuræ, quam ille *regi coadorari* dixit, quod et Damascenus ait; sed exactius comparationem hanc instituens, observat multum duas illas συμπροσκυνήσεις, id est *coadorationes* a se invicem distare. Nam vestis regia proprie ad mentem Nestorii cum rege adorari dicitur, eo quod natura et hypostasi sua constet; nec vera et naturali junctione cohæreat cum persona principis. Ideo talis est ista συνπροσκύνησις qualem in Christo Nestorius agnoscebat, repudiabat autem Cyrillus; Damasceni verba præstat huc adscribere: « Adoro regem, inquit, cum purpura; et propter regem honoro purpuram. Atqui in rege, ac purpura non est unitio secundum hypostasim, neque indivulsa, nec sempiterna. At in Christo Deo nostro secundum hypostasim indivulsa unitio est, et sempiterna. Ideo tanquam unum de Trinitate sacrosancta coadoro Patri et sancto Spiritui Christum incarnatum Dei Filium, ac Deum [c]. »

Coadoratio.

X. De hac præpositione σὺν, id est *cum*, quæ verbo præfixa, particulæ *simul* ei notionem addit, nonnulla sunt ab Rustico diacono in libro *contra Acephalos* utiliter adnotata, quæ hic locum habere debent: quoniam ad componendum dissidium Orientales inter et Cyrillum; nec non Cyrilli ipsius a se, cujus paulo ante memini, non parum conducunt. « Non est (inquit de Cyrillo loquens [3]) ille magister sibimetipsi contrarius, sed id, quod est *cum*, et id quod est *simul*, quando de naturis tantummodo dicitur; differentiam duarum pie significat naturarum. Et propter idipsum, quando id ut de personis, vel subsistentiis in Christo dicitur, impium est. Mox enim duas significat personas, et Filios, et Dominos, et Christos. » Hinc Cyrilli diversas, et in speciem contrarias sententias in concordiam revocat; cum alias Verbum adorari cum carne dicit, alias idipsum vetat. « Sed quotiescumque quidem, ait, sermo fit de naturis, dicitur cum humanitate divinitas, et e converso: quando vero de Filio, non licet dicere, *Coadoratur Filio Dei filius hominis.* Non enim coadorantur in sancta Trinitate nisi personæ tantummodo. Divinitas vero, sicut miracula est operata per carnem, sic adoratur per carnem: et adoramus omnes crucem; et per ipsam, illum, cujus est crux: non tamen crucem coadorare dicimur Christo: nec per hoc una est crucis, et Christi natura. Similiter adorare altare (dicimur) coadorare altari Trinitatem non dicimur: sed potius per altare. Nec tamen rursus sicut Patrem per Filium; ita Verbum per carnem. Absit non enim duæ personæ sunt Christi. Cum carne vero, id est per carnem (sicut dictum est) cum qua considet Patri, et coadoratur. » Habes igitur ex illa Rustici regula, particulam σὺν, ut et Latinam *cum* vel *co* in *coadorari*, naturarum significare discrimen, non personarum. In Trinitate vero personarum, non naturarum. Quod autem negat dici debere, crucem coadorari Christo, non ei facile concesserim. Nam et Epiphanius in *Ancorato*, uti paulo antea vidimus, coadorari Principi purpuram dixit, neque propterea unam

Rustici diaconi observatio de particulis cum et simul.

a CYRILL. ibid. Προσκυνεῖται γὰρ καὶ μετὰ σαρκός.
b DAMASC. Οὕτω προσκυνῶ τῷ σαρκωθέντι θεῷ λόγῳ, καὶ συμπροσκυνῶ τῇ σαρκὶ, οὐ διὰ τὴν σαρκὸς φύσιν, ἀλλὰ διὰ τὸν ἑνωθέντα αὐτῇ θεὸν λόγον.
c DAMASC. ibid. Προσκυνῶ τῷ βασιλεῖ μετὰ τῆς ἁλουργίδος, καὶ τιμῷ τὴν ἁλουργίδα διὰ τὸν βασιλέα. Καὶ μὴν ἐπὶ μὲν τοῦ βασιλέως καὶ τῆς ἐσθῆτος, οὐ καθ' ὑπόστασιν ἡ ἕνωσις, οὐδὲ ἀδιάσπαστος, οὐδὲ διαιωνίζουσα. ἐπὶ δὲ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, καθ' ὑπόστασιν ἀδιάσπαστος, καὶ διαιωνίζουσα ἡ ἕνωσις. Διὸ ὡς ἕνι τῆς ἁγίας τριάδος συμπροσκυνῶ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, Χριστῷ τῷ σαρκωθέντι υἱῷ τοῦ θεοῦ, καὶ θεῷ.

1 Cyr. ibid. et *ad anath.* VIII *contra Theodo.* et *cont. Orient.* — 2 Citat. cap. anteced. paragr. 6. — 3 Rust. tom. IX *Bibl. Patr.*

utriusque naturam esse somniavit : sed de ea re postea.

XI. Cujus autem gratia ad illam disputationem deductus sit Rusticus operæ pretium sit exponere. Pertinet enim ad præsens institutum, et ad naturarum duarum copulationem ; tum ad Gregorii Nazianzeni quemdam illustrandum locum. Scripsit ille in epistola priore *ad Cledonium*, quæ vulgo numeratur in ejus operibus oratio quinquagesima prima anathematismos aliquot adversus grassantem tum primum Apollinaris hæresim : Inter hos unus est, quem Rusticus in dialogo *contra Acephalos* objicientem sibi inducit hæreticum, ut ex eo probet unicam esse naturam in Christo. Hunc ex interpretatione Latina Rustici ipsius cum Græcis componam[1]. « Si quis dicit , tamquam in Propheta , secundum substantiam inoperatum, et non secundum substantiam conjunctum, et complasmatum Verbum, sit vacuus melioris operationis; magis vero plenus adversæ[a]. » Perspicuum est aliter in eo, quo usus est, codice Rusticum legisse. Nihil enim in vulgatis Græcis inest, cui *complasmati* vox respondeat. Quin ita potius reddenda illa sunt, « secundum substantiam (non, ut Basilius vertit, *essentiam*) copulatum esse, copularique divinitatem. » Quare pro συνάπτεσθαι, Rusticus videtur legisse συμπεπλάσθαι , vel συναναπεπλάσθαι , quod est *complasmatum* esse. Ac nescio an non Elias Cretensis id verbum in exemplari suo repererit. Nam in *scholio* loci illius[2], sic illa duo verba συνῆφθαι καὶ συνάπτεσθαι declarat : « Non autem per essentiam cum Unigenito Verbo copulatum fuisse, et ex Virgineis Dei genitricis sanguinibus ipsi efformatum. » etc. Ita Latina Eliæ versio : nam Græca non exstant. Igitur *efformandi* vocabulum ejusmodi aliquid indicat quale Rusticus expressit. Ex quo Acephalus affirmandæ hæresis suæ ansam arripit, ut in unicam naturam ambas coaluisse naturas argumentetur : quod et κατ' οὐσίαν hoc est «*secundum substantiam* conjunctum esse Verbum, et complasmatum » dixerit Gregorius. Verum obviam it illi Rusticus, et *complasmari* Verbum nihil aliud esse contendit, quam carnem ex Maria, et in ejus utero sumpsisse , ac vera et substantiva generatione hominem esse factum. Vide libri quinti caput XIV, in quo Verbum ex B. Virgine revera genitum esse demonstravimus, quando caro factum est, tum in sequentibus ostendimus eamdem Virginem vere ac proprie θεοτόκον appellari, id est *Dei genitricem*. Est autem *plasmari* nihil aliud, quem *formari* atque gigni, et *complasmari*, cum aliquo copulari eo ipso momento quo gignitur. « Si enim Deus, ait Rusticus secundum suam plasmatus fuisset substantiam : non utique poterat complasmari cum carne, sed plasmari tantummodo. Quoniam vero non propter sempiternam naturam suam ; sed propter unitionem de Deo id dicitur ; et hoc vero dicimus (nempe complasmatum) Vera namque unitio est. » Equidem non dubito quin præferanda sit illa Rustici lectio alteri, quæ Gregorii codices omnes occupavit ; quæ eo minus probatur mihi , quod supervacaneum videtur , cum συνῆφθαι, dixisset, id est, *conjunctum carne* fuisse *Verbum*, mox idem vocabulum in præsenti tempore repetere συνάπτεσθαι, quasi contra illos agat, qui Verbum a carne divulsum esse modo senserint. *Conjungi.* Quam meam sententiam duplici de causa postmodum obfirmavi. Altera est, quod in Ephesina synodo, ubi inter alia Patrum testimonia Gregorii Nazianzeni recitatus ille locus est ex epistola *ad Cledonium* , συναναπεπλάσθαι legitur. *Complasmari.* Altera est, quod hanc ipsam vocem exhibet antiquus codex membranaceus in Bibliotheca Regis Christianissimi, uti postmodum reperi. His et tertia potest accedere, quod eadem voce usus est Gregorius Nyssenus in libro tertio *adversus Eunomium*, pagina 115, ita scribens οὐχ ἁπλῶς τὸν ἄνθρωπον ἔπλασεν, ἀλλ' ἑαυτῷ περιέπλασε, hoc est, *non simpliciter hominem plasmavit sed sibi ipsi circumplasmavit*, ut Rustici verbum usurpem.

Wicleffi delirium.

XII. Ex iis, quæ hucusque disputando confecimus, meminisse potissimum istud oportet: humanam Christi naturam unica duntaxat veneratione, eaque summa, quæ λατρείας dicitur, cum Verbo colendam videri ; non autem ab eo divulsam, ac separatam. *Latriæ.* In quo fœdissimus primum error fuit Joannis Wicleffi[3] ; qui, ut Thomas Waldensis refert[4], asseverabat carnem Christi a Verbo disjunctam adoratione latriæ venerandam esse. Hoc autem non ex eo concludebat, quod aliquando fuisset

[a] Nazianz. orat. LI. Εἴ τις ὡς ἐν προφήτῃ λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ' οὐσίαν συνῆφθαί τε, καὶ συνάπτεσθαι· εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας· μᾶλλον δὲ πλήρης τῆς ἐναντίας.

1 Latina versio Rust. tom. IV *Bibl.* — 2 Tom. II Naz. — 3 Ephes. Syn. — 4 Wald. tom. I *Doct. fid.* lib. I ar. 3.

assumpta; ut quasi pristinæ dignitatis vestigium aliquod retineret: ut erudito theologo visum est[1]; sed alia de causa; nimirum quod, ut ibidem Waldensis ait, « carnem solam verum Christum, et verum hominem esse » diceret. Proinde « si de potentia majestatis humanitas Christi esset a Verbo disjuncta (verba sunt Waldensis) humanitas illa esset adhuc verus Christus : et tunc non esset verus Deus : esset ergo Christus alius, et æquivocus Christo nostro, qui Deus est et homo. » His Wicleffi sententiam istam subjicit : « Quod si per impossibile humanitas Christi foret dimissa propriæ personalitati, conversans nobiscum ut proximus : diligeres eum ut salvatorem, et redemptorem tuum : adoraresque eum latria, sicut prius : quia nulli alteri hominum a Deo (*forte* adeo) poteris obligari. » Quod hæretici delirium absurdum est, et ab Augustino aliisque capite superiori laudatis Patribus refellitur. Deinde huic oppositus ex adverso, nec minus castigandus est error : quem ab Gaufredo Claravallensi tribui Gilberto Porretano eodem illo capite memoravimus[2] : Christi humanam naturam, etiam Verbo unitam, non *latriæ* cultu, sed inferiore adorari, qui hyperduliæ dicitur. Quam sententiam scholasticis quibusdam placuisse miror. Hanc enim et synodorum generalium decretis, et antiquorum Patrum Græcorum, Latinorumque placitis adversari, haud obscuris testimoniis hactenus ostendimus. Quæ illud etiam aperte, ac sine ambage significant, unicam Verbi et hominis in Christo adorationem, cultumque esse : nec humanam naturam seorsim alia quapiam et diversa veneratione debere affici.

CAPUT V.

De cultu, qui Sanctis adhibetur. 1. *Religionem ita Deum proprie spectare, ut in alios quoque redundet.* 2. *Quid sit idololatria disputatur, etiam ex hæreticorum sententia.* 3. *Quorum calumnia ex ipso Decalogi præcepto bene intellecto discutitur.* 4. *Adorationis nomen ad ipsas interdum creaturas accommodari.* 5. *Ex antiquorum auctoritate probatur, imprimis Justini, cujus locus illustratur ; nec non aliorum.* 7. *Propugnatur adorationis duplex genus a Catholicis constitutum* λατρείας, *et* δουλείας. 8. *Sanctorum cultus et adoratio sui generis contra hæreticornm oppugnationem defenditur.* 9. *Et ex superioribus ab idololatriæ suspicione vindicatur.*

I. Virtutis ejus, quam εὐσέβειαν, aut θρησκείαν Græci, *religionem* Latini nominant, proprium munus ad Deum præcipue pertinere, dictum est hujus libri capite primo. Nam cultus omnis, qui ex illius affectu oritur, unius ac veri Dei gratia tribuitur; quatenus summum, et supremum rerum omnium dominium in eo, ac potestatem suspicimus; et quibus congruum est modis officiisque profitemur. Nec ea res tamen, ac natura virtutis illius obstat, quo minus in alios præter Deum, religiosi cultus, et officii aliquid redundet : dum ejus, quem unum potissimum spectat, honorandi Numinis causa qualiscumque veneratio illa suscepta sit. Quocirca uti religio proprie, directe, ac principaliter in Deum est intenta, velut primarium objectum; ita secundaria ratione, et comparativa, vel relativa, cætera propter illum complectitur; qui cultus a Patribus σχετικὸς nominari solet.

Religio ita Deum proprie spectat, ut in alios quoque redundet.

Relativus.

Cyrillus Alexandrinus libro sexto *contra Julianum*[3], impio huic Apostatæ Christianos in invidiam vocanti, ejusdem, quam Gentilibus exprobrabant, πολυθείας profanique multiplicium deorum cultus, quod martyres colerent, respondet, neutiquam ab illis λατρευτικῶς, hoc est, *latriæ veneratione* affici; qui honos soli divinitati est habendus : sed τιμητικῶς, et σχετικῶς, hoc est honorandi more modoque ; et comparatione, sive habitudine : quoniam ideo

1 Vasq. in part. disp. xcv, cap, I. — 2 Cap. I, paragr. 3. — 3 Cyr. tom. VI citatus lib II *de Aug.*

coluntur, quia servi sunt, et amici Dei. Itaque non tam illi, quam in illis honoratur Christus. Bene hoc ipsum Augustinus expressit in enarratione *Psalmi* XLIV [1]. « Ostendatur, inquit, mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto tibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Christiani, non Petriani. » Sed supervacaneum est de honore, cultuque sanctorum plura hoc loco testimonia veterum afferre; cum tam multa superiore in libro collecta sint [2], quæ abunde fidem hujus rei faciant, quantopere vetus Ecclesia in illorum venerationem, atque cultum prolixa fuerit: et ut illorum memoriam, corporaque ipsa, et reliquias quibus poterant honoris significationibus prosecuti sint eruditione, ac sanctitate celeberrimi Patres Græci ac Latini: quorum auctoritatem vel hagiomachi ipsi vereri se profitentur. Et tamen catholicam, ac Romanam Ecclesiam ob hoc ipsum vexare, dirisque conviciis agitare non cessant: quod ut illorum exemplis, et institutis est edocta, ita sanctos colere ac venerari; horum opem ac preces implorare; cætera denique erga ipsos usurpare honoris indicia perseveret.

II. Quamobrem non sacrilege tantum, sed etiam imperite insulseque jactare de nobis hoc solent adversarii contra debitum uni Deo cultum, honoremque facere Catholicos, et ad idololatriæ crimen et infamiam adhærescere; qui honorare sanctos, imo adorare genere hoc adorationis, quod illis convenit, et eorum opem invocare non dubitant: de qua re perbrevem hic tractationem instituam: ac postea de illorum imaginibus dicam; quæ est pars illius criminationis ac querelæ præcipua.

Qua quidem in disputatione primum illud agere oportet, quod in causis controversiisque judiciariis faciendum admonent artis oratoriæ magistri, ut ab definitione nominis, quod rei, de qua litigamus, impositum est, auspicemur. Id est in præsenti quæstione duplex; idololatria, et adoratio. Idololatria bifariam usurpatur: tum propria et eadem angustiori significatione: tum laxiori, ac generali. Harum priore, quoniam in usum simulacrorum et imaginum convenit, capitibus sequentibus reservata, de posteriori nunc agendum.

Quid sit Idololatria. Idololatria, si vim proprietatemque nominis spectes, recte ab Tertulliano definitur, circa omne idolum *famulatus, et servitus* [3], hoc est simulacrorum cultus. Verum abusione quadam, extensioneque vocis, venerationem omnem rei cujuslibet significat, quæ Dei instar habeatur: sive imago aliqua rei vivæ muta sit, sive res ipsa vivens, aut expers vitæ. Est enim religio moralis quædam virtus; cujus proprium est, Deo tanquam summo omnium Domino, congruentem cultum et famulatum adhibere, uti capite primo diximus [4]. Ea vero mediam inter vitia duo sedem obtinet: quorum alterum ὑπερβολῇ, hoc est *excessu* peccat; alterum, ἐλλείψει; id est *defectu*. Horum prius superstitionis nomen sortitur [5]: posterius, *irreligiositatis*. Hieronymus Zanchius e Calviniana secta, Argentinensis olim [6], et Heidelbergensis deinde professor, Idolum, latius sumptum ita definit: « Idoli nomine intelligimus, inquit, quidquid homo tanquam Deum vel simpliciter, vel κατά τι, et *ex parte* sibi extra verum Deum proponit fingitque colendum. Id autem esse potest aut res vera, et in rerum natura existens; aut falsa, et imaginatione tantum concepta. Si illud; reale fuerit idolum. Si hoc; imaginarium tantum: qualis est ille Deus, quem sibi Judæi, Turcæ, Ariani colendum proponunt. » Quæ idoli delineatio latissime patet, omnemque, præterquam veri Dei, creatæ rei, vel fictitiæ cultum ambitu suo complectitur.

Hac idololatriæ notione constituta, deinceps exempla varia profert, ex quibus Ecclesiæ catholicæ infamiam adspergit, nefarii illius, et horrendi sceleris. « Qui invocat animas sanctorum, inquit, qui ex hac vita migrarunt, idololatra est: et ille spiritus, quem invocas est tibi idolum. Quæ vero est causa, cur invoces? quia persuasum habes et te, et alios ubique terrarum ab illo spiritu audiri posse et exaudiri; cum tamen hoc sit Dei proprium, omnium preces, ubicumque sint, audire, et exaudire » sic adorare Christum in Eucharistia, maximam appellat idololatriam; quia nihil inibi præter panem subesse putat.

III. Cæterum tam iste, quam alii omnes Romanæ hostes Ecclesiæ, Lutherum, et Calvinum secuti, non alia ratione idololatriæ ream illam traducunt, quam quod adversus divinum mandatum, *deos alienos habet coram Deo*. Id enim primo mandato Decalogi cautum est. Cujus ea vis est, ut ne alius quisquam pro vero, et unico Deo in fidem, et professionem Calumnia hæreticorum discutitur.

1 Aug. tom. VIII. — 2 Capitibus VIII et seqq. — 3 Tertull. lib. *de Idolis* cap. III. — 4 Cap. I, paragr. 9. — 5 S. Thom. in II II qu. XCII. — 6 Tom. IV. lib. I, cap. XVII.

vel in cultum asciscatur. Hebraica si ad verbum interpretere sic sonant: *Non erunt tibi dii alii coram facie mea* [a]. Deos intelligit peregrinos, cujusmodi nationes, maxime in Ægypto, colebant. Ac generatim, ut opinor, cujuscumque generis numina recipi, ac veneratione affici prohibet. Quanquam aliqui primo hoc mandato putant interdici genus idololatriæ [1], quod sine idolis et simulacris olim peragebatur; ut Plutarchus in Numa refert, et Clemens Alexandrinus in primo *Stromateo*: Varro item apud Augustinum [2], et Tertullianus in *Apologetico* [3]. In sequenti vero commate prohiberi idolorum, id est simulacrorum fabricationem, et honorem. Paulo aliter Aben Hezra; sed præstat universe vetari quamlibet divinitatis speciem ab una, solaque diversam, quam Judæi tunc colebant. Illud autem *coram me*, Aben Hezra sic exponit, ut sit, *me vidente*; sicut Haran *mortuus* dicitur *coram patre suo Thare* [4]. Cum enim (ait Deus) omnia videam, et penetrem, nefas est nomen meum profanis immisceri gentibus, ac ritibus. Alii pro *mecum* usurpari volunt, quemadmodum Samaritani una cum Deo Israelitarum, suæ quisque gentis Deos venerabantur [5]. Alii pro *adversum me* malunt positum esse.

Adversus hoc præceptum committunt, qui qualemcumque rem pro Deo amplexantur, eique cultum ac venerationem deferunt, cujusmodi soli præpotenti Deo convenit.» Quemadmodum enim, ait Philo, si quis magno regi debitos honores præfectis et satrapis attribuat, non solum stultissimus habeatur, sed etiam periculosissima audacia præditus; qui quæ domini propria sunt, servulis largiatur: Eodem modo si quis ea quæ facta sunt pari ac factorem cultu prosequatur, sciat se inconsideratissimum, et injustissimum esse, qui paria tribuat imparibus, non tam in honorem inferioris, quam in potioris contumeliam [b]. »

Adorationis nomen nonnunquam creaturis accommodatum.

IV. Joannes Calvinus ea quæ soli debentur Deo ad quatuor capita revocat [6]: *adorationem*, *fiduciam*, *invocationem*, *gratiarum actionem*. Sed hæc illius præscriptio subdola est, nisi in istis totidem officiis tum interioris animi propositi, tum modi ipsius ratio ducatur. Quod eo dixerim primum ne quis ad exteriorem tantum corporis habitum, ac gestum respiciat: qui plerumque unus et idem ad creatæ rei, et Creatoris honorem accommodari solet; ut est genuum flexio, capitis inclinatio, adoratio, et ejusdemmodi alia. Deinde ut observetur quatenus, et qua formula, intentioneque mentis officia illa præstentur; de quibus capite primo et secundo, cum de religione actum est, supra monui. Ubi et hoc pernecessarium animadverti, religionem, cultumque sacrosanctum, et a civili, profanoque distinctum [7]; cui virtus illa moderatur, proprie, ac directe in unum Deum tendere, cæteris κατ' ἀναλογίαν, et illius principalis gratia convenire: hoc est σχετικῶς, nempe *relative* seu *comparative*. Quæ duo si, uti par est, prudenter adhibeantur, tum Calvini, ac Lutheri, tum cæterorum obtrectationes et sophismata, quibus Ecclesiæ catholicæ in sanctos observantiam et cultum vellicare student, nihil præter inanes nugas, et futiles esse calumnias agnosces.

Nam quod ad illud, quod primo loco commemoratum est, attinet, adorationem constat ex sese, et universe consideratam non Deo soli competere, sed ei cum creaturis esse communem, ut supra capite secundo fuse docuimus. Ac si religioso sacroque cultui peculiariter ea vox attribuatur, falsissimum est, quod isti majore pervicacia, quam prudentia et eruditione contendunt, non alteri, quam supremæ majestati, vindicandam esse: ideoque sacrilegos et idololatras esse, qui sanctos, et eorum effigies; necnon Crucem ipsam Domini adorare instituunt; sed de reliquiis paulo post; de sanctis, quod instat, agere ut pergam, illud assevero, quod nemo istorum, cui quidem frontis, et ingenui succi aliquid restet, inficiari potest, magnis auctoribus, et quavis exceptione potioribus constare, adorationem in sanctos, et eorum reliquias vetere in Ecclesia, et adversariorum etiam judicio sincera, fuisse collatam.

V. Promiscuum hunc vocabuli istius usum exemplis aliquot approbarunt pii eruditique

a *Exod.* xx, 3. לא יהיה אלהים אחרים אל פני.

b Philo lib. *de Decal.* Καθάπερ οὖν τοῦ μεγάλου βασιλέως τὰς τιμὰς εἴ τις τοῖς ὑπάρχοις, καὶ σατράπαις ἀπένειμεν, ἔδοξεν ἂν οὐκ ἀγνωμονέστατος εἶναι μόνον, ἀλλὰ καὶ ῥιψοκινδυνότατος, χαριζόμενος τὰ δεσπότου δούλοις. τὸν αὐτὸν τρόπον ἂν τοῖς αὐτοῖς γεραίρῃ τὸν πεποιηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἴστω πάντων ἀδουλότατος ὤν, καὶ ἀδικώτατος, ἴσα διδοὺς ἀνίσοις, οὐκ ἐπὶ τιμῇ τῶν ταπεινοτέρων, ἀλλ' ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ κρείττονος.

1 S. Thom. II II qu. cxxii act.2 ad 2. Lyran. abul. — 2 Aug. IV *de Civit.* cap. xxxi. — 3 Cap. xxv. — 4 *Gen.* xi, 28. — 5 IV *Reg.* xvii. — 6 Cal. II *Instit.* cap. paragr. 16. — 7 Cap. i, paragr. 9 et cap. ii, paragr. 2.

Locus insignis S. Justini.

theologi, qui pro sanctorum veneratione contra hujus ætatis hæreticos decertarunt, ut inter alios Bellarminus[1]. Nos hic nonnulla proferemus. Insignis est ex omnibus Justini martyris locus in Apologia secunda : ubi τοῦ προσκυνεῖν, id est *adorandi* vocabulum ab Christianis communiter attribui Deo, et sanctis Angelis affirmat. Nam cum illatam Christiano nomini ab gentilibus atheismi calumniam propulsare vellet, quod cultum omnem, ac religionem abjurassent; ostendit aliter sese rem habere, et quos, quatenusque colant paucis explicat sic : « Hinc nos, inquit, athei nominamur (nempe, quod malos dæmones detestamur :) Nec diffitemur talium nos deorum, qui esse putantur, expertes, et atheos esse : at non verissimi illius, qui pater est justitiæ, ac temperantiæ, cæterarumque virtutum, et ab omni vitiositatis communione prorsus abhorrentis Dei. Hunc ipsum vero, et ab eo profectum Filium a quo ista perdocti sumus : necnon aliorum ipsum sequentium et ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum scilicet angelorum exercitum : spiritum quoque Propheticum colimus, et adoramus, sermone ac veritate honorem deferentes[a]. »

Quo in loco Justinus cultum, et adorationem Deo pariter, et Angelis assignat. Non tamen dissimulare possum, Græca paulo aliter interpretari licere ; nempe hoc modo : « Hunc ipsum vero, et ab eo profectum Filium, qui et nos, et bonorum Angelorum ipsum sequentium, et ad ejus similitudinem conformatorum exercitum ista perdocuit. » Hoc modo non erit consequens, adorari a nobis angelos, ut et Deum, ejusque filium : sed doceri ab Filio tam homines, quam Angelos. Quam loci illius interpretationem ea ratio confirmat, quod minus consentaneum videtur inter Patrem ac Filium, et Spiritum S. inculcari inserique angelos sanctos. Verum etsi ab contentioso aliquo posterior ista Græcorum verborum expositio defendi possit ; mihi tamen contextus, ac series ipsa sermonis priorem magis approbare videtur. Non enim satis causæ videtur, cur inter illos, qui ab Filio sunt edocti, Angelos recenseat ; præsertim cum Gentiles, ad quos Apologiam istam Justinus elucubravit, non satis capere possent, qua ratione, et quid tandem λόγος homo factus Angelos docuerit. Accedit quod cum paulo ante questus sit, Christianos atheos nominari propterea quod Deos, quos gentiles adorabant, minime colerent ; ac cum respondisset, non se Deos illos venerari quod non dii, sed improbi essent angeli, ac dæmones : postulare res ita videbatur, ut, quoniam Christiana religio non omnino Angelos abjicit ; sed eos duntaxat, qui pii sunt, et sancti, et in fide persistiterunt, cultu et honore dignatur : hujus rei mentionem aliquam faceret. Denique si quis nonnullum hellenismi gustum habet, is omnino fatebitur, priorem, quam expressimus sententiam, magis structuræ verborum, proprietatique convenire, quam posteriore a me loco positam. — *Verbum.*

VI. Quocirca Justinus adorationem ibi latius sumpsit, pro quovis religioso cultu, tam qui proprie, ac directe tendit ad supremum numen, quam σχετικῶς, et creaturis principalis gratia tributo. — *Improprie.* Quod et alii Patres interdum faciunt. Gregorius certe Nazianzenus oratione XXXVIII *in Christi nativitatem*, hortatur ut « adoremus præsepe Domini, propter quod cum rationis essemus expertes, a Verbo nutriti sumus[b]. » Hieronymus item in apologia secunda *adversus Ruffinum*, « Protinus inquit, concito gradu Bethlehem meam reversus sum ; ubi adoravi præsepe, et incunabula Salvatoris. » Et Augustinus[2], « Beatissimum, ait, Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo credentium. »

Ita Cyrillus Alexandrinus adversus Julianum Christianis idipsum exprobrantem, quod sanctos martyres tanquam Deos colerent, respondet, « Neque deos esse nos putare sanctos martyres : nec eos adorare consuevisse, illo videlicet adorationis genere, quod latria dicitur ; sed relative, et honorandi ritu. Quin potius illos supremis ornamus

a JUSTIN. *Apol.* II. Ἐνθένδε καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα. καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτως νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι. ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν ἀνεπιμίκτου τε κακίας θεοῦ. ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὴν τῶν ἄλλων ἑπομένων, καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμα τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες.

b NAZIANZ. Καὶ τὴν φάτνην προσκύνησον, δι' ἣν ἄλογος ὢν ἐτράφης ὑπὸ τοῦ λόγου.

1 Lib. I *de Beatit. sanct.* cap. XII. — 2 August. serm. XXV *de sanct.*

honoribus, tanquam eos, qui generose pro veritate certarunt [a]. »

Adorationem.

Vides ut προσκύνησιν sanctis etiam martyribus, id est, creaturis adscribat : sed non ejusmodi, qualis Deo convenit : quam λατρείαν appellat, sed σχετικὴν, et τιμητικὴν, quæ per sese maxima quidem est, sed sui generis modulo circumscripta veneratio. Nimirum ut intra creaturæ terminos consistat : nec summæ majestatis, et supremi principatus, ac dominatus in Deo : servitutis extremæ, ac famulatus in nobis professionem habeat. Atque hunc honorem supremum, hoc est τὴν ἀνωτάτω τιμὴν, appellat, quo nomine Philo ante a nobis laudatus [1] λατρείαν soli Deo debitam vocat.

Latriam... relativam et honorariam.

Latriam.

Proclus præterea Cyzicenus primum, deinde Constantinopolitanus episcopus in oratione quinta, quæ est laudatio B. Mariæ Virginis, adorationem eidem accommodat. « Adoratur, inquit, et Maria, quoniam mater facta est, et ancilla [b]. » Possunt et alii commemorari, qui προσκύνησιν, et *adorationem* de cultu sanctorum usurparunt. Sed pluribus minime est opus.

VII. Hæc vero catholicis theologis justissima causa visa est, cur adorationem duplicem constituendam putarent : alteram soli Deo congruentem, quam λατρείαν nominari placuit : alteram inferiorem, et σχετικὴν, sive τιμητικὴν, quam *honorificentiam* appellat auctor sermonis secundi *de SS. Apostolis Petro et Paulo*, qui inter opera sanctorum Ambrosii [2], et Augustini [3] editus est. « Concurrere debemus, inquit, ad domum Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sanguinis sui pepererunt, etc. Quisquis ergo honorat martyres, honorat et Christum : et qui spernit sanctos, spernit Christum Dominum. » Sic Jonas Aurelianensis episcopus libro primo *de cultu imaginum*, « corpora sanctorum, ait, non adoranda adoratione divinitati debita; sed pio amore amplectenda, et honoranda. » Posteriorem duorum cultuum δουλείαν vocare solent theologi nostri, præeuntem scenti S. Augustinum, qui sæpe duplex illud genus adorationis commemorat, λατρείας et δουλείας; ut in libro primo quæstionum *super Genesim*, quæstione LXI, ubi illud inquirit, quinam Abraham populum terræ, id est Hethæos adoraverit [4]; et quomodo sit intelligendum illud præceptum, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* [5]. Cui mox respondet, « Animadvertendum esse in eodem præcepto non dictum, *Dominum Deum tuum* solum *adorabis* sicut dictum est, *et illi soli servies :* quod est Græce λατρεύσεις. Talis enim servitus nonnisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, id est ejusmodi servitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. » Ergo « λατρεία nonnisi Deo, tanquam Deo debetur : δουλεία vero debetur Deo, tanquam domino, » ait idem libro secundo quæstionum *in Exodum*, quæstione XCIV. De utraque voce legendus Augustinus et aliis in locis, quæ supra memoravimus [6] : et indidem Beda retulit in commentario ad caput *Lucæ* IV, et illa verba Christi, *Dominum Deum tuum adorabis*, etc. Est autem otiosa, et insulsa περιεργία recentiorum tum hæreticorum, tum grammatistarum : qui ut Catholicos doctores arguant, λατρείαν, et δουλείαν idem plane significare, longis et otiosis disputationibus probare student. Hoc est abuti tempore, et industria in re perfacili. Scio voces istas λατρείαν, et δουλείαν vel nihil a se mutuo, vel perparum distare : et utrumque Deo plerumque tribui, cum de religiosa veneratione agitur.

Duliam.

Latriæ et duliæ.

Dulia.

Diligentia.

Latriam et duliam.

Joannes Damascenus libro tertio *de Imaginibus*, adorationis varios modos enumerat : quorum primus est ὁ κατὰ λατρείαν, « secundum latriæ cultum, quem soli natura adorando Deo tribuimus [c], » inquit. Quem rursus diversos in modos distribuit, et horum primum ait esse δουλείαν, *quoniam omnia serviunt tibi*, ait Propheta [7], reliquos ut sim brevior omitto.

VIII. Verum supervacanea est de vocibus, neque theologo digna contentio, si de re ipsa constiterit. Constat autem ex iis, quæ libro antecedente multis capitibus exposuimus, beatissimam Dei genitricem, ac sanctos omnes, præsertim martyres, summo post mortem honore celebratos fuisse, ac tum eorum memoriam per omnes Christianorum

Sanctorum et reliquiarum adoratio relativa defenditur.

a Cyrill. lib. VI *cont. Jul.* Τούς γε μὴν ἁγίους μάρτυρας οὔτε θεοὺς εἶναί φαμεν, οὔτε προσκυνεῖν εἰθίσμεθα, λατρευτικως δηλονότι, ἀλλὰ σχετικῶς, καὶ τιμητικῶς. στεφανοῦμεν δὲ μᾶλλον ταῖς ἀνωτάτω τιμαῖς, ὡς τῆς ἀληθείας γενναίως ὑπεραθλήσαντας.

b Procl. Προσκυνεῖται καὶ ἡ Μαρία, ὅτι γέγονε μήτηρ, καὶ δούλη.

c Damasc. Πρῶτος τρόπος προσκυνήσεως ὁ κατὰ λατρείαν, ἣν προσάγομεν μόνῳ τῷ φύσει προσκυνητῷ Θεῷ.

1 Cap. IV, § 4. — 2 Serm. *de Sanct.* — 3 Serm. XVI *de Sanct.* et in append. LXXVIII. — 4 *Gen.* XXIII, 7. — 5 *Luc.* IX. 8. — 6 Cap. II paragr. 6 et seq. — 7 *Psalm.* CXVIII, 91.

ecclesias, et ubique terrarum, incredibili populorum frequentia, et solemni ac religiosa veneratione consecratam fuisse; tum corpora et reliquias eorum eumdem apud illos cultum obtinuisse. Atque hoc non pauci numero; non vulgares et indocti; non raris, et adspersis obiter sententiis qualescumque illi testificati sunt. Sed omnium antiquitate, et doctrina, sanctitate, auctoritate clarissimi ac celeberrimi Patres, quacumque Christiana religio patuit, plenis voluminibus, ac crebris et disertis de hoc argumento testimoniis approbarunt. Quem illis constitutum, decretumque totius Christiani consensu nominis honorem, et, ut quidam ex illis significant, adorationem, nemo ita desipiat, ut civilem tamtummodo cultum fuisse contendat; quæ est usitata, sed inepta et jocularis adversariorum exceptio. Ut enim illa prætermittam, quæ ab nostris contra illos disputantibus, maxime autem a Bellarmino [1] de ea re notata, et animadversa sunt ex veteris, novique Testamenti libris : nec vel Josue apparentis sibi Angeli adoratorem commemorem [2]; vel adoratos ab sanctis viventibus viventes perinde sanctos, et prophetas, ut Eliam ab Abdia [3], et ejusdemmodi exempla; in quibus honor, et cultus adorationis more concessus non potest civilis, ac profanus haberi, sed ob solam sanctitatem delatus, adeoque religiosus, ut hæc, inquam, taceam, certe negari non potest, quod ex iis, quæ in illo libro collegimus, antiquorum Patrum testimoniis manifestissimum est, summam fuisse sanctis, ut plurimum mortuis, nonnunquam etiam viventibus, adhibitam venerationem, et eam adoratione, hoc est oris, ac totius corporis inclinatione prostrationeque transactam. Licita est igitur, et laudabilis non Dei duntaxat, sed ad ejus similitudinem sanctitatis accommodantium sese creaturarum adoratio, ac religiosus honor. Atqui nemo veteres illos, qui religiose venerari sanctos, aut muta et inanima quædam illorum instituere gratia, talem, adorationem cultumque creaturis decrevisse suspicetur, cujusmodi soli vero Deo convenit. Siquidem et hoc ipsum expressissimis verbis cavontes eosdem audivimus; et utrumque discernentes genus adorationis, et cultus. Ecquid ergo consequens est aliud, nisi adorationem, ac venerationem aliquam esse soli colendo Deo constitutam; aliam sanctis longe minorem, et eorum consentaneam meritis attributam? Igitur majorem et divinitatis propriam, λατρείαν ex antiquo dici statuerunt : posteriorem, et minorem antiquiores τιμητικὴν, et σχετικὴν προσκύνησιν : posteri δουλείαν appellandam esse censuerunt.

Latriam.

Honorariam et relativam adorationem.

Duliam.

IX. Nihil hic ego stultos, et indoctos rabulas moror; qui in suis conventiculis Papistas lacerant, tanquam idololatras, et sanctorum velut Deorum totidem adoratores; uti post Lutherum, et Calvinum, Zanchius, Molinæus, et impurus ille ἄπόθεος, qui in Hieronymi Xaverii opere Persico genuinum fregit. Qui si quid saperent, intelligerent profecto, idololatriam tunc esse, cum divinus honor creaturæ tribuitur, quod sanctorum eo, quem dixi, modo veneratores neutiquam faciunt. Ac si idololatra censendus est ille, qui de Deo falsum aliquid, et alienum ipsius bonitate, vel misericordia, vel justitia, vel qualibet divinitatis dote profitetur, ut ex Hieronymo Zanchio Calvinista supra meminimus, ecquis idololatra magis est, quam Calvinus, qui et Filium in Trinitate αὐτόθεον esse, id est *a se ipso divinitatem habentem*, non a Patre communicatam existimat; ut alibi demonstravimus [4], et auctorem peccati Deum affirmat [5], eumdemque crudelem et injustum; ac præterea Christum in cruce fidem, et justitiam desperatione, ac damnatione perdidisse [6]? Qui sic sentit, et alia pleraque, quæ suis locis ostendimus, ille Deum alium prorsus, ac diversum ab eo constituit, quem Christiana religio veneratur, et pro Deo, ejusque Filio ficta colit numina, et idola, estque merito idololatra nominandus. Quod crimen longe abest ab Catholicæ, Romanæque moribus, et institutis ecclesiæ : ut ex adversariorum præscriptione ipsa, et concepta, receptave ab iis idololatriæ formula colligitur. Etenim Calvinus in enarratione primi præcepti eatenus idololatriam admitti vult [7], si quod proprium Deo est in creaturam transferatur. Cujusmodi quatuor ab illo percenseri officia diximus [8], quorum prima est adoratio. Hanc igitur, qua Deo competit, removendam ab cultu sanctorum constanter asserunt Catholici : et sub eadem interdum appellatione disparem contineri notionem, inæqualemque defendunt. Similiter atque in *Dei*, *Domini*, *Mediatoris*, imo etiam *patris*, et *magistri*, vocabulis usuvenit : quæ omnia

Impius.

Vere Calvinus ejusque sequaces idololatræ.

1 Lib. I *de Sanct. beat.* cap. XIII. — 2 *Josue* V, 15. — 3 III *Reg.* XXIII, 7. — 4 Tom. II, lib. VI, cap. II paragr. 5. — 5 Tom. I lib. X, cap. VI et seq. — 6 Vide tom. II, lib. III, cap. IV, paragr. 7. — 7 Calv. II *Instit.* cap. VIII — 8 Paragr. 4.

partim, et aliquo sensu, Deo peculiaria sunt, et ab creaturis abjudicantur : ut cum *Patrem vocare nos super terram* prohibet Christus[1], nec non *magistrum* : partim cum aliis communicantur. Nam et dii, et domini, et patres, et magistri præter Deum alii nominantur; ut et sancti; et cæteris titulis honestantur, quos religio, moralis nimirum illa virtus, respicit, ut officium suum, hoc est cultum ei debitum, ac reverentiam exerceat. Quamobrem ut sunt virtutum ac proprietatum illarum, quarum gratia religiose colitur Deus, revera participes sancti; cur non in honoris ac cultus societatem pro modulo suo atque captu vocentur? ut ejusdem sit, aut certe sub eodem genere cognominis virtutis suum cujusque venerandi, et colendi modum, rationem formamque describere : quemadmodum eadem caritate Deum, proximumque diligimus. Præsertim cum, ut capite primo libri hujus exposuimus, illa ipsa religio Deum proprie ita spectet, ut ad cæteros illius tantummodo causa, et σχετικῶς, hoc est comparatione quadam, et ad eum habitudine referatur : quæ res faciliorem reddit officii utriusque etiam in diversa, et dispari specie comprehensionem. Simile est de tribus aliis post adorationem enumeratis ab Calvino judicium, quæ omnia tum demum nefas est cum creatura communicari, cum ut sunt Deo propria sumuntur.

Hæreticorum calumniæ. X. His, aliisque præterea, quæ in sequentibus disputare pergam, instructus, ac præmunitus non hebes omnino lector vana et futilia prorsus esse cognoscet, quæ de idololatria nobis objiciunt Romanæ communionis inimici : tum omnium impudentissime Trapezita Leidensis, et professor Salmasius in *Apparatu ad librum de Primatu Papæ,* in quem forte ista commentans incidi. Ibi cum alia pleraque ficta, et nefanda Catholicis exprobrat, homo ad quidvis loquendum, audiendumque paratus : tum de B. Virgine hanc illis calumniam adspergit. « Monachi, inquit, vel eam præponunt ipsi Christo, utpote matrem filio : quæ et jure matris potest illi imperare : et quod vult vel ingratiis, pro iis qui eam devote coluerint, nomenque ejus invocarint, impetrare. Si Idololatria hæc non est, ostendant mihi quid sit idololatria, et an a Deo sic mandatam, vel Apostolis, nunc exerceant; et an primitiva Ecclesia id fecerit. Hæc alii jam refutarunt ex nostris viri doctissimi. » At istos vicissim non doctissimos, sed improbissimos, ac tui similes nebulones strenue propulsarunt pii complures, et eruditi scriptores, qui vestra illa præclara sic exceperunt, ut qui inter vos paulo sunt elegantiore ingenio, et acutiore judicio præditi, jamdudum talibus ineptiis contra nos uti desierint. Sed nec ejusmodi quemquam diffido fore, qui hæc nostra legens, cumque sordibus tuis, ac spurcitiis comparans, non te contemptu magis, quam seria aliqua confutatione dignum existimet. Ecquis Catholicorum paululum intelligens, ac non plane rudis, et stipes, pari cum Christo veneratione, nondum, ut mendacissime calumniaris, etiam majore dignandam esse B. Mariam censuit? Non pudet ineptiarum? Nam quod de *jure matris,* quo *imperare filio* dicitur, obiter injicis : memini me apud Casaubonum in exercitationibus puto contra Baronium legisse : ubi tanquam ex hymno quodam Ecclesiastico, ἀκροτελεύτιον illud commemorat, *jure matris impera;* ad traducendam Romanæ, ut videri vult, Ecclesiæ idololatriam, et blasphemiam. *Clausulam.* Verum nusquam istud in Romanis officiis, ac precum hymnorumque breviariis invenias. Quod si ab aliquo forte, quod nos latet, usurpatum est, potest non improbabili sensu usurpatum videri : quem superiore in libro capite nono ex Germani[2], et Petri Damiani auctoritate comprobavimus[3]: nec non Joannis Gersonii Parisiensis theologi ac cancellarii.

1 *Matth.* XXIII, 9, 10. — 2 Paragr. 15 et seq. — 3 Cit. cap. VIII paragr. 4.

CAPUT VI.

De sensu primi præcepti Decalogi, quod simulacrorum cultum prohibet. 1. Imprimis Decalogus ipse proponitur. 2. De illius partitione variæ sententiæ. 4. Quid sit idolum. Utrum omnes funditus imagines prohibitæ Judæis fuerint. Affirmare veteres Hebræos. 6. Ut Philonem et Josephum; necnon antiquos aliquos Patres, Justinum, et Clementem Alexandrinum. 7. Tertullianum. 8. Contraria huic sententia, non in totum imagines interdici : sed numinum tantum; itaque sensisse Tertullianum. 9. Quam amplectitur Augustinus, et esse revera alteri præferendam. 10. Quod genus cultus, et adorationis in eodem præcepto interdicitur.

Altera nunc idololatriæ labes purganda restat, quam isti nomini propius respondere dixi [1], quod in simulacrorum cultu ac veneratione posita sit, quæ εἰδώλου vocabulo proprie continentur. Habebit autem hæc nostra disputatio celebris et pervagatæ controversiæ disceptationem, de imaginum cultu, et adoratione, tum earum, quibus Deus, et Christus exprimuntur; tum cæterarum, quæ sanctorum similitudinem scalpro, vel penicillo elaboratæ referunt. In his locum necessario sibi postulat sacrosanctæ Crucis honor; non ejus solum, in qua Christus revera est affixus : sed aliarum quoque, quæ illius effigiem quoquo modo repræsentant. Ac mihi consentaneum videtur, quoniam de Christi potissimum adoratione instituta est hæc tractatio, ab Crucis cultu initium esse capiendum : quod tum demum aggrediar, ubi pauca de Decalogi præcepto illo præfatus fuero, quo de figuris, et imaginibus præscripta aliqua continentur. (*Idoli.*)

(*Decalogus proponitur.*) Atque illud imprimis observandum venit, ad istius intelligentiam præcepti, et propositæ quæstionis enodationem non nihil pertinere, uti primorum de decem mandatorum germana divisio bene constituta sit : quam non eamdem omnium esse sententia, sed in opinionum varietate positam, ignorare puto neminem. Verba ipsa legis sunt ejusmodi : Nam ea præ oculis interest habere *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis* [2]. 3. *Non habebis deos alienos coram me.* 4. *Non facies tibi sculptile : neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum : nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra.* 5. *Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me :* 6. *et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.* 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* 8. *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* 9. *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua.* 10. *Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas.* 11. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt : et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.* 12. *Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.* 13. *Non occides.* 14. *Non mœchaberis.* 15. *Non furtum facies.* 16. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* 17. *Non concupisces domum proximi tui : nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.* »

II. In his decem numero esse primaria, et distincta convenit, sive verba, sive præcepta. Hebræi, ut Aben Hezra, nominant דברים, Græci λόγους, id est, *sermones*. Ac primum comma, quod capitis est secundum, omnes fere extra numerum decem sermonum constituunt : et præfationis instar habent. Verum Aben Hezra primum esse contendit. Idemque secundum sermonem illum facit, quo Deos alienos habere et eorum effigies facere, adorareve prohibet. Sed hæc opinio, ait, minime est probabilis. Duæ sunt apud antiquos celebres, quæ totidem modis præceptorum partitionem instituunt. Ambæ in eo conveniunt, quod bifariam in duas lapideas tabulas, omnes illi decem sermones distributi fuerint. Philo in libro, in quo (*De partitione decalogi variæ sententiæ.*)

1 Cap. v, paragr. 2.— 2 *Exod*, xx, 2.

disputat, *Quis rerum divinarum hæres*; et in altero, qui est *de Decalogo*, in duas πεντάδας, id est, *quinarios* præceptorum, decalogum partitur : quorum singulos cuique tabulæ inscriptos fuisse putat. « Porro, decem sermonum, inquit, qui in istis tabulis descripti sunt, qui quidem propriæ leges sunt, divisio ex æquo facta est in quinarios : quorum prior jura illa, quæ ad Deum pertinent : posterior quæ ad homines spectant, complectitur[a]. » Itaque priora quinque præcepta tabulæ unius sunt ista : Primum est de alienis diis repudiandis : secundum de idolis neque fabricandis, neque colendis : tertium de non assumendo in vanum Dei nomine ; quartum de sabbato sanctificando : quintum de honorandis parentibus; quod mandatum ait divinum jus continere; propterea quod communis omnium parens est Deus, cujus nonnisi instrumenta sunt mortales genitores. Posterior quinarius vetat, inquit idem, adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, et concupiscentiam. Ita etiam Josephus partitur in libro tertio, capite quarto : et Clemens Alexandrinus sexto *Stromateo* : etsi non satis explicate loquitur. Assentitur et Origenes homilia octava *in Exodum*, quatenus duo prima constituit, de uno Deo colendo, et idolis non adhibendis. Item Gregorius Nazianzenus in carmine *de Decalogo* : et Ambrosio adscriptus commentarius in epistola *ad Ephesios*, cap. VI. Rupertus in caput *Exodi* vicesimum : et alii complures.

At Augustinus quamplurimis in locis, ut in libro *de decem chordis*, capite V et VI, et quæstione LXI *in Exodum* et alibi passim [1]; tum Prosper libro primo *de Promissionibus*, parte I, capite XXXVI, nec pauci alii, quidquid est a commate secundo ad sextum capitis vicesimi *Exodi*, unico præcepto comprehendunt, quod ita Deum unum coli præcipit, ut fabricatione, cultuque simulacrorum interdicat. Itaque tria duntaxat, quia paulo pluribus verbis concepta sunt, in primam tabulam includunt : reliqua septem, quæ humani sunt juris ad secundam referunt : ac nonum et decimum duplici concupiscentiæ tribuunt.

III. Non est hoc loco propositum mihi de hac præceptorum, tabularumque partitione subtilius, ac limatius inquirere; sed mandati duntaxat illius, quo Idola prohibentur, sententiam excerpere.

Tria in primo præcepto contenta.

Igitur tria in primo præcepto ex Augustini divisione vulgo ab Catholicis recepta, velut capita continentur, « Horum primum, ut ait Philo, opinioni eorum opponitur, qui deos complures esse credunt, illud docens unius imperio mundum administrari[b]» Et Josephus, « Docet, inquit, nos primus sermo, quod unus Deus sit, et hunc solum esse venerandum[c]. » De hoc superiori capite jam est actum [2].

In secundo sculptilia prohibentur, et similitudines, omnium, quæ in cœlo, terraque et in aquis continentur. Vox Hebraica, פסל sculptile, Græce γλυπτόν, Septuaginta εἴδωλον verterunt; sculptile est proprie effigies ex lapide sculpta, et dolata, ut ait Kimhius; sive ex ligno, vel alia quavis materia.

Duo hic imaginum genera vetari animadvertit Origenes [3] : primum idola, id est simulacra rerum non exstantium, his ipsius verbis, *Non facies tibi sculptile* ; quod ut dixi, Septuaginta εἴδωλον interpretati sunt; deinde verarum rerum effigies cum ait, *neque omnem similitudinem*, etc. Idolum enim tum esse, cum aliquis, exempli gratia, humanis membris caninum caput imponit; aut id genus alia fingit, quæ nec sunt nec esse possunt. Hinc Apostolus *Idolum* ait *nihil est in mundo* [4] Hæc eadem Theodoretus adnotat quæstione XXXVIII *in Exodum*. Tertium caput coli, et adorari sculptilia, et memoratas illas similitudines vetat. De his duobus quam paucissimis potero quæ dictu necessaria sunt absolvam. Hic vero apprime magna contentio est, eaque duplex. Nam et de idoli propria significatione quæritur, et utrum genus imaginum omne, ac quacumque de causa factum illa *Decalogi* lege sit interdictum.

IV. Εἴδωλον si ab origine censeas; quamli- Idoli notio.

a Philo libro, *quis rerum divin. hæres*. Καὶ μὴν τῶν ἐν ταύταις δέκα λόγων, οἳ κυρίως εἰσὶ θεσμοὶ, διαίρεσις ἴση γέγονεν εἰς πεντάδας· ὧν ἡ μὲν προτέρα τὰ πρὸς τὸν Θεὸν δίκαια· ἡ δὲ δευτέρα τὰ πρὸς ἀνθρώπους περιέχει.

b Philo loco cit. Τῶν μὲν οὖν πρὸς Θεὸν δικαίων πρῶτός ἐστι θεσμὸς ὁ ἐναντιούμενος τῇ πολυθέῳ δόξῃ, διδάσκων ὅτι μοναρχεῖται ὁ κόσμος. Idem habet et in lib. *de Decal.*

c Joseph lib. III, cap. IV. Διδάσκει μέν οὖν ἡμᾶς ὁ πρῶτος λόγος ὅτι Θεός ἐστιν εἷς καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον.

1 Lib. XV *cont. Faust.* cap. XVII; tract. III *in Joann.* serm. CXLVIII *de Temp.* et serm. XVIII *de Diversis.* et *de spiritu et litt.* cap. XIV; tract. III *in Joann.* — 2 Paragr. 4. — 3 Orig. hom. VIII *in Exod.* — 4 I *Cor.* VIII, 4.

bet formam vel figuram significare putes. Εἶδος enim ut ait Tertullianus [1], « formam sonat, ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum æque apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formula Idolum se dici exposcit. » Nihilominus etiam apud profanos scriptores non est idem omnino, quod εἰκὼν, sive *imago*, et *figura* : verum partim rei confictæ, nec exstantis in rerum natura similitudinem sonat; ut ex Origene, ac Theodoreto proxime ante retuli : et late Suidas adnotavit : partim minus aliquid rei alio qui veræ similitudine declarat : cujusmodi est umbra, et tenuis quædam effigies, non expressa, neque solidi aliquid retinens. Quare Eustathius ad *Odysseæ* librum undecimum; quod est λ, εἴδωλον ait esse apud Homerum aliquid evanidum magis, et exile, quam est σκιὰ, id est *umbra*, vel potius idem esse ac σκιὰν, et ὄνειρον, id est *umbram*, et *somnium;* et animam ab tribus illis aliquid esse distinctum; quod ab Homero, et Virgilio usurpatum esse linguæ utriusque notaverunt Grammatici. Itaque εἴδωλον *umbratilem similitudinem* exponit Suidas, et *apparentem corporis speciem* [a] : cui consonat Hesychius; et ad hoc alludens Sophocles ita scripsit.

« Nil esse quippe video nos quam inania
Idola, quotquot vivimus, aut umbram levem [b]. »

Nec ab auctorum gentilium usu dissident Christiani, ac theologi nostri : qui εἴδωλον in deteriorem partem semper accipiunt, ut, quod ex Origene ac Theodoreto notavimus, rei haud exstantis effigiem significet : imprimisque falsi numinis, sive istud ipsum, quod pro Deo habetur, nunquam exstiterit : sive reipsa quidem exstet, aut exstiterit aliquando, sed non tale sit, quale repræsentatur, nempe divinum, et summa illa veneratione dignum. Nam et mortuorum, aut etiam vivorum hominum, aut Angelorum, cœlestiumve corporum figuræ, si pro diis, vel deorum imaginibus adorandæ, ac colendæ proponantur, idola sunt; quia dii non sunt, quos illæ referunt : ideoque simulacra sunt non exstantium rerum. Henricus Stephanus in *Thesauro*, « Apud ecclesiasticos scriptores, inquit, εἴδωλα Latine etiam *idola*, peculiari significatione vocantur simulacra numen aliquod repræsentantia, quod honore, et cultu dignamur. » Hic *numen* divinitatis est vocabulum, ut est in Glossis veteribus : *Numen* θεῖον. Verum addere debuerat Stephanus *falsum numen*. Non enim quorumlibet numinum effigies idola vocantur : sed fictorum.

V. Alterum disputationis caput est, ecquid Mosaica illa lege, quæ tam sculptilia, quam similitudines omnium, quæ hoc universi ambitu coercentur, fieri prohibet, usus imaginum qualiumcumque funditus Judæis interdictus fuerit. Utraque pars, aiens scilicet, ac negans, suos nec obscuros habet auctores. Affirmant imprimis antiquiores, ac recentiores Hebræi. Philo Judæus non uno in loco testatur pingendi, fingendique artes a Mose e republica sua sublatas : ut in libro, *Quis rerum divinarum hæres*. Et in libro *de Decalogo*, scribit in secundo præcepto prohiberi « manufacta, ut simulacra, statuas et universe quæcumque dedicantur in templis, quorum pictura, et fictorum ars noxiæ sunt opifices [c]. » Et in libro de *Legatione ad Caium*, et in altero *de gigantibus*, idem de ejectis a Mose pictoribus, et statuariis testatur.

An lex Mosaica omnes prorsus sculpturas imaginesque vetuerit

Sententia affirmans.

Josephus item libro octavo idem sensisse videtur, dum Salomonem violatæ legis incusat, « quod æreas boum effigies basi maris (Id erat labrum ingens,) adjecerat et leonum in throno posuerat. Nefas enim erat ista facere [d]. » Plerique scriptores profani testes sunt apud Judæos nullas imagines fuisse, nec statuas : sed addunt deorum; ut Diodorus Siculus, Strabo, Tacitus, et Dio, quos in *Explicatione Decalogi* citat Hugo Grotius. Verum nullas omnino imagines fieri præcepisse Mosem recentiores putant Hebræi, ut ex Mosis Maiemonidæ tractatu *de Idololatria* liquet, qui sic inscribitur, *De cultu stellarum*,

a Suid. Εἴδωλον σκιῶδες ὁμοίωμα· ἢ φαντασία σώματος.

b Sophocl. Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν Εἴδωλ', ὅσοι πέρ ζῶμεν, ἢ κούφην σκίαν.

c Philo. Ὁ δὲ δεύτερον κεφάλαιόν ἐστι πάντων, ὅσα περὶ χειροκμήτων ἐνομοθετεῖτο ἂν ἀγάλματα, καὶ ξόανα, καὶ συνόλως ἀφιδρύματα, ὧν γραφική, καὶ πλαστικαὶ βλαβεραὶ δημιουργοὶ, κατασκευάζειν οὐκ ἐῶν.

d Joseph. lib. VIII. Καὶ πρὸ τούτων δὲ ἁμαρτεῖν αὐτὸν ἔτυχε, καὶ σφαλῆναι περὶ τὴν φυλακὴν τῶν νομίμων ὅτε τῶν χαλκῶν βοῶν ὁμοιώματα κατεσκεύασε τῷ ὑπὸ τῇ θαλάττῃ ἀναθήματι, καὶ τῶν λεόντων τῶν περὶ τὸν θρόνον τὸν ἴδιον. οὐδὲ γὰρ αὐτὰ ποιεῖν ὅσιον.

1 Tert. lib. *de Idolol.* cap. III.

et planetarum, *et statuis gentium*, necnon ex commentariis Aben Ezræ, et aliorum quamplurimorum.

VI. Apparet tamen Josephi ac Philonis ætate adeoque Christi, superstitiosiores hac in re Judæos fuisse, quam postremorum Rabbinorum tempore. Siquidem Josephus libro XVII *Antiquitatum*, capite VIII, Judæos ægre tulisse ait quod Herodes cum alia multa contra legem opera Hierosolymis extruxerat, tum aquilam auream prægrandem supra majorem templi portam collocarat : quam juvenes quidam magistris hortantibus palam demoliri, ac dejicere ausi sunt. « Prohibet enim lex, ait Josephus, erectiones imaginum moliri : aut quorumcumque animalium effigies collocari, velut anathema iis, qui ex illius præscripto vitam suam componere voluerint [a]. » Et in libro primo *de bello Judaico*, ubi hanc eamdem historiam narrat : « Nefas asserit fuisse, in templo imagines, aut vultus, aut cujuslibet animalis cognomine opus constitui [b]. »

Idem insuper affirmat in libro secundo ejusdem historiæ *de bello Judaico* : cum describit populi tumultum, et pertinax studium adversus Pilatum, qui Cæsaris effigies in Urbem introduxerat ; quas Judæorum victus constantia tandem abstulit. Hujus consternationis causam eamdem affert Josephus, « quod nullum fas sit in urbe collocari simulacrum [c]. »

Recentiores Hebræi minus rigidi

Ac recentiores Hebræi multum de ista severitate remittunt. Primum enim existimant non omnes effigies interdici præcepto illo Decalogi, sed tantum modo prominentes, quas vocant בולטות hoc est *exstantes*, *et protuberantes*. Deinde ornatus gratia licere putant quaslibet effigies habere, etiam prominentes rerum omnium, una excepta hominis figura. Tertio planas, ac depressas imagines sive textorio opere factas, sive pictas, etiam humanas licitas esse, dum tamen citra cultum, et idololatriam habeantur. Hæc Rabbi Moses capite tertio *de Idololatria* *.

Justinus etiam martyr in dialogo *cum Tryphone* nullam prorsus effigiem rei cujuscumque Judæis permissam indicat. Nam ut ostenderet, Christi pro humano genere perpessionem symbolica quadam significatione adumbratam a Mose fuisse, illud affert in medium, quod cum vetuisset ullam omnino imaginem fieri, serpentis nihilominus ærei figuram in propatulo posuerit. « Dicite, inquit, mihi ; nonne Deus erat, qui Mosi jusserat, ne qua prorsus imago, neque similitudo, tum eorum, quæ suprá sunt in cœlo, tum quæ in terra sunt infra fieret : et idem tamen in deserto per Moysem æneum serpentem elaborari voluit, et in signum erexit, per quod icti a serpentibus sanarentur ? In quo extra culpam est ? Mysterium enim, uti diximus, ea re prædicabat [d]. » Quod et paginis aliquot interpositis iterum Judæis opponit.

Clemens item Alexandrinus, postquam e Pythagora hoc retulit, « vetuisse ipsum annulum ferre, aut ullam in eo deorum insculptam imaginem habere ; id illum a Mose didicisse confirmat, qui lege lata caverit, ne quod sculptum vel fusile, vel fictum, pictumve simulacrum, aut effigies aliqua fieret : ne ad res sensibiles adhærescamus ; sed ad intelligibiles transeamus [e]. » Verum fieri potest, ut hic solas deorum effigies a Mose prohibitas intellexerit, quarum ex Pythagora mentionem fecerat.

VII. Tertullianus quoque in libro *de Idololatria* in eadem fuisse sententia videtur, eo quod imaginum artifices hujusmodi prorsus ab Ecclesia rejiciendos putaverit. « Exinde jam caput facta est, inquit [1], idololatriæ ars omnis, quæ idolum quoquo modo edit. Neque enim interest, an plastes effingat, an

a Joseph. Κωλύει δὲ ὁ νόμος εἰκόνων τε ἀναστάσεις ἐπινοεῖν, καί τινων ζώων ἀναθέσεις ἐπιτηδεύεσθαι τοῖς βιοῦν κατ' αὐτὸν προῃρημένοις.

b Idem. Ἀθέμιτον γὰρ εἶναι κατὰ τὸν ναὸν, ἢ εἰκόνας, ἢ προτομὰς, ἢ ζώου τινὸς ἐπώνυμον ἔργον εἶναι.

c Joseph. lib. I *de bello*. Οὐδὲν γὰρ ἀξιοῦσιν ἐν τῇ πόλει δείκηλον τίθεσθαι.

d Justin. vers. 34. Εἴπατε γάρ μοι, οὐχὶ θεὸς ἦν ὁ ἐντειλάμενος διὰ Μωσέως μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα, μήτε τῶν ἐν οὐρανῷ ἄνω, μήτε τῶν ἐπὶ γῆς ὅλως ποιῆσαι. καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ἐρήμῳ διὰ τοῦ Μωσέως τὸν χαλκοῦν ὄφιν ἐνήργησε γενέσθαι, καὶ ἐπὶ σημεῖον ἔστησε, δι' οὗ σημείου ἐσώζοντο οἱ ὀφιόδηκτοι. καὶ ἀναίτιος ἐστιν ἀδικίας. μυστήριον γὰρ διὰ τούτου, ὡς προέφην ἐκήρυσσε.

e Clem. V *Strom*. Πάλιν δ' αὖ δακτύλιον μὴ φορεῖν, μηδὲ εἰκόνας αὐτοῖς ἐγχαράσσειν θεῶν παρεγγυᾷ ὁ Πυθαγόρας. ὥσπερ Μωϋσῆς πρόπαλαι διαῤῥήδην ἐνομοθέτησεν, μηδὲν δεῖν γλυπτὸν, ἢ χωνευτὸν, ἢ πλαστὸν ἄγαλμά τε, καὶ ἀπεικόνισμα ποιεῖσθαι. ὡς μὴ τοῖς αἰσθητοῖς προσανέχωμεν, ἐπὶ δὲ τὰ νοητὰ μετίωμεν.

* Confer Seldenum *de jure et gentium juxta leges Hebræorum* lib. II cap. VI.

1 Tert. *de Idol.* cap. III.

cælator exculpat, an Phrygio detexat : quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. » Tum generatim idolum definiens eo modo, quem supra posuimus [1], ostendit se hoc nomine imaginem prorsus omnem, id est *formam* complecti; cujus cultus id est latria, sive *famulatus*, *et servitus* interdicatur. « Propter hanc causam, inquit [2], ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat; *Ne feceris idolum*. Et conjungens, *Neque similitudinem eorum, quæ in cœlo sunt, et quæ in terra, et quæ in mari*. Toto mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei. » Atenim (objicientem sibi Christianum aliquem ejusmodi artificem inducit) [3] « Cur ergo Moses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit? Seorsum figuræ (mox respondens ait) quæ dispositioni alicui arcanæ præstruebantur, non ad derogationem legis, sed ad exemplarium causæ suæ. Alioquin si hæc ut adversarii legis interpretemur, numquid et nos, quod et Marcionitæ, inconstantiam adscribimus omnipotenti? quem illic hoc modo destruunt, ut mutabilem, dum alibi vetat; alibi mandat. » Ergo extraordinario mandato putat Deum id in serpente fieri jussisse, quod universe prohibuerat, « Bene quod idem Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcepto serpentis similitudinem indixit. Si eumdem Deum observas, habes legem ejus : *Ne feceris similitudinem*. Si et præceptum factæ postea similitudinis respicis; et tu imitare Moysen : ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi et tibi Deus jusserit. »

Ex his perspicuum est Tertulliani hanc mentem fuisse, uti Deus in Decalogo omnem prorsus effigiem, ac rei cujuscumque similitudinem fieri interdixerit ; nec falsi duntaxat Dei. Quippe serpens ille, quem Moses jubente Deo ex ære fudit, non utique ad cujusquam Dei repræsentandam imaginem institutus erat : et tamen ut illa ipsa fieret imago, exceptionem ait fuisse; et quasi *dispensatorium*, et extraordinarium mandatum, quod communiter latæ legi derogaret : et idipsum concedere solius fuisse divinæ potestatis.

Quin idem Tertullianus de eo agens, quod in monte, in quo transfiguratus est Dominus, apparuerunt Moyses et Elias [4], et a Petro agniti sunt, « Quomodo enim Moysen, inquit [5], et Heliam cognovisset, nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset, et similitudines, lege prohibente. » Joannes quoque Damascenus oratione secunda *de Imaginibus* idem existimasse videtur : nec non Theodorus Studita : ut Michael Studita in ejus *Actis* testatur [6].

VIII. Altera est opinio, Deum non universe prohibuisse in illo *Decalogi* præcepto omnem prorsus imaginum usum, sed earum duntaxat, quæ ad numen aliquod repræsentandum fierent; cujusmodi idola proprie nuncupari diximus. Ita docet Tertullianus in illo ipso opere, ubi alteram sententiam amplexus est, *contra Marcionem* : ut ex ea re conjectura fieri possit, quam versatili, minimeque constanti, ac solido judicio in plerisque tractandis scriptor ille fuerit : id quod alias observavimus. Hic igitur in libro secundo *contra Marcionem*, hujus hæretici criminationibus occurrens, quibus veteris legis auctorem calumniabatur, tanquam adversantem sibi, et iis quæ statuerat contraria præcipientem, ita disputat [7]. « Sic et in cæteris contrarietates præceptorum ei exprobras, ut mobili et instabili, prohibentis sabbatis operari, et jubentis arcam circumferri per dies octo, id est etiam sabbato, in expugnatione civitatis Hiericho. » Mox istud ita dissolvit, asserens non secum pugnare legislatorem, qui sabbatum ab omni opere feriatum esse jussit. Si quidem « opera humana, non divina prohibuisse : » ut cum lex ita præcipit, « *Non facies in ea omne opus*, subaudiatur *tuum*. Consequens enim est, ut ea opera sabbato auferre, quæ sex diebus supra indixerat : tua scilicet, id est humana, et quotidiana. Arcam autem circumferre neque quotidianum opus videri potest, neque humanum : sed et rarum, et sacrosanctum ; et ex ipso tunc Dei præcepto, utique dicuntur, etc. Ideoque qui sabbatis lignatum ierat, morti datus est. Suum enim opus fecerat, lege interdictum. » Quocirca negat Tertullianus præcepto illo de sabbato servando opus omne prohiberi : nec illa præscriptione utitur, quam ad alterum de simulacris non faciendis adhibuit ; extraordinario mandato

Sententia negans probabilior.

1 Paragr. 4. — 2 Tert. ib. cap. IV. — 3 Idem cap. V. — 4 *Matth.* XVII. — 5 Tertull. lib. IV *cont. Marc.* cap. XXII. — 6 Baron. ad annum 814 paragr. 15. — 7 Tert. II *cont. Marc.* cap. XXI.

derogatum esse legi universæ vetanti opus omne.

Subinde vero *contrarietatem alteram* explicat, quam idem Marcion opponebat: quod cum similitudinem omnem Mosaica lex habuisset, serpentem æneum postea fieri mandaverit. Cui sic respondet, non in totum vetuisse legem fieri similitudinem aliquam : sed eam tantummodo, quæ ad hoc fieret, ut pro Deo coleretur. « Proinde et similitudinem, inquit [1], vetans fieri omnium, quæ in cœlo, et in terra, et in aquis, ostendit et causas; idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subjicit enim : *Non adorabitis ea, neque servietis illis*. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Mosi a Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat : sed ad remediandos eos, qui a serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedii. Sic et Cherubim, et Seraphim aureæ in arce figuratum exemplum certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. » Hic aperte contra quam superioribus in locis statuerat, negat absolute vetitum esse imagines fieri legis edicto : sed ejusmodi solum, quæ ad Deum aliquem exprimendum elaboratæ essent, aut ad adorandum expositæ.

Cui suffragatur Augustinus.

IX. Huic posteriori sententiæ suffragatur Augustinus libro *de spiritu, et littera*, capite XIV, ubi sic scribit : « In illis igitur decem præceptis, excepta Sabbati observatione, dicatur mihi quid non sit observandum a Christianis, sive de non faciendis, colendisque idolis, aliisque ullis diis præter unum verum Deum. » Atqui *idolum* pro qualibet imagine non solent Latini scriptores, ne profani quidem, usurpare : nedum Patres, minimeque omnium Augustinus; qui idolum definit [2], *cujusquam Dei falsi, et alieni simulacrum*. Hujusmodi ergo similitudines prohiberi censuit; non quaslibet figuras, et effigies. Nam Petri ac Pauli Apostolorum imagines passim in ecclesiis, et earum parietibus pictas fuisse testatur in primo libro *de consensu Evangelistarum*, capite decimo. Quod igitur in primo Decalogi præcepto (non enim distinctum esse putat de non faciendis, neque colendis sculptilibus, et similitudinibus mandatum ab eo quod vetat alienos coli deos, ut supra diximus) hoc igitur quod et lex illa præcipit, et Christiana non minus retinuit, ex Augustini sententia non est, ut ne ullæ penitus imagines adhibeantur : sed ne illæ duntaxat, quæ Deum aliquem falsum et alienum repræsentant. Id enim Christiana quoque lex prohibet.

Atque hæc demum mihi sententia magis probatur, præsertim si, quod Augustino, et aliis nonnullis visum est, et hodieque catholica Ecclesia sequitur, unico præcepto illa contineantur quæ ad unius Dei cultum pertinent, et quæ triplici capite comprehendi supra docuimus : ut nec alii dii contra verum habeantur : nec idola, vel similitudines creatarum rerum exprimantur, nimirum quæ perinde atque idola pro Deo vero, et adversus eum asciscantur : ac denique ut ne simulacra talia colantur, nec adorentur. Quorum trium ratio est eadem, ac finis unus ; ut præter verum Deum, nulla falsa divinitas, ejusque non falsa minus effigies nulla formetur ; nec ullo modo servetur. Ex quo perspicue sequitur, neque serpentis figuram, quam jussu Dei Moses erexit : nec Cherubimos, quos eodem præcipiente Deo sculpi, formarique mandavit, præcepto illi derogasse : nec ad illa fabricanda extra ordinem juberi aliquid opus fuisse, cum quæ ad utilitatem, et usum aliquem, vel ad ornatum pertinerent, quæ quidem numinis cujuspiam repræsentandi gratia minime fierent ; nulla legis cautio comprehenderet. Quod si Synedrii, ac Synagogæ postea decreto latius propagata legis sanctio est; et ad quemcumque usum imaginum saltem exstantium, et humanarum porrecta vis illius, id inter illorum δευτερώσεις, et secundarias præceptiones numerari convenit : cujusmodi scita magistrorum *sepem Legis divinæ* nominare solebant : quæ videlicet accuratiori interdictione, et morosiore cautela præscripta, ab legis violatione longius homines arcerent. Hanc ipsam divinæ legis interpretationem, quam nos alteri anteponimus, approbant illi fere omnes, qui adversus Iconoclastas catholicæ Ecclesiæ traditionem de imaginum cultu ab idololatriæ infamia vindicarunt : ut inter alios Joannes Damascenus. Cujus memorabilis hæc est sententia : « Si nos, inquit, imagines hominum faceremus, et eas putaremus esse Deos, (Adde vel illos saltem, quorum

Deuteroses.

1 Tert. II *cont. Marc.* cap. XXII. — 2 Lib. VII quæst. *super Jud.* qu. XLI.

sunt effigies) ac tanquam diis famulatum præberemus; revera impie ageremus [a]. » Sed de imaginibus paulo post disputandum erit.

Quod genus cultus et adorationis in eodem præcepto interdicitur

X. Ex hac nostra Mosaicæ legis expositione illud est consectarium, frustra inter se conflictari Catholicos quosdam cum recentioribus imaginum effractoribus super particula tertia primi præcepti, quæ coli adorarique sculptilia, et similitudines vetat: dum alii cultum ejusmodi, et adorationem duntaxat prohiberi volunt, quæ λατρεία dicitur, ac Deo soli competit: alii ex adverso religiosum omnem cultum, ac venerationem interdici. Hoc enim constituto, non illic qualiacumque simulacra, vel imagines damnari; sed eas solum, quæ ad divinitatis alicujus speciem, et honorem, ac monimentum referuntur: evidens est omnem penitus, ac vel infimum cultum, et honoris significationem intercludi. Quare sive προσκύνησις latius accipiatur pro quavis veneratione, sive angustiori notione coerceatur, ut solum Deo debitum honorem significet, nihil iste locus vel illorum causæ officit, vel horum patrocinatur errori. Certe Aben Hezra ad eumdem locum, proprie ibi Scripturam intellexisse putat servitutem, et cultum, « qui in sacrificio, ac suffitu maxime consistit [b]; » quod præcipue, atque ex primaria Legislatoris intentione verum est fuisse prohibitum: ex consequenti vero, reliqua omnia dignationis et honoris indicia vetita censeri.

Latria.

Adoratio.

CAPUT VII.

De cruce Domini, et ejus cultu. 1. Iconoclastæ, et imaginum cultui obsistentes crucem tamen retinuerunt, et colendam censuerunt. 2. Quod tam Græci, quam Galli contagione illius erroris afflati fecerunt. 4. Claudius Taurinensis crucem detestatus est; tum Pauliciani. 5. Quorum historia describitur. 6. Necnon alii recentiores.

I. Triplex est, pro totidem crucis adhibendæ modis, illius quæstionis explicatio. Aut enim de vera cruce agitur, in qua salus nostra pependit: aut de hujus imagine sive picta, sive qualibet ex materia fabricata: aut de transeunte, ut ita dixerim, illius signo, atque forma, quam sibi Christianus quisque manibus in fronte, vel reliquo corpore designat. De his sigillatim dicam: et quidem quanta maxima brevitate tam ampla, copiosaque res substringi poterit; sine ullo tamen dispendio necessariæ huic operi, institutoque tractationis.

Occuparunt jampridem hoc argumentum apprime pii, et eruditi scriptores: qui uberrimis commentariis ea omnia complexi sunt, quæ ad crucis venerationem attinent, adversus inimicos illius antiquos, ac recentiores hæreticos. Sed majore hoc nemo copia, diligentiaque præstitit, quam Jacobus Gretserus noster, tribus *de Cruce* tomis editis: quorum in primo, libris quinque capita omnia controversiæ hujus, ac quæstionis exhausit. Nos velut spicilegii loco proferemus ea duntaxat, quæ præteriri nullo modo potuerunt, et quæ ut auctorem quemque legebamus, olim seposita, et subnotata in schedis reperimus.

Oppugnandæ crucis, et hujus abrogandi cultus origo ab Iconomachorum hæresis fonte profluxit. Sed non ab eodem temporis initio utraque labes opinionis erupit. Etenim qui primi sacris imaginibus bellum indixerunt; sive Xenaias ille Persa[1], qui Zenonis primi Imperatoris tempore vixit, circa annum Chri-

a DAMASC. orat. II *de Imag.* Εἰ ἐποιοῦμεν εἰκόνας ἀνθρώπων, καὶ ταύτας θεοὺς ἡγούμεθα, καὶ ὡς θεοῖς ἐλατρεύομεν, ὄντως ἠσεβοῦμεν.

b ABEN HEZRA. לזכוח ולהקטיד.

1 Theophan. Cedren.

sti 485, sive Leo Isauricus, ejusque successores, ab crucis injuria sacrilegas manus, ac linguas abstinuerunt : eique cultum et honorem perseverarunt tribuere.

Primi Iconomachi cultum crucis retinuerunt licet imaginum cultui obsistentes.

Nam quod ad veram crucem attinet, summa in veneratione habitam esse constat sub impiis sectæ illius principibus, et Patriarchis. Nicephorus Constantinopolitanus episcopus, qui Leone Armeno imperante vixit, a quo et in exilium pulsus est ob sacrarum imaginum cultum, in *Breviario historiæ* scribit Constantinum Copronymum per jusjurandum adigere subjectos sibi populos voluisse nunquam deinceps sanctorum imagines adoraturos esse se ; ac « tum Patriarcham Constantinopolitanum salutaribus lignis (sanctæ crucis) in altum sublatis, jurasse se ex eorum numero non esse, qui sacras imagines adorarent[a]. »

II. Idipsum et Joannes Damascenus refert in libro secundo *de Imaginibus*, et absurdam hanc illorum rationem arguit; quod cum imagines ideo non se colere profiterentur, quoniam rem creatam, et materia constantem venerari nefas haberent, iidem tamen crucem adorarent, et alia plurima : uti vasa, et loca sancta. « Nonne materia est, inquit, crucis illud ter beatum ac fortunatum lignum? Nonne materia est augustus ille sanctusque collis, qui Calvariæ locus dicitur? Nonne materia est salutaris illa petra, nempe sepulcrum Domini, fons nostræ resurrectionis? Nonne materia est, atramentum et pelles, in quibus Evangelia describuntur. Nonne materia est mensa vivifica, quæ nobis panem vitæ suppeditat? Nonne item materia est aurum, et argentum, ex quibus cruces, et sacri disci, ac pocula fabricantur? Et ante omnia ista, nonne materia est Domini corpus, et sanguis? Aut igitur horum omnium cultum, adorationemque tolle : aut Ecclesiasticæ traditioni etiam imaginum adorationem permitte[b]. »

Idem error Græcorum.

Exprobravit hoc Leoni Armeno Iconoclastarum fautori Theodorus Studita, de quo Michael Studita, qui res ab illo gestas memoriæ prodidit, narrat inter cætera, sic cum Imperatori locutum esse[1]: « Sed quoniam a vobis, Imperator, imaginis quidem honor odio est, crux vero veneratione digna censetur : primum illud capere non possum, cum jam utriusque honor conjunctus sit (simul enim imago, et simul crux ; quandoquidem Domini adventus gloriam utrique attulit) nunc a vobis alterum ab altero secernitur ; ita ut alteri sors melior obtigerit ; alterum repudietur, et contemnatur. Deinde quæram, o veteris Scripturæ interpres ! quomodo cum lex execratione dignam crucem vocet[2] : *Maledictus enim*, ait, *qui pendet in ea* : tu qui crucem colis, legem vilipendere non videare, » etc.

Necnon Gallorum.

Eodem argumento synodo septimæ adversantes Gallos, et imaginum venerationem improbantes refellit Anastasius bibliothecarius in præfatione ad Nicænam secundam, eamdemque septimam œcumenicam synodum, cujus verba referam capite nono, ubi de effigie crucis agendum erit.

III. Enimvero Gallicani episcopi, quos imaginum adorationi intercessisse ibidem significat Anastasius, crucem nihilominus adorandam esse censuerunt; non modo veram sed hujus etiam figuram et imaginem, quod unus illorum testatur Jonas Aurelianensis episcopus in præfatione libri secundi *de cultu imaginum*. Cujus verba hic adscribi non abs re fuerit; quod et Gallorum illorum, qui imaginum cultum interdixerunt, sententiam explicat ; et crucis colendæ ritum, hujus commendanda vetustate, confirmat. « Multa sunt, inquit[3], quæ mos sanctæ Ecclesiæ, sicut a majoribus tradita sunt, et derelicta, quadam insita atque nativa celebratione frequentat. Neque enim nostro tempore usus irrepsit, figuram crucis in basilicis sanctorum statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit cunctis sapientibus, et rusticis, ut non solum memoria spiritualem deformet quamdam imagine crucis figuram, sed etiam

a Niceph. *in Breviar.* Φασὶ δὲ καὶ ὡς τὸν τηνικαῦτα τῆς πόλεως ἀρχιερέα θεασάμενοι ὑψώσαντα τὰ ζωοποιὰ ξύλα ὀμωμοκέναι μηδὲ αὐτὸν εἶναι τῶν προσκυνούντων τὰς ἱερὰς εἰκόνας. Cedren. ad Annum Copron. xxv.

b Damasc. Ἢ οὐχ ὕλη τὸ τοῦ σταυροῦ ξύλον τὸ τρισόλβιόν τε, καὶ τρισμακάριστον; ἢ οὐχ ὕλη τὸ ὄρος τὸ σεπτὸν καὶ ἅγιον, ὁ τοῦ κρανίου τόπος; ἢ οὐχ ὕλη ἡ ζωηφόρος πέτρα, ὁ τάφος ὁ ἅγιος, ἡ πηγὴ τῆς ἡμῶν ἀναστάσεως; ἢ οὐχ ὕλη τὸ μέλαν, καὶ τὰ τῶν Εὐαγγελίων δέρματα; ἢ οὐχ ὕλη ἡ ζωοποιὸς τράπεζα, ἡ τὸν ἄρτον ἡμῖν τῆς ζωῆς χορηγοῦσα; ἢ οὐχ ὕλη ὁ χρυσός τε, καὶ ἄργυρος ἐξ ὧν σταυροί τε, καὶ πίνακες ἅγιοι κατασκευάζονται, καὶ ποτήρια; ἢ οὐχ ὕλη πρὸ τούτων ἁπάντων τὸ τοῦ Κυρίου σῶμα καὶ αἷμα; ἢ πάντων τούτων ἄνελε τὸ σέβας, καὶ τὴν προσκύνησιν· ἢ παραχώρει τῇ ἐκκλησιαστικῇ παραδόσει καὶ τὴν τῶν εἰκόνων προσκύνησιν.

1 Apud Bar. anno 814. — 2 *Deuter.* xxi. — 3 Jonas tom. IV *Bibl. Patr.*

corporalis ipsius intuitus crebram menti præfigat Dominicæ passionis victoriam. Si enim quantitas tanta venerabilis ligni, in quo Dominus, et Salvator noster pependit, foret, ut ex eo minutatim diviso cuncta Deo dicata templa possent imaginem crucis habere, nullatenus ex aliis lignis ejusdem formam in basilicis locaremus. Nec tamen ideo crucem, ut Dominum adoramus, sed magis eum, qui per crucem mortis destruxit imperium, cuique chirographum peccati nostri affixit, pacificans in ea sanguine suo, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Porro etsi oscula infigimus, non utique causa ligni, sed potius amore illius id a nobis agitur, qui in ea veteris ligni damna restauravit. Miror si unquam legi Dei, quæ utique pellibus, et atramento digesta habetur, caput supposuisti, et osculum dedisti; forte respondebis, si tamen veritatem profitearis, multoties te id egisse. Volo ergo ut mihi respondeas, cujus causa caput inclinasti, pellium, vel atramenti, aut Dei auctoris legis ejusdem. Nam sacræ religionis usus in sancta Ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta sacri Evangelii lectione, ab episcopo, vel presbyteris, cæterisque sacri ordinis religiosis, codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur. Sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus esse verba creduntur, agimus? Ac per hoc quidquid cruci exhibemus, ob honorem, ac amorem illius, ac venerationem, qui in ea pependit, totum agimus: atque utinam tanto, quando decet te honore veneraremur. Desine itaque seplasiariorum pigmentulis potionari, ut non talia ganniendo, mansuetis incutias terrorem volucribus, quæ needum fortiori penna robusta, aera sudum transcendere potuerunt: illud applicans ex latere tibi, quia qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum. Nam quod majores scandalizare nequeas, manifestissimum est, cum nec litterarum te eruditio adhuc imbuerit, nec sanctorum paginæ doctorum usque adeo instruxerint, ut jure id facere queas. Caute ergo de te sentiri oportet a te, ne dum terminos Patrum transgredi niteris priorum, ad terminum usque venire non possis, unde fessus in vita tempestatum imbribus obruaris, non perveniens ad domum, quæ est supra firmam petram immobiliter constructa. »

Idem præterea toto secundo libro, ingenti, et laudabili conatu ritus illius ecclesiastici patrocinium suscepit. Auctor quoque operis illius, quod sub Caroli Magni nomine de argumento hoc elucubratum est, capite XXVIII Græcos redarguit, quod *mysterium Dominicæ crucis manufactis imaginibus æquipararent.*

Recensentur qui primi cultui crucis sunt adversati.

IV. Primus itaque cruci et adhibendæ, et in cultum assumendæ adversatus esse perhibetur Claudius Taurinensis episcopus Felicis Urgellitani discipulus illius, qui cum Elipando Toletano nefariam de Christo adoptivo filio propugnavit hæresim, quæ in Francofurtensi synodo Carolo Magno Franciæ rege damnata est, ut in libro primo diximus [1]. Hic ab Ludovico Pio Imperatore Caroli F. Taurinensis factus episcopus, simul atque in eam civitatem venit, tum imaginibus omnibus, tum crucibus bellum excidiumque denuntiavit, et in Theodomirum abbatem, qui scriptis ad eum litteris factum ipsius incusarat, mordaci, et amarulenta epistola est invectus. Hujus epistolæ sententias quasdam, et excerpta Jonas Aurelianensis descripsit, ac singillatim refutavit tribus in libris, quos *de cultu imaginum* edidit. Eædem sententiæ in unum collectæ præfixæ sunt libro, quem Dungalus adversus Claudium elaboravit [2]. Nam et hunc ille congestis in unum volumen antiquorum Patrum testimoniis, opere in isto confutavit.

Præter hunc vero crucem execrati sunt et isti: primum Ismaelitæ, sive Saraceni, postquam a Muhammede novis ritibus instituti sunt: ut refert Euthymius in *Panoplia* titulo XXIV; « Calumniantur nos, inquit, tanquam idololatras, eo quod crucem adoramus, quam illi detestantur [a]. »

Deinde Pauliciani, Manichæorum propago quædam: quorum historiam Petrus Siculus descripsit, imperante Basilio Macedone cum filiis suis Constantino, et Leone. Nam inter sex illorum impia dogmata, quartum hoc percenset; « Quod figuram, et efficaciam, ac vim pretiosæ vivificæque crucis non recipiant: sed infinitis contumeliis afficiant [b]. »

Photius item, qui eadem, qua Petrus iste

[a] EUTH. Lat. et *in Moameth.* tom. XII *Bibl. PP.* Διαβάλλουσιν ἡμᾶς ὡς εἰδωλολάτρας, διὰ τὸ προσκυνεῖν τὸν σταυρὸν, ὃν καὶ βδελύττονται.

[b] PETRUS SICUL. Τέταρτον τὸ τὸν τύπον, καὶ τὴν ἐνέργειαν, καὶ δύναμιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ μὴ ἀποδέχεσθαι· ἀλλὰ μυρίαις ὕβρεσι περιβάλλειν.

1 Cap. ult. — 2 Tom. IV, paragr. 2 *Bibl. Patr.*

Siculus, ætate vixit, mirum quiddam, et absonum de iisdem refert : « Cum in vehementiorem aliquem morbum inciderint, pretiosam et vivificam crucem ex ligno factam sibi ipsos imponere : tum recuperata sanitate, illam confringere, proculcare, et abjicere[a]. » Ac paulo post : « Evangelium nostrum adorare non dubitant. Sed non ea parte, in qua imago pretiosæ crucis exarata est : verum in alia codicis ejusdem, ubi nulla est figura crucis[b]. »

Paulicianorum origo et historia.

V. Fuere Pauliciani isti, ut diximus, veterum reliquiæ Manichæorum, qui post necem magistri sui huc illucque dissipati sunt. Horum pars Samosatum usque Armeniæ pervenit; (ait Petrus Siculus : Photius vero Syriæ, apud quem *Samosata*, non *Samosatum*, ut apud Petrum, legitur.) Ibidem Callinica quædam impura, et perdita femina filios duos habuit, Paulum et Joannem ; quos Manichæorum dogmatibus institutos ad nefandam hæresim propagandam dimisit in varia loca : ab iisque sectæ nomen inditum *Paulicianorum*, quod ex Paulo et Joanne ita conformari placuit. Ea gens hominum in Armenia potissimum invaluit : ac paulatim numero et potentia majorem excrevit in modum ; adeo ut Imperatoribus Constantinopolitanis formidolosa fuerit, maximaque cum illis bella susceperit ; quorum fidem faciunt eorum Annales[1] ; præsertim Basilio ac Leone regnantibus, Chrysochire Manichæorum duce. Hæc obiter adnotanda fuerunt, ut Paulicianorum originem, et historiam in promptu habeant, qui in horum mentionem sæpius incidunt ; ac fontes ipsos adeant, in quos digitum intendimus, Petrum Siculum, qui se legatum ad illos profectum, et inter ipsos versatum asserit, et Photium. Ad hos crucis inimicos adjungendi sunt Bogomili portentum quoddam hominum ex Manichæorum, et aliarum omnium hæresum colluvione concretum ; de quibus uberrime in *Panoplia* Euthymius agit, titulo XXIII, eosque Massilianis accenset, et ætate sua cœpisse scribit, Alexio imperante : quem Comnenum cognominatum referunt Annales, ac primum ex ea familia regnare cœpisse anno Christi 1081.

Jam vero inter alia nefandæ sectæ dogmata, illud, quod ad crucem spectat, ita recenset Euthymius, « Divinam crucem contemptui habent, tanquam Salvatoris interfectricem ; quam honore potius afficere oportuit, ut quæ diabolum dejecerit[c]. »

Ab his crucis cultum damnare didicerunt posteriores hæretici.

VI. Ab his impietatis magistris, et antistitibus crucis cultum abjicere, ac damnare posteriores didicerunt hæretici, velut Petrobrusiani, Bernardi tempore, ac Petri Cluniacensis : qui longissimam de illis epistolam scripsit, ordine secundam ; in qua varios illorum, quos et Heinricianos appellat, errores enumerat, ac refellit : tum hunc, de quo agimus peculiari capite ; cujus hæc est inscriptio : *Contra id, quod dicunt, crucem Domini nec adorandam, nec venerandam : sed magis confringendam, et conculcandam esse.* Mox horrendum eorum flagitium narrat. « Ad inauditam, inquit, divinitatis contumeliam, magno de crucibus aggere instructo, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis : et ipso passionis Dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente, invitatis publice ad talem esum populis, comedistis. » Tum Wiclevistæ, quorum insaniam adversus sanctam crucem Thomas Waldensis erudite coarguit[2]. Ac post illos demum, extremæ fæces hæresum, Lutherani, et Calvinistæ : præque cæteris Martinus Chemnicius, in *Examine Decretorum concilii Tridentini*[3] : Petrus Martyr[4] : Hieronymus Zanchius libro primo *Tractationum theologicarum*, capite XV. Et, ut alios omittam, postremus, omniumque deploratissimus Claudius Salmasius Leidensis professor, qui ante triennium duas de cruce scripsit epistolas ad Thomam Bartholinum medicum : in quibus contra sacrosanctæ crucis honorem, ac reverentiam multa impie, ac nefarie jactavit ; sed hæc propter intolerabilem arrogantiam ne ipsis quidem earumdem partium fautoribus probata. « O vanas, inquit[5], hominum mentes ! o quantum in rebus inane ! Non dicam quanta stultitia hic homi-

a Photius apud Euth. *Panopl.* tit. XXI. Πλὴν ἐπειδὰν σφοδροτέρῳ τινὶ σωματικῷ νοσήματι περιπέσωσι, καὶ τὸν τίμιον, καὶ ζωοποιὸν σταυρὸν τὸν ἐκ τοῦ ξύλου πεποιημένον ἑαυτοῖς ἐπιτιθέασιν. ἔπειτα τυγχάνοντες τῆς ἰάσεως, διαθλῶσι τοῦτον, καὶ συμπατοῦσι, καὶ ἀποῤῥίπτουσιν.

b Ibid. Τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Εὐαγγέλιον οὐκ ἐπιδιστάζουσι προσκυνεῖν. οὐ μὴν ἔνθα τοῦ τιμίου σταυροῦ ὁ τύπος διακεχάρακται· ἀλλ' ἐν τῷ λοιπῷ τοῦ βιβλίου μέρει, ἐν ᾧ τὸ ἀπεικόνισμα τοῦ σταυροῦ μὴ διασημαίνεται.

c Euth. tit. XXIII. *Pan.* Ἀτιμάζουσι τὸν θεῖον σταυρὸν ὡς ἀναιρέτην τοῦ σωτῆρος· ὃν ἔδει μᾶλλον τιμᾶν, ὡς καθαιρέτην τοῦ Διαβόλου.

1 Curopal. Zonar. cap. IV dren.— 2 Par. III, lib. XX, cap. LVIII.— 3 Par. IV.— 4 Patr. Mar. in locis comm. class. II, cap. V.— 5 Salm. ep. I.

nes plerosque agat transversos. Dementia est potius, quæ innumeros populos Christianos exagitat. Imo tota hodie fere Christianitas insana facta est. » Quis hominem sani capitis fuisse putet cum talia scriberet? Ergone solus tu cum paucis gregalibus tuis Christianorum sapis? Si vel mica boni ac communis sensus reliqua esset in te, nunquam ista conciperes animo, nedum chartis committeres. Sed hujusmodi fere sunt omnia scriptoris istius, de quo plura postea. Cujus quidem vanitatem ex hoc uno licet agnoscere. Ridiculum quemdam morem hodieque Romæ usurpari solitum narrat his verbis in eadem epistola prima : « Hodie, si vera narrantur, inquit, quotannis festo die Mortualium, nisi fallor, aliquis ex junioribus Cardinalibus in cœmeterio D. Petri stat. Curat effodiendum cadaver aliquod temere oblatum, cujus ossa jam caro reliquerit. Cujus hominis sit maris, an feminæ, parum curat. Prolata inde ossa accipit. Petentem sancti alicujus reliquias, quare multi ibi tunc hujus rei gratia adsunt, interrogat cujus sancti velit. Si respondet, Divi Petri, partem ossiculi detractam baptizat in nomen Petri, et ei dat. Idem in aliis facit, qui cupierint habere Pauli, aut Barnabæ, aut aliorum. In eorum nomina baptizata ossicula idem valere existimantur, ac si ipsius sancti vere essent, cujus nomen induunt. » Hanc lepidam fabellam sive inter pocula confictam, sive ab alio patulas in aures suas demissam, dignam putavit facetiarum pater Salmasius, quam lectoribus suis adspergeret. Enimvero confidens homo est, et existimationis, famæque suæ nimium securus, quem ludicra hæc, et jocularia scribere delectet. Sed hunc missum faciamus, et adversus eumdem, cæterosque simili impietatis labe contactos crucis honorem cultumque pergamus defendere.

CAPUT VIII.

De cultu ac veneratione sanctæ crucis : ac primum veræ. 1. Hujus inventæ ab Helena propugnatur historia. 2. Hæreticus contra hanc insultus retunditur. 3. Ambrosii de honoranda cruce, aliorumque veterum testimonium. 4. Quo in cultu habita sit Hierosolymis, et ut ejus particulæ per universum orbem dispersæ sunt non sine ingenti miraculo; tum vero adorari solitam fuisse. 8. Imo et terram sanctam venerationem suam habuisse.

I. Ex omnibus argumentis, quæ ad ritum colendæ crucis ab superstitionis invidia vindicandum afferri possunt, nullum certius, et efficacius videri solet, quam quod ex antiquiorum usu temporum, institutoque petitur. Quod enim pluribus ab hinc sæculis toto orbe Christiano receptum, et in consuetudine positum fuisse constat, nonnisi impudenter, ac temere pro scelesto, ac nefario haberi, damnarique potest. Hujus rationis quanta vis sit ad rerum hujusmodi tractationem, dicetur alias. Nunc illud sumimus; in his, quæ ad fidei dogmata, vel rituum morumque disciplinam spectant, labi, errareque non posse Christi sponsam *Ecclesiam Dei vivi, quæ est columna, et firmamentum veritatis*[1]. Hanc ipsam vero cultum crucis et venerationem jampridem auctoritate sanxisse sua, luculenta cumprimis testimonia veterum, et exempla demonstrant : imprimisque veri illius ac pretiosissimi ligni, in quo suspensus est, mortuusque Christus Dominus; de hoc enim primo loco agere decrevimus. Quo in genere nihil habent antiqua monimenta præclarius, quam quod ab Constantini sæculo celebratum ubique terrarum, et probatum fuisse, incorruptorum fide testium adstruitur.

Crucem ipsam, in qua suffixus Dominus salutarem humano generi mortem obiit, imperante Constantino, in Palæstina, et Hierosolymis repertam fuisse, magno consensu veterum proditum est. Helenam Constantini Imperatoris matrem cœlesti monitu instinctam tantum invenisse boni perinde omnes asserunt; nec vulgares illi quidem, sed pri- *Vera crux ab Helena inventa.*

1 I *Tim.* III, 15.

marii ex Patribus, et historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus. Ambrosius in oratione funebri *Theodosii Imperatoris* rei gestæ seriem uberrime descripsit : Paulinus item Nolanus episcopus in epistola undecima *ad Severum Sulpicium :* hic ipse Severus in libro secundo *Historiæ sacræ:* Ruffinus libro primo *Historiæ*, capite octavo : Socrates [1], Theodoretus [2], Sozomenus [3]. Hi omnes inventæ crucis ab Helena narrationem latius explicant, in paucis, quæ rem circumstat, nonnihil a se mutuo discrepantes. Sed in eo, quod caput est, conveniunt, sacrum crucis Dominicæ lignum Helenæ cura, et industria ; imo vero peculiari ductu numinis, et admonitu, apud Hierosolymam inventum fuisse. Testes sunt ejusdem rei, sed citra Helenæ mentionem, antiquissimi duo; Eusebius Cæsariensis, et Cyrillus Hierosolymitanus. Ille in libro tertio *de vita Constantini*, capite XIX, singulare in hac inventione, ac divinum plane miraculum agnoscit, et his verbis prædicat : « Tanta est, inquit, Servatoris nostri gratia, nullus ut orationis cultus præsentis miraculi dignitatem assequi possit. Etenim monimentum illius sanctissimæ passionis, jampridem sub terra delitescens tanto annorum spatio occultatum fuisse ad id usque tempus, quo, communi omnium hoste sublato, in libertatem vindicatis servis suis refulgere deberet, omnem revera superat admirationem. Nam si omnes, quotquot per orbem universum videntur esse sapientes, in unum convenientes, dignum aliquid eloqui re tanta voluerint, ne cum minima quidem ejus parte certare poterunt. Tantum quippe naturam omnem humanæ intelligentiæ capacem vincit illius magnitudo miraculi, quanto cœlestia constat humanis esse potiora [a]. » Perspicuum est his verbis pretiosissimum crucis Dominicæ lignum significari, et inusitatum in illo inveniendo prodigium : quod non aliud esse prudens quisque fatebitur, quam quod ab antiquis, et idoneis auctoribus memoriæ proditum totus ad hanc diem Christianus orbis approbavit. .

Cyrillus vero Hierosolymitanus episcopus in epistola *ad Constantium Imperatorem*, in qua miraculum aliud exponit crucis lucidissimæ, quæ Jerosolymis in aere conspecta erat ; de inventa sub Constantino Imperatore cruce ipsa Christi scribit sic : « Ac tempore quidem Deo dilectissimi, beatæque memoriæ patris tui Constantini, salutare crucis lignum Jerosolymis inventum est : divina gratia ei, qui pietatem recte quærebat, etiam occultorum sanctorum locorum inventionem annuente [b] *. »

II. Extra controversiam igitur est crucem Domini Constantini tempore Hierosolymis inventam esse : quamvis Leidensis professor Salmasius multum laboret, ut hanc esse fabulam persuadeat. Equidem in tota illius inventæ crucis historia nonnulla esse fateor, quorum difficile sit rationem reddere ; quod neque necesse est : dummodo de re ipsa constet : id quod præsentis nostri instituti duntaxat interest. Hoc enim satis habemus; citra temeritatem, et vecordiam negari non posse, quin et per illud tempus effossa, et in apertum prolata sit vera Domini crux : et eadem, quo inventa est tempore, hoc est sub Nicæni concilii celebrationem , magno in honore, ac veneratione sit habita : ne dum vilis, et contumeliosa, minimeque digna visa sit, quam divina providentia tanto studio servandam, et ad Christianorum cultum longo intervallo proferendam putaret : ut impie Leidensis professor asserit. « Dei quippe providentia (verba sunt illius [4]) non procurat nisi res ad

a Euseb. lib. III *de Vita Const.* cap. XXIX. Τοσαύτη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐστιν ἡ χάρις, ὡς μηδεμίαν λόγων θεραπείαν τοῦ παρόντος θαύματος ἀξίαν εἶναι δοκεῖν. τὸ γὰρ γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους ὑπὸ τῇ γῇ πάλαι κρυπτόμενον τοσαύταις ἐτῶν περιόδοις λαθεῖν, ἄχρις οὗ διὰ τῆς τοῦ κοινοῦ πάντων ἐχθροῦ ἀναιρέσεως ἐλευθερωθεῖσι τοῖς ἑαυτοῦ θεράπουσιν ἀναλάμπειν ἔμελλε, πᾶσαν ἔκπληξιν ἀληθῶς ὑπερβαίνει. Εἰ γὰρ πάντες οἱ διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης εἶναι δοκοῦντες σοφοὶ εἰς ἕν, καὶ τὸ αὐτὸ συνελθόντες ἄξιόν τι τοῦ πράγματος ἐθελήσουσιν εἰπεῖν, οὐδ' ἂν πρὸς τὸ βραχύτατον ἁμιλληθῆναι δυνήσαιντο· Ἐπὶ τοσοῦτο γὰρ πᾶσαν ἀνθρωπίνου λογισμοῦ χωρητικὴν φύσιν ἡ τοῦ θαύματος τούτου ὑπερβαίνει, ὅσῳ τῶν ἀνθρωπίνων τὰ οὐράνια συνεστηκέναι δυνατώτερα, forte συνέστηκε εἶναι.

b Cyrill. Hieros. in ep. *ad Constant.* Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ θεωφιλεστάτου, καὶ τῆς μακαρίας μνήμης Κωνσταντίνου τοῦ σοῦ πατρὸς τὸ σωτήριον τοῦ σταυροῦ ξύλον ἐν Ἱεροσολύμοις εὕρηται. τῆς θείας χάριτος τῷ καλῶς ζητοῦντι τὴν εὐσέβειαν τῶν ἀποκεκρυμμένων ἁγίων τόπων παρασχούσης τὴν εὕρεσιν.

* Inventæ crucis dominicæ historiam satis longa dissertatione vindicavimus in symbolis Gorianis Florentiæ editis, vol. IX, pag. 67 et seqq. Z.

1 Socr. lib. I, cap. XIII. — 2 Theodor. lib. I, cap. XVIII. — 3 Sozomen. lib. II, cap. I. — 4 Sal. epist. I *de cruce*.

salutem æternam necessarias, ubi agitur religionis negotium. An credis interfuisse pietatis Christianæ, et cultus veri numinis, ut crux in qua supplicium mortis tulit naturæ dominus, conservaretur? « Tum ubi

Cimelia.

veterum κειμήλια pretii magni, quales erant Ciceronis mensæ citreæ, et hujus generis alia, periisse dixit; « Quid igitur querimus, ait, vilia ligna periisse, cum tam pretiosa, et magno constantia interierint? An crux, inquies, vile lignum? Imo et contumeliosum. » Quare « conficta illa omnia » dicit, quæ de inventa cruce tradita sunt; « superstitione jam tum ultra spirandi vias homines miseros demergente. » Adde illa quæ superiori capite ex eodem attulimus, horribiliora multo, et fœdiora dictu, in quibus « totam hodie fere Christianitatem insanam factam esse queritur : horrebis plane spurcum blasphemiæ statum de hæretico ore fœtentem : » ut cum Tertulliano loquar [1].

Quanto in honore vera Crux sit habita.

Adversus hæc impuri styli venena non aliud præsentius comparari potest antidotum, quam gravissimorum, et ab omni superstitionis labe purissimorum, ætatis illius scriptorum auctoritas : qui eamdem repertæ crucis historiam ita litteris ad perpetuam memoriam mandarunt, ut quis esset de illius cultu, et honore sensus suus haud obscure significarent. Esto enim : multa de hac re falsa, nec idoneis testibus credita, bona fide prodiderint : certe nec omnia conficta, quæ ab illis referuntur, nisi impudentissime quisquam dixerit; et in falsis ipsis, quæ pro veris habita narraverint, exponendis veram et catholicam, et illius temporis Ecclesiæ communem exprompserunt sententiam ac fidem.

III. Crucem Christi Salmasius *vilem, et contumeliosam* esse putat; neque vel dignum quæ servetur, vel cultu et veneratione celebrandam. Ac veteres omnes, qui eodem sæculo nati sunt, et historiam illam posteris ediderunt, singulare hoc miraculum prædicant; et in maximo beneficio numerant : amplissimis denique titulis honorum, ac præconiis monumentum istud humanæ salutis afficiunt. Eusebius imprimis sic, ut humanæ cogitationis modum æstimationemque dicat excedere tanti beneficii magnitudinem. Nec secus existimat Cyrillus Hierosolymorum episcopus : qui et peculiare Dei gratia *salutare lignum crucis* Hierosolymis inventum esse gloriatur.

Ambrosii de veneranda cruce, aliorumque testimonium.

Ambrosius vero in describenda illa repertæ crucis historia, tum hanc illustribus, et honorificis nominibus appellat [2], tum inventricis collaudat pietatem : et ad inquirendum illud salutis humanæ monimentum divino spiritu afflatam esse confirmat. « Beatus Constantinus, ait, tali parente, quæ imperanti filio divini muneris quæsivit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret, et periculum non timeret. Magna femina, quæ multo amplius invenit quod Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam, et scrutata est locum Dominicæ passionis. » Ac subinde, « Venit ergo Helena, inquit, cœpit invisere loca sancta : infudit ei spiritus, ut lignum crucis requireret : accessit ad Golgotham, et ait : Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in regnis, et crux Domini in pulvere? Ego in aulis; et in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, et palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? » Postea de adoratione crucis istius ita meminit : « Sapiens, inquit, Helena quæ crucem in capite regum levavit, ut crux Christi in regibus adoretur, » etc. Mox Judæos ita conquerentes introducit : « Nos crucifiximus, quem reges adorant. Quem non adoramus, ipsi adorant. » Ergo tanti crucem æstimavit Ambrosius; lignum illud, inquam, et patibulum, quod humi defossum, et ab Helena studiose quæsitum, ac prolatum est, ut in eo situm diceret Romani imperii præsidium, ac præsens auxilium, quo adversus hostiles impetus, et belli pericula tutus esse posset Imperator : hoc regnis omnibus anteponit : hoc *vexillum salutis* appellat : hoc *Christi triumphum, palmam vitæ æternæ : redemptionem;* tum in sequentibus eodem loco, *vitam, salutem, divinum vexillum, salutarem crucem, remedium immortalitatis, sacramentum salutis.*

Et Leidensis ex adverso professor existet, qui negare audeat « interfuisse pietatis Christianæ, ut crux, in qua supplicium tulit naturæ dominus, conservetur; cum nihil aliud nisi vile esset, contumeliosumque lignum. » Quis in hoc dogmatum conflictu contra interdictum Domini tam malus erit *trapezita*, uti cusum, et adulteratum ab improbo falsatore

1 Tertull. *Scorp.* cap. VII. — 2 Ambr. tom. V.

nummum pro vero, et legitimo induci sibi patiatur?

IV. Age uti reliquos audiamus, dicat sanctissimus ille Nolæ antistes Paulinus quod suum sit de Salvatoris cruce judicium. In epistola xi, Severo Sulpicio *de sacris Sanctorum reliquiis benedictionem*, id est *eulogiam* et partem a se postulanti, *qua adornaretur domestica sua ecclesia, quam apud Primuliacum condiderat*, mittere se respondet *particulam de ligno divinæ crucis*, quod et sequenti epistola repetit : ut superiore libro jam adnotavimus [1]. Cujus rei occasione ad longiorem de cruce sermonem delabitur, deque vi, et præstantia sacri illius ligni, et ejus inventione : « Accipite ergo ab unanimis fratribus, inquit [2], in omni bono vestrum sibi consortium cupientibus, accipite magnum in modico munus : et in segmento pene atomo hastulæ brevis sumite munimentum præsentis, et pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus : sed interna acie totam in hoc minimo vim crucis videat. Dum videre vos cogitatis lignum illud, quo salus nostra, quo Dominus majestatis affixus tremente mundo pependerit, exultetis cum tremore. » Idem subinde vocat ligni salutaris donum. Tum « in cruce superstite passionem Christi coli. » Subjicit historiam crucis ab Helena repertæ ; quam « divino inspiratam consilio » id aggressam asserit, et « urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, » ibi ubi latebat fodi jussisse. « Ergo crux Domini, ait ibidem, tot operta ætatibus, et Judæis in tempore passionis abscondita : neque gentibus in ædificatione fani terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus revelata, nonne divina manu latuit, ut nunc inveniretur, cum religiose quæreretur ? » Postea narrat quanto in honore lignum illud habitum fuerit. « Digno, inquit, mox ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus arcano positam sacrario crucem servat. Quam episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promet. Neque præter hanc diem, qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur : nisi interdum religiosissimi postulent ; qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio in præmium longinquæ peregrinationis deferatur. Quod solum episcopi beneficio obtineri ferunt : cujus et tantum munere de eadem cruce hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei devotionis gratiam haberi datur. Quæ quidem crux in materia insensata vim vivam tenens ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, et quasi intacta permaneat : quotidie dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem, et indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit : quæ passa mortem non vidit corruptionem. »

V. Hoc ipsum miraculum sacri illius ligni quotidie abradi soliti sine ulla diminutione, refert Cyrillus sub finem *Catecheseos* decimæ. « Lignum, inquit, illud sanctum crucis testatur, (nempe Deum esse Chrisum) quod hodieque apud nos cernitur : et per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum istinc orbem terrarum fere complevit [a]. » Idem asserit et in *Catechesi* quarta, et xiii. Ut hinc sciat Leidensis professor, quomodo ἄπορον suum solvat, quo veræ cruci, quæ tot in locis et olim servabatur, et hodieque inter sacra κειμήλια religiose habetur, fidem derogat : eo quod « tanta sit lignorum illa multitudo, ut ei sufficere vix posset numerosa cædua silva. » Huic vero miraculo simile est alterum, quod Severus Sulpicius narrat in primo libro *Historiæ sacræ*, in eo loco, unde Christus ascendit in cœlum, et ubi « calcati Deo pulveris adeo perenne documentum erat, ut vestigia impressa cernerentur ; cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diriperet, damnum tamen arenam non sensisse ; et eamdem adhuc sui speciem, velut impressis signatam vestigiis terram custodisse. »

Crux quotidie abrasa, nec imminuta.

Difficultatem.

Cimelia.

Hic miraculis passionis suæ monimenta consecravit Christus, ac fidelium pietati commendavit, non utique tanquam abjecta, viliaque negligi voluit ; ut Trapezita nugatur. Nam et adorari crucem eamdem quotannis ab Christianis solitam, et ad hoc publice ab

a Cyrill. *Cat.* x. Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη πληρῶσαν.

1 Lib. XIV, cap. xii, § 2. — Paul. epist. ii.

episcopo proponi testis est Paulinus; quod si sacrilegum, superstitiosumve foret, non hoc ingenti, et quotidiano miraculo Deus approbaret. Sed neque Christianis hoc est membris suis, corporique suo, quod est Ecclesia, hanc mentem aspirasset, ut lignum istud publice privatimque tanto haberet in pretio, ac velut rei sacratissimæ cultum, honorem, adorationemque præstaret.

Chrysostomi testimonium.

VI. Joan. Chrysost., quem nemo sobrius idololatram, aut superstitiosum: vel ut Leidensis professor cultores crucis appellat, *dementem insanumque* suspicetur: de crucis honore mirifica quædam, et eximia passim explicat. Sed nunc commemorandus ille nobis est locus ex hom. LXI, tomi VI, in qua Christum esse demonstrat Deum; et inter argumenta varia, unum hoc adhibet, quod crucis supplicium, quod ignominiosum, et probrosum antea ducebatur, passione sua gloriosum effecerit. Qua ex oratione cætera post, ut se occasio dederit, afferemus; nunc pauca de veræ Crucis ligno, quæ illic habentur, proponam in medium. « Illud, inquit, ipsum lignum, in quo sanctum corpus est extensum et crucifixum, quanto omnium studio expetitur? Itaque multi exiguum ex eo fructum adepti, auro includentes viri pariter ac feminæ de collo suo suspendunt, idque ornamenti loco habent. Atqui damnationis signum erat istud lignum, et supplicii. Verum qui omnia facit, et ea mutat, qui orbem terrarum a tanta pravitate transtulit, et ex terra cœlum fecit, idem quoque rem illam infamiæ plenam, ac turpissimam omnium mortem super cœlos evexit [a]. » Vere itaque scriptum illud est ab Rustico diacono in dialogo *contra Acephalos* [1]: « Clavos, quibus confixus est (Christus) et lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat. » Cui similis hæc est Joannis Damasceni sententia; « At ipsum, inquit, pretiosum reipsa crucis lignum, et venerandum, in quo semetipsum in sacrificium pro nobis obtulit Christus, tanquam sancti corporis, et sanguinis tactu sanctificatum merito est adorandum: nec non clavi, lancea, vestes, et sacra illius habitacula, cujusmodi sunt præsepe, spelunca, Golgotha, crux, vivificum sepulcrum [b]. »

Rursus idem Rusticus, « Et adoramus omnes crucem, ait, et per ipsam illum, cujus est crux. » Hieronymus in *epitaphio Paulæ*: « Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. » Hoc vero est προσκυνεῖν, et השתחוה, quod laudatissima illa femina sive ante verum crucis lignum, quod illic asservabatur; sive ante crucis imaginem fecit. Eadem « ingressa sepulcrum, resurrectionis, ait ibidem, osculabatur lapidem. »

Etiam Terræ Sanctæ veneratio exhibita.

VII. Quid miremur autem lignum ipsum crucis, in qua fixus est Redemptor hominum, et quam salutari rore sui sanguinis adspersit, quæque præcipuum promerendæ nostræ salutis instrumentum fuit, ut propterea σωτήριος, id est *salutaris* proprie nominetur, quod Theodoretus observat [2]: quid, inquam, admiremur tantam cruci venerationem tribui, cum vel terræ ipsi, ac pulveri de sepulcro Domini sumpto plurimum Ecclesia vetus honoris deferre solita sit? Nam et illam sacrarum reliquiarum instar coluit: et oratoria super ea construxit: et huic fidelium devotioni non parvis ibidem miraculis editis divina est bonitas suffragata; quibus suspicionem omnem idololatriæ, ac superstitionis abstersit. Unum non amplius testem ejus rei proferam, sed eumdem gravissimum, et fide dignissimum: qui et ipse religiosi illius cultus auctor, et conditor fuit: et quod gestum est, oculis, ut apparet, suis aspexit. Augustinus ille est, qui in libro XXII *de Civitate Dei*, capite octavo, Christianam fidem, ac religionem divino testimonio, hoc est auctoritate miraculorum approbans, nonnulla refert, utique vera, et

a CHRYSOST. hom. LXI, vers. 16. Αὐτὸ δὲ τὸ ξύλον ἐκεῖνο, ἔνθα τὸ ἅγιον ἐτάθε σῶμα, καὶ ἀνεσκολοπίσθη, πῶς ἐστι περιμάχητον ἅπασι; Καὶ μικρόν τινα (for. τι) λαμβάνοντες ἐξ ἐκείνου πολλοὶ, καὶ χρυσῷ κατακλείοντες καὶ ἄνδρες, καὶ γυναῖκες τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσι τῶν ἑαυτῶν καλλωπιζόμενοι. καί τοι καταδίκης σύμβολον τὸ ξύλον ἦν· καί τοι τιμωρίας. ἀλλ' ὁ πάντα ποιῶν, καὶ μετασκευάζων αὐτὰ, ὁ τὴν οἰκουμένην ἐκ τοσαύτης κακίας μεταθεὶς, καὶ τὴν γῆν οὐρανὸν ἐργασάμενος, οὗτος καὶ τὸ πρᾶγμα τοῦτο ἐπονείδιστον ὂν, καὶ πάντων θανάτων αἴσχιστον ὑπὲρ τῶν οὐρανῶν ἀνήγαγε.

b DAMASC. lib. IV, cap. XII. Αὐτὸ μὲν οὖν τὸ τίμιον ξύλον ὡς ἀληθῶς, καὶ σεβάσμιον, ἐν ᾧ ἑαυτὸν εἰς θυσίαν ὑπὲρ ἡμῶν Χριστὸς προσενήνοχεν, ὡς ἁγιασθὲν τῇ ἁφῇ τοῦ ἁγίου σώματός τε, καὶ αἵματος, εἰκότως προσκυνητέον. τοὺς ἥλους, τὴν λόγχην, τὰ ἐνδύματα, καὶ τὰ ἱερὰ αὐτοῦ σκηνώματα. ἅτινά εἰσιν ἡ φάτνη, τὸ σπήλαιον, ὁ Γολγοθᾶς, ὁ σταυρὸς, ὁ ζωοποιὸς τάφος, etc.

1 Rust. tom. IV *Bibl. Patr.* — 2 Theodoret. qu. XXVI *in Genes.*

indubitata, quæ partim vidisse se, partim certo comperisse docet. Inter quæ illud est, quod in Hesperii Tribunitii fundo accidit[1] : «ubi cum afflictione animalium, et servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, ait Augustinus, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus : obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio : Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus ab illa infestatione purgata est quid de illa terra fieret cogitabat : quam diutius in cubiculo suo reverentiæ suæ habere nolebat. Forte accidit, ut ego, et collega tunc meus, episcopus Synicensis ecclesiæ, Maximinus in proximo essemus : ut veniremus rogavit; et venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret : ubi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt congregari. Non restitimus, factum est. Erat ibi juvenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito petivit a parentibus suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus oravit : atque inde continuo pedibus suis salvus abscessit. » Vides oratoria sacro illo pulvere sepulcri Dominici consecrari, probante, imo agente id Augustino : cum vir primarius religioni duceret privatim vel sepulcri Dominici pulverem profano in loco reservare. Non dubito quin si tum aliquis Salmasius, aut ejusdem sectæ alius existeret, tam virum illum Tribunitium, quam Augustinum ipsum impiæ superstitionis, et insaniæ, ac vanitatis argueret; multumque rideret. *Sed in via stultus ambulans*, ait hominum sapientissimus, *cum ipse insipiens sit*, *omnes stultos æstimat*[2].

Ad extremum, sacrosanctæ dignitatem crucis, ac pretium mirum in modum auget et illustrat, quod antiquorum Patrum testimoniis asseritur, salutare signum istud in novissimo judicio in sublimi conspicuum fore ; quando Christus ad vivos, mortuosque judicandos e cœlo descenderit. Hoc enim *signum hominis* ab ipso vocari consentiunt illi : velut Chrysostomus homilia LIV *in Matthæum*, in ethico ; ubi luculentum exstat crucis præconium; Cyrillus item *Catechesi* XIII et XV. Ac nonnulli arbitrati sunt crucem ipsam, in qua mundi Salvator pependit, per id tempus apparituram ; de qua re disputat Heribertus Rosweydus noster vir eruditissimus in notis *ad Paulinum*[3].

1 Aug. tom. V. — 2 *Ecclesiastæ* X, 3. — 2 Ad Carm. XXVI.

CAPUT IX.

De crucis effigie, et honore illi habito in antiqua Ecclesia. 1. *Quemadmodum Constantino divinitus apparuit in cœlo.* 2. *Ac deinceps non sine miraculo sæpius est hoc signum conspectum.* 3. *Honor figuræ crucis ab imperatoribus delatus.* 4. *Hinc irrisi ab gentilibus Christiani ; tanquam cruces omnes etiam noxiorum, et cruciariorum colerent.* 5. *Quod probrum refellunt Tertullianus, et Origenes.* 6. *Adoratio crucis et honor asseritur.* 7. *Insignis Anastasii de eo locus.*

I. Amalarius Fortunatus in primo libro *de Ecclesiasticis officiis*, capite XIV, quod *de adoratione sanctæ crucis* inscribitur, quorumdam meminit, qui crucem ipsam Domini, in qua mortem ille pertulit, adorare velle præ se ferrent : quos indicat figuram ipsius detrectasse colere. « Fuerunt quidem, inquit, qui volebant dicere se velle eamdem crucem adorare, in qua Dominus crucifixus est. Utinam in omnibus ecclesiis haberetur, præ cæteris merito veneraretur. Quamvis omnis ecclesia eam non possit habere, tamen non deest eis virtus sanctæ crucis in eis crucibus, quæ ad similitudinem veræ crucis factæ sunt. » Hoc ipsum est, quod tractare deinceps aggredimur, uti tam adversus istos cujusquemodi fuerunt, quam contra Claudii Taurinensis imitatores hæreticos sæculi hujus doceamus, non solum veram, sed veræ quoque figuram crucis eumdem, quem in catholica modo retinet, in antiqua ecclesia cultum, ac venerationem habuisse.

Labari historia.

Testis hujus est rei, ne diutius differam, imprimis historia Constantini Magni, a qua totam hanc superiori capite de crucis cultu disputationem instituimus. Huic enim oblatum vigilanti *crucis* in cœlo *trophæum* (sic

enim appellat Eusebius) cum hac inscriptione, *Hoc vince*[a]: mirificum quemdam aspiravit signi illius salutaris amorem; maxime postquam insecuta nocte de ostento illo anxie cogitanti per quietem apparuit ei Christus Dominus cum eodem signo; præcepitque ut ad ejus, quod viderat similitudinem aliquod fabricandum curaret, quo tanquam certissimo præsidio contra hostiles impetus in præliis uteretur[b]. Quod subinde præstitit, atque ex auro, gemmisque pretiosissimis, crucis effigiem elaborari jussit. Ex quo vexillum crucis instar effectum, cui *labari* nomen impositum est. « Hoc vero salutari signo, ait Eusebius, velut munimento adversus hostiles, infestasque vires omnes perpetuo usus est Imperator: et ejusdem expressas figuras, præire deinceps mandavit exercitibus suis[c]. » Quocirca primus exprimendæ figuræ crucis auctor fuit Christianis ipse Christus. Quo ex tempore Constantinus salutare illud, et *victoriosum trophæum*, hoc est νικητικὸν τρόπαιον, ut ab Eusebio vocatur[1], ubique collocare, ac venerationi omnium exponere non destitit. Nam statim post victoriam de Maxentio Crucis illius auxilio reportatam[2], Romam ingressus, utriusque medio in foro monimentum constituit[1]; et Latinis litteris exarata inscriptione testatus est, *hoc se salutari signo civitatem, ac S. P. Q. R. ab tyrannide liberasse*. Neque hoc contentus idem crucis signum militum clypeis insculpi voluit; ac tam in nummis[3], quam alibi expressam imaginem suam eodem consignari. « Etenim divinæ Cruci multum venerationis adhibebat, ait Sozomenus, tam propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex ejus virtute sibi allata; quam propter divinam de ea sibi oblatam visionem[d]. »

Erga crucem Constantini pietas.

II. Huic Imperatoris in crucem eximiæ pietati divina bonitas respondit miris quibusdam, et inusitatis prodigiis: velut inter alia singulare fuit illud, quod narrat Eusebius[4], vexilliferum militem, qui labarum portabat, etsi hostes certatim in eum jacula conjicerent, illæsum, et incolumem perpetuo fuisse: quemdam vero, qui metu se subtraxerat, et in alterum onus hoc transtulerat, mox ut eo cessit, telo confossum obiisse. Addit hoc insuper Eusebius[5], Licinium tyrannum, cum experimento suo, ac malo didicisset, quantam vim haberet crucis signum, cujus præsidio Constantinus nitebatur, milites suos admonuisse, ne huic ex adverso procederent, ac ne oculos in illud conjicerent; sed occursum ejus quoad fieri posset evitarent *.

Crucis variæ apparitiones

Quid quod sæpius postea legimus, eodem sæculo crucis signum aut in cœlo, aut alibi divinitus formatum, et ostensum fuisse? Quo in genere memorabile est illud, quod Cyrillus Hierosolymitanus in epistola *ad Constantium* scripsit de ea crucis specie, quæ Hierosolymis in cœlo conspecta est per sanctæ Pentecostes dies super sanctum Golgotham, et usque montem Oliveti, tota urbe ad spectaculum effusa: quod plures in horas propagatum est. Hanc Cyrilli epistolam citat Sozomenus[6], cum eamdem refert historiam, quam et Philostorgius narrat[7]. Hic vero obiter illustrandus est, et emendandus. Nam vitium irrepsit in illius editionem. Scribit Philostorgius

a Euseb. I *de Vita Constant.* cap. xxxii. Ἀμφὶ μεσημβρινὰς ἡλίου ὥρας ἤδη τῆς ἡμέρας ἀπεκλινούσης, αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ἔφη ἐν αὐτῷ οὐρανῷ ὑπερκείμενον τοῦ ἡλίου, σταυροῦ τρόπαιον ἐκ φωτὸς συνιστάμενον, γραφήν τε αὐτῷ συνῆφθαι λέγουσαν, ἐν τούτῳ νίκα.

b Ibid. cap. xxxiii. Ἐνταῦθα δὴ ὑπνοῦντι αὐτῷ τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ σὺν τῷ φανέντι κατ' οὐρανὸν σημείῳ ὀφθῆναί τε, καὶ παρακελεύσασθαι, μίμημα ποιησάμενον τοῦ κατ' οὐρανὸν ὀφθέντος σημείου, τούτῳ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων συμβολὰς ἀλεξήματι χρῆσθαι.

c Ibid. cap. xxv. Τούτῳ μὲν τῷ σωτηρίῳ σημείῳ, πάσης ἀντικειμένης, καὶ πολεμίας δυνάμεως ἀμυντηρίῳ διὰ παντὸς ἐχρῆτο βασιλεύς· τῶν δὲ στρατοπέδων ἁπάντων ἡγεῖσθαι τούτου ὁμοιώματα προσέταττεν.

d Sozom. lib I, cap. viii sub finem. Πάνυ γὰρ πολὺ σέβας εἶχε τοῦ θείου σταυροῦ ἔκ τε τῶν ὑπαρξάντων αὐτῷ τῇ ἐνθένδε ῥοπῇ ἐν ταῖς κατὰ τῶν ἐναντίων μάχαις, καὶ ἐκ τῆς συμβάσης αὐτῷ περὶ τούτου θεοσημείας.

* Jacobus Oiselius in *Thesauro antiquorum numismatum*, Jacobus Tollius in notis ad L. Cæcilii librum *de mortibus persecutorum*, et Joannes de Hoornebeck Leidensis professor in *examine Bullæ Urbani VIII. de cultu imaginum*, temerario penitus et non ferendo ausu fictum fuisse adseruerunt a Constantino visæ crucis miraculum. Impudentes istos tanti Imperatoris criminatores egregie confutarunt Baluzius in adnotationibus ad eumdem L. Cæcilii librum, et Norisius, lect. VIII. Johannes Albertus Fabricius audacter et ipse prodigiosam negat fuisse Crucem hanc, litterasque EN TOYTO NIKA cruci circumpositas, quas Constantinus vidit, perque naturale phænomenon, Parelion scilicet; aut Halona posse ait nullo negotio explicari. Quæ quidem Fabricii conjectura nuper ab erudito viro singulari dissertatione est refutata. De loco autem, in quo Constantinus crucem adspexit, disputavi in notis ad Theses quasdam Cl. P. Lupii tom. IX Symbol. Gorian. Florentinæ decadis. Z.

1 Lib. III *de Vita Const.* cap. ii. — 2 Ibid. lib. I, cap. xxxiii. — 3 Sozomen. lib. I, cap. viii. — 4 Euseb. in *Vita Const.* lib II, cap. ix. — 5 Ibid. cap. xvi. — 6 Lib. IV, cap. v. — 7 Phil. *in Excerpt.* lib. III, cap. xxvi.

« magnam Iridem coronæ instar ingentem illam crucem circumdedisse. Portendebat autem Iris quidem Crucifixi, et in cœlum assumpti clementiam : corona vero Imperatoris victoriam [a]. » Male in editione Philostorgii στρωθέντος positum est, et interpres *prostratum, et susceptum* vertit, Veteranionem intelligi putans, qui a Constantio victus, et humanissime est habitus. Verum de Christo loquitur, qui crucifixus, et post resurrectionem assumptus est in cœlum. Est autem compendium hoc Scripturæ στρωθέντος pro σταυρωθέντος in codicibus frequens.

Crucifixi.

Apparuit et Juliano rerum potiente prodigiosa crucis effigies in Judæorum vestibus [1], quando Apostata jubente, templum Hierosolymis instaurare sunt aggressi : ut Socrates et Sozomenus, ac Theodoretus narrant: hic vero insuper affirmat, « in cœlo visam esse salutiferæ crucis multa luce coruscantem imaginem ; » quod et ante hunc Gregorius Nazianzenus invectiva secunda his verbis exposuit, « Quod autem hoc etiam admirabilius, et illustrius fuit, lux in cœlo stetit crucem in orbem describens : et nomen illud, ac figura, quæ in terra ab impiis ignominiosa putabatur , nunc in cœlo omnibus ex æquo conspicua est ; ac Deo victoriæ de impiis adeptæ trophæum existit trophæo quovis excelsius [b]. » Hæc Gregorii verba, cujusmodi sint illi significant, qui etiamnum contumeliosum et vile, ac contemptum esse crucis signum existimant ; nempe ἀθέους, et ἀσεβεῖς tales nominat : cum e contrario venerandum, gloriandumque istud esse tot miraculis Deus approbarit.

Atheos et impios.

III. Hoc salutaris signi decus, et regum, ac principum adversus illud reverentiam , et singularem observantiam, tum Christianorum omnium in eo colendo pietatem, et affectum, crebris et luculentis testimoniis commendavere complures veterum : e quibus nonnullos hic exhibebimus.

Joannes Chrysostomus cum multis in locis, ut jam dixi, hoc argumentum tractavit ; tum in homiliæ quadam, in qua Christum probat esse Deum, cruci delatum honorem omnium consensu fidelium trahit ad divinitatis illius adstruendam fidem ; et ante illa verba, quibus de veræ crucis ligno in summo pretio habito disserit ; quæ nos capite antecedente perscripsimus ; de ejus effigie ab regibus assumpta, et ab cæteris usurpata passim ita loquitur. « Quippe reges, deposito diademate, crucem suscipiunt, mortis illius signum. In purpureis vestibus crux inest : in diadematibus crux : in orationibus crux : in armis crux : in sacra mensa crux : et ubique terrarum crux sole ipso clarius refulget [c]. » Vides morem illum perantiquum esse, qui hodieque catholica in Ecclesia perseverat, crucis imaginem cum in cæteris, tum in ecclesiis, et sacris altaribus adhibendi.

Hujus salutaris signi Christianorum reverentia et observantia

Et quibusdam interpositis, postquam crucem, et in ea toleratum supplicium quantæ olim ignominiæ fuerit, solida dicendi copia declaravit ; quantus eidem ex Christi cruciatu, et perpessione splendor, et dignitas accesserit, majori eloquentiæ vi, et facultate describit. Non enim ita regis caput corona decorari regia, ut cruce, quæ est ornatu omni pretiosior : et quod omnes exhorrescebant antea, hujus effigiem modo sic esse omnibus optabilem, ut hanc ubique reperias ; apud principes, apud subjectos, apud feminas , apud viros , apud virgines , apud maritatas , apud servos , apud ingenuos. « Etenim hanc assidue insculpunt universi in membrorum nostrorum insigniori parte ; ac sic tanquam in cippo, in fronte quotidie figurantes circumferunt. Hæc ipsa crux in sacra mensa ; hæc in sacerdotum consecratione ; hæc rursus cum Christi corpore ad cœnam mysticam resplendet. Hanc ubique passim exultantem videas in ædibus, in foris, in solitudinibus, in viis, in montibus, in nemoribus, in clivis, in mari, et navibus, atque insulis, in lectis, in palliis, in armis, in thalamis, in conviviis, in vasis argenteis, et aureis,

a PHILOST. Ἴριδος μεγάλης στεφάνου τρόπον πανταχόθεν αὐτὸν περιελαττούσης (forte περιβαλλούσης) Ἐδήλου δὲ ἄρα ἡ μὲν ἶρις τὴν τοῦ στρωθέντος (Corrig. σταυρωθέντος) καὶ ἀναληφθέντος εὐμένειαν· ὁ δὲ στέφανος τὴν τοῦ βασιλέως νίκην.

b NAZIANZ. orat. IV. Ὁ δὲ ἔτι παραδοξότερον, καὶ περιφανέστερον, ἔστη φῶς ἐν τῷ οὐρανῷ τὸν σταυρὸν περιγράφον. καὶ τὸ πρότερον ἐπὶ γῆς ἀτιμαζόμενον τοῖς ἀθέοις καὶ σχῆμα, καὶ ὄνομα, νῦν οὐρανῷ δείκνυται πᾶσιν ἐπίσης· καὶ γίνεται τρόπαιον τῷ θεῷ τῆς κατὰ τῶν ἀσεβῶν νίκης τροπαίου παντὸς ὑψηλότερον.

c CHRYSOST. hom. LXI, vers. 30. Οἱ γοῦν βασιλεῖς διαδήματα ἀποτιθέμενοι, τὸν σταυρὸν ἀναλαμβάνουσι τὸ σύμβολον αὐτοῦ τῆς τελευτῆς. ἐν πορφυρίσι σταυρὸς, ἐν διαδήμασι σταυρὸς, ἐπὶ εὐχῶν σταυρὸς, ἐπὶ ὅπλων σταυρὸς, ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς σταυρὸς, καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ὁ σταυρὸς ὑπὲρ τὸν ἥλιον διαλάμπει.

1 Socr. lib. III, cap. XX; Sozom. lib. V, cap. XXII; Theodor. lib. III, cap. XX ; Ruff. lib. I, cap. XXXIX.

in unionibus, in picturis muralibus, in jumentorum multifariam affectorum corporibus, aut eorum qui a dæmonibus infestantur: in bellis, in pace, diebus, ac noctibus, in luxuriantium choreis, in duro victu utentium sodalitiis[a]. » Sic igitur honoratam ætate sua crucem ubique fuisse docet Chrysostomus, ejusque figuram tum ad ornatum, tum ad remedium, ac præsidium circumlatam fuisse, ac vel pecudum morbo laborantium corporibus inscriptam; quod adeo non improbat, neque superstitionis, et idololatriæ damnat eximius ille Pater; ut hoc argumento contra gentiles, et Judæos utatur ad probandam Christi divinitatem; dum quod infame et ignominiosum antea censebatur, post illius gloriosum, et optandum deinceps esse demonstrat. « Usque adeo non solum fugienda non est crux, inquit, ut etiam desiderabilis, et amabilis sit, et omnium studio digna: ubique coruscans, et dispersa in domorum parietibus, in contignatione, in libris, in urbibus, in pagis, in desertis, et habitabilibus locis. »

Augustini testimonium

IV. Quod autem crucis effigie regum capita decorari Chrysostomus ibi memorat, hoc Augustinus non uno loco prædicare consuevit: ut in sermone XVIII *de verbis Domini secundum Matthæum*, capite IX: « Sed quia ipse honoraturus erat, inquit, fideles suos in fine hujus sæculi, prius honoravit crucem in hoc sæculo; ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi; et quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarent, magna fiducia servi ejus etiam reges in fronte nunc portant. »

Et tractatu CXVII. *in Joannem*: « Si spectet impietas, inquit, ridet regem pro virga regni lignum sui portare supplicii. Si pietas, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum. »

Asterii.

Asterius Amazenus episcopus æqualis Chrysostomi, in oratione *de S. Euphemia*, ubi imaginem ipsius, et martyrii ab ea exantlati describit: « Virgo, inquit, veneranda in pullis vestibus sola sedet, manibus in cœlum extentis, Deum in malis adjutorem invocans. Huic porro precanti supra caput apparet signum, quod ex præscripto legis Christiani adorant, et inscribunt sibi[b]. » Hic adorationem figuræ crucis ex lege Christianis indictam docet sanctitate, doctrina, et eloquentia inter primores Græcorum Patrum merito numerandus Asterius; cujus totam orationem insertam leges septimæ synodi actis[1].

Eadem ætate vixit et Prudentius: qui adoratum ab Imperatoribus crucis signum in *Apotheosi* prodidit his versibus:

« Jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi;
Vexillumque crucis summus dominator adorat. »

Theodoretus item sub finem sermonis sexti *contra Græcos*: « Græci, inquit, et Romani, ac Barbari crucifixum profitentes Deum, crucisque signum venerantes[c]. »

Sane Hieronymus in commentario *ad Psalmum* XCVIII, verba ista, *Et adorate scabellum ejus, quoniam sanctum est*, ad crucem Domini referenda esse dicit.

Hinc illa conficta ab gentilibus in Christianos calumnia, cruces omnes ab illis adorari. Apud Minucium Felicem Cæcilius gentilis homo in Christianos invectus hoc illis exprobrat, quod « hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum cæremonias suspicio fabulatur. » Cui sic Octavius Christianorum patronus occurrit:

a Chrysost. ibid. vers. 33. Καὶ γὰρ συνεχῶς αὐτὸ ἅπαντες ἐγχαράττουσιν ἐπὶ τῶν μελῶν ἡμῶν ἐπισημοτέρου μέρους· καὶ ὥσπερ ἐν στήλῃ ἐπὶ τοῦ μετώπου καθ' ἑκάστην ἡμέραν διατυπούμενοι περιφέρουσιν· οὗτος ἐν ἱερᾷ τραπέζῃ· οὗτος ἐν ταῖς τῶν ἱερέων χειροτονίαις· οὗτος πάλιν μετὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ τὸ μυστικὸν δεῖπνον διαλάμπει. τοῦτον πανταχοῦ χορεύοντα ἴδοι τις ἄν, ἐν οἰκίαις, ἐν ἀγοραῖς, ἐν ἠρημίαις, ἐν ὁδοῖς, ἐν ὄρεσιν, ἐν νάπαις, ἐν βουνοῖς, ἐν θαλάττῃ, καὶ πλοίοις, καὶ νήσοις, ἐν κλίναις, ἐν ἱματίοις, ἐν ὅπλοις, καὶ ἐν παστάσι, ἐν συμποσίοις, ἐν σκεύεσιν ἀργυροῖς, ἐν χρυσέοις, ἐν μαργαρίταις, ἐν τοίχων γραφαῖς, ἐν σώμασιν ἀλόγων πολλὰ πεπονηκότων, ἐν σώμασιν ὑπὸ δαιμόνων πολιορκουμένων, ἐν πολέμοις, ἐν εἰρήνῃ, ἐν ἡμέραις, ἐν νυξὶν, ἐν τρυφώντων χωρείαις. ἐν σκληραγωγουμένων φρατρίαις.

b Asterius *in S. Euphem.* Καὶ πάλιν ἡ παρθένος σεμνὴ ἐν τοῖς φαιοῖς ἱματίοις κάθηται μόνη, ἐκτείνουσα τὼ χεῖρε πρὸς οὐρανὸν, καὶ καλοῦσα θεὸν ἐπίκουρον τῶν δεινῶν. εὐχομένῃ δὲ ταύτῃ φαίνεται ὑπὲρ κεφαλῆς τὸ σημεῖον, ὃ δὴ νόμος Χριστιανοῖς προσκυνεῖν τε, καὶ ἐπιγράφεσθαι.

c Theodor. tom. IV. Ἕλληνες, καὶ Ῥωμαῖοι, καὶ βάρβαροι τὸν ἐσταυρωμένον θεολογοῦντες, καὶ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον γεραίροντες.

1 Sept. syn. act. IV.

Cruces nec colimus, nec optamus. Nempe promiscuas, et quæ ad principalis repræsentandam figuram proprie non spectant. Non enim de nihilo apud gentes rumor iste percrebuerat, cruces omnes, etiam noxiorum, ab Christianis in honore, cultuque haberi, neque hoc illis objicerent, nisi certas venerari ipsos viderent.

Tertulliani. V. Tertullianus quoque libro primo *ad Nationes*, capite XII, idipsum ab gentilibus collatum in Christianos probrum diluit, et in ipsos crimen istud retorquet, qui crucem in plerisque colant. Neque vero probanda quorumdam est opinio, qui nullam plane crucem ab Christianis illis veteribus honoratam fuisse putant; quod per jocum, et ἀντικατηγορίαν intentatum id crimen Tertullianus eluserit. (*Recriminationem.*) Non enim consequens illud est. Sed illud potius quod dixi; quibusdam crucibus honorem ab illis adhibitum, quas ad crucifixi Domini memoriam proponebant: non passim universis, ut ethnici mentiebantur. Quinetiam catenus gentiles calumniabantur, quod pro Deo crucem habere Christianos aiebant: ut ex Minucio colligi videtur: qui proinde crucem negat ab sese coli, vel tanquam Deum, vel utique qualem nec optet, hoc est passivam, ut loquitur Tertullianus, et qualemcumque cruciariorum supplicio destinatam.

Origenis. Origenes libro secundo *contra Celsum*, latius diffusam fuisse demonstrat illam gentilium in Christianos confictam calumniam. Non enim instrumenta duntaxat suppliciorum, hoc est cruces omnes, sed etiam cruciarios ipsos, coli ab Christianis, eorum hostes in vulgus sparsisse, docet his verbis. Nam cum Celsum arguisset, quod Christianis affingeret, eos « idcirco Christum Dei Filium esse profiteri, quod supplicio esset affectus, et contra illos ita contenderet: Quid igitur? Nonne alii multi supplicia tolerarunt, et quidem non minus fortiter quam ille [a]? » sic Epicureum istum refellit: « Simile quiddam in eo Celsus facit iis, qui inter hostes Christianæ doctrinæ maxime stupidi sunt, et absoni, qui quidem arbitrantur, id ex historia Jesu crucifixi consequens esse; nos in crucem actis omnibus cultum adhibere. » Quamobrem ut ex eo quod unum crucifixum Christiani tanquam Deum colerent, occasionem istius fabulæ obtrectatores illorum sumpserunt, ut ab ipsis honore affici cruciarios omnes dicerent: ita non aliunde cruces et patibula eosdem omnia venerari gentiles commenti sunt, quam quod unam, in qua Christus pependerat, crucem honore, ac cultu prosequerentur.

Juliani apostatæ. Sed nihil æque persuadet veteris Ecclesiæ more institutoque celebratam fuisse crucis adorationem, ut Juliani Imperatoris, et apostatæ criminatio: qui ut Christianis sacris innutritus fuerat, neque quod esset Ecclesiæ commune, ac tralatitium dogma nescivit, neque falso rumore comperta exprobrare pro veris impune posse speravit. Hic igitur in eo opere, quod adversus Christianos edidit, graviter eos incessit, quod ab avita religione desciscentes, ancile, hoc est e cœlo lapsum clypeum colere desiissent, ac « pro eo crucis lignum adorarent, ejus imagines adumbrantes in frontibus, et pro ædibus suis inscribentes [b]. »

Huic vero respondens Cyrillus Alexandrinus tantum abest, ut objectum sibi crimen deprecetur, aut falsum esse dicat, adorari ab Christianis crucem Domini; ut ejus fructus, et emolumenta percenseat; tum eam depingi ad humanum genus erudiendum satius esse contendat, quam insulsas, et ad corruptelam hominum fictas poetarum fabulas. Et, « visne, inquit, ut repudiato, contemptoque ligno illo, quod in virtutis omnis recordationem nos reducit, pueris, et mulierculis illa tua proponamus [c]. »

VI. Lignum itaque crucis non vile, non contumeliosum esse credidit Ecclesia catholica aureo illo sæculo: quo et Nicænum celebratum est concilium, et Christiana religio hactenus oppressa tyrannorum impotenti dominatu, tanquam suavitate verni temporis hilarata, e situ ac latebris emergere cœpit, ac lacertos suos exerere; hoc est palam dogmata sua, et instituta proferre.

Exinde profanis usibus interdicta, et ab reorum suppliciis exempta (ut illorum tem-

a Orig. II *cont. Cels.* Κατὰ ὡς ἡμῶν λεγόντων, ὅτι υἱὸν αὐτὸν νομίζομεν Θεοῦ, ἐπεὶ ἐκολάσθη φησί, τί οὖν, οὐχὶ καὶ ἄλλοι πολλοὶ ἐκολάσθησαν, καὶ οὐχ ἧττον ἀγεννῶς; ὅμοιον δ' ἐν τούτῳ ποιεῖ ὁ Κέλσος τοῖς ἀνδραποδωδεστάτοις τῶν ἐχθρῶν τοῦ λόγου, καὶ οἰομένοις ὅτι ἀκολουθεῖ τῇ περὶ τὸν Ἰησοῦν ἱστορίᾳ σταυρωθέντα, τὸ σέβειν ἡμᾶς τοὺς ἐσταυρωμένους.

b Cyrill. lib. VI *cont. Jul.* Τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, εἰκόνας αὐτοῦ σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ, καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες.

c Ibid. Βούλει δὴ οὖν, γενναῖε, τὸ εἰς ἀνάμνησιν ἡμᾶς ἀρετῆς ἁπάσης ἀποκομίζον ξύλον παρέντες, καὶ διωσάμενοι, παισὶ, καὶ γυναίοις παραθῶμεν τὰ σά;

Crux reorum suppliciis, profanisque usibus interdicta.

porum auctores referunt, Eusebius, ac cæteri post eum) inter sacratas, et religiosas res est habita: Postea vero imperatoria quoque lege sancitum [1], « signum illud Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere: sed quodcumque reperitur, tolli. » Quod ipsum Trullana synodus canone tertio sub excommunicationis pœna decrevit, cujus canonis verba contra *inimicos crucis Christi* legi hic merentur. « Cum crux, inquit, vivifica salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus eum, quem par est, honorem habeamus. Unde et mente, et sermone et sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus; ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Eos igitur, qui posthac crucis figuram in pavimento construxerint, excommunicari decernimus [a]. »

Adorandam quoque Crucem veteri ex consuetudine Rusticus diaconus Justiniano imperante contra Acephalos scribens testatur his verbis: « Et adoramus omnes crucem; et per ipsam illum cujus est Crux. » Quam *Patrum traditionem* vocat Jonas Aurelianensis; et adversus Claudium Taurinensem strenue propugnat, de cultu imaginum cæteroqui non plane catholice sentiens. Cum enim Claudius [2] « falsæ religionis atque superstitionis cultores appellasset eos, qui ob recordationem Salvatoris nostri crucem pictam, atque in ejus honorem imaginatam colunt, » hunc acriter Jonas redarguit, et adorari crucem utramque, hoc est tam simplicem, quam imaginatam ab Christianis ait, maxime in « sanctissimo die Parasceves, secundum traditionem Ecclesiasticam: » idque auctoritate Gregorii primi Romani pontificis approbat: cujus et peculiarem illi diei, ac religioni e libro Sacramentarii orationem describit. Tum in præfatione libri secundi Jonas idem, « Neque enim nostro tempore, inquit, usus irrepsit, figuram crucis in basilicis sanctorum statui. Sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit. » Ac toto secundo libro de hoc argumento, id est crucis veneratione, disputare pergit.

Insignis Anastasii locus.

VII. Memorabile autem est hoc in genere, quod illi ipsi, qui colendas imagines negabant, et synodo septimæ adversabantur Gallicani antistites, quorum unus Jonas iste fuit, de figura crucis nequaquam ita judicarent; sed eam adorandam statuerent. Quod eorum dogma, tanquam sibi ipsi contrarium, et ἀσύστατον, reprehendit Anastasius Bibliothecarius *in Præfatione ad synodum septimam*. « Aiunt, inquit, namque, quod non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum: quasi non sit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant, venerabilior cane, quem non esse opus manuum hominum procul dubio non negabunt. Similiter et forma sanctæ crucis, quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur. In quo videlicet considerare libet, quia si quamlibet crucem auream, vel argenteam, aut ligneam adoramus, quæ utique non eadem est ipsa crux, in qua salus nostra patrata est, sed figura, et imago ejus, quare non adoremus figuram, et imaginem ejus, qui eamdem salutem operatus est in medio terræ? Venerabilior namque est qui salutem operatus est, quam ea materia, in qua idem salutem operatus est. Ac per hoc magis est adoratione digna imago Christi salutem operantis, quam imago crucis salutem tantummodo bajulantis. » Verum de Cruce, et hujus imagine, necnon de cultu, et adoratione ipsius, si posterioris ætatis scriptores testes citare velim, infinitæ operæ res erit, minimeque necessariæ; quare paucis his contentus quod superest de tertio genere crucis, quod manibus formare Christiani moris est, uti septimi capitis initio propositum est, absolvam*.

a Syn. Const. *in Trul.* cap. LXXIII. Τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ δείξαντος ἡμῖν τὸ σωτήριον, πᾶσαν σπουδὴν ἡμᾶς τιθέναι χρὴ τοῦ τιμὴν τὴν ἀξίαν ἀποδιδόναι τῷ δι' οὗ σεσώσμεθα τοῦ παλαιοῦ παραπτώματος. ὅθεν καὶ νῷ καὶ λόγῳ, καὶ αἰσθήσει τὴν προσκύνησιν αὐτῷ ἀπονέμοντες, τοὺς ἐν τῷ ἐδάφει τοῦ σταυροῦ τύπους ὑπό τινων κατασκευαζομένους ἐξαφανίζεσθαι παντοίως πρόστασσομεν, ὡς ἂν μὴ τῇ τῶν βαδιζόντων καταπατήσει

* Vide Gretserum de *Cruce*. Multa etiam hanc in rem dabit, nec proletaria eruditissimus P. Paciaudii Commentarius de *cultu S. Joannis Baptistæ*.

Z.

1 Leg. 1 cod, *nemini licere* cod. Just. — 2 Jonas lib. I, tom. IV. *Bibl. Patr.*,

CAPUT X.

De signo crucis, quod transiens appellari potest, hoc est quod manuum agitatione formatur. 1. *Ostenditur antiquorum testimoniis in usu fuisse veteris Ecclesiæ.* 3. *Et vim quamdam inesse sanctos Patres existimasse.* 4. *Quod pluribus deinceps testimoniis probatur.* 5. *In quibus et miraculis confirmata docetur hæc pietas.* 7. *Aquam signo crucis benedici solitam.* 8. *Neque tamen virtutem hujusmodi imputandam materiæ ipsi : sed divinæ potentiæ hoc utenti instrumento. Refelluntur hæreticæ calumniæ.*

Usitatissimum jam inde ab antiquis temporibus inter Christianos fuisse constat *signaculum* illud *frontium*, ut vocat Tertullianus[1]. Cujus protrita, nec tamen omittenda ista sunt ex libro *de Corona,* capite tertio; ubi

Non scripta.

multa sola ἀγράφῳ traditione usurpari in Ecclesia disputans, morem illum inter alia recenset : « Ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum, et exitum; ad vestitum, calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia; quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » Quod ipsum et alii

Signum crucis quam frequenter usurpatum a priscis Christianis.

Græci, Latinique Patres, tum fieri solere testificando : tum ad faciendum hortando confirmant; ac duplicem hujus cæremoniæ fructum causamque commemorant. Aut enim Christianæ fidei, religionisque profitendæ gratia : aut ad emerendam utilitatem aliquam id institutum esse demonstrant. Horum prius jam tum ab ipsis rudimentis, et incunabulis Christianismi præscribi catechumenis solebat. « Credit autem etiam catechumenus, ait Ambrosius[2], in crucem Domini Jesu; quia et ipse signatur. » Et Augustinus[3], « Si dixerimus, inquit, catechumeno, credis in Christum? respondet credo : et signat se cruce Christi. Portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. » Universe vero de Christi fidem profitentibus Augustinus idem[4] : « Signum veteris testamenti circumcisio in latenti carne; signum novi testamenti crux in libera fronte. Ibi enim occultatio est; hic revelatio. Illud est sub velamine, hoc sub facie. »

Eusebius Cæsariensis in libro sexto *de Demonstratione Evangelica*, capite ultimo sic scribit : « Præter hæc vero omnia, quis hoc considerans, omnes qui in Christum crediderunt, hoc salutari signo pro sigillo utentes, non obstupescat merito, cum audiat, Dominum olim ita locutum esse[5] : *Et venient, et videbunt gloriam meam : et relinquam in eis signum*[a]. »

Et in libro nono alium Isaiæ locum explicans; « Hos vero ipsos, ait, manifestos fore, dum pro eo more, qui apud nos receptus est, vultum signant Christi sigillo; ac docentur haud amplius legem Mosis ediscere[b]. » Idem epistola VIII *ad Demetriadem*, eam admonet, « ut crebro signaculo crucis muniat frontem. »

Basilius in libro *de Spiritu S.* capite XXVII, consuetudinem hanc, qua in Christum sperantes signaculo isto muniuntur, sola sine scriptura ulla traditione constare dicit[c]. Cujus quidem ritus meminit Hieronymus *in Ezechielis* caput X. « Antiquis Hebræorum litteris, inquit, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau littera crucis habet similitudinem : quæ in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur. »

II. Idem et Chrysostomus testatur; ut homilia X *in Acta Apostolorum :* ubi plerosque consuevisse dicit, sive in balneas intrantes, sive cum accenduntur lucernæ, etiam alia omnia cogitantes, signum crucis ducere. Quod et facere suadet Gaudentius Brixianus sermone VIII. « Sit sermo Dei, inquit, et signum Christi in corde, in ore, in fronte,

τὸ τῆς νίκης ἡμῖν τρόπαιον ἐξυβρίζοιτο. τοὺς οὖν νῦν τοῦ σταυροῦ τύπον ἐπὶ ἐδάφους κατασκευάζοντας ὁρίζομεν ἀφορίζεσθαι.

a Euseb. Καὶ ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις τίς θεώμενος τῷ σωτηριώδει σημείῳ πάντας τοὺς εἰς Χριστὸν πεπιστευκότας σφραγῖδι χρωμένους, οὐκ ἂν εὐλόγως καταπλαγείη ἀκούων πρόπαλαι τοῦ Κυρίου εἰρηκότος· καὶ ἥξουσι, καὶ ὄψονται τὴν δόξαν μου· καὶ καταλείψω επ' αὐτῶν σημεῖον.

b Idem. lib. IX. Τούτους δὲ αὐτοὺς φανεροὺς ἔσεσθαι συνήθως ἡμῖν τὰ πρόσωπα σπραγιζομένους τῇ τοῦ Χριστοῦ σφραγῖδι, παιδευομένους τε μηκέτι τὸν Μωϋσέως νόμον μανθάνειν.

c Basil. *de Spiritu sancto,* cap. XXVII. Τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ τοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἠλπικότας κατασημαίνεσθαι, τίς ὁ διὰ γράμματος διδάξας;

1 Lib. III *cont. Mar.* cap. XXII. — 2 Ambr. lib. *de iis qui init.* cap. IV. — 3 Aug. tract. XI *in Joan.* — Idem tom. X, frag. 27. — 5 *Isaiæ* LXVI, 18.

inter cibos, in lavacris, in cubilibus, in ingressu, et in egressu; in lætitia, et in mœrore. »

Præclare vero S. Augustinus, « Magna res est, inquit[1], signum Christi, et crux Christi; et ideo de isto tam pretioso signaculo res magna, et pretiosa signari debet. Quid enim prodest si de annulo aureo sigillum facias; et putridas paleas intus recondas? Quid prodest si signum Christi in fronte, et in ore gestamus; et intus in anima crimina, et peccata recondimus? »

Idem quoque tractatu LIII *in Joannem*, « Ad hoc enim et ipse Dominus, inquit crucem suam, ubi eum dementia superbæ impietatis irrisit, in eorum, qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiæ : ut de nomine ejus fides non erubescat, et magis Dei gloriam, quam hominum diligat. » Et alibi[2] : « Voluit nos in fronte ferre crucis signum. Hujus signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si et in corde gestamus. »

Quinetiam gentiles ipsos sapientiæ studio deditos signo crucis frontem signare solitos esse testatur idem[3] : « Ut plurimi etiam, inquit, ex ipsis sapientibus sæculi; quibus videbatur ignominiosa crux Christi; ea in fronte signentur : et de qua erubescendum putabant, nobisque insultabant, eam in pudoris arce constituant. »

III. Hanc vero usurpandi crucis signi rationem habuisse veterem Ecclesiam, non gravate consentiunt Adversarii : eamque Petrus Martyr, et Hieronymus Zanchius pene unicam agnoscunt[4] : et iisdem quoque verbis ambo explicant. Quod et Isaacus Casaubonus amplexus est in *Exercitatione* XIII *ad Annales Baronianos*[5]. « Scimus, inquit, veterem Ecclesiam et in vitæ communis usu et in ritibus sacris, multum usam esse venerabili illo signo : sed ut pia cæremonia, quæ orationi adjecta, animos fidelium ad Christi crucem eveheret : non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut gestui affigeret. »

Hujus signi virtus.

Atqui non nudam, nec otiosam sed ad multas opportunitates efficacem fuisse piam istam cæremoniam antiquorum complures asserunt. Hoc enim signo fugari solitos dæmones, et admiranda quædam perfici, multis illorum tum testimoniis, tum exemplis intelligimus. Ex his primo illud loco commemorandum est, cujus occasione in illum sermones delapsus est Casaubonus : nimirum quod Epiphanius narrat in hæresi XXX, de Christiana femina, quæ signi crucis virtute liberata est ab procacis et lascivi juvenis insidiis, qui magicis præstigiis illam ad amorem sui pellicere studebat. Verum negat Casaubonus hoc miraculum imputari oportere signo Crucis; quasi ejus virtute perpetratum sit. « Non fert enim christiana fides, ait, ut aliqua signo Crucis propria virtus miracula efficiendi tribuatur. »

Atqui plurimum in eo falsus est Casaubonus. Nam Epiphanius in eodem illo loco, signo crucis vim hujusmodi pellendi dæmonis assignat, cum scribit sic : « Ut igitur venefici isti prævalere nequiverunt : quippe per signum Christi, et fidem adjuta est mulier[a]. » Addit ibidem; tertium hoc documentum accepisse Josephum Comitem, veram esse Christianam religionem, quod nihil maleficia potuerint, ubi Christi nomen, et signum crucis aderat. Ergo signum crucis cum fide, et invocatione nominis Christi conjunctum, ad fugandos, superandosque dæmones præsentem vim habet. Nos ad illud Epiphanii locum tum hæc adversus Casaubonum olim adnotavimus[6] : tum ex Gregorio Nazianzeno aliquanto expressius eadem de re testimonium in oratione tertia, quæ est contra Julianum prior. Ibi enim Apostatam illum magicis sacris operatum, subito terrore consternatum ait « ad Crucem confugisse, et antiquum medicamentum, (nempe signum crucis) eoque contra terriculamenta ista se consignasse : atque adjutorem eum ascivisse, quem persequebatur. Ac quæ secuta secuta sunt, magis fuisse terribilia; quippe valuisse signaculum : victos esse dæmones; metus esse depulsos[b]. » Non potest hæc dæmonum propulsatio, quam *terribilem* appellat Gregorius, fidei crucem obtendentis attribui Juliani. Nam pessime oderat Christum, fidemque Christianam. Quare crucis hoc signaculo acceptum referri

Virtus signi crucis ad expellendos dæmones variis probatur testimoniis.

d EPIPH. hær. XXX, § 8. Ὡς οὖν οὐ κατίσχυσαν οἱ γόητες, διὰ γὰρ τῆς σφραγῖδος τοῦ Χριστοῦ, καὶ πίστεως ἐβοηθήθη ἡ γυνή.

a NAZIANZ. orat. III. Ἐπὶ τὸν σταυρὸν καταφεύγει, καὶ τὸ παλαιὸν φάρμακον, καὶ τούτῳ σημειοῦται κατὰ τῶν φόβων· καὶ βοηθὸν ποιεῖται τὸν διωκόμενον. καὶ τὰ ἑξῆς φρικωδέστερα· ἴσχυσεν ἡ σφραγίς· ἡττῶνται οἱ δαίμονες· λύονται οἱ φόβοι.

1 Aug. Serm. CCXV *de Temp.* — Id. tract. III *in Joan.* — 3 Aug. tom. X in frag. 8. — 4 Lib. I *tract. theol.* c. XV — 5 Casau. exer. XIII, num. 23. — Animad. *ad Epiph.*

oportet : sive Crucifixi potentiæ, ac virtuti externo illo signo, velut instrumento, ad proturbandos dæmones, et ad impii illius, si vellet, salutem; sin minus, aliorum fructum, ac solamen utentis. Sæpius tamen fidem, ac piam voluntatem comitem signaculi illius efficientia requirit. Et recte Origenes[1]. « Non te ergo aliter timebunt, inquit, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te crucem Christi. » At quomodo? Paulo ante dixit : « Quid times dæmones? Quid tremunt? sine dubio crucem Christi; in qua triumphati sunt; in qua exuti sunt principatus eorum, et potestates. Timor ergo, et tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint crucis fideliter fixum, et magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in Cruce. »

IV. Illustre est apud Gregorium Nyssenum[2] specimen mirificæ illius virtutis ad expellendos dæmones signaculi crucis, quam Gregorii Thaumaturgi discipulus quidam expertus est, qui balneas ab homicida dæmone sub vesperam insideri solitas, securus et illæsus adiit, signo crucis ter illius discussis, superatisque præstigiis.

Eamdem in signaculo isto vim inesse confirmat eximie Magnus Athanasius in libro *de Incarnatione Verbi Dei*, et eo argumento utitur ad Christi divinitatem et potentiam contra gentiles asseverandam. « Nam solo crucis signo utens homo fraudes illius (dæmonis) repellit[a]. » Tum paulo post, quemlibet gentilium numero provocat ad rei hujus periclitandam fidem. « Utatur, inquit, signo crucis, quam irridere solet, Christo solum nominato : ac videbit quemadmodum per ipsum dæmones quidem fugiunt, oracula vero cessant, porro magica vis omnis, et venefica irrita redditur[b]. » Quin idem *in vita sancti Antonii* scribit, hunc signi illius præsidio dæmonum impetus minasque superasse, cum ita diceret[3] : « Signum enim crucis, et fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est. » Tum ad eos, qui visendi sui causa convenerant, et dæmonum cum ipso certamina, et clamores audiebant, « Signate vos, inquiebat, et abite securi. »

Sed et Cassianus collatione octava, capite XVIII, Sereni Abbatis narrationem de Antonio refert : quem aiebat ab gentilibus quibusdam magicis incantationibus aliquando vexatum fuisse; cum illi nequissimos dæmones sæpius immitterent. « Cumque illo nunc quidem imprimente pectori suo frontique signaculum crucis, nunc vero orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsus auderent, atque ad eos, qui illos direxerant, absque ullo reverterentur effectu, et alios illi in nequitiam vehementiores rursus immitterent, itidemque ipsis incassum suarum nequitiarum expendentibus vires, atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus adversus militem Christi victorem iterum destinati nihil penitus prævalerent; tandem ad Antonium venientes Christianos se fieri poposcisse.

Eodem armatus auxilio Antonii imitator Hilario cum dæmonibus assidue luctabatur. De quo ita Hieronymus : « Provolutus, inquit[4], genibus, Christi crucem signavit in fronte : talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius præliabatur. »

V. Joannes Chrysostomus in signo crucis præsentem inesse vim adversus fascinum testatur homilia XII in epistolam priorem *ad Corinthios* : ubi mulieres reprehendit, quæ ad præstigias istas amoliendas superstitiosclutum parvulorum frontibus illinebant. « Cum par esset, inquit, crucem fronti illius inscribentem, quæ inexpugnabilem præbet securitatem, tu his relictis, ad satanicam ineptiam devolveris[c]? » Deinde, « Quomodo, ait, infantem tuum sacerdotis manibus admoves? dic mihi quomodo signaculum in fronte illius imprimi postulas manu Presbyteri, ubi lutum illinisti[c]? » Idem oratione quinta *contra Judæos* de Christiano synagogam intrante Judæorum loquens; « Quomodo vero introibis, ait, in synagogam? Nam si vultum tuum

a ATHAN. Τῷ γὰρ σημείῳ τοῦ σταυροῦ καὶ μόνον ὁ ἄνθρωπος χρώμενος ἀπελαύνει τούτων τὰς ἀπάτας.

b Ibid. Καὶ χρησάσθω τῷ σημείῳ τοῦ γελωμένου παρ' αὐτοῦ σταυροῦ, τὸν Χριστὸν ὀνομάσας μόνον, καὶ ὄψεται πῶς δι' αὐτὸ δαίμονες μὲν φεύγουσι, μαντεῖα δὲ παύεται, μαγεία δὲ πᾶσα, καὶ φαρμακεία κατήργηται·

c CHRYSOST. Καὶ δέον τὸν σταυρὸν ἐπιγράφειν τῷ μετώπῳ, τὴν ἀσφάλειαν ἄμαχον παρέχοντα, σὺ δὲ ταῦτα ἀφεῖς, ἐπὶ τὴν Σατανικὴν ἄνοιαν καταπίπτεις; Et paulo post : Πῶς γάρ αὐτὸ προσάγεις ταῖς χερσὶ τοῦ ἱερέως; εἰπέ μοι. πῶς ἀξιοῖς ἐπὶ τοῦ μετώπου σφραγῖδα ἐπιτεθῆναι παρὰ τῆς τοῦ πρεσβυτέρου χειρὸς, ἔνθα τὸν βόρβορον ἐπέχρισας;

1 Orig. hom. VI *in Exod.* — 2 Greg. Nyss. Or. *de s. Greg. Thaum.* tom. II. — 3 Tom. II Ath. — 4 Hier. tom. I col. 319.

signes, statim nequam virtus avolabit, quæ habitat in synagoga. Sin minime signaveris, statim ab ipsis foribus armaturam abjeceris; unde nudum et inermem te diabolus excipiens, infinitis malis afficiet[a]. »

Prudentius hymno sexto *Cathemerinon;*

« Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit. »

Addamus poetæ poetam, Prudentio Paulinum : cujus aliquot loca descripsit Dungalus in responsione *adversus Claudium Taurinensem*[1]; velut ex carmine octavo *de Natali S. Felicis.*

« Nos crucis invictæ signum, et confessio [munit.
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis : et quanquam membris videamur [inermes,
Arma tamen gerimus; quibus et sub pace [serena
Contra incorporeos animis decernimus ho- [stes. »

Augustinus in libro XXII *de Civitate Dei*, capite VIII, Innocentiam primariam feminam refert in urbe Carthagine, « cum in mamilla cancrum haberet insanabilem, admonitam in somnis esse appropinquante Pascha, ut in parte feminarum observanti ad baptisterium, quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, eumdem locum signo Christi signaret : fecit; et confestim sanitas secuta est. » Hoc se miraculum ait Augustinus ab eadem illa femina narrante didicisse, ac diligenter in illud inquisisse.

Cyrillus item Hierosolymitanus plerisque in locis signum illud Christianis commendat, quod adversus dæmones, et varia vitæ hujus incommoda præsentissimum esse remedium affirmat. « Non erubescamus, ait, crucem Christi. Sed licet alius hanc celet : tu palam in fronte signare : ut dæmones signo illo regio conspecto, procul trepidantes fugiant. Hoc vero signum facito manducans, et bibens, sedens, cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, et, ut uno verbo dicam, in omni re[b]. » Et catechesi XIII hortatur ut ubique; et quavis in re, et occasione frontem signent. Id enim maximum esse munimentum, quod dæmones exhorrescunt. Tum, « hoc, inquit, signum hodieque morbos sanat, dæmones expellit, veneficiorum, et incantationum præstigias evertit[c]. »

Sic Thecla incendio damnata, « signo in se crucis expresso, in rogum insiliit. Unde et ignis naturæ suæ oblitus ob crucis metum, ac reverentiam, Virgini thalami loco potius fuit, quam camini[d], » ut scribit Basilius Seleuciensis. Vide et Palladium *in Lausiaca*, capite secundo.

VI. Omitto alia tam ab priorum sæculorum gravissimis scriptoribus memoriæ mandata prodigia, quæ per crucis signum divinitus edita sunt, quam ab aliis, qui deinceps sanctitate celebres exstiterunt : quæ propemodum infinita, nec obscuris auctoribus comperta, passim in legentium oculos incurrunt : maxime *in actis Sanctorum*, et historiis. Unum addam, ex quo quanti signum illud in Ecclesia perpetuo factum sit intelligi potest, quod ab Augustino, et Chrysostomo summis viris est notatum. Id est ejusmodi; Nullum paulo sanctius mysterium celebrari solere, in quo non adhibeatur crucis illud signaculum. Augustinus tractatu CXVIII,

a CHRYS. Πῶς δὲ καὶ εἰσελεύσῃ εἰςτὴν συναγωγήν; ἂν μὲν σφραφίσῃς τὸ πρόσωπον, εὐθέως ἀπεπήδησεν ἡ πονηρὰ δύναμις ἡ τὴν συναγωγὴν οἰκοῦσα. ἂν δὲ μὴ σφραγίσῃς, ἀπὸ τῶν θυρῶν εὐθέως τὸ ὅπλον ἔῤῥιψας. εἶτα γυμνὸν, καὶ ἄοπλόν σε λαβὼν ὁ διάβολος μυρία διαθήσει δεινά.

b CYRILL. *Cat.* IV. Μὴ τοίνυν ἐπαισχυνθῶμεν τῷ σταυρῷ τοῦ χριστοῦ. ἀλλὰ κἂν ἄλλος ἀποκρύπτῃ, σὺ φανερῶς ἐπὶ μετώπῳ σφραγίζου. ἵνα οἱ δαίμονες τὸ σημεῖον ἰδόντες τὸ βασιλικὸν, μακρὰν φύγωσι τρέμοντες. ποίει δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον, καὶ πίνων, καθήμενος, κοιταζόμενος, ἐξανιστάμενος, λαλῶν, περιπατῶν, καὶ ἁπαξαπλῶς ἐν παντὶ πράγματι.

c Idem *Cat.* XIII. Τοῦτο μέχρι σήμερον θεραπεύει νόσους· τοῦτο μέχρι σήμερον δαίμονας ἀπελαύνει· φαρμακῶν τε, καὶ ἐπαοιδῶν ἀνατρέπει γοητείας.

d BASIL. SELEUC. lib. I *de vita S. Theclæ.* Τὸν τοῦ σταυροῦ τύπον πρότερον ἐν ἑαυτῇ ἐκτυπώσασα, etc. Εὐθὺς ἐφήλατό τε τῇ πυρᾷ, etc. Ὅθεν καὶ τὸ πῦρ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐκλαθόμενον, αἰδοῖ, καὶ φόβῳ τοῦ σταυροῦ, θάλαμος μᾶλλον, ἢ καμινος ἐγένετο τῇ παρθένῳ.

1 Tom. IV *Bibl. Patr.*

« Quod signum, inquit, nisi adhibeatur sive frontibus credentium : sive ipsi aquæ, qua regenerantur : sive oleo quo chrismate unguntur : sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. »

Chrysostomus quoque homilia LIV *in Matthæum*, ubi latissime de hoc signo sermonem habet, inter alia istud observat : « Omnia per illud administrari, quæ apud nos transiguntur mysteria. Sive enim regenerari oportet, adest crux, sive mystica illa nutriri oportet alimonia : sive ordinibus initiari : sive quid aliud facere : ubique salutis hoc adest signum ; ac propterea et in ædibus, et in parietibus, et in fenestris, et in fronte, et in mente magno studio illud inscribimus[a]. »

Sane quod ad Baptismum, id est *regenerationis* sacramentum attinet, frequens usus vetere in Ecclesia fuit illius signaculi : ut ex Dionysio constat in libro *de Ecclesiastica hierarchia*, capite secundo ; ut alibi dicturi sumus. Multo vero major in sacramento Confirmationis, quod est *signaculum* idcirco dici meruit : quoniam neophyti signo crucis in fronte cum ungerentur obsignari solebant.

Ambrosius item libro *de Initiandis*, capite tertio, « Aqua, inquit, sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est. Cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, et salutaris poculi temperatur. » Et capite quarto, « Quid est enim aqua sine cruce Christi ? Elementum commune sine ullo sacramenti effectu. »

In appendice tomi decimi operum Augustini sermo est LXXV *de Diversis*, qui est Ivonis Carnotensis, et apud hunc inscribitur. *Quare Deus natus et passus sit* : quo in sermone multa de signo crucis disputantur, et sub finem habet ista de usu illius in plerisque religionis nostræ mysteriis[1]. « Hujus crucis mysterio rudes catechizantur : eodem mysterio fons regenerationis consecratur : ejusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiæ accipiunt : cum ejusdem crucis charactere basilicæ dedicantur : altaria consecrantur ; altaris sacramenta cum interpositione dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes, et Levitæ per hoc idem ad sacros ordines promoventur : et universaliter omnia ecclesiastica sacramenta in hujus virtute perficiuntur. »

Aquæ signo crucis benedictæ efficacia.

VII. Nec illud prætermiserim, antiquo Christianorum instituto, aquam signo eodem crucis ac benedictione consecrari solere adversus dæmonum, magorumque præstigias, aut ad sanandos morbos ; eamque pietatem ingentibus miraculis gratam sibi esse Deum ostendisse. Unum ex antiquo scriptore, et fidissimo rei, quam pene viderat, teste proferam Epiphanio, in illa pulcherrima Josephi Comitis historia, quam exponit in hæresi *Ebionitarum*. Cum enim Christianus ex Judæo factus Josephus ille Ecclesiam ædificaret in urbe Tiberiade, ac Judæi, qui frequentes illic habitabant, magicis incantationibus opus interrumpere conarentur, calcisque coctionem impedirent : Josephus aquam afferri sibi jubet ; cui signum crucis imprimens, et hoc modo benedictam fornacibus aspergens, vim omnem diaboli pervicit. « Crucis signum (inquit Epiphanius : nam et ipsa verba pondus suum habent) super vas illud aqua plenum digito ducit ; et Jesu nomen invocans magna voce sic loquitur. In nomine Jesu Nazareni, quem mei pariter et horum omnium, qui hic adsunt, majores in crucem egerunt, hæc aqua vim habito ad magicas artes, maleficiaque omnia refringuenda, quæ isti compararunt, et ad restituendam igni vim suam, ut domus Dei possit absolvi[b]. » Non hæc frustra ab sancto Comite dicta esse monstravit exitus. Hanc vero narrationem ab Josepho ipso sibi expositam memoriæ tradidit Epiphanius. Ubi et vim aquæ inditam refert per illud salutare crucis signum : ut appareat falsum esse, quod Casaubonus, et ejusdem sectæ alii commenti sunt ; antiquos Christia-

a Chrysost. vers. 34. Καὶ γὰρ πάντα δι' αὐτοῦ τελεῖται τὰ καθ' ἡφᾶς. κἂν ἀναγεννηθῆναι δέῃ, σταυρὸς παραγίνεται· κἂν τραφῆναι τὴν μυστικὴν ἐκείνην τροφήν· κἂν χριροτονηθῆναι· κἂν ὁ, τιοῦν ἕτερον ποιῆσαι, πανταχοῦ τοῦτο τῆς νίκης ἡμῖν παρίσταται σύμβολον. διὰ τοῦτο καὶ ἐπὶ οἰκίας, καὶ ἐπὶ τῶν τοίχων, καὶ ἐπὶ τῶν θυρίδων, καὶ ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ ἐπὶ τῆς διανοίας μετὰ πολλῆς ἐπιγράφομεν αὐτὸν τῆς σπουδῆς.

b Epiph. hær. XXX, § 12. Μεγάλῃ τῇ φωνῇ ὁ ἀνὴρ σταυροῦ σφραγῖδα ἐπιθεὶς τῷ ἄγγει διὰ τοῦ ἰδίου δακτύλου, καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, εἶπεν οὕτως· ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ τοῦ Ναζαραίου, οὗ ἐσταύρωσαν οἱ πατέρες μου, καὶ τούτων πάντων τῶν περιεστώτων, γένηται δύναμις ἐν τούτῳ τῷ ὕδατι εἰς ἀθέτησιν πάσης φαρμακείας, καὶ μαγείας, ἧς οὗτοι ἔπραξαν, καὶ εἰς ἐνέργειαν δυνάμεως τῷ πυρὶ εἰς τὸ ἐπιτελεσθῆναι τὸν οἶκον Κυρίου.

1 Tom. X Aug. et X *Bibl Patr.*

nos ad solam Christianæ professionem religionis, usurpasse signum illud, nec in eo vim ullam inesse putasse : quod quam falsum sit, tum isto ipso Josephi Comitis exemplo ; tum aliis, quæ hactenus descripsimus; et innumeris, quæ sequentibus deinde gesta sæculis annales, et historias implent, abunde docemur.

Indidem etiam et illud absonum, ineptumque commentum aliorum convincitur ; velut Petri Martyris, et Hieronymi Zanchii : et si quis alius est eadem pertinacia , et importunitate contra perspicuam fidem veritatis obluctans ; qui dæmones aiunt simulatione quadam terroris hoc agere, ut superstitioni auctoritatem concilient; quod argutum inventum nemini probari potest æstimatori rerum prudenti, ac probo. Nam ex eo consequens est, quod incredibile est, imo impium ac temerarium dictu ; tot graves ac doctos æque ut sanctos Patres toties, ac tanto tempore circumventos et illusos fuisse dæmonum fraudibus : tum hujus fallaciæ auctorem ipsum fuisse Deum : qui solus mira illa facere potuit ; quæ revera gesta esse negare, post tam disertam, et constantem summorum virorum testificationem, extremæ est impudentiæ pariter ac dementiæ.

Hæc vis non materiæ imputanda.

VIII. Neque vero cum signo crucis tanta, tamque stupenda fieri, veteres illi prædicant, et catholica cum illis hodieque sentit Ecclesia, crucem arbitrantur, aut ejus effigiem, propria quadam ex virtute præstare ; hoc est materiam ipsam ligneam, aut ex metallo constantem ; quod veretur Casaubonus, et earumdem partium cæteri. Quis enim tam absurde inepteque deliret ut hoc sibi persuadeat? Enimvero instrumenta ista sunt divinæ potentiæ ; quæ per sese nihil possunt, nec agunt: perinde ut in sacramento Baptismi aqua per sese, ac propria vi nullam gratiæ, ac sanctitatis habet efficientiam ; uti nec malleus extruendæ domus : sed eadem ad opera illa singularia divinitus applicantur ; et quod summo omnium auctori, et artifici videtur efficiunt. De adoratione porro crucis, et quo cultus genere veneranda sit, dicemus postea cum universe de religiosarum rerum anima et ratione carentium, velut imaginum, honore disputabimus.

Nunc illud, quod peculiare crux habet, enodabimus, an venerationem mereatur a nobis potius quam detestationem et horrorem ; propterea quod Christi Domini ac salvatoris nostri supplicio et ignominiæ ministravit. « Nam humana cogitatio (ait Lutheranus Joachimus Camerarius) [1] organa cædis bonorum, atque innocentum etiam ipsa execrari, et fabricam illorum ad infesta hominum vitæ numina quædam referre solet; ut Teucer facit in baltei et ensis mentione apud Sophoclem. »

« Nonne hunc Erinnys fabricata ensem fuit,
Illumque Ditis sæva perfecit manus[a] ? »

Quanquam minus iste Lutheranus insanit, qui lignum crucis τίμιον, id est *pretiosum*, appellari patitur : sed ζωοποιὸν vetat, stulta ratione ; ne tribuatur huic gloria soli filio Dei Deo vero debita. » Quasi eodem modo ζωοποιὸς, aut σωτήριος appellata sit ab antiquis crux, quo Christus revera et est, et a Christianis dicitur. Sed hæ sunt aniles næniæ, ac probra, quibus Catholicos aspergunt, qui pensi nihil habent quid dicant, dum maledicant.

Vivificans.

Vivificans aut salutaris.

Hæreticorum calumniæ.

Capitalior est Trapezita Leidensis, qui non solum *vile lignum*, sed etiam *contumeliosum*, crucis audet dicere ; et idcirco venerandum negare. His et similibus *inimicis crucis Christi*, et χριστιανοκατηγόροις opponenda est Christiana omnis antiquitas ; cujus specimen aliquod hoc, et antecedentibus duobus capitibus exhibuimus : et nunc, quod ad purgandam crucis infamiam proprie spectat, nonnullos defensores excitabimus.

Christianorum calumniatoribus.

Crux in Ecclesia gloriosa.

IX. Crux Christi novis Ecclesiæ hostibus, itidem ut Judæis olim et gentilibus, *scandalum est et opprobrium*. Atqui « nullum hoc majus divinæ est personæ testimonium, ait Ambrosius[2], nihil est, quod magis esse ultra humana videatur ; quam toto se unum obtulisse pro mundo ; hoc vel solo plene Dominus declaratur. » Augustinus vero [3]; « Crux illa fidelibus, inquit, non est opprobrium, sed triumphus crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrum diabolum. » Merito Cassianus [4], « Maximum utique, ait, et immanissimum scelus est, ut ideo apud nos minus honoris habeat, quia plus amoris impendit. » Hoc crucis osores faciunt : sed

a Soph. *in Ajace.*

Ἀρ' οὐκ ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευσε ξίφος·
Κἀκεῖνον ᾅδης δημιουργὸς ἄγριος;

1 Com. in *app. ad Niceph. Clem.* — 2 Amb. *in Luc.* vi. — 3 Aug. *de sym.* cap. v tom. IX — 4 Cass. II *de Incarn.* cap. iii.

rursus Augustinum audiant [1]. » Nihil erat tunc in carne intolerabilius; nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid servat fideli, qui talem honorem dedit supplicio suo?»

Cyrillus Alexandrinus *in Isaiam*, « sanctæ crucis signum esse dicit, quo fideles circummuniri solent. Hac enim re semper utimur, cum omnem diabolicam vexationem abolemus, ac dæmonum impetus depellimus. Murus enim firmus, et impenetrabilis est crux : et de ea gloriari revera est salutare. *Mihi vero absit gloriari nisi in cruce Christi* [2] [a]. »

Chrysostomus orat. LXI tomi sexti, in qua Deum esse Christum demonstrat, de crucis honore late disserit, et rem minime esse pudendam Christiano, sed illustrem, et gloriandam docet. « Nemo, inquit, pudore suffunditur : nec occultat se præ verecundia dum cogitat, abominandæ mortis istud esse signum, sed velut ornamento gloriamur magis quam coronis, et diadematibus, et infinitis unionum monilibus. Ita non est fugienda crux, sed optabilis, et amabilis, et omnium amore, studioque digna [b]. »

Recte quoque Euthymius in *Panoplia*, titulo XX adversus Armenos : « sicut antequam Christus in crucem ageretur, inquit, crux instrumentum erat mortis execrabile et figura ejus evitanda et detestabilis : ita postquam illi clavis affixus est Christus, ac Domini sanguine et aqua est aspersa, tum ipsa sanctificata est : et figura ejus sanctificandi instrumentum facta est omnibus fidelibus : quæ quidem homines antea peremit; nunc vero dæmones [c]. »

Crucis osores et crucis hostes. Denique adversus μισοσταύρους, et σταυρομάχους istos licet illud usurpare, quod Jonas Aurelianensis contra Claudium Taurinensem illius impietatis auctorem. « Ut quid vexillum crucis, inquit [3], exhorrescis? Nescisne quia dæmonum est ejusdem crucis vexillum exhorrescere? Quid, rogo, sorduit tantum tibi crux Christi? Puto sane quia si te cruce Christi redemptum fideliter credidisses, nunquam te infestum ejus inimicum, et execratorem, atque abdicatorem constituisses. Per crucem namque mortis auctor superatus est; et mortalibus vita reddita est *. »

CAPUT XI.

De sacris imaginibus, et earum in Ecclesia usu, atque cultu. 1. Ac primum de auctoribus impugnandarum illarum, Marcionitis, Manichæis, aliisque; quatenus eas execrati sunt. 2. De Xenaia. 3. Leone Isaurico, Constantino Copronymo, et de Nicæna synodo secunda, quæ cultum imaginum restituit. 4. De Gallicanis synodis in causa imaginum habitis, maxime Francofordiensi, et ejus decretis contra synodum septimam. 5. Cui perdiu Gallicani antistites refragati sunt. De conventu Episcoporum Lutetiæ habito contra imagines. 6. De Iconomachorum dogmate, quorum nonnulli funditus imagines respuerunt : et hi crucem, et reliquias retinuerunt. 7. De Claudio Taurinensi perditissimo hæretico. 8. Alii imagines non esse abolendas putantes, coli vetuerunt.

I. Postremus hujus tomi labor est in imaginum usu, ac veneratione ponendus, quem minus longum et operosum esse debere admonet scriptorum, qui de ea re commentati sunt, multitudo ac diligentia : qui hac potissimum ætate in hujus argumenti tractationem incubuerunt : qua Iconoclastarum impia revixit hæresis : et veteres illas in Ecclesia

a Cyrill. tom. IV, lib. II *in Esa*. Τὸ τοῦ ἁγίου σταυροῦ σημεῖον, ᾧ περιφράττεσθαι τοὺς πιστεύοντας ἔθος κεχρήμεθα γὰρ ἀεὶ τῷ πράγματι πᾶσαν διαβολικὴν ἐπήρειαν ἀνατρέποντες, καὶ τὰς τῶν δαιμόνων ἐφόδους διακρουόμενοι. τεῖχος γὰρ ἡμῖν ἄῤῥηκτον ὁ σταυρὸς, καὶ τὸ ἐπ' αὐτῷ καύχημα σωτήριον ἀληθῶς. ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ.

b Chrysost. vers. pen. Οὐδεὶς αἰσχύνεται, οὐκ ἐγκαλύπτεται ἐννοῶν ὅτι θανάτου τοῦ ἐπαράτου τοῦτο σύμβολον. ἀλλὰ πάντες τούτῳ καλλοπιζόμεθα μᾶλλον, ἢ στεφάνοις, καὶ διαδήμασι, καὶ μυρίαις μαργαριτῶν περιβολαῖς. οὕτως οὐ μόνον οὐκ ἔστι φευκτὸς, ἀλλὰ καὶ ποθεινὸς καὶ ἐπέραστος, καὶ περισπούδαστος ἅπασι.

c Euth. tit. XX. Ὥσπερ γὰρ πρὸ τοῦ σταυρωθῆναι τὸν Χριστὸν, ὁ σταυρὸς ὄργανον ἦν θανάτου κατηράμενον· καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ φευκτός τε, καὶ ἀποτρόπαιος. οὕτω μετὰ τὸ προσηλωθῆναι τὸν Χριστὸν αὐτῷ, καὶ καταῤῥανθῆναι τοῦτον τῷ δεσποτικῷ αἵματι, καὶ ὕδατι, αὐτό τε ἡγιάσθη, καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ ἁγιαστήριον πᾶσι τοῖς πιστοῖς κατέστη, πρότερον μὲν ἀνθρώπους ἀναιροῦντος, ὕστερον δὲ τοὺς δαίμονας.

* Vide Mabillonium Præfat. in sæc. IV. §. 3. Z.

1 Aug. tract. XXXVI *in Joann.* — 2 *Gal.* IV. — 3 Jonas. tom. IV *Bibl. Patr.*

turbas longo intervallo renovavit. De qua hæresi ante omnia nonnulla ex historia delibanda sunt; ut facilius ad ea disputanda, quæ suscepimus pervenire possimus.

Quinam primi imaginibus bellum indixere.

Qui imaginibus primi omnium denuntiavere bellum, fuere quorumdam opinione veteres illi hæretici : quos nemo potius inter Christianos, quam inter gentiles numerandos existimet, Marcionitæ, Manichæi, ac Phantasiastæ, hoc est, qui veram Christo carnem ademerunt. Cujus rei argumentum capiunt ex Tarasii verbis actione quinta septimæ synodi; ubi Iconoclastas dicit « imitatione Judæorum, et Saracenorum; Græcorum item, et Samaritanorum; nec non Manichæorum, et Phantasiastarum, sive Theopaschitarum, venerandarum imaginum aspectum exterminare voluisse[a]. » Verum quod non solos Judæos, et Samaritanos commemorat, ac Saracenos; sed etiam gentiles : apparet non eamdem omnium causam fuisse. Non enim gentiles ab imaginibus, et simulacris penitus abhorrebant : imo magna pars superstitionis illorum in cultu simulacrorum erat posita. Quocirca propterea gentilium meminit; quod illi Christi, et B. Virginis, ac sanctorum, qui apud Christianos in honore habebantur, effigies execrabantur : quod et Iconomachi faciebant. Unde Manichæos, et Phantasiastas suspicor non ab ipso génere imaginum abhorruisse : sed ab iis tantum, quæ Deum, ac Christum repræsentabant. Ac quod pertinet ad Deum, non eo nomine reprehendendi fuerunt, quoniam idipsum et plerisque veterum placuit, qui alioqnin imagines admittebant; Dei nullam esse fabricandam imaginem; de quo post agetur. De Christi vero imagine cum Judæis, et gentilibus eatenus consentiebant, quod similiter ut isti illam detestabantur : sed dispari de causa; non enim odio Christi : sed quia « non fuisse in carne vera; sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus ipsum præbuisse dicebant : ubi non solum mortem, verumetiam resurrectionem similiter mentiretur; » ut ait Augustinus [1]. Nullam itaque Christi, ejusque passionis, aut eorum omnium, quæ vera in carne gesta sunt, figuram adhibebant : quod de Severo commentarius *de legitimo imaginum usu* testatur, in synodo septima probatus [2]. Quod autem ipsum genus imaginum abolerent, velut sanctorum, et cæterorum, quæ vere corporata crederent, haud scio satisne liquido constet. Nos autem Iconomachos proprie hic eos intelligimus, qui sub professione Christianæ religionis nefas arbitrabantur imagines ullas quoquo modo expressas habere Christi, atque sanctorum. In quo Judæos, et Samaritanos, ac Saracenos æmulati sunt.

Princeps oppugnandarum imaginum Xenaias

II. Porro ut in vitiis animorum, et erroribus, modicis ex initiis in infinitum proceditur: ita Phantasiastis, et Eutychianis evenisse arbitror, ut ab exterminandis imaginibus Christi, quem vero carere putabant corpore, ad cæterorum, quibus verum inerat, delendas progressum facerent. Princeps oppugnandarum imaginum sacrarum in historiis liquido perhibetur Xenaias; de quo Theophanes, et ex eo Cedrenus, et Anastasius Bibliothecarius, ad annum Zenonis XVI ita memoriæ prodiderunt : « Xenaias Satanæ servus, Dominicam imaginem, et sanctorum recipiendam non esse docebat[b]. » Addunt genere fuisse Persam, conditione servum : qui dominum fugiens, Calandione Antiochiæ episcopatum tenente, vicinos illic pagos a recta fide instituit abducere : pro clerico se gerens, cum nondum baptismo initiatus esset; sed a Calandione pulsus a Petro Cnapheo Antiochiæ episcopo Hierapolitanus episcopus creatus est, et mutato nomine Philoxenus dictus, imperante Zenone, circa annum Christi 485. Sed cum postea baptizatum non esse rescisset, non tamen baptizandum curavit : sed manuum impositionem, quam in ordinatione perceperat, pro Baptismo sufficere credidit.

Eamdem historiam refert Theodorus lector *in Ecclesiastica historia*, in septima citatus synodo [3], actione quinta. Joannes vero secta Eutychianus [4], ex Hæsitantium numero, ibidem laudatus illius opinionem latius explicat: Primum negasse Angelos, qui corpore carerent, corporum specie in imaginibus exprimendos esse. Deinde non esse Christum eo genere honoris afficiendum, ut ejus effingantur imagines : sed sufficere illum adorare in spiritu, et veritate. Vetuisse quoque Spiritum

a In syn. VII, act. v. Ἑβραίους γὰρ, καὶ Σαῤῥακηνοὺς, Ἑλληνάς τε, καὶ Σαμαρείτας· ἔτι γε μὲν Μανιχαίους, καὶ φαντασιαστὰς, ἤγουν Θεοπασχίτας μιμησάμενοι, ἠθέλησαν ἀφανίσαι τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων θέαν.

b Theoph. etc. Ξεναίας δὲ ὁ δοῦλος τοῦ Σατανᾶ τὴν δεσποτικὴν εἰκόνα, καὶ τῶν ἁγίων ἐδίδασκε μὴ δέχεσθαι.

1 Aug. *de hæres.* cap. XLVI. — 2 Act. VI synodi sept. — 3 Tom. V concil. — 4 Ibidem.

sanctum columbæ specie repræsentare. Atque ut reipsa factisque suam hæresim probaret, Angelorum imagines ubique sustulisse, Christi vero, in abditis locis occultasse.

Hunc ipsum Xenaiam Manichæorum principem vocat Theophanes, et ab Anastasio Imperatore hæretico Constantinopolim accitum venisse anno Christi 506. Hæc prima Iconomachorum hæresis origo, quæ a Manichæis, et Phantasiastis initium accepit.

Successit Leo Isauricus.

III. Primus itaque palam aperteque bellum sacris imaginibus indixit Leo Isauricus a patria cognominatus; qui Conon antea dicebatur, obscuro genere natus, ac vili opificio vitam exercens; uti Theophanes, Zonaras, Cedrenus, et complures alii testantur. Hic ab Judæis impostoribus, et magis certa imperii spe accepta, ubi compos ejus est factus, quod stipulantibus illis receperat, Christi, ac B. Virginis, et sanctorum effigies abolere instituit. Imperator factus anno Christi 717, decimo post, qui fuit Christi 726, Salvatoris imaginem, quæ supra portam æream collocata erat, per suos satellites dejecit. Sed populi seditione concitata, rebusque postea pacatis, anno imperii XIV, Christi 720, de evertendis imaginibus edictum proposuit. Cui frustra conatus intercedere S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, centenarius episcopatu se abdicavit. Gregorius vero Papa ejus nominis secundus, cum Leonem ab hac insania deterrere non potuisset, de concilii Romani sententia, tam illum, quam eadem hæresi contactos subjecit anathemati : ac Romam, et quidquid Italiæ reliquum erat in Græcorum ditione, parere deinceps illi, ac tributa pendere prohibuit. Leoni post exactos in imperio annos XXIV mensesque tres, vita functo, Christi anno 741, successit ejus filius Constantinus, cui Copronymi, id est *stercorei* cognomen inditum est, ab stercore in sacrum fontem, cum infans baptizaretur, emisso. Qui paternam æmulatus impietatem, et illius furorem supergressus, multa in cultores imaginum viros sanctos immania, nefariaque decrevit; atque inter cætera conciliabulum coegit anno imperii XIV, Christi 754, quo venerationem sacrarum imaginum damnavit, episcopis in unum collectis 338, moritur imperii anno 34 et mensibus tribus absolutis, impietatem in B. Virginem ipse suam execratus, ac damnatum ejus se rei causa vociferans, anno Christi 775. Post hunc imperavit Leo illius filius annos quinque, quo mortuo, cœpit anno Christi 780 regnare Constantinus cum Irene matre Chagani regis Avarum filia, femina catholica. His imperium administrantibus, cum Tarasius e laico, propter sinceram fidem, ac pietatem, Constantinopolitanus Patriarcha esset electus, non prius ad hanc capessendam dignitatem adduci se passus est, quam de cultu sacrarum imaginum restituendo generalem synodum habitum iri stipulatus esset ab imperatoribus. Itaque anno 764, ipso die Natali Domini episcopatum iniit : cum jam ad Hadrianum Papam datæ essent ab Imperatoribus litteræ de œcumenica congreganda synodo. Missi sunt Roma legati Petri ambo nominati; quorum unus archipresbyter; alter presbyter erat, et ἡγούμενος S. Sabbæ. Qui cum venissent Constantinopolim, eodemque cæteri ad trecentos quinquaginta Patres accessissent, anno 786, calendis Augusti conveniendi fecerun initium. Sed ab hæreticis episcopis militari seditione conflata, nihil ultra perfici potuit. Itaque prorogata synodus est in annum sequentem 787, quo Nicæam Bithyniæ urbem translati Patres, octavo calendas Octobres Nicænam auspicati sunt synodum ordine septimam, quæ eo anno tertio Idus Octobres terminata est, actione, sive sessione septima. Quanquam Græci codices octavam adjiciunt, quæ 10 calend. Novemb. celebrata dicitur. In ea synodo constitutum est, imagines sacras cultu et adoratione dignandas esse : damnatique sunt, qui eas respuere, aut frangere, ac demoliri auderent, quos *Iconomachos*, et *Iconoclastas* nuncuparunt.

Constantinus Copronymus.

Rector.

Ea synodus ab Hadriano Romano pontifice probata est, et inter œcumenicas recepta. Cui tamen initio reclamarunt Occidentalis ecclesiæ Catholici. In qua de imaginibus synodi aliquot habitæ fuerunt.

IV. Memorantur in *Annalibus* Francorum potissimum duæ; altera in suburbana villa apud Gentiliacum haud procul Lutetia : de qua ita scriptum illic legitur ad annum Christi 767; « Tunc habuit Rex (Pipinus) in supradicta villa (Gentiliaco) synodum magnum inter Romanos, et Græcos de sancta Trinitate, et de sanctorum imaginibus. » In hac synodo, quam *magnam*, vel *magnum* potius barbarissans Chronicon vocat, de processione Spiritus sancti, et de imaginibus magna fuit contentio. Credo quod Constantinus Copronymus post synodum de abolendis sacris imaginibus habitam legatis ad Pipinum missis, idem ei ut faceret persuadere conatus est.

Altera synodus Francofurti ad Mœnum est habita, Carolo regnante Magno; Christi anno 794, de qua abunde est actum in libro primo, capite XII. Collecta vero est magna itidem, ut *Annales* perhibent, synodus illa adversus Felicianam hæresim, quæ Christum hominem non naturalem, sed adoptivum esse Dei filium asserebat : contra quam in libro septimo fuse disputavimus. Cum autem ante annos octo septima synodus Nicææ a Græcis celebrata fuisset, et in constituta sacrarum imaginum adoratio : quæ res Occidentalium animos alienaverat : in synodo Francofordiensi eadem illa septima synodus damnata creditur, deque eo canon editus secundus : quem qui legerit, causam intelliget erroris, qui ad Nicænam notandam synodum eos induxit : « Allata est, inquiunt, in medium quæstio de nova Græcorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt; in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodo adorationem, et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. » Hic primum Constantinopoli factam esse synodum illam dixere perperam : nam Nicææ celebrata est. Sed levis est error : quia Constantinopolis caput erat Orientalis imperii. Gravior est qui sequitur. Nam falso sibi persuaserunt, decrevisse synodum istam Græcorum, ut imagines eodem adorarentur modo, quo Deus, ac Trinitas ipsa, et quidem absoluto, separatoque cultu; quod longe secus habuit, ut postea constabit. Itaque damnata putatur ab illis synodus œcumenica Nicæna. Falluntur enim, qui non œcumenicam hanc et catholicam, sed aliam sub Copronymo celebratam anno 754 hæreticam existimant in Francorfordiensi designatam fuisse.

Francofordiensis synodi decretum adversus septimam synodum.

V. Quinetiam adversus eamdem synodum quædam ab Carolo Rege missa sunt Romam excerpta capitula, quibus Hadrianus Papa respondit, ac sigillatim objecta omnia dissolvit. Non tamen effici tam cito potuit, ut pristinus error ille, quo sacrarum cultum imaginum repudiare semel Occidentales instituerant, ex eorum animis eximeretur. Hæsit enim aliquandiu postea, sine ullo tamen detrimento communionis, et pacis. Nam testis est Anastasius Bibliothecarius, qui centum fere post annis sub Joanne octavo pontifice floruit, Basilio Macedone imperante, in præfatione ad synodum septimam, hanc ipsam synodum *ab quibusdam Gallis* adhuc receptam non fuisse, circa annum Christi 870. Quo minus admirandum est imperante Ludovico Pio Caroli M. filio nondum eam Gallos admittere voluisse. Etenim anno Christi 824, Michaelis Balbi, et Theophili ejus filii Imperatorum Græcorum legati ad Ludovicum Pium in Gallias venerunt, cum Imperatorum illorum litteris; quibus Orientalis Ecclesiæ super imaginum veneratione dissidium exponebant; seque ea de causa mandasse legatis suis uti Romam ad Pontificem pergerent. Ludovicus his acceptis, permittente Pontifice; (Erat tunc Eugenius secundus, qui eodem illo anno 824 sedere cœpit conventum episcoporum habuit Lutetiæ in Palatio, ac sanctorum Patrum de Imaginibus sententias jussit excerpere; quibus ad decidendam controversiam istam Pontifex adjuvari posset. Qua re perfecta litteras etiam addiderunt ad Græcos Imperatores Eugenii nomine confectas iidem Gallicani episcopi. Ludovicus deinde legatos his omnibus instructos Romam destinat. Edita sunt excerpta illa cum epistolis sub synodi Parisiensis titulo [1] : quam in *Annalibus* Baronius ad annum 884, et Bellarminus refellunt [2]? Verum paulatim Ecclesia Gallicana Apostolicæ sedis auctoritati paruit, et omissa contentione, una cum sacrarum imaginum veneratione, septimam est amplexa synodum œcumenicam : et ad hunc diem in eadem fide perseverat.

VI. Nunc de Iconomachorum dogmate, eorumque diverso genere paucis explicandum videtur. Triplex de imaginibus opinionum discrimen reperio : quarum duæ rejectæ damnatæque sunt : postrema in Catholicam recepta professionem penes orthodoxos resedit. Nam alii funditus omnem usum imaginum abolendum putarunt : ac non modo coli illas vetuere, sed etiam haberi in basilicis, locisque aliis : tanquam idola hæc essent olim lege Mosis interdicta; alii sacras imagines citra cultum, ad spectaculum duntaxat adhibendas rati, demoliri, vel abradere prohibuerunt : alii denique non habendas solum, sed etiam cultu aliquo dignandas esse merito censuerunt; quem Ecclesiæ catholicæ sen-

De Iconomachorum dogmate.

1 Franco. apud hæredas Waclelii anno 1596. — 2 In append. *de cultu imagin.* vide tom. VI concil.

sum esse docui. De his omnibus ordine disputabimus.

In primo genere censentur illi, quos paulo ante descripsimus, qui Judæis, ac Saracenis annumerandi sunt, a Xenaia, et Leone Isaurico, cæterisque propagati : qui imagines penitus execrati, eas diruere, ac diffringere sunt ausi, et Iconoclastæ ideo sunt vocati. Quorum rursus secta bifariam tribuitur. Nam alii solas ad humanam formam expressa effigies improbabant : ut illi ipsi, quos nominavi, et iconoclastas appellatos esse proprie dixi : Crucem vero, ejusque figuram retinebant, et honore utramque prosequebantur. Itaque S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus *in Breviario historico* refert Constantinum Copronymum ad jusjurandum adegisse omnes subjectos sibi, nullam se deinceps sancti cujusdam imaginem adoraturos; ac « tum Paulum Patriarcham salutiferis lignis in altum sublatis jurasse, se ex eorum numero non esse, qui sacras imagines adorarent[a]. »

Michael item Balbus Imperator Iconoclasta in epistola *ad Ludovicum Pium Imperatorem*, queritur « imagines in tali honore habitas, sicut honorificum, et vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. »

Iidem hæretici B. Virginis, et sanctorum intercessiones admittebant, et eorum reliquias venerabantur : ut in eadem epistola sub finem Balbus ille profitetur. Tametsi legimus Constantinum Copronymum reliquias sanctæ Euphemiæ cum cista in mare projecisse[1]: quæ ad Lemnum insulam appulsæ, Constantino, et Irene imperantibus, pristinum in locum honorifice reportatæ sunt. Verum inusitato genere ille furoris, et impietatis ardebat, nec intra sectæ suæ modum in sacra bacchari instituerat. Cæteri, ut ex historia didicimus, in solas imagines grassati sunt.

Furor Claudii Taurinensis

VII. Horum vero omnium amentiam unus est supergressus in Occidente Claudius Taurinensis episcopus; ut nondum de postrema fæce hujus temporis insanientium loquar Iconoclastarum : qui antecedentium omnium in sese venena collegerunt. Fuit autem Claudius iste oriundus ex Hispania, Felicis Urgelitani, qui Carolo M. regnante, in Concilio Francofordiensi damnatus est, discipulus : uti proditum est ab Jona Aurelianensi episcopo initio libri primi de tribus[2], quos de cultu imaginum scripsit adversus eumdem Claudium. Hic « per aliquod temporis (Ita Jonas narrare pergit) in palatio gloriosissimi, ac serenissimi, Deoque amabilis Augusti (Ludovici Pii) in officio presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati, doctrina prædicationis Evangelicæ quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret, ipsius piissimi principis clementia præsul Taurinensis subrogatus est ecclesiæ. Qui dum super gregem sibi creditum pro viribus superintenderet, eumque prædicationis suæ instantia ad amorem cœlestis patriæ, quantum videbatur, accendere satageret; vidit eum inter cætera, quæ emendatione digna gerebat, superstitiosæ, imo perniciosæ imaginum adorationi qua plurimum nonnulli illarum partium laborant, ex inolita consuetudine deditum esse. Unde immoderato, et indiscreto zelo succensus, non solum picturas sanctarum rerum gestarum, quæ non ad adorandum, sed solummodo (teste B. Gregorio) ad instruendas nescientium mentes, in Ecclesiis sunt antiquitus fieri permissæ : verumetiam cruces materiales, quibus ob honorem, et recordationem redemptionis suæ sancta consuevit uti Ecclesia, a cunctis parochiæ suæ basilicis dicitur delevisse, evertisse, et penitus abdicasse. » Hæc Jonas : quæ quidem hic eo descripsi, ut usui nobis essent ad Jonæ ipsius sententiam intelligendam : quæ nec ipsa integra ex toto, et catholica censetur : ut non multo post exponam. Claudium igitur in sacras imagines, ac sanctorum reliquias, et Crucem ipsam præcipiti furore bacchantem admonere, ac revocare conatus Theodemirus Abbas, sensit infestissimum, et implacabilem adversarium. Nam adversus hunc *Apologeticum* scripsit Claudius petulantem, ac maledicum : cujus excerpta quædam præfixa sunt libro Dungali, qui Lothario Ludovici Pii filio imperante contra eumdem Claudium scripsit[3]. Ex illis autem *Excerptis* intelligitur quæ fuerit hæretici istius opinio,

Primum itaque narrabat Claudius se, cum in Italiam venisset, in civitate Taurinensi

a Niceph. anno 766. Φασὶ δὲ καὶ ὡς τὸν τηνικαῦτα τῆς πόλεως ἀρχιερέα θεασάμενοι ὑψώσαντα τὰ ζωοποιὰ ξύλα ὀμωμοκέναι μηδὲ αὐτὸν εἶναι τῶν προσκυνούντων τὰς ἱερὰς εἰκόνας.

1 Cedren. ad annum copro. 25. — 2 Jonas tom. IV *Bibl. Patr.* — 3 Tom. IV *Bibl. Patr.*

« invenisse omnes basilicas, contra ordinem veritatis, sordibus anathematum, imaginibus plenas. Et quia quod omnes colebant, inquit, ego destruere solus cœpi, idcirco aperuerunt omnes ora sua ad blasphemandum me. » Deinde negabat imagines adorandas esse, vel colendas, ne comparatas quidem, et relatas ad prototypum; quia manuum opera sunt.

Sed nec crucem venerari fas esse dicebat : eo quod Judaicum sit istud nihil in Christo nisi abjectum, et tormentis affectum, mortuumque cogitare. Tum si crucis effigiem (aiebat) adorare debemus eo quod aliquot horas Christus in illa pependit : eodem jure puellarum adorandi erunt uteri, cum novem mensibus in Virginis utero manserit Christus. Adorandi erunt et veteres panni, quoniam idem Christus pannis est involutus.

Hæc et plura iis alia in *Apologetico* libro scripserat Claudius : quem librum Psalterii volumine tertia parte majorem fuisse *Excerptorum* adnotatum est*.

Alii imagines non esse abolendas, neque tamen colendas putaverunt.

VIII. Altera fuit eorum opinio, qui imagines habendas esse putabant, nec penitus abolendas : sed ita, nullus ut illis honos, veneratio nulla tribueretur : sed ut ad spectaculum tantummodo palam exponerentur; hoc est ad divinorum beneficiorum conservandam memoriam, et in rudiorum animis defigendam. Quam sententiam complures olim complexi sunt cæteroqui Catholici : minimique tum hæretici judicati. Imprimis vero Gallicani omnes illi antistites, qui septimæ synodo œcumenicæ restiterunt; et in Francofordiensi synodo hanc ipsam secundo canone damnarunt. Licet hoc animadvertere ex iis, quæ in Francorum annalibus de synodalibus illis decretis memoriæ sunt prodita : nec non ex Jonæ Aurelianensis libris tribus adversus Claudium Taurinensem : et ante id tempus ex libris quatuor, qui ab Carolo M. rege Francorum, de episcoporum gentis hujus sententia conscripti feruntur, et ad Hadrianum missi Romanum pontificem : qui in illis contra synodum œcumenicam objecta dissolvit; ut antea meminimus[1]. Idipsum et ex libello constat, qui in conventu Parisiensi ab episcopis Ludovico Pio Imperatori oblatus est, et ad Eugenium Pontificem missus : uti supra memoravi. In quibus omnibus illud apparet, quod dixi, proprium illorum dogma : Imagines sanctorum neutiquam venerandas, et adorandas esse : neque tamen a sacris locis, et basilicis excludendas : sed ad Christi, ac B. Virginis, et sanctorum memoriam adhibendas. Crucem vero cultu, et adoratione dignandam esse. Sed cum religiosa veneratio, sive adoratio duplex sit : una, quæ in eo genere summum obtinet, ac soli divinæ majestati tribuitur; quam et vocari λατρείαν antehac ostendimus : altera inferior, quæ creaturis propter communicatam a Deo sanctitatem conceditur : quærat aliquis, utrum omnis penitus ex Catholicorum istorum opinione imaginum repudiata sit adoratio : an ea sola, quam sibi peculiarem divinitas arrogavit. Permagni enim interest ad judicium de illis ferendum certo illud, accurateque cognoscere. Neque vero illorum ex verbis, quorum ad nos propagati sunt libri, tam perspicua veri sensus eorum est notitia, ut non difficultate aliqua sit obsepta. Nam haud pauci ex istis cur adorandas minime putent imagines, hujusmodi causam afferunt, quod uni Deo adoratio debeatur; ex quo videri possit, hunc ab illis tantummodo sublatum esse cultum imaginum, qui et absolutus sit ab omni relatione, ac σχέσει, et in λατρείας parte numeratur. Sed rursus alia sunt ab iisdem pronuntiata, propter quæ justa sit suspicio, nullam ab ipsis imaginum venerationem, ne summa quidem illa minorem, fuisse permissam. Experiamur igitur, et nonnulla eorum dicta perpendamus.

Latriam.

Verum antequam hoc facimus, de Francofordiensi synodo, ejusque decreto contra Imaginum adorationem necesse est accuratius hoc loco disserere; tum de opere illo, quod adversus Nicænam synodum septimam ab Carolo M. editum, ac Romam missum vulgo traditur. Cujus rei tractatio tum multis circumsessa difficultatibus est; tum ad earum non minus augendam, quam ostendendam magnitudinem, facit opinionum conjecturarumque mira varietas, quas ad illam explicandam adhibuere graves imprimis, et solertes viri; quorum plurimis, ac bene longis commentationibus de hoc argumento editis, tantum abest ut sit omnis exhausta controversia, ut vel adhuc integra perseveret. Id quod

* De Claudio Taurinensi, ejusque hæresi nonnulla habes a me expensa in *Bibliothece Pistoriensi* lib. I.

Z.

1 § 5.

consequenti ex disputatione nostra perspicax lector agnoscet : ubi quid in causa versetur, capite sequenti nobis exponentibus intellexerit.

CAPUT XII.

1. *De Francorfordiensi synodo referuntur quæ Annales habent Francorum : ut et de Nicæna septima œcumenica.* 2. *De Opere Caroli M. contra hanc edito.* 3. *Cui respondit Hadrianus Papa.* 4. *Qui de Nicæna memorandum quiddam narrat.* 5. *De Francofordiensi nonnullorum falsa opinio.* 7. *De Carolino opere accuratius disputatum.* 8. *Non videri ad Hadrianum missum, nec ab hoc illud refutatum.* 9. *Francofordiense concilium non damnavit Nicænam ipsam synodum : sed impositam huic falso sententiam.*

Referuntur quæ annales Francorum habent de Francofordiensi synodo

I. Omnium hic aptissimus in propositam quæstionem ingressus videtur, ut quæ de Nicæna, et Francofordiensi synodo, deque imaginum negotio in ea tractato in vetustis annalibus prodita sunt, ante omnia complectar. Veteres Francorum annales in unum corpus redegit Andreas Quercetanus vir eruditus, ac Francicarum originum et historiarum apprime peritus. Illius operis in tomo secundo exstant annales antiquissimi[1] : qui ad annum Christi 794 hoc adnotandum habent : « Pascha celebratum est in Franconofurt : ibique congregata est synodus magna episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia jam fati Principis (Caroli) et Missorum domni Apostolici Adriani, quorum nomina hæc sunt, Theophylactus, et Stephanus episcopi. » Tum « Pseudosynodus Græcorum, quam falso septimam vocabant, et pro adorandis imaginibus fecerunt, rejecta est a Pontificibus. » In alio vero *Chronico* : « Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus facta, quam falso septimam vocabant, rejecta est a Pontificibus. » Eadem et Bertiniani annales referunt[2]; nec non ab Saxonico Poeta versibus descripti[3] : qui ad synodum Francofordiensem convenisse referunt episcopos : et cum illis Theophylactum, et Stephanum,

« Quos Papa sacer mittens Adrianus
Rite suam servare vicem mandaverat illic. »

Mox de Græcorum synodo ita scribit :

« Annis præterea synodum non pluribus [ante
Constantinopoli celebrari fecit in urbe
Græcorum princeps, qui Constantinus habe- [bat
Nomen, et ejusdem generis Hirena vocata.
Et condixerunt, ut Septima, seu generalis
Appellaretur. Sed eam non nomine tali
Dignam concilium pariter cognoverat istud :
Utque supervacuam spernendam censuit [iste. »

Carolum videlicet regem significat. Addunt Moissiacenses annales interfuisse præterea synodo illi Francofordiensi « Paulinum Aquileiensem archiepiscopum, et Petrum Mediolanensem episcopum[4]: » necnon Francofordiensem ipsum canonem commemorant, nec de rejecta Græcorum illa synodo verbum ullum. At Eginhardi *annales*[5], « Synodus etiam, inquiunt, quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene, et Constantino filio ejus congregata, et ab ipsis non solum septima, verumetiam universalis erat appellata, ut nec septima, nec universalis haberetur, diceretürve, quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est. » Eadem fere inde transtulit Abbas Urspergensis. Fuldenses item : « Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, et falso septima vocata, ab episcopis damnatur. » Tum Rhegino, et Ado Viennensis in idem consentiunt.

Sed omnium plenissime de synodo illa Græcorum agit Hincmarus Remensis episcopus, qui sub Carolo Calvo Francorum rege floruit; cujus hic verba describam ex opusculo quinquaginta quinque capitulorum *ad Hincmarum Laudunensem*, capitulo vicesimo[6]: « Septima, inquit, vocata universalis pseudosynodus de imaginibus; quas quidam confringendas; quidam autem adorandas dicebant; neutra vero pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolicæ sedis; non longe ante nostra tempora, Constantinopoli est a quampluribus episcopis habita, et Romam missa : quam etiam Papa Roma-

1 Ann. tom. II et ita fere Rhegino. — 2 Ibid. tom. III. — 3 Ibid. tom. II. — 4 Ibid. tom. III. — 5 Ibid. tom II. — 6 Hincm. tom. II.

nus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ sedis generalis est synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata; et secundum Scripturarum tramitem; traditionemque majorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa, et penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est ad quosdam episcopos missum. »

Hinc apparet, causam illius convocandæ synodi fuisse non solam hæresim Felicianam, sed etiam controversiam de imaginibus, ut quæ de his Nicæna eademque generalis septima synodus statuerat, Franci antistites agnoscerent; quos etiam jussu Romani Pontificis convenisse testatur.

Item de opere Caroli M.

II. Per idem tempus editum est sub Caroli Magni Francorum regis nomine opus quoddam in quatuor libros distributum, cujus hæc inscriptio est : *In nomine Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi, Opus illustrissimi, et excellentissimi, seu spectabilis viri Caroli, nutu Domini regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas provincias, Domino opitulante, regentis, contra synodum, quæ in partibus Graciæ pro adorandis imaginibus stolide, sive arroganter gesta est.* Sequitur præfatio, in qua auctor operis rationem instituti sui declarat : ac duarum in Oriente synodorum habitarum meminit, prioris sub Constantino Copronymo, in qua decretum est, abolendas esse penitus imagines, anno Christi 754, posterioris, sub Constantino et Irene : in qua imaginum instauratio est, adoratioque sancita, anno 787, uti capite antecedente docui. De utraque ergo synodo ita scribit : « Gesta sane est ante hos annos in Bithyniæ partibus quædam synodus tam incautæ, tamque indiscretæ procacitatis, ut imagines in ornamentis Ecclesiæ, et memoria rerum gestarum ab antiquis positas incauta abolerent abdicatione : quodque Dominus de idolis præcepit, hoc illi de cunctis imaginibus perpetrarent, » etc. Est illa synodus, quam Copronymus Constantinopoli habendam curavit anno Imperii sui XIV, Christi 754, in qua sacræ imagines damnatæ, et abolitæ sunt. Verum hallucinatus est ille, qui in Bithynia celebratam credidit. De posteriore vero pergit in præfatione loqui sic : « Gesta præterea est ferme ante triennium et altera synodus illis in partibus ab eorum, qui priorem gesserant, successoribus ; vel a plerisque, qui in priore fuisse narrantur : quæ tamen quanquam a priore distet voto; non tamen distat errore : et si dispar est negotio; est tamem compar flagitio : et cum sit posterior tempore, non tamen est posterior crimine, etc. Hæc enim, anathematizata, et abominata cum suis auctoribus priore, imagines, quas prior nec etiam cernere permiserat, adorare compellit : et ubicumque sive in divinæ Scripturæ locis, sive in sanctorum Patrum commentariis, quamcumque repererunt imaginum mentionem, erga suæ voluntatis arbitrium vertunt in adorationem. Nec minoris absurditatis spiris hi connectuntur in habere, et adorare, quam illi connexi sunt in imagine, et idolo : cum illis imaginem, et idolum; isti habere, et adorare unum esse putarint. » Deinde professus « se sanctas, et universales sex synodos suscipere eam tanquam frugamentum despicere se dicit, quæ propter adorandarum imaginum impudentissimam traditionem in Bithyniæ partibus gesta est, synodum. » Item, « Imagines, ait, in ornamentis Ecclesiarum, et memoria rerum gestarum habentes; et solum Dominum adorantes, et ejus sanctis opportunam venerationem exhibentes, nec cum illis frangimus, nec cum istis adoramus. Sed illius ineptissimæ synodi scripturam, etc. abnuentes, institutoris nostri, sermonis videlicet Dominici, nitimur fieri usquequaque sequaces. »

Sequuntur libri quatuor, in quibus varia « synodi, ut vocat, erroneæ capita[1], quæ in Bithynia regnante Constantino, mediante Herena matre ejus, residente Tharasio Constantinopolitano episcopo gesta est, » refutare contendit.

III. Hoc illud videtur esse volumen, quod « se adolescentulum in palatio legisse » testatur Hincmarus : et ab Carolo « Romam esse missum per quosdam episcopos. » Sane Hadrianus Papa epistolam scripsit ad Carolum Regem[2] : in qua refert se « Capitulare quoddam accepisse adversum synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est, directum ad se a vestra, inquit, clementissima præcelsa regali potentia per Engilbertum Abbatem, et ministrum capellæ : qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, et in omnibus consiliis vestris

1 Carol. lib. cap. v. — 2 Tom. VI concil.

receptus : » cui deinceps respondet, et quæ erant contra synodum opposita dissolvit. Hæc vero capitula, et objecta, tituli sunt singulorum capitum in libris quatuor Carolinis, quibus subjectæ sunt eorum probationes, quæ sunt objecta cum acri ac vehementi reprehensione variarum sententiarum, quas a diversis pronuntiatas exhibent acta synodalia. Neque vero eodem ordine, quo in Carolinis libris proposita, demonstrataque sunt, capitula ista, in Hadriani *Apologia* recensentur, sed nec omnibus respondent. In libris enim Carolinis quatuor, centum et viginti lemmata sunt, sive capitula contra synodum proposita. Hadrianus vero nonnisi octoginta et unum commemorat et refellit. Horum primum capitulum apud Hadrianum, in Carolino opere præfixum est capiti tertio libri tertii. Secundum capitulum in Hadriani *Apologia* est titulus capitis quarti libri tertii Caroli. Capitulum octavum *Apologiæ*, titulus est capitis secundi Caroli; ac sic in reliquis præposterus est ordo.

Est autem Carolinum opus illud impendio virulentum et acerbum contra synodum septimam, et eos qui in illa sententiam dixerunt : quos identidem mordacibus dictis, et aculeatis configit, atque hoc potissimum in capite ultimo reprehendit, quod Græci *suam synodum universalem* nominant, ubi de *universalis* notione disputat : quem locum Hincmarus in opusculi capite illo vicesimo, quod supra citavimus, exscripsit; paululum immutato contextu orationis.

IV. Demum in fine *Apologiæ*, Hadrianus certiorem reddit Carolum, quemadmodum se cum Orientalibus in illa causa hactenus gesserit. Narrat enim se legatos misisse Constantinopolim Petros duos : qui « statim concilium fieri jusserunt : sed ab hæreticis seditione facta, in Sicilia insula missi nostri sine responso reversi sunt, inquit, et demum, post eos mittentes, iterum Constantinopolim eos ascendere fecere. Et sic synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt : et in pristino statu sacras, et venerandas imagines erexerunt. » Ita factum esse dicit, ut hæretici imaginum eversores « ad fidem orthodoxam sanctæ Catholicæ et Apostolicæ ecclesiæ reversi sint. Et ideo ipsam suscepimus synodum. Nam si eam minime recepissemus, et ad suum pristinum vomitum erroris fuissent reversi, (hoc est ad imagines abolendas) quis pro tot millium animarum Christianorum interitu habuit reddere rationem ante terribile tremendum divini judicis examen, nisi nos solummodo ? » Mox ita subjungit : « Nos vero adhuc pro eadem synodo nullum responsum eidem Imperatori reddidimus : metuentes ne ad eorum revertentur errorem. » Quibus verbis indicat Hadrianus se Nicænam illam quidem synodum approbasse : nondum tamen publico, et, ut Jurisconsulti loqui solent, authentico testimonio ratam habuisse : quam posteriora tempora *Bullam* instituere dicere. Cujus re illud etiam argumento esse potest, quod acta synodi ejusdem ad Carolum misit in Gallias, ac de illis conventum episcoporum indici præcipit : ut testatur Hincmarus. Nondum ergo pro œcumenica eam habendam esse decreverat, quando ad Carolum illius acta destinavit, et Carolini operis auctor ejusdem synodi refutationem elucubravit : quod post triennium ab Nicæna peracta synodo, hoc est anno Christi 790 contigisse Rex ipsemet in præfatione demonstrat ; quinto antequam Francofurtum convenirent episcopi.

V. His animadversis, variæ, ac dissidentes de Francofordiensi synodo expendendæ sunt doctorum virorum opiniones. Quarum prima est, in illa synodo non septimam œcumenicam Nicææ habitam in Bithynia fuisse damnatam : sed alteram Constantini Copronymi jussu celebratam Constantinopoli, anno 754, in qua sacræ imagines aboleri et everti jussæ sunt. Ipsam vero Francofordiensem, Nicænæ posterioris acta confirmasse. Ita Surius in *Admonitione ad Lectorem de Francofordiensi synodo :* quem secutus est Alanus Copus in dialogo quarto, capite XVIII et XIX, et in quinto dialogo, capite XII et XIII : nec non Sanderus [1], et Franciscus Suarez [2]. Quod ante hos omnes sensisse videntur episcopi illi, qui anno 1528 Senonensi synodo Provinciali affuere. Nam capite XIV asserunt Carolum M. « in Francofordiensi conventu Iconomachorum erroris suppressisse insaniam, quam infelicissimus quidam Felix in Gallias, et Germaniam invexerat.» In quo dupliciter aberratum est quod ad historiam attinet. Nam neque Feliciana hæresis ad cultum imaginum offendit : neque Francofordiense concilium contra Iconomachos quidquam constituit; aut vero Nicænum decretum de adorandis imaginibus approba-

De Francofordiensi synodo nonnullorum falsa opinio.

1 Sand. II *de imag.* cap. v. — 2 Suar. tom. I disp. LIV in III part. sect. III.

vit. Est autem duplex error ille ab historicis quibusdam profectus : velut Platina : qui in Hadriani primi vita scribit sic : « synodus, quam septimam Græci appellabant, et hæresis Feliciana de tollendis imaginibus abrogata est. » Blondus item [1], et Sabellicus idem in historiis suis falso prodidere [2] : nec non Paulus Æmilius [3]; qui Francorum Annales majore sermonis cultu, quam fide, ac diligentia conscripsit. Hunc ipsum de approbata in Francofordiensi synodo Nicæna œcumenica gravem errorem adeo sibi persuasit Severinus Binius, ut eum Francofordiensi titulum præscriberet; quod, ut minimum incerta in re neutiquam fieri oportuit.

VI. Consultius Bellarminus, et Baronius, qui recte hoc animadverterunt, falso istud a plerisque jactatum esse recentioribus, Nicænum secundum concilium a Francofordiensi confirmatum fuisse.

Ac Baronius quidem suspicatur non ab tota synodo Francofordiensi [4]; sed ab quibusdam duntaxat episcopis certa capitula de Nicænæ synodi actis excerpta, et oblata esse Carolo Magno, qui ea in unum fascem redacta misit ad Hadrianum pontificem; cum videret impugnari Nicænam illam synodum, quem legati sedis Apostolicæ propugnarent : revera autem minime Nicænam ab Francofordiensi synodum esse damnatam.

Bellarminus porro [5] « rem ait incertissimam esse, quid statutum sit de imaginibus in synodo Francofordiensi : » eo quod veteres, qui de ea meminerunt, parum inter se concordant. Caput autem discordiæ præcipuum est, quod synodum hujusmodi Græcorum damnatam esse dicant a Francofordiensi, quæ et Constantinopoli habita sit, et adorationem imaginum sanciverit. Atqui nec Nicæna secunda synodus Constantinopoli celebrata est : sed illa prior ab Iconoclastis indicta contra sacras imagines : et ab illa tamen constituta est imaginum adoratio. Existimat vero Bellarminus, Francofordiensem synodum revera Nicænam improbasse : *sed per errorem, et materialiter*, deceptam ab auctore librorum Carolinorum, qui dupliciter mentitus est : primum quod in Nicæna decretum esse finxit, « ut imagines adorarentur cultu latriæ : deinde quod a Græcis sine consensu Papæ Romani illud esse factum » asseruit.

At Vasquezius Francofordiensem synodum negat decrevisse quidquam adversus septimam synodum [6], et qui hoc memoriæ tradiderunt, historiæ scriptores, nec non Hincmarum, deceptos esse, quod Carolinum opus pro synodalibus actis habuerunt.

VII. Ut in hac perdifficili, et intricatissima controversia quid sit probabilius dispici possit : duo imprimis observanda sunt : quorum alterum ad Francofordiensem pertinet synodum : alterum ad opus Caroli M. quadripartitum, et ad Hadriani Papæ *Apologiam*, qua operi illi respondisse traditur. De priori unum illud habeo dicendum : canones ab ea synodo complures editos fuisse, numero quinquaginta sex : quos primus in lucem extulit R. P. Jacobus Sirmondus, ex vetustissimo codice monasterii S. Remigii Durocottori Remorum. Horum secundum, qui est adversus Nicænam synodum septimam, descripsimus antecedente capite [7]; de cujus sensu non multo post agemus.

Quod ad opus Caroli Magni spectat, prodiit in lucem anno Christi 1549, ab nescio quo editum ; qui et præfationem scripsit, primis nominis sui syllabis præfixis, Eli, Phili. Hunc vero perspicuum est e Lutheri secta fuisse, capitalem hominem : qui adversus Imaginum cultum et catholicam partem rabiosum, ac virulentum stylum exercuit. Ibidem porro ex veteri libro, in quo erant Acta Francofordiensis synodi ; primos duos canones describit; quorum secundus est ille commemoratus a nobis; in quo Imaginum adoratio in Græcorum synodo, ut ait, sancita reprobatur. Hunc vero canonem ex illa præfatione nonnulli theologi descripserunt; ac meros in eo ludos fecerunt; rati antiqui scriptoris esse præfationem istam; et ejusdem, qui sub Caroli nomine libros tempore Francofordiensis concilii quatuor conscripsit; quod sane ridiculum est. Nam Augustini Steuchi Eugubini, et Joannis Eckii fit in illa mentio. Est autem altera libri ejusdem Carolini præfatio tanquam ab rege Carolo scripta, cujus initium est; *Ecclesia mater nostra :* e qua paulo ante nonnulla produximus [8]. Ibi enim regem se esse declarat : et ad Ecclesiæ defensionem certamen illud suscepisse, quoniam « in ejus sinu regni gubernacula Domino tribuente suscepit. » Itaque non est dubium, quin aut Carolus ipse auctor sit

1 Blon. lib. I dec. II. — 2 Sabellic. lib. VIII *Ennead* VIII. — 3 Paul. Æmil. lib. II sub fine. — 4 Bar. ad ann. 794. — 5 Bell. lib. II *de Rom. Pont.* cap. VIII. — 6 Vasq. disp. CVII in III Par. cap VIII et seq. — 7 § 4. — 8 § 2.

præfationis istius, aut ex ejus persona sit ab altero conscripta : sed auctorem esse non præfationis tantum; verumetiam totius operis suspicor. Nam et stylus utrobique similis est : neque cur aliter sentiamus, necessaria ulla ratione constringimur : ut ex subjectis plenius constabit *.

Carolinum opus ad Hadrianum esse missum parum probabile.

VIII. Cæterum de Carolino hoc opere non sine causa quæritur, an ad Hadrianum Papam Romam sit a Carolo missum, eique responderit Hadrianus. Neminem legi hactenus de hoc argumento disputantem, qui non pro certo illud habuerit, Carolum M. quatuor istos libros per Engilbertum abbatem Romam destinasse, et eos ab Hadriano confutatos esse. Sed cur ab illis dissentiam, his potissimum rationibus adducor. Primum, quod nusquam Hadrianus in *apologia* sua meminerit eorum, quæ in singulis capitibus contra sacras imagines disputantur, ad unumquemque titulum vel lemma comprobandum. Ita enim Carolinum habet opus illud, ut cuilibet capiti suus præfigatur titulus; qui reprehensionem continet dicti alicujus, et sententiæ ex actis excerptæ synodi septimæ : tum ea reprehensio in subjecto capite latius explicatur, et probatur. Cumque tituli plerique mordaces sint, et conviciis referti contra singulorum dictorum auctores in actis vel sigillatim, vel universe nominatos, tum vero capita ipsa longe atrocius, et procacius instant; ac Nicænis præsulibus inscitiam, temeritatem, imprudentiam, et hujus generis vitia, labesque cæteras exprobrant. Ad ea vero, non probra, et convicia dico; sed argumenta quæ illis admiscet, quæque titulis minime comprehensa sunt, nihil respondet Hadrianus : sed unicuique titulo defensionem, et expositionem ejus, quod reprehensum, et improbatum est subjicit; quod mihi quidem per esse mirum videtur, si integrum Caroli opus illud, et capita ipsa legerat Hadrianus. Deinde movet illud me, quod nec ad singula capitum lemmata respondet pontifex : neque quibus occurrit, eo respondet ordine quo in libris quatuor proposita sunt : quod paulo ante monui [1]. Quocirca magna mihi suspicio est, Carolinum istud opus aliquot annis ante Francofordiensem synodum elucubratum fuisse, nempe post triennium ab Nicæna secunda : hoc est anno circiter Christi 790, ut Carolini operis præfatio testatur : postquam acta Nicæna e Græco in Latinum translata in Gallias perlata sunt. At in Francofordiensi synodo, cum acta illa displicuissent, ac de ea re certiorem Hadrianum fieri placuisset, excerpta fuisse Carolino ex libro lemmata capitum; quæ et *capitula* dicuntur : non eodem, quo in libro erant, sed eo quo collectori visum est, ordine. Ideo *capitulare* id vocat Hadrianus in procemio *Apologiæ*. Inter « quæ edidit nobis (inquit de Engilberto loquens) capitulare adversum synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est. »

Denique quod est conjecturæ nostræ tertium argumentum, Hadrianus in *Apologiæ* capite xxv, postremum capitulum ex misso ad se capitulari refert; in quo Francofordienses præsules ita loquuntur : « Ut sciat Dominus Apostolicus, et pater noster, et cuncta simul Romanorum ecclesia, ut secundum quod continetur in epistola beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem episcopum direxit, permittimus imagines sanctorum, quicumque eas formare voluerint, » etc. Quod capitulum ultimum in Carolino libro non exstat; ex quo id colligitur, *Capitulare* a Francofordiensibus Patribus editum non idem fuisse cum quadripartito Caroli Magni opere. Ac nescio an non falsus in eo sit Hincmarus, cujus verba supra reddidi, dum volumen non modicum legisse ait adolescentulum se in palatio de « destructione pseudosynodi Græcorum ab Carolo Imperatore Romam per quosdam episcopos missum. » Nam videtur de Carolino opere loqui : Siquidem capitula sola non grande volumen facerent. Tum illud quoque nescio an vere scripserit, missum illud volumen per episcopos quosdam; cum solum Engilbertum Abbatem nominet Hadrianus.

Mea porro hæc opinio est, non ab Carolo ipso, sed ejus nomine elaboratum illud opus esse una cum præfatione, ab episcopo aliquo, vel etiam pluribus, hortatu, quantum licet conjicere, Caroli ipsius : qui tamen opus ipsum neque legerit, neque probaverit. Quemadmodum Faustus Reiensis ab Arelatensi synodo rogatus libros duos conscripsit : in quibus mandati fines excedens, nonnulla contra catholicæ fidei regulam admiscuit :

* De Carolinis libris fusissime agit Trombellius Diss. X. Vide et Fabricium Bibl. med. et inf. latinit. lib. III. Z.

1 Paragr. 3.

uti libro XIII, capite VII diximus. Sic ille quisquis tandem fuit, auctoritate Regis abutens ultra modum efferbuit opere in illo, cui Caroli nomen ac personam imposuit.

IX. Jam quod ad Francofordiensis concilii decretum ipsum, et canonem attinet, observabis non eo damnari synodum ipsam œcumenicam Nicænam, aut ullam ejus sanctionem de imaginibus, et harum cultu, ac veneratione; sed cujusdam episcopi sententiam in illius acta relatam: vel, ut verius dicam, non sententiam ipsam, qualem episcopus ipse pronuntiarat: sed pravam illius interpretationem ex inscitia profectam.

Hoc ut aperte constet, primum verba episcopi illius, (fuit autem Constantinus Constantiæ in Cypro episcopus) ita referam, ut in Hadriani apologia, et in Carolino libro concepta sunt. Apud Hadrianum quidem exstant hujusmodi [1]: « Quod infauste, et præcipitanter sive insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri episcopus dixit: Suscipio, et amplector honorabiliter sanctas, et venerandas imagines, et quæ secundum servitium adorationis, quæ substantiali et vivificatrici Trinitati emitto. Et qui sic non sentiunt, neque glorificant, a sancta catholica, et apostolica Ecclesia segrego, et anathemati subjicio, et parti eorum, qui abnegaverunt incarnatam, et salvabilem dispensationem Christi veri Dei nostri, emitto. » In opere Caroli M. capitula ipsa sive capitum lemmata, bis descripta sunt: primum initio cujusque libri simul omnia ponuntur: tum cuique capiti singula sunt præfixa. Ergo ante librum tertium in elencho capitum, ita prorsus capitulum illud quod est decimum septimum, legitur, ut in Hadriani *Apologetico*; at initio capitis XVII libri tertii paululum ista commutata sunt hoc modo; « sanctas, et venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali, » etc.

In actis porro septimæ synodi Græce editis, actione tertia, primo loco posita est epistola Tharasii ad Orientales patriarchas tres, deinde responsa Orientalium: quibus lectis, aliquot episcoporum, qui in Nicæna erant synodo, sententiæ proponuntur, quibus epistolas illas approbant. Has inter Constantini Constantiæ episcopi una legitur hujusmodi: « Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit, etc. His consentio, et concors sum, suscipiens, et cum honore amplectens sanctas, et venerandas imagines: ac latriæ adorationem soli supersubstantiali, et vivificæ Trinitati defero, et eos, qui non ita sentiunt, neque glorificant, ab sancta catholica, et apostolica Ecclesia segrego, et anathemati subjicio, et in partem eorum, qui negant carnalem, et corporalem dispensationem Christi veri Dei nostri, transmitto [a]. »

X. Ex his inter se comparatis perspicue cognoscimus acta illa synodi septimæ, quæ ex Græcis Latina facta missa sunt in Gallias, istic depravata fuisse. Siquidem Græca longe aliud significant, quam Latina, cujusmodi in Hadriani *Apologetico*, et libro Caroli leguntur: ac sanum et catholicum sensum illa continent; nimirum imagines admittendas esse, et honore afficiendas: sed non eo genere adorationis colendas, quod soli Deo tribuitur, ac λατρεία dicitur; at in Latinis contrarium docetur: nempe imagines eodem latriæ cultu prosequendas, quo sanctissimam Trinitatem afficimus. Hinc illa odiosa septimæ synodi, et hostilis insectatio, quæ apud Gallos percrebuit, ortum accepit. Quamobrem merito Francofordienses Patres non tam septimam damnavere synodum, (quam nondum œcumenicam, et ab Hadriano probatam esse scirent, utpote cujus ad illos acta miserat Pontifex utique consideranda, et recognoscenda, ut Hincmarus testatur) quam falsam, et nefariam sententiam, quam fraude vel inscitia interpretis intextam actis ipsis deprehenderant. Itaque falso ab scriptoribus nostris proditum est, et hactenus creditum, Francofordiensem synodum damnasse Nicænam septimam, et œcumenicam: ut ex canone ipso manifeste liquet. Qui error ex eo manasse mihi videtur, quod Carolinum opus illud inter acta Francofordiensis synodi, et in eodem scrinio collocatum est, quod Hincmarus indicat. Sed nos de synodi ipsius decreto, et canone loquimur: quem cum cæteris ignotum antea nuper in lucem edidit R. P. Sirmondus non sine laude

Synodus damnavit solummodo acta depravata septimæ synodi.

Latria.

[a] Sept. syn. tom. V concil. Τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος, καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας· καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ, καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω. καὶ τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας, μήτε δοξάζοντας, τῆς ἁγίας καθολικῆς, καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐκχωρίζω, καὶ τῷ ἀναθέματι ὑποβάλλω, καὶ τῇ μερίδι τῶν ἀρνουμένων τὴν ἔνσαρκον, καὶ σωματικὴν οἰκονομίαν Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν παραπέμπω.

[1] Tom VI Concil.

commemorandus. Nihil igitur ad rem facit, quod episcopi illi, qui Francofordiæ convenerunt, vel de synodo Nicæna, vel de imaginum cultu non satis recte, ac catholice senserunt; uti superiori capite dixi, et paulo post uberius ostendam. Non enim id agitur modo, quid illi privatim, ac viritim opinati sint: sed quid canonice, ac synodice statuerint in Francofordiensi concilio, quod sane cum Nicænæ ipsius decreto synodi exacte convenit: nec vel minimum dissentit.

CAPUT XIII.

De usu imaginum veteri in Ecclesia. 1. Imagines ex genere τῶν ἀδιαφόρων esse. Christianos quosdam negasse templa Deo constituenda. 2. Cur olim infrequentior fuerit usus imaginum; hæreticorum cavillatio veterem Ecclesiam paucis sæculis definientium. 3. Varius Ecclesiæ mos in templis, et imaginibus usurpandis: deque eo Gregorii Papæ judicium. 4. Exemplis et testimoniis imaginum usus approbatur, ac primum de statua Christi ab Syrophœnissa Cæsareæ posita, ex quo probatur non idola esse imagines sacras. 5. Explicatur locus Eusebii. 6. Alia loca Veterum de usu imaginum recepto, ex Tertulliano, Augustino, Ambrosio. 7. Gregorio Nysseno, Asterio, Paulino, Prudentio. 8. Theodoreto, Gregorio Papa, et sexta synodo, cujus canon excutitur.

Imagines per se ex genere sunt indifferentium.

I. Reliqua sunt ad absolvendam Imaginum tractationem præcipua duo; alterum de usu imaginum in antiquiore Ecclesia: alterum de earum cultu, ac veneratione: quæ quidem ordine deinceps explicanda sunt. Sed illud ante constituendum; Imagines ex eorum per se genere esse, quæ ἀδιάφορα nominantur: hoc est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt; nec ad substantiam ipsam religionis attinent: sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat, vel ablegat, pro eo atque satius esse decreverit, cujusmodi *positivi* vulgo *juris* esse dicuntur.

Indifferentia.

Primis Ecclesiæ sæculis rarior imaginum templorumque usus.

Quocirca primis ab ortu Christianæ religionis temporibus, cum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, et in hominum mentibus hæreret adhuc idolorum superstitio; non tam frequens fuit sacrarum usus imaginum *: uti neque templorum, ac basilicarum. Ex quo nata est illa gentilium exprobratio, quæ apud Minucium Felicem his verbis exponitur. « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra»? Cui Octavius respondens. «Putatis autem nos, inquit, occultare quod colimus, si delubra, et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit: et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore? »

Sic Origenes libro octavo *contra Celsum* idem objicientem excipit: neque simulacra, neque templa Deo esse dicanda: sed unumquemque pium Dei esse templum, et effigiem: « Abhorremus, inquit, ab eo, ut vitæ totius largitori inanima, et mortua templa constituamus[a].» Et Lactantius libro VI, capite XXV: « Non templa illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore. » Ergo neque templa tunc extrui Deo fas esse quidem opinati sunt: quod nondum in Christiano populo institutum erat; necdum per rerum potientes ethnicos licebat, nefas et illicitum rati: et de sacris imaginibus, atque ab idolis multum discrepantibus non disparem plerique sententiam habuisse videntur. Quod utrumque paulatim dedocti sunt Christiani; postquam usu, et ratione magistra compererunt, neu-

a ORIG. VIII *cont. Cels.* Ἐκτρεπόμεθα δὲ τῷ πάσης ζωῆς χορηγῷ ἀψύχους καὶ νεκροὺς οἰκοδομεῖν νεώς.

* Id caute, et vere dictum. Utinam his sese finibus continuisset P. Frove Canonicus Regularis in ea, quam Calogerianæ collectioni inseruit, et de qua multa a nobis dicta sunt hist. litter. tom. II. Dissertatione! Ille tamen, etsi gravissima illius Dissertationis errata dissimulavimus, in Florentinis Ephemeridibus de nobis questus est. Quamobrem IV hist. ejusdem litterariæ volumine coacti modestissimam censuram nostram defendimus. Nihil porro respondimus novæ, quam nobis objecit P. Frova, Italicæ Epistolæ, ne vulnera illata (quod necesse fuisset) refricaremus, ac porro nova infligeremus. Dolendum sane est a nostris hominibus non satis intelligi, quantum intemperantia quædam scribillandi, quæ hodie obtinuit, Religioni catholicæ obsit, hæreticisque ansam præbeat dogmata nostra ipsis nostrorum hominum armis convellendi.

F. A. Z.

trum damnandum esse, sed ad pietatem prodesse posse.

II. Quamobrem uti basilicas, sive, ut appellari tandem cœperunt, Ecclesias, et altaria in Dei honorem, ac cultum extruere non dubitarunt, et quidem magnifice, ac sumptuose, pace ac libertate reddita : nec pristino illo usu, et antiquo more, ac magnorum etiam virorum auctoritate deterriti sunt, quo minus ita facerent : sic imagines Christi, atque sanctorum, quarum nondum hactenus percrebuerat usus, eodem tempore usurpavit Ecclesia; cum jam nullum idololatriæ periculum esset; et ad propagandam Christi, ac martyrum, sanctorumve cæterorum memoriam, et animandos ad pietatis constantiam illorum exemplo fideles utile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem instituto, ac tempore constat esse factum: sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus et indoles erat; et qui illis præerant, expedire judicabant. Quod eo diligentius observari volumus, quod ad pleraque valet interpretanda memoriæ veteris exempla, et testimonia; quibus ad oppugnandum Ecclesiæ ritum abutuntur Iconomachi : nimiumque commoventur interdum repugnantes illis catholici theologi : cum sicubi constet imagines repudiatas, et damnatas ab orthodoxis fuisse, pro locorum, ac temporum ratione commode istud explicari debeat: uti paulo post ex sequentibus erit manifestius. Nunc ut universe loquar : imprimis summovenda est, et

Jejuna cavillatio.

ridenda Romanæ hostium ecclesiæ μικρολογία, et calumnia : qui ut imaginum usum nefarium esse probent, et divino jure interdictum, ad superiora nos ecclesiæ Christianæ sæcula revocant; in quibus nullas adhibibitas fuisse contendunt.

Retunditur hæreticorum calumnia.

Contra quos duo in promptu sunt habenda superioribus exposita capitibus : alterum, cum de Ecclesiæ dogmate aliquo, vel ritu controversia oritur, deque eo vetustatis auctoritas quæritur, ineptum, captiosumque videri paucis illam arctare sæculis, et circumscribere : quandoquidem œcumenicæ synodi, etiam ab adversariis ascitæ, ac receptæ, ad sancienda fidei decreta tum recentioris memoriæ testibus usæ sunt Patribus; tum iisdem fere, quos adversus illos auctores proferimus; uti capite decimoquinto libri decimiquarti demonstravimus. Alterum est, idololatriam, quæ primo Decalogi præcepto prohibetur, in eo positam esse quod præter unum, verumque Deum, aliud quippiam ea, quæ sòli illi debetur, adoratione cultuque afficitur : sive ipsum per sese; sive ejus effigies et imago : de quo capite sexto libri hujus copiose dictum est : et adhuc postea dicetur.

Qua de causa varius mos Ecclesiæ in imaginibus templisque usurpandis.

III. Quod autem ad prius duorum illorum, quæ observanda monuimus, attinet; perspicuum est, id in hac nostra de imaginibus controversia potissimum esse spectandum : citerioris Ecclesiæ potius exemplorum, et institutorum, quam antiquioris, duci rationem oportere. Cum enim plenis adhuc velis gentilium superstitio ferretur; multa primis illis Ecclesiæ temporibus, vel non inutilia per sese; vel etiam commoda supprimi, omittique satis visum est; dum periculum erat, ne offensionis aliquid traheret externa quorumdam rituum species, cum iis, quæ ab Ethnicis celebrabantur, similitudine ipsa congruens. Velut ne imagines Christi, atque sanctorum pro idolis, quibus erant assuefacti, ab rudibus, et imperitis haberentur : et ut eorum animus ab inanium simulacrorum consuetudine, ac memoria longius avocaretur. Eodem pertinet, quod in Ecclesiasticis historiis memoriæ proditum est, templa quondam profanis dicata numinibus, ubi receptum erat Evangelium, funditus initio subverti, ac solo æquari placuisse una cum simulacris ipsis, et idolis : postea vero, cum ad Christianam fidem, ac religionem obfirmati jam essent populi, perpurgari templa satius esse visum; et in Christianas basilicas, et oratoria converti : simulacra vero aliqua profanos ad urbium ornatus; vel ad evictæ profligatæque superstitionis monimenta servari. Sane Gregorius Magnus ad Mellitum scribens[1], quem in Angliam miserat, mandat ut Augustino, quem eodem allegarat antea, significet, « quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant. Sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat; in eisdem fanis aspergatur; altaria construantur; reliquiæ ponantur, qui si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari. » Non dissimilis prudenti cuilibet causa videbitur imaginum sacrarum : imo longe potior, et plausibilior; quæ cum nec idola sint, hoc est falsorum numinum simulacra : nec pro diis habeantur; aut latriæ cultu ab quoquam adorentur; pro-

Gregorii Papæ judicium.

1 Greg. lib. IX, ep. LXXII.

fecto per sese malæ non sunt : nec ullo Dei præcepto vetitæ ; nihilominus uti ne umbra quidem superstitionis, et idololatriæ teneris adhuc, et ut ita dicam, musteis Christianorum animis offensionem afferret : ac ne gentiles idola detestantibus, ac dissuadentibus nostris qualescumque illis effigies vicissim objicerent : credibile est, parcius ab illis usurpatas fuisse primis fere quatuor sæculis ; per quæ nefanda dæmonum in Idolis religio ; et Christiani nominis crudelissima vexatio cursum suum tenuit, Quinto demum sæculo, postquam adepta libertate, lacertos quodammodo suos explicare cœpit Ecclesia ; plerisque locis imagines palam haberi cœptæ, atque in templis, et oratoriis propositæ sunt : cum hactenus etsi in usu essent aliquo non tamen adeo promiscuæ, ac frequentes adhiberentur.

IV. Non videtur admodum necesse ritus illius exempla, et testimonia colligere ; cum tot accuratis doctorum theologorum commentariis opera nobis ista prærepta sit. Verum ne quis in suscepta hujus argumenti tractatione partem a nobis hanc requirat ; volo paucis eam adjungere ; ac primo loco hujusmodi antiquitatis testimonia proferam de quibus nulla nisi ab stolide pervicacibus moveri controversia possit ; postea vero complectar illa, de quibus haud absurde dubitare licet ; ut sive nostro judicio probentur, ab Iconomachorum vindicentur calumnia : sive respuenda videantur, impune relinquantur appetenda morsibus eorum, ac latratibus.

Ex omnibus antiquitatis exemplis expressissimum illud est, et ante cætera memorandum, quod Eusebius narrat de muliere[1], sanguinis profluvio laborante, et ab Christo Domino sanata : quam ille refert ad ejus beneficii propagandam memoriam, æream statuam erexisse in honorem Salvatoris : quæ Cæsareæ Philippi, quam Paneadem vocabant, adhuc historici illius ætate visebatur. Cui et miraculum accessit herbæ cujusdam novæ inusitatæque formæ : quæ ad pedes statuæ pullulans, ubi ad pallii, quod in statua effigiatum erat, fimbriam excreverat, morborum genera omnia curabat[a]. Quo ex miraculo liquet non esse damnandas, neque divina lege interdictas imagines, aut in idolorum censum numerumque relegandas ; ut impie jactant Iconomachi. Non enim miraculis sancire res nefarias, et illicitas divina solet, potestve bonitas. Quare perillustre est istud sacrarum imaginum monumentum. Adversus hanc historiam varia commenta Carolini Operis auctor excogitavit[2] ; quæ sunt nugacissima. Illud plerique, et inter hos Kemnitius[3], ac Molinæus opponunt[4], quod Eusebius ad eamdem narrationem adjicit : Mirum non esse, quod qui olim ex gentibus a Salvatore nostro beneficio affecti fuerant, talia fecerint : quando et Apostolorum illius imagines, Petri et Pauli, ipsiusque adeo Christi coloribus expressas in picturis, et ad sua tempora servatas viderit : quod verisimile sit ex eo esse factum, quod veteres perpetuo soliti essent, gentilitia quadam consuetudine, tanquam servatores suos, hoc genere honoris bene de se meritos afficere[b]. » Atqui hæc animadversio Eusebii nihil ad elevandum illud facit, quod inde conficimus ; imagines sanctorum idola non esse, ut blaterant Iconomachi ; neque flagitium esse facere illas, habereve : quod esset omnino, si aut idola forent, aut primo Decalogi mandato prohiberentur. De cultu earum postea viderimus ; nunc illud agitur utrum per se inter ea simulacra numerandæ sint, quorum non modo veneratio, sed etiam molitio, et habitio ipsa lege vetita sit : cujusmodi est idolorum : ut in libro *de Idololatria* disputat Tertullianus. Ac profecto solent Iconomachi, quæ tam ab hoc quam ab aliis quos capite sexto supra recensui, scriptis tradita sunt de picturæ, sculpturæque artibus ab Christianorum usu, et consortio segregatis, inculcare, atque objicere Catholicis ; tanquam pari, et eodem loco sint habendæ sanctorum imagines quo idola gentilium. Hos igitur Eusebii narratio ista convincit, et prodigio tanto velut obsignata feminæ pietas, ac religio. Tum, quod satis est nobis, illud indicat, Christianorum more tunc receptum fuisse, uti Christi, ac sanctorum fierent, ac servarentur effigies.

Atque hoc verissimum esse persuadet illud,

a EUSEB. lib. VII, cap. XVIII. Οὗ παρὰ τοῖς πόσιν ἐπὶ τῆς στήλης αὐτῆς ξένον τι βοτάνης εἶδος φύειν ὃ μέχρι τοῦ κρασπέδου τῆς τοῦ χαλκοῦ διπλοΐδος ἀνιὸν ἀλεξιφάρμακόν τι παντοίων νοσημάτων τυγχάνει.

b Ibid. Καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν τοὺς πάλαι ἐξ ἐθνῶν εὐεργετηθέντας πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, ταῦτα πεποιηκέναι· ὅτε καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας Παύλου, καὶ Πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν, ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρώπον.

1 *Matth.* IV et *Luc.* VIII. — 2 Lib. IV, cap. XV. — 3 Exam. par. IV. — 4 Lib. VII *cont. Perron.* cap. II.

quod eamdem ex Eusebio narrans historiam addit Sozomenus libro quinto capite vicesimo primo, «cum illam Christi statuam Gentiles ignominiose tractam confregissent, Christianos ejus frusta collegisse, et in ecclesia reposuisse: ubi hodieque (ait Sozomenus) asservantur[a]. » Ex quo intelligimus, Christianos per illud tempus adeo ab imaginibus non abhorruisse, ut earum fragmenta ab ethnicis dispersa in honore haberent, ac pretio.

Explicatur locus Eusebii.

V. Nam quod Eusebius de consuetudine gentilium addidit, non eo spectat, ut imagines simpliciter facere peculiare ipsis fuerit: sed hoc solum, in eorum honorem statuas erigere, vel eos coloribus repræsentare, a quibus beneficium aliquod impetrassent: rem porro ipsam, nuda si ponatur, ne littera quidem condemnat, aut illicitam esse decernit. Quemadmodum si quis dicat; ethnicis usitatum illud fuisse, ut ad eorum, quos pro diis colebant, memoriam ac venerationem, delubra, et aras extruerent, sacrificia iisdem offerrent, dies festos, et conventuum solemnitates, ac conviviorum hilaritates instituerent: tum facibus, ac cereis, thure, suffitu, aliisque id genus lætitiæ signis, affectum erga illos suum, studiumque testificarentur: qui hæc, inquam, et alia plura, quorum utique maxima copia est, ex gentilium consuetudine referret, non propterea putandus esset, omnia ista, quatenus ab idolorum, dæmonumque cultu, ad usum veræ religionis, et Christianæ transferuntur, damnare prorsus, ac respuere. Sane complures ritus ab gentilibus usurpari solitos, qui quidem nulla per sese labe, ac flagitio essent obliti, ad Christianam religionem traductos esse jam tum ab exordio Christianismi, ne illi quidem negare possunt, qui invidiam Ecclesiæ catholicæ ex gentilium cæremoniarum consortio, ac similitudine faciunt; idque nos in superiore libro copiose demonstravimus: ubi de cultu martyrum, sanctorumque reliquorum deque basilicis in eorum memoriam erectis, ac solemnibus festis, et aliis ejusdem generis institutis plura disseruimus. Nunc unicum ex Theodoreto locum hic describemus, qui ad rem nostram potissimum facit. Nam in calce libri vel sermonis octavi *contra Græcos*, ubi de cultu martyrum eleganter, ubertimque disputavit, in locum falsorum Numinum, et honorum, qui olim illis tribuebantur, successisse dicit sanctos Christi martyres, eorumque venerationem. « Etenim illorum (inquit de Diis loquens) templa ita penitus diruta, et dissipata sunt, ut ne figurarum quidem species ipsa remanserit, nec ararum forma iis, qui nunc vivunt, hominibus nota sit: horum vero materia omnis martyrum templis consecrata fuerit. Siquidem mortuos suos Dominus pro diis vestris substituit: et his e medio sublatis, et extinctis, eorum præmia in illos transtulit. Pro Pandiis enim, ac Diasiis, et Dionysiis, aliisque festis vestris, Petri, et Pauli, Thomæ Sergii, Marcelli, Leontii, Panteleemonis, Antonini, Mauricii, et aliorum martyrum solemnia celebrantur[b], » etc. Eadem et imaginum ratio est; quæ si falsa numina repræsentent, idola sunt, et Christianis interdicta: Sin Christi ac sanctorum effigies referant, pie, ac citra culpam, et reprehensionem obtinentur.

Alia loca veterum de imaginum usu recepto.

VI. Aliud usurpatum apud veteres Christianos imaginum exemplum vulgare quidem, sed nihilo firmum, commemorandumque minus est, quod Tertullianus significat in libro *de Pudicitia*, capite decimo: ubi stultis Montani, et sagarum feminarum fascinatus næniis, contra Catholicos declamat, quod mœchiæ convictis, et pœnitentia functis veniam, et communionem relaxarent: et ad hoc suadendum boni illius Pastoris uterentur exemplo[1], qui amissam ovem, et inventam succolans ad ovile reportat: cujus effigiem in calicibus depingebant. « Cui ille, si forte, patrocinabitur Pastor (inquit) quem in calice depingis, prostitutorem et ipsum Christiani sacramenti; merito et ebrietatis idolum et mœchiæ asylum post calicem subsecuturæ, de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœ-

a Sozom. lib. V, cap. xxi. Τὸν δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀνδριάντα τότε μὲν οἱ ἑλληνισταὶ σύροντες κατέαξαν. μετὰ δὲ ταῦτα οἱ χριστιανοὶ συλλέξαντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπέθεντο, καὶ νῦν φυλάττεται.

b Theodoretus tom. IV. Τὰ μὲν γὰρ ἐκείνων οὕτω παντελῶς διελύθη τεμένη, ὡς μηδὲ τῶν σχημάτων διαμεῖναι τὸ εἶδος, μηδὲ τῶν βωμῶν τὸν τύπον τοὺς νῦν ἀνθρώπους ἐπίστασθαι· αἱ δὲ τούτων ὕλαι καθωσιώθησαν τοῖς τῶν μαρτύρων σηκοῖς· τοὺς γὰρ οἰκείους νεκροὺς ὁ δεσπότης ἀντεισῆξε τοῖς ὑμετέροις θεοῖς· καὶ τοὺς μὲν φρούδους ἀπέφηνε· τούτοις δὲ τὰ ἐκείνων ἀπένειμε γέρα. Ἀντὶ γὰρ τῶν Πανδίων, καὶ Διασίων, καὶ Διονυσίων, καὶ τῶν ἄλλων ὑμῶν ἑορτῶν, Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ Θωμᾶ, καὶ Σεργίου, καὶ Μαρκέλλου, καὶ Λεοντίου, καὶ Παντελεήμονος, καὶ Ἀντωνίνου, καὶ Μαυρικίου, καὶ τῶν ἄλλων μαρτύρων ἐπιτελοῦνται δημοθοινίαι, etc.

1 *Luc.* xxv, 5.

nitentiæ secundæ. At ego ejus pastoris scripturam haurio, qui non potest frangi. » Quibus verbis imaginem Christi sub pastoris habitu pingi solere apud veteres ostendit.

Alias vero Christum cum Apostolis Petro et Paulo pictum fuisse Augustinus demonstrat, in libro primo *de consensu Evangelistarum*, capite decimo. Ibi enim de quibusdam gentilibus agens, qui libros nescio quos a Christo scriptos ad Apostolos illos esse fingebant, cur istos potius elegerint, rationem ita reddit. « Cum enim vellent tale aliquid fingere, Christum scripsisse ad discipulos suós, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent; quibus illud quasi secretum digne committeretur: et occurrit eis Petrus, et Paulus ; credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt : quia merita Petri et Pauli etiam propter eumdem passionis diem celebrius, et solemniter Roma commendat. »

Idem in sermone *de Diversis*, qui est *de Natali S. Stephani*, meminit imaginis pictæ, in qua martyrium sancti illius propositum erat. « Dulcissima pictura est hæc, inquit, ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem. » Abrahami quoque filium suum in sacrificium offerentis picturam commemorat idem Augustinus libro XXII *contra Faustum*, capite LXXIII, eamque multis in locis conspici ait.

Sic Ambrosius in epistola quinquagesima tertia Pauli effigiem itidem coloribus expressam fuisse docet, ubi de SS. Gervasio, et Protasio sibi per visum oblatis loquitur : « Cum quadam, inquit, mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse beato Paulo Apostolo videbatur : cujus me vultum pictura docuerat. » Hunc locum citavit Joannes Damascenus oratione secunda *de imaginibus*. At Baronius ad annum Christi 387, numero 31. « Utinam, inquit, ipsa integra exstaret epistola. » Atqui exstat epistola illa eadem integra : quæ est ordine quinquagesima tertia.

Hieronymus in caput IV *Jonæ* « Et revera in ipsis cucurbitis, inquit, vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari. »

VII. Gregorius quoque Nyssenus in oratione *de Deitate Filii, et Spiritus sancti*[1], meminit Abrahami, ejusque sacrificii in tabulis depicti : et ad hujus aspectum magnam se vim profudisse lacrymarum asserit : qui locus in septima synodo refertur[2].

Idem porro Gregorius in oratione *de S. Theodoro martyre*[3], scribit hujus reliquias magno in honore habitas fuisse ; ac basilica magnifici operis extructa, in ea esse reconditam illarum thecam : tum parietes picturis decoratos ; quibus Martyris certamina graphice coloribus expressa visebantur, pari elegantia, atque fructu. « Solet enim, ait, pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse [a], » Ergo in ecclesiis pictæ imagines non detestandæ tanquam idola sunt : sed utiles, et omnino retinendæ.

Sic Asterius Amaseæ in Ponto episcopus, suavis et politus orator in sermone panegyrico *de S. Euphemia martyre*, ejus templum describens, tabulam pictam, et ad ejus loculum appensam eleganter exponit, qua sanctæ Virginis effigies, ac totius historia martyrii continebatur. « Pictor vero, inquit, etiam ipse religiose per artem suam totam pro viribus in linteo designatam historiam ibidem juxta thecam sacrum appendit, ac proposuit spectaculum [b]. »

Per idem tempus duo insignes viri doctrina et sanctitate floruerunt, Paulinus in Italia, Severus Sulpicius in Aquitania : qui conditas a se basilicas picturis, et imaginibus exornarunt : ut ex Paulini epistola duodecima constat : qui ad Severum versus aliquot misit, ad easdem commendandas et narrandas picturas a se factos. Inter cætera porro, Trinitatis effigiem musivo opere descriptam in basilica, quam in honorem S. Felicis ædificarat, his versibus exponit :

« Pleno coruscat Trinitas mysterio :
Stat Christus agno : vox Patris cœlo tonat.
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo ;
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro. »

Et in *Natali* nono S. Felicis refert idem Pau-

a NYSSEN. orat. *de S. Theod.* Οἶδεν γὰρ καὶ γραφὴ σιωπῶσα ἐν τοίχῳ λαλεῖν, καὶ τὰ μέγιστα ὠφελεῖν.

b ASTER. *de S. Euphem.* Ὁ δὲ δὴ ζωγράφος εὐσεβῶς καὶ αὐτὸς διὰ τῆς τέχνης κατὰ δύναμιν πᾶσαν τὴν ἱστορίαν ἐν σινδόνι χαράξας, αὐτοῦ που περὶ τὴν θήκην ἱερὸν ἀνέθηκε θέαμα.

Extat in VII syn. act. IV.

1 Tom. II. — 2 Act. II. — 3 Nyss. tom. II.

.inus, se in basilicæ porticibus Testamenti veteris historias pingendas curasse : et cur ita fecerit, causam hanc affert, quod ad celebrandum S. Felicis diem festum ingens rusticorum, et imperitorum turba confluat, quæ cum legere nesciat, librorum instar pictas figuras habeat.

Prudentius quoque in libro *peri stephanon*, hymno nono, qui est *de S. Cassiano*, scribit se Romam euntem, forum Cornelium adiisse, salutandi martyris gratia, ibique conspicatum ejus imaginem in ipsius basilica.

« Stratus humi, tumulo advolvebar, quem [sacer ornat
Martyr dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vul- [nera, et omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per [artus,
Ruptam minutis præferens punctis cu- [tem. »

Et in hymno undecimo *de S. Hippolyto*, hujus imaginem pictam, et martyrii historiam describit, quam in ejusdem basilica viderat.

VIII. Theodoretus in *vita S. Simeonis Stylitæ*, testatur. « Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse sancti illius imagines, ut hanc sibi tutelam ac præsidium adjungerent [a]. »

Nilus Abbas vir sanctissimus, et Joannis Chrysostomi discipulus, in epistola *ad Olympiodorum Præfectum*, consulenti huic, cujusmodi picturis templum, quod ædificare statuerat, exornaret, suadet uti Crucis effigiem, et veteris, ac novi Testamenti duntaxat historias eligat. « Ut qui litteras nesciunt, neque sacras litteras possunt legere, picturæ contemplatione in memoriam revocent illorum præclara facta, qui vero Deo sincere servierunt [b]. » Gregorius M. non solum crucis; sed etiam Salvatoris, ejusque sanctissimæ Matris effigies agnovit, ac veneratione dignas judicavit. In libro septimo epistolarum, epistola quinta, Januarium Caralitanum episcopum admonet, ut crucem, et imaginem B. Virginis, quam Petrus quidam e Judæo Christianus factus in Judæorum synagogam impetu facto illuc intulerat, indidem exportaret : « Ut sublata exinde cum ea, qua dignum est, veneratione, imagine, atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est, reformare. » Beda vero *in Ecclesiastica historia* gentis Anglorum refert, Augustinum, quem Beatus idem Gregorius e monasterio suo in Angliam miserat, ad regem Edilbertum cum sociis suis adiisse. « At illi, inquit [1], non dæmoniaca, sed divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, etc. » Hæc Jonas Aurelianensis libro primo *de cultu imaginum* adversus Claudium Taurinensem objecit [2].

Inter *Collectanea* Anastasii Bibliothecarii exstat Collatio S. Maximi martyris cum Theodosio episcopo Cæsariensi : in qua mentio fit sanctæ Crucis, et imaginis Christi Salvatoris, ac B. Mariæ, qui locus in septima synodo actione quarta citatur. Sic igitur Latine apud Anastasium legitur. « Et in his surrexerunt omnes cum gaudio, et lacrymis : positisque in terra genibus oratio facta est. Et unusquisque ipsorum sancta Evangelia, pretiosamque Crucem, et imaginem Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, atque Dominæ nostræ, quæ illum peperit, sanctissimæ Dei genitricis salutaverunt : ponentes nihilominus manus suas ad certificationem eorum, quæ dicta sunt [c]. » Ergo ante synodum septimam, imo ante sextam, crucis, et sanctorum effigies magno in cultu, et honore versatæ sunt : et

a Theod. *in relig. hist.* cap. XXVI, tom. III. Φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον εἶναι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προτυλαίοις εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακὴν τινα σφίσιν αὐτοῖς, καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας.

b In sept. syn. act. IV. Ὅπως ἂν οἱ μὴ εἰδότες γράμματα, μηδὲ δυνάμενοι τὰς θείας ἀναγινώσκειν γραφὰς τῇ θεωρίᾳ τῆς ζωγραφίας μνήμην τε λαμβάνωσι τῆς τῶν γνησίως τῷ ἀληθινῷ θεῷ δεδουλευκότων ἀνδραγαθίας, etc.

c Anast. *Collect.* lat. in VII syn. tom. V Conc. Καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνέστησαν πάντες, μετὰ χαρᾶς, καὶ δακρύων, καὶ ἔβαλον μετάνοιαν, καὶ εὐχὴ γέγονε· καὶ ἕκαστος αὐτῶν τὰ ἅγια Εὐαγγέλια, καὶ τὸν τίμιον σταυρὸν, καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς αὐτὸν τεκούσης παναγίας θεοτόκου ἠσπάσαντο, τεθεικότες καὶ τὰς ἰδίας χεῖρας ἐπὶ βεβαιώσει τῶν λαληθέντων.

1 Beda lib. I, cap. XXV. — 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 551 et seq.

manibus super iis positis, sacrosancta jurejuranda concepta: eam religionem approbante sanctissimo, et eruditissimo viro Maximo abbate: imo exprobrante, quod tam sacrosancto ritu oppigneratam fidem violassent. Nam quibusdam interjectis, in eadem collatione sequitur: « Et conversus ad episcopum Abbas Maximus cum lacrymis ait: Domine magne, diem judicii expectamus omnes. Nosti quæ ordinata sunt, et diffinita supra sancta Evangelia, et vivificam crucem, atque imaginem Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctissimæ, quæ illum genuit, semper Virginis matris[a]. »

Sextæ synodi canon e penditur.

IX. Inter canones illos, qui sextæ, vel quinisextæ synodo inscribuntur, nec tamen ab Romana ecclesia recepti sunt, unus est ordine LXXXII, in quo Christi Salvatoris imago fieri jubetur potius, quam Agni, sub cujus figura repræsentari solebat. Qui canon in septima synodo relectus est[1]. In eo vero Bellarminus Bartholomæum Caranzam Mirandam *Summæ conciliorum* auctorem arguit, quod ad illum canonem adnotaverit, Patres illius synodi prohibuisse sub agni forma Christum repræsentari: cum minime hoc prohibeat canon iste: sed tantummodo figuris illis typicis, humanæ formæ picturam anteponat. Verum manifeste decernitur in illo canone, ut non amplius Christus in agni figura, sed potius hominis exprimatur. Nec in eo falsus est Caranza: neque mendose canonem concepit; qui in septima synodo castigatior sit; unde et emendandum Bellarminus asserit: siquidem prorsus eodem modo utrobique legitur. Verum quod præter Christi figuram, etiam de Spiritu sancto, et Magis statutum illic esse Caranza scribit; ut nec ille sub columbæ specie; nec isti sub stellæ figurentur; in eo deceptus est. Nam nihil tale canon continet: verum similitudine quadam esse consequens argumentatur Caranza. Atque hoc ab aliis notatum postea deprehendimus, eoque breviores sumus[2].

X. Contra canonis illius auctoritatem objicit Carolinum opus[3], nihil ad imaginum adorationem pertinere: tum vero non sic ab illis prolatum hoc testimonium, ut in sexta synodo continetur. Verum Hadrianus id Papa refellit[4]; et illud ostendi perspicue docet; « quod jam quando sexta synodus acta est, a priscis temporibus sacras imagines, et historias pictas venerabantur. » Igitur duo ista Canon ille demonstrat, usum imaginum, et earumdem cultum, ac venerationem. Has enim σεπτὰς εἰκόνας nominat: hoc est venerabiles, adorandas, sacras et augustas. Ita enim hoc vocabulum interpretantur Græci critici; quorum qui eruditissimus habetur Hesychius Σεπτὸν explicat sic, *honorandum*, *sanctum*, *venerandum*, *augustum*[b]. Denique religiosum aliquid, et sacrum, atque ab communi, et profano remotum vox illa significat. Hinc σεπτεύειν apud eumdem Grammaticum est σέβειν: et σεπτευομένης, εὐχομένης (ita enim legendum, non, ut vulgo est, ἐκχομένης) σεβομένης, ut *orationis, ac piæ venerationis* notionem habeat. Nam σεβαστὸν, id est *augustum*, quam sacra, et religiosa vox sit ostendit Suetonius, cum de Augusti Cæsaris cognomento agit[5].

Venerandas imagines.

Sed de cultu imaginum paulo post pluribus. Hoc uno contenti modo sumus; imaginum neque molitionem, nec erectionem in sacris locis, ullo interdicto fuisse prohibitam; sed usu et auctoritate catholicæ Ecclesiæ probatam atque sancitam.

a Collat. lat. Στραφεὶς τοίνυν ὁ Ἀββᾶς Μάξιμος πρὸς τὸν ἐπίσκοπον μετὰ δακρύων εἶπεν αὐτῷ· Κύριε ὁ μέγας· ἡμέραν κρίσεως ἐκδεχόμεθα πάντες. οἶδας τὰ τυπωθέντα, δόξαντα ἐπὶ τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων. καὶ τοῦ ζωοποιοῦ ξύλου· καὶ τῆς εἰκόνος τοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ τῆς αὐτὸν τεκούσης παναγίας ἀειπαρθένου μητρός.

b Hesych. Σεπτὸν, ἔντιμον, ἅγιον, σεβάσμιον, σεβαστόν.

1 Act. IV. — 2 Ut a Vasq. in III part. disp. CIII, cap. II. — 3 Lib. II, cap. XVIII. — 4 Tom. I concil. — 5 Suet. *in Aug.* cap. VII.

CAPUT XIV.

De usu imaginum diversæ Catholicorum sententiæ. 1. Ac primum existimasse nonnullos, Dei imagines facere nefas esse. 2. Quibus veterum aliqui favere videntur. 3. Sæpius in usu fuisse picturas, quam statuas in sacris imaginibus : Gregorii Nazianzeni locus perperam acceptus exponitur. 4. Vetus canon Apostolicus expenditur ; quid sit ἀναστηλῶσαι. *5. Canonem illum videri supposititium. Licere Dei imagines proponere sub ea specie, qua se videndum præbuit. 6. Solvuntur ea, quæ contra usum imaginum ab adversariis objiciuntur.*

Plures incorporea pingi vel sculpi nolunt.

In imaginum usu nonnihil variare Catholicorum sententias animadvertimus : ac bifariam potissimum. Primum, quod plerique veterum corporis expertium rerum imagines damnandas judicarunt : solas vero incarnati Verbi, ac Sanctorum licitas esse, et omnino corpore præditorum; atque hæc opinio, etiam post ortum Iconoclastarum hæresis, apud acerrimos defensores religionis illius percrebuit.

Gregorius secundus Romanus pontifex in epistola priore *ad Leonem Isauricum* sectæ illius principem, Deum Patrem, quia corpore careat, negat imagine ulla exprimi debere. « Cur, inquit, Patrem Domini Jesu Christi spectandum minime proponimus, ac pingimus? Nimirum quia nescimus quis sit, et Dei naturam in conspectum adducere, ac pingere nemo potest. Quod si eum vidissemus, ac nossemus, sicut filium ejus, etiam ipsum videndum proponere, ac pingere possemus [a]. »

Germanus item Constantinopolitanus Patriarcha, qui eadem ætate vixit, et ab Leone Isaurico in ordinem redactus est, in epistola *ad Joannem Synadensem* episcopum hoc ipsum verbis istis significat : « Non enim invisibilis deitatis imaginem, aut similitudinem, aut figuram, aut formam aliquam exprimimus, quam ne ipsorum quidem Angelorum sublimes ordines, neque intelligentia complecti, neque investigare penitus possunt [b]. » Itaque Christi solius, quia carnem induit, effigiem rite fieri posse declarat [1]. Joannes præterea Thessalonicensis in dialogo *de cultu imaginum*, in quo Gentilem quemdam cum Catholico disputantem introducit, imagines ait non Dei ipsius, sed ejusdem facti hominis exprimi. De Angelis porro ita censet : quoniam corpore non omnino carent : sed habent tenue, ac subtile; idcirco pingi licere. De quo Joannis illius testimonio vide quæ in libro primo *de Angelis* dixi [2] : ubi pluribus illud expositum est.

Eidem sententiæ Joannes Damascenus subscribit in libro primo *de imaginibus*, et in secundo, quam et recentiores quidam theologi de schola sunt amplexi. Huic porro patrocinari videntur nonnullorum dicta ex antiquioribus Patribus.

II. Origenes imprimis libro *contra Celsum Epicureum* sexto, cum gentilibus cultum idolorum objecisset, mox ista pertexit. « Ac tametsi quidam eorum idola ista deos esse negent, sed verorum expressas similitudines esse dicant, eorumque symbola; nihilo minus etiam isti in sordidorum opificum manibus divinitatis imitationem esse fingentes sibi, imperiti sunt, et mancipia [c]. » Simili responso usus est gentilis apud Joannem Thessalonicensem, et eodem fere, atque Origenes modo ei Joannes occurrit; non licere corporeis picturæ lineamentis effingere corpore carentium formam.

Sic Ambrosius *ad Psalmum* CXVIII [3]. « Gentiles, inquit, lignum adorant, quia Dei imaginem putant. Sed invisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo utique quod non videtur. »

Augustinus præterea [4] « cavendum admo-

a In VII syn. Διὰ τί τὸν πατέρα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐχ ἱστοροῦμεν, καὶ ζωγραφοῦμεν; Ἐπειδὴ οὐκ οἴδαμεν τίς ἐστιν, καὶ θεοῦ φύσιν ἀδύνατον ἱστορῆσαι, καὶ ζωγραφῆσαι. καὶ εἰ ἐθεασάμεθα, καὶ ἐγνωρίσαμεν, καθὼς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, κἀκεῖνον ἂν εἴχομεν ἱστορῆσαι, καὶ ζωγραφῆσαι.

b GERM. in sept. synod. act. IV. Οὐδὲ γὰρ τῆς ἀοράτου θεότητος εἰκόνα, ἢ ὁμοίωμα, ἢ σχῆμα, καὶ μορφήν τινα ἀποτυποῦμεν· ἣν οὐδὲ αὐτῶν τῶν ἁγίων ἀγγέλων αἱ ὑπερέχουσαι τάξεις οὔτε ἐξιχνιάσαι ὅλως ἰσχύουσιν.

c ORIG. VI *cont. Cels.* Κἂν τινες δὲ μὴ ταῦτά φασιν εἶναι τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ μ·μημάτων (cor. μίμημα τῶν) ἀληθινῶν, κἀκείνων σύμβολα, οὐδὲν ἧττον καὶ οὗτοι ἐν βαναύσων χερσὶ τὰ μιμήματα τῆς θεότητος φανταζόμενοι εἶναι ἀπαίδευτοί εἰσι, καὶ ἀνδράποδα.

1 In sept. syn. act. IV.—2 Tom. IV, lib. I, c. III, § 6 et seq.—3 Ambros. Octen. XII.—4 Aug. lib. *de fide et sym.* c. VII, tom. III.

net, ne Deum putemus habere corporalia membra, et ne in illud incidamus sacrilegium, quo execratur Apostolus eos, *qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*[1]. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare : multo magis in corde nefarium est : ubi vere est templum Dei, si a terrena cupiditate, atque errore mutetur. »

Usus imaginum olim frequentior quam statuarum.

III. Alterum ex antiquorum scriptis observatione dignum est; cum sint imaginum genera duo; picta effigies, et statua; videri prius in usu magis apud veteres Christianos exstitisse : imo vero quosdam existimasse unum illud licitum esse, altero, tanquam gentilium proprio, rejecto. Certe si quis loca illa relegat, quæ hoc, et antecedenti capite ad usum sacrarum imaginum ex Patribus attulimus, animadvertet nullam fere, nisi picturæ, mentionem ibi fieri, vel colorum, ac ceræ : de statuis vix unquam, aut raro loqui.

Germanus vero Constantinopolitanus Patriarcha in epistola ad *Thomam Claudiopolitanum episcopum*, quæ est de imaginibus, perquam erudita, videtur statuarum usum ab Christianis abjudicare, et gentilibus delegare, idque cum aliis in locis epistolæ illius indicat : tum sub finem ejusdem manifestius. Postquam enim historiam illam ab Eusebio proditam retulit statuæ in Christi honorem ab muliere apud Paneadem collocatæ; ista subjicit : « Nec eo vero nos ista dicimus, tanquam æreas statuas facere studeamus : ed ut tantummodo significemus; cum illud ex gentili more factum non repudiaverit Dominus; verum longo tempore suæ bonitatis miraculum in eo demonstrari ipsi placuerit; sanctionem illam, quæ apud nos obtinuit, consuetudinem nefas esse vituperare [a].» Videtur id, quod Eusebius in sua narratione posuit, mulierem illam in erigenda Christi in memoriam, et honorem statua ærea institutum usurpasse gentilium, interpretari sic, uti statuas dicare proprium fuerit illorum; cum Christiani sola Christi pictura contenti essent. Huc vero referendum illud est, quod supra demonstravi[2], Hebræorum magistros existimare, solas exstantes, et protuberantes effigies legis præcepto esse vetitas, non planas, ac pictas, sive textorio opere factas.

Locus est in epistola XLIX Gregorii Nazianzeni, ex quo perperam usus statuarum in Ecclesia veteri comprobatur. Qua in epistola Gregorius *ad Olympium Præfectum pro Diocæsareensi civitate* scribit, quæ ob facinus aliquod perpetratum, pœnam commiserat. Hujus igitur exitium deprecans, inter cætera commiserationem sic movet. « Canitiem nostram, inquit, honorato : quibus acerbum sit, si magnam olim habentes urbem, nunc ne urbem quidem habeamus : ac ferarum domicilium sit post imperium tuum templum illud, quod extruximus Deo; tum omnis illius ornatus. Neque enim si statuæ dejiciantur, acerbum istud est; tametsi alioqui sit acerbum; nec de his nos facere sermonem existimes, quorum studium circa meliora versatur[b]. » Ad hunc locum Basilius adnotat, « Gregorii tempore ædes sacras statuis, et imaginibus ornatas fuisse; » quasi de sacris ibi statuis loquatur Gregorius : idque aliis persuasit. Sed perspicuum est, profanas illic statuas intelligi, quæ ad magnarum urbium ornamentum in locis publicis collocari solebant. Quod et verba ipsa Gregorii palam ostendunt : quibus negat, se de templo, et ejus ornatu omni sollicitum esse; de statuis vero nihil admodum; eo quod longe præstantiorum rerum studio detineatur. Itaque sibi ipse contradiceret, si de sacris imaginibus loqueretur ac de quibus sollicitum se esse dixit, mox negaret se esse sollicitum.

IV. Hujusmodi aliquid de statuis innuere videtur Stephanus Bostrorum episcopus : cujus hæc sententia in Nicæna synodo secunda profertur : « De sanctis imaginibus confitemur, quod omne opus in nomine Dei factum bonum est, et sanctum. Nam aliud est imago, aliud statua, hoc est simulacrum

a GERM. in VII syn. act. IV. Οὐ τοῦτο δὲ λέγομεν ἡμεῖς, ὥστε τὰς ἐκ χαλκοῦ στήλας ἐπιτηδεύειν ἡμᾶς· ἀλλ' ἢ μόνον δηλῶσαι ὅτι καὶ τὸ κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν μὴ ἀποποιησαμένου τοῦ κυρίου, ἀλλ' εὐδοκήσαντος ἐν αὐτῷ ἐπιδείκνυσθαι ἐφ' ἱκανὸν χρόνον τῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος τὴν θαυματουργίαν, τὸ παρ' ἡμῖν εὐαγέστερόν πως κρατῆσαν ἔθος κακίζειν οὐχ ὅσιον.

b NAZIANZ. Τίμησον δὲ τὴν ἡμετέραν πολιάν· οἷς δεινὸν εἴποτε τὴν μεγάλὴν πόλιν ἔχοντες, νῦν μηδὲ πόλιν ἔχοιμεν· καὶ θηρίων οἰκητήριον γένοιτο μετὰ τὴν σὴν ἀρχὴν ὅ, τε ναὸς, ὃν ἠγείραμεν τῷ Θεῷ. καὶ ἡ περὶ τοῦτον ἡμῖν φιλοκαλία. οὐδὲ γὰρ εἰ ἀνδριάντες κατενεχθῇ- τοῦτο δεινὸν, εἰ καὶ ἄλλως δεινόν. μηδὲ περὶ τούτων νομίσῃς ἡμῖν εἶναι τὸν λόγον, οἷς περὶ τὰ κρείττονα ἡ σπουδὴ.

1 *Rom.* I, 13. — 2 Hoc libro, cap. VI, § 6.

animantis. Cum enim Deus formaret Adamum, hoc est conderet, dixit, *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram;* et fecit hominem ad imaginem Dei. Quid enim? num quia imago Dei est homo, ideo simulacrum est : id est idololatria, et impietas? Nequaquam fiat[a]. » Ibi statuam, vel simulacrum indicat idolum esse; neque, ut imaginis nomen, ad licitas effigies accommodari.

Vetus canon Apostolicus expenditur.

Exstat vetus canon Apostolorum in Antiochena quadam synodo ab illis, ut ferunt, editus : qui de imagine, imo, ut Interpres arbitratus est, statua Christi Domini decrevit sic : « Ut hi, qui salvantur circa idola non errent : sed pro eis Deivirilem et manufactam stelam veri Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiusque servorum contra idola, et Judæos : nec circa idola amplius errent, nec Judæis similes fiant[b]. » Latinus Interpres synodi septimæ *Deivirilem s atuam* vertit. Est enim στήλη *columella* , vel *cippus:*qui nonnunquam ad humani capitis figuram effigiatus erat; ut Hermæ, ac Viales Mercurii. Verum nudam interdum columellam, aut staticulum significat, cui appicta, vel appensa erat imago picta. Unde verbum ἀναστηλῶσαι sæpenumero de iconibus tabulisque pictis usurpatur : et idem est ac erigere, et in propatulo ponere. In actis Silvestri Papæ[1], quæ laudantur ab Hadriano Papa in epistola *ad Constantinum et Irenem*, mentio fit imaginum pictarum Petri et Pauli, quas Pontifex Imperatori ostendit : isque Christianus factus ecclesias ædificasse dicitur : ἀναστηλῶν, id est *erigens* in illis easdem iconas Apostolorum ; quod verbum paulo post Hadrianus repetit. Ita synodus sexta canone LXXXII, cujus paulo ante mentionem fecimus, præcipit loco imaginis agni, deinceps Salvatoris effigiem ἀναστηλοῦσθαι. « Ut igitur, ait, quod perfectum est etiam coloribus expressum in omnium depingatur oculis, ejus qui tollit peccatum mundi agni Christi Dei nostri, (secundum) humanam formam etiam in imaginibus deinceps loco veteris agni, erigi statuimus[c]. » Igitur ἀναστηλοῦσθαι dicuntur etiam pictæ tabulæ, quia in altum eriguntur, quasi tituli, et monimenta catholicæ professionis. Ita Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in epistola *ad Thomam Claudiopolitanum episcopum*, imperatores ait, « in titulum, ac monimentum sui in Deum amoris, pro foribus palatii imaginem erexisse, in qua Apostolorum, et Prophetarum, nec non Crucis effigies pinxerunt[d]. » Itaque στήλη idem est atque ἀνάθημα , de qua voce vide quæ in *Miscellaneis Exercitationibus* olim ad Julianum adnotavimus[2]; et ἀνατίθεσθαι, idem est quod ἀναστηλοῦν. Sic ἀναστηλογραφεῖν, vel στηλογραφεῖν, et similia vocabula passim usurpantur in septima synodo[3].

Canonem illum videri supposititium.

V. Jam quod ad illum canonem Apostolicum attinet, quem primus edidit in lucem Franciscus Turrianus ; eum puto supposititium esse[4]; cujusmodi sunt pleraque Græcorum recentiorum : idque satis evincit nomen ipsum θεανδρικῆς antiquitati illi neutiquam usitatum,et a Dionysio primitus inventum. De quo, si usurpatum ab Apostolis foret, minus turbarum esset exortum.

Deivirilis.

Cæterum tametsi fatendum sit imagines pictas in usum antiquioris Ecclesiæ frequentius receptas esse, quam statuas; ut ex iis constat, quæ hactenus dixi ; non est tamen existimandum, vetitas istas esse, aut idololatriæ vel umbram ullam continere : cum sit eadem ambarum causa ; nec inter eas discrimen sit ullum : ut, sive Decalogi interdicto prohibeantur imagines ; quod Iconomachi

a STEPH. in act. II, VII, syn. Οἵ τινες δὴ περὶ τῶν εἰκόνων τῶν ἁγίων ὁμολογοῦμεν ὅτι πᾶν ἔργον τὸ γινόμενον ἐν ὀνόματι τοῦ θεοῦ ἀγαθόν ἐστι, καὶ ἅγιον· ἄλλο γάρ ἐστιν εἰκὼν, καὶ ἄλλο ἄγαλμα, τουτέστι ζώδιον. ὅτε γὰρ ὁ θεὸς τὸν Ἀδὰμ ἔπλασε, τουτέστιν ἐδημιούργησεν, ἔλεγε· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα, καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν. καὶ ἐποίησεν ἄνθρωπον ἐν εἰκόνι θεοῦ. τί γὰρ ; ὅτι εἰκὼν θεοῦ ἐστιν ἄνθρωπος, ἄγαλμά ἐστι, τουτέστιν εἰδωλολατρεία, καὶ ἀσέβεια ; μηδαμῶς γένοιτο.

b Canon. Apost. Τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα. ἀλλ' ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων, καὶ Ἰουδαίων, καὶ μηκέτι πλανᾶσθαι εἰς εἴδωλα, μηδὲ ὁμοιοῦσθαι τοῖς Ἰουδαίοις.

c TRULL. syn. can. LXXXII. Ὡς ἂν οὖν τὸ τέλειον κἂν ταῖς χρωματουργίαις, ἐν ταῖς ἁπάντων ὄψεσιν ὑπογράφηται· τὸν τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀμνοῦ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν (κατὰ) τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα, καὶ ἐν ταῖς εἰκόσιν ἀπὸ τοῦ νῦν ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ ἀναστηλοῦσθαι ὁρίζομεν.

d Germ. in sept. syn. Στήλην ἀληθῶς τῆς οἰκείας φιλοθείας τῶν πρὸ τῆν βασιλείων λέγω εἰκόνα, ἐγείραντες, ἐν τῇ τῶν Ἀποστόλων, καὶ Προφητῶν ἀναθέμενοι τὰς ἰδέας.

1 In syn. VII act. II. — 2 Cap. XIII et seq. — 3 Ut act. VI. — 4 Turr. in lib. I *def. can. Apost.* cap. XXIV et apud Baron. ad ann. 57, parag. 111.

contendunt : sive non prohibeantur; quod catholica defendit Ecclesia : non minus ad pictorum, quam ad statuariorum opera, vis illa legis pertinere putanda sit : Tum vero statuis auctoritatem adstruit illa, quam supra commemoravi, ab Syrophœnissa muliere Christo dicata, et illustribus approbata miraculis *.

Licet imagines Dei proponere sub ea specie qua se hominibus videndum præbuit.

Par esse judicium debet de imaginibus Dei, ac sanctæ Trinitatis, quas nefas esse proponere quidam existimant theologi; licere vero probabilius asserunt alii : eaque jam usu, et communi Catholicorum assensu inveteravit opinio; nimirum ut eatenus figurari Deus possit, qua sub externa aliqua specie aspectabilem se hominibus præbuit. Sane Spiritum sanctum columbæ figura solitum exprimi, notissima res est; idque Paulinus ostendit antecedenti a nobis capite laudatus [1]. De quo vide quæ Bellarminus latissime disputavit [2].

Itemque Angelorum.

Sane Angelos sanctos corporis licet expertes imaginibus exprimi, et eas colendas esse decrevit septima synodus : ubi et causam hanc adjungit : quod « justis hominibus humana specie apparuerunt [a]. »

Et Tharasius eadem actione quarta prudenter emendans id quod Joannes Thessalonicensis dixerat, eamdem cur pingi Angelos fas esset rationem attulit. Cum enim in synodo lectum esset fragmentum dialogi cujusdam Joannis illius, in quo Christianum sanctum virum cum Gentili disputantem introduxit : atque hic sciscitatus esset, quo tandem modo Christiani Angelos intellectiles, expertesque corporis pingerent, et adorarent : respondet sanctus; Angelos non esse prorsus incorporeos, sed aereis, aut igneis, ac tenuibus præditos esse corporibus et circumscriptos : cæterum humana figura ideo repræsentari, quod sub ea visi sint ab iis, ad quod missi fuerant : Tharasius his perlectis, postremum hoc arripuit : « Patrem illum ostendisse etiam Angelos esse pingendos : quoniam circumscripti sunt, et velut homines multis apparuerunt. » Nullam igneorum aut aereorum corporum mentionem fecit : sed hoc potissimum argumento persuasit sibi, Angelos coloribus exprimi sub humana specie licere, quod tales hominibus apparuerint.

Ita Gregorius Nazianzenus initio orationis XXIII. « Angelicum esse ait candorem vestitus, et splendorem, cum corporea forma exprimuntur [b]. »

Quamobrem hæc eadem ratio probat, Deum quoque, divinasque personas ea ipsa, quam assumentes apparuerunt, specie posse repræsentari. De hac spiritualium rerum expressione per lineamenta corporea, et imagine vide eruditam sancti Nicephori Constantinopolitani Patriarchæ disputationem [3], in qua de Cherubimis agit.

Satisfit Iconomachorum objectis.

VI. Adversus hæc ab Iconomachis nonnulla proponuntur antiquorum testimonia, quæ usum imaginum damnare videntur : de quibus paucis agendum est hoc loco ; quandoquidem uberiorem eorum tractationem tot eruditorum hominum commentarii suppeditare possunt. Ac pleraque forsitan illorum explicari ratione ista queant, quam initio antecedentis capitis exposui : nempe imagines primis Ecclesiæ temporibus minus frequenter usurpatas esse ; quemadmodum externos alios quosdam religionis ritus ; qui nec ex sese damnandi erant : et postea, metu offensionis ac periculo sublato, pie ab Christianis sunt recepti. Quare non illud esse mirandum, si quibus in provinciis, et ecclesiis, nondum ascita consuetudine adhibendarum imaginum, inventi sunt qui, cum primum ibi conspectæ sunt, exhorrescerent, et tanquam minime licitas respuerent. Quanquam non desunt propriæ ad singula responsiones ab viris doctis solerter excogitatæ, citra generalem illam exceptionem : quibus uti commode liceat.

Ejusmodi est Eliberitani concilii canon XXXVI qui sic habet : « Placuit picturas in Ecclesia esse non debere : ne qui colitur, aut adoratur in parietibus depingatur. » De quo probabilem illorum puto esse conjecturam : qui quo tempore synodus illa celebrata est, recentem adhuc idololatriæ memoriam fuisse dicunt : ob idque nondum expedisse, Christianorum in oratoriis, ac templis imagines

a Syn. VII, act. IV. Τῶν τε ἁγίων, καὶ ἀσωμάτων ἀγγέλων. ὡς ἄνθρωποι γὰρ τοῖς δικαίοις ἐνεφανίσθησαν.

b NAZIANZ. Ἀγγελικὸν ἡ λαμπροφορία, καὶ ἡ φαιδρότης, ὅταν τυπῶνται σωματικῶς.

* De statuis confer P. Plazzam in *Christianorum devotione vindicata* p. III, cap. XI, et præclaram P. Casti Innocentis Ansaldi de *sacro et publico apud Ethnicos pictarum tabularum cultu adversus recentiores Græcos* dissertationem Venetiis editam 1753. Z.

1 § 8. — 2 Lib. II *de Imag.* cap. VIII. — 3 Niceph. tom. IV par. II *Bibl. Patr.*

statui. Aliis aliud placet: quorum scripta sunt ad manum[1] *.

Celeberrimus Epiphanii locus expenditur.

Celeberrimus eadem de re est Epiphanii locus ex epistola, quam ad Joannem Hierosolymitanum episcopum scriptam Latine vertit Hieronymus, et est inter hujus epistolas ordine sexagesima. In qua narrat Epiphanius se in Palæstina, cum ad vicum quemdam venisset, qui dicitur Anablatha, ibique Ecclesiam invenisset; cujus « in foribus velum pendebat tinctum, atque depictum, et habens imaginem quasi Christi, vel sancti cujusdam. Non enim satis memini, inquit, cujus fuerit. Cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, » etc. Mox ait se de Cypro velum aliud misisse. « Nunc autem misi, inquit, quod potui reperire; et precor ut jubeas presbyteros ejusdem loci suscipere velum a latore, quod a nobis missum est; et deinceps præcipere in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. »

Ad hunc locum varia sunt responsa Catholicorum. Quidam laciniam hanc ad Epiphanii epistolam adtextam esse putaverunt. Alii non Christi, vel sancti alicujus imaginem fuisse; sed profani cujuspiam hominis, quæ tanquam sancti alicujus ibi repræsentabatur. Hæc pluribus disputata reperies apud eos, qui de imaginibus scripserunt. Fortassis eo pertinebit quod paulo ante monui, nondum in Cypro, ubi habitabat Epiphanius, usitatum istud fuisse, ut imagines in ecclesiis hujusmodi proponerentur. Quod nisi cui probetur, poterit eo esse contentus, quod præ cæteris Gabriel Vasquez uberrime de illa re disseruit[2].

VII. In opere Carolino, lib. IV, cap. xxv, idem illud Epiphanii testimonium in medium affertur: nec tamen factum illius approbatur: quod in eo concissa referatur qualiscumque effigies; a quo Gallicanos præsules abhorruisse supra notavimus. Omnino vero persuadere mihi nequeo ad Epiphanii reliquam epistolam, aut Hieronymi Latinam interpretationem, adtextam illam fuisse partem.

Alius Epiphanii locus in septima synodo ab Iconoclastis productus legitur actione sexta[3], ex epistola *ad Theodosium Imperatorem*: in qua de abolendis imaginibus apud collegas suos episcopos multum se laborasse testatur; sed Catholici falso inscriptam, et supposititiam illam epistolam esse respondent.

In iisdem actis synodi septimæ Eusebii Pamphili epistola continetur ab Iconoclastis citata[4], ad Constantiam Augustam; quæ postulaverat, ut ad se Christi imago mitteretur. Cui respondens Eusebius negat id posse fieri[5]: quod cum duplici Christus natura constet, divina, et humana; neutrius imago possit exprimi: non divinæ, quam nemo cognoscit: non humanæ, quæ tota in divinitatem est absorpta. Adversus hæc excipiunt Catholici; hæreticum fuisse Eusebium; nec ei fidem ullam habendam. Ego vero spuriam et ab hæreticis Iconoclastis confictam fuisse illam arbitror; certe Eusebiani styli, ac characteris venam non habet; ut quivis in ejus lectione detritus facile perspiciet.

CAPUT XV.

De cultu sacrarum imaginum; in quo Catholici quidam dissenserunt. 2. Synodi septimæ de eo decretum. 3. Imagines non esse damnandas. 4. Cur adhibendæ visæ sint. 5. Cujusmodi cultu venerandæ sint. 6. Ad σχετικὸν *cultum intelligendum utilia quædam explicata. 7. Imaginis et prototypi unam esse adorationem. 8. Declaratur hoc ex Patribus. 9. Arianorum calumnia in imaginum exponenda proprietate. 10. Gregorii Nazianzeni illustris, et perdifficilis locus explicatur.*

I. Quæ de adhibendis, et in Ecclesiis collocandis imaginibus dicta sunt superiori capite, minorem habent controversiam: nec iis multum adversariorum manus obsistet: qui hoc præcipue Catholicis objicere consueverunt, non quod imagines habeant, sed quod eas cultu, ac veneratione dignentur. In quo prorsus absurdi et imperiti mihi solent vi-

* Vide præter Trombellium de Canone hoc Eliberitani Concilii tom. IV, hist. nostræ Litterar. et Trivultianorum PP. monumenta Litteraria an. 1750, artic. 43, mensis Aprilis, et an. 1752, artic. 33, mensis Julii. Z.

1 Ut Baron. ad ann. 57 par. 122 Bellar. II *de Imag.* cap. IX; Vasq. in III par. disp. CV, cap. II.— 2 Disp. CV, cap. III et seq.— 3 Tom. V concil. — 4 Citat. a Molin. lib. VII *cont. card. Per.* cap. II. — 5 Eus. epist. legit. in act. VI syn. VII.

deri, et a seipsis turpissime dissidentes; etenim quo potissimum opinionis suæ, ac judicii, quod de Catbolicis faciunt, firmamento nituntur, id non modo coli, adorarive; sed etiam fieri, et haberi qualicumque in æstimatione factas imagines prohibere debet; si recte ratiocinantur. Quippe Decalogi præcepto illo, quo idolis interdicitur, etiam sacras Catholicorum imagines proscribi sentiunt; et idola sæpius illas esse dicunt. Quod si verum est, non modo cultui earumdem intercedere debent; sed etiam molitioni. Quare non otiose in illo veluti primo gradu disputatio nostra constitit, ut imagines sacris in locis rite, ac citra culpam collocari, testimoniis veterum, et exemplis ostenderet. Nunc de cultu earum acturis ante omnia repetendum illud est Iconomachorum discrimen, quod supra hoc ipso libro proposuimus[1]; quorum alii sacras imagines penitus abolendas existimarunt: ac nec erigi pietatis et religionis causa passi sunt; et erectas demoliti sunt, ac fregerunt; unde Iconoclastæ nominati sunt. Alii sola eorum veneratione damnata, haberi tamen in propatulo, et in ecclesiis ad ornatum, ac memoriam retineri voluerunt. Cujusmodi per Gallicanas ecclesias tum erat vulgata sententia, cum de imaginibus apud Græcos exorta contentio est. Testes hujus rei sunt, qui hodieque supersunt ab Gallicanis scriptoribus editi de hac quæstione commentarii; velut Jonæ Aurelianensis, Walafridi Strabonis; Caroli M. et Antistitum regni ejusdem; qui Lodovico Pio regnante de ea rogati epistolam illam scripserunt anno 825, quæ synodi Parisiensis titulo est inscripta.

Qui omnes Græcorum Iconoclastarum temeritatem et sacrilegium non minus acriter insectantur, quam Catholici, qui illos in synodo septima damnarunt, et hæreticos judicarunt. Hac re animadversa, quid de veneratione, cultuque sacrarum imaginum habeat catholica professio, ex ipsius Nicænæ synodi, et œcumenicæ septimæ decreto constituemus; et quæ ad hoc pertinent non ponemus hic illius tantummodo verba, sed etiam explicare, illustrareque conabimur.

Synodi Septimæ decretum de cultu imaginum.

II. Sic igitur septima synodus in eo, quem ὅρον nominat, hoc est *fidei definitionem*, totum illud dogma complectitur. « Statuimus, inquit, cum omni exacta cura, et diligentia, similiter ac sanctæ crucis, et vivificæ figuram, venerandas et sanctas imagines palam proponi, quæ coloribus tessellisve constant, aut alia quavis idonea màteria in sanctis Dei Ecclesiis, in sacris vasis, et vestibus, nec non parietibus et tabulis, ædibus, ac viis: nempe tum Domini, ac Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi imagines: tum incontaminatæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, necnon honorabilium Angelorum, ac sanctorum omnium, et piorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginatam expressionem videntur, tanto magis qui illas intuentur, ad prototyporum recordationem et desiderium excitantur; et ut ipsis osculum, et honorariam adorationem deferant, non tamen verum, secundum fidem nostram, latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit. Sed eodem modo veneremur, quo figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, et sancta Evangelia, ac cætera sacra donaria: tum ut suffitus, et lumina ad illas honorandas adhibeantur: quæ fuit antiquorum religiosa consuetudo[a]. »

Explicatur decretum.

Hanc de imaginum cultu œcumenicæ synodi sanctionem velut in partes secantes, ad ea accommodabimus quæ de hoc argumento disputari a nobis, observarique ratio instituti postulat. Horum primum est, quod ante omnia præcipit ἀνατίθεσθαι, hoc est *erigi*, *dicari*, *consecrari* venerandas imagines. Nam duo facinora erant improbæ illius hæresis, quam illo suo decreto configere studuerunt: alterum, quod imagines omnes demoliendas, ac dejiciendas, frangendasque curaverant;

a Syn. VII, act. VII. Ὁρίζομεν σὺν ἀκριβείᾳ πάσῃ, καὶ ἐμμελείᾳ παραπλησίως τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου, καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ ἀνατίθεσθαι τὰς σεπτὰς, καὶ ἁγίας εἰκόνας τὰς ἐκ χρωμάτων, καὶ ψηφῖδος, καὶ ἑτέρας ὕλης ἐπιτηδείως ἐχούσης ἐν ταῖς ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις, ἐν ἱεροῖς σκεύεσι, καὶ ἐσθῆσι, τοίχοις τε, καὶ σανίσιν, οἴκοις τε, καὶ ὁδοῖς· τῆς τε (forte τάς τε) τοῦ κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰκόνος (for. εἰκόνας) καὶ τῆς ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν τῆς ἁγίας Θεοτόκου, τιμίων τε ἀγγέλων, καὶ πάντων ἁγίων, καὶ ὁσίων ἀνδρῶν. ὅσῳ γὰρ συνεχῶς δι' εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως ὁρῶνται, τοσοῦτον καὶ οἱ ταύτας θεώμενοι διανίστανται πρὸς τὴν τῶν πρωτοτύπων μνήμην τε, καὶ ἐπιπόθησιν, καὶ ταύταις ἀσπασμὸν, καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει. ἀλλ' ὃν τρόπον τῷ τύπῳ τιμίου, καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ τοῖς ἁγίοις Εὐαγγελίοις, καὶ τοῖς λοιποῖς ἱεροῖς ἀναθήμασι· καὶ θυμιαμάτων, καὶ φώτων προσαγωγὴν πρὸς τὴν τούτων τιμὴν ποιεῖσθαι, καθὼς καὶ τοῖς ἀρχαίοις εὐσεβῶς εἴθισται.

1 Cap. II et seq.

alterum, quod omni eas, honore ac veneratione spoliaverant : et utrumque ideo, quod idola hæc esse jactabant ; quæ non alio tractare modo Christiani veteres solebant. Contra hæc ambo flagitia Catholicos armat Nicæna ista synodus : quæ primum collocari in propatulo, et erigi sacras imagines jubet, quod et ἀναστηλοῦν vocari consuevisse, capite antecedente dixi.

Imagines non esse damnandas.

III. Quocirca Christi et sanctorum imagines non esse damnandas, sed in sacris locis ponendas constanter asseverarunt Catholici omnes, quamvis de cultu nonnulla inter hos esset contentio. Claudium certe Taurinensem communiter execrati sunt [1] ; « Qui immoderato, et indiscreto zelo succensus, non solum picturas sanctarum rerum gestarum ; quæ non ad adorandum, sed solummodo (teste B. Gregorio) ad instruendas nescientium mentes, in ecclesiis sunt antiquitus fieri perpermissæ : verum etiam cruces materiales, quibus ob honorem, et recordationem redemptionis suæ sancta consuevit uti Ecclesia, a cunctis parochiæ suæ basilicis dicitur delevisse, evertisse, et penitus abdicasse. » Ita Jonas Aurelianensis libro primo *contra Claudium*. Carolinum item opus in præfatione, Iconoclastas, eorumque pseudosynodum Constantino Copronymo imperante celebratam condemnat, quod « imagines in ornamentis Ecclesiæ, et memoria rerum gestarum ab antiquis positas incauta abolerent abdicatione : quodque Dominus de idolis præcepit, hoc illi de cunctis imaginibus perpetrarent. » Et libro secundo, capite XXIII, testatur Gallicanos præsules media via inter frangentes imagines, nec ad memoriam in ornamentis Ecclesiæ retineri permittentes, et adorantes incedere ; quemadmodum et Gregorium Magnum ait in epistola *ad Serenum Massiliensem* docuisse [2], cujus hæc verba sunt. « Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari posset, habuisse laudamus : sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas et illas servare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit. » Quo in loco Gregorius rationem affert cur imagines, et picturæ in ecclesiis proponendæ sint et aptam, et a plerisque Catholicis usurpatam ; ad quam Germanus Constantinopolitanus alteram adjicit non minus idoneam. Nam « Domini, inquit, figuræ secundum carnem in imaginibus effingi speciem, ad hæreticorum confutationem pertinet, qui adumbratione sola, non revera hominem illum esse factum delirantes asserunt : tum ad eos docendos, ac velut manu deducendos, qui in sublime contemplationis spiritualis attollere se nondum omnino queunt, sed corporali quadam consideratione opus habent ad eorum confirmationem, quæ auditu perceperunt [a]. » Hanc vero rationem, quæ ad rudium institutionem imagines asciscendas esse demonstrat, Carolinum opus elevare studet, et adversus eam meras nugas accumulat lib. II, cap. XXII.

Imaginum utilitas.

Certe illud inficiari nemo potest, quod plurimis exemplis, et magnis auctoribus approbatur in septima synodo, multis profuisse sanctarum imaginum aspectum non solum rudibus, et idiotis, sed etiam gravibus, et doctis viris, ad animi fructum, et virtutis amorem incitandum : ut de Maria Ægyptiaca proditum est, quæ ex imaginis B. Mariæ contuitu admirabilem illum, ac toto orbe prædicandum hausit pœnitentiæ ac devotionis affectum : et de seipso quoque Gregorius Nyssenus tanta vir doctrina, tantaque eruditione præditus testatur, ad Abrahami, et oblati ab eo unici filii picturam in imagine conspectam uberem se vim lacrymarum profudisse ; uti supra meminimus ; ut alia prætercam exempla, quæ et innumera sunt in historiis, et in seipso nemo non experitur Catholicus. Quæ autem Carolinum opus ad ista reponit, frigida, ut dixi, sunt et insulsa.

IV. Est autem prior illa, quam Germanus attulit, ratio valde notanda : Christi præsertim effigiem vel ea de causa pingi oportere, ut Manichæorum, ac similium pestium, quos Phantasiastas vocarunt, excludatur insania : qui veram carnem, ac nostri similem detrahebant Christo Domino ; ob idque imaginem ejus fieri nullam oportere dicebant ; ut supra

a GERM. in epist. *ad Thomam Claudiopol.* in sept. syn. act. IV. Τὸ δὲ τοῦ κυρίου τῆς κατὰ σάρκα ἰδέας ἐν εἰκόσι τυποῦσθαι τὸν χαρακτῆρα, εἰς ἔλεγχον μέν ἐστι τῶν φαντασίᾳ, καὶ οὐχ ἀληθείᾳ ἄνθρωπον αὐτὸν γενέσθαι ληρῳδούντων αἱρετικῶν· χειραγωγίαν δέ τινα τῶν μὴ πάντη εἰς τὸ ὑψηλὸν ἀνάγεσθαι τῆς πνευματικῆς θεωρίας ἐξισχυόντων· ἀλλὰ δεομένων καί τινος σωματικῆς κατανοήσεως πρὸς τὴν τῶν ἀκουσθέντων βεβαίωσιν.

1 Jon. Aur. lib. I, col. 538, tom. IV *Bibl. Patr.* — 2 Lib. VII, epist. CXI.

monuimus initio capitis undecimi. Hinc illud frequentius in septima synodo, et ab iis, qui contra Iconoclastas decertarunt, repetitum, inculcatumque est a Catholicis, nullam nisi corporatæ substantiæ imaginem fas essefieri: ex quo id erat consequens, eos, qui imaginem Christi ullam exprimi non paterentur, veram illi carnem, humanamque denegare substantiam : ex quo tanto major hæreticis istis conflabatur invidia : quibus idcirco Judæorum, Manichæorum, et ejusmodi alia imponebant nomina Christianis auribus infesta.

Prætereaillud in decreto animadvertendum; pro confesso id assumptum fuisse, Crucem sanctam, et ejus effigiem ex instituto Ecclesiæ in locis sanctis collocatam esse : cum ejus exemplo synodus de imaginibus idipsum caverit. Vide quæ de cruce, crucisque veneratione supra disseruimus[1].

Quin illud etiam, quod antecedenti dictum est capite, liquet ; de solis picturis liquidam, et expressam facere mentionem synodale decretum, quæ vel colorum varietate, vel tessellis segmentisque musivi operis constant: de statuis non loqui; quarum tamen, uti dixi, eadem esse causa videtur, ac coloribus depictarum imaginum.

Cujusmodi cultu venerandæ imagines.

V. Sequitur definitionis pars præcipua de cultu et veneratione sanctarum imaginum ; quod primarium hujus tractationis argumentum est. Hanc synodus affirmat esse ἀσπασμὸν, id est *osculum*, et *honorificam adorationem* ; non vero λατρεῖαν esse, qui cultus uni Trinitati debetur. De adoratione, ac latria latius disseruimus in capite secundo hujus libri. Nihil in septima synodo et eorum scriptis, qui imagines propugnarunt, sæpius repetitum videas, quam ista vocabula, quibus venerationis modum explicant. Leontius Neapoleos in Cypro episcopus, ἀσπασμὸν et προσκύνησιν tribuit[2] : Tharasius ἀσπασμὸν, καὶ τιμητικὴν διάθεσιν, id est *affectum honorandi ;* λατρεῖαν vero denegat ; ut et Germanus Constantinopolitanus in epistola *ad Thomam Claudiopolitanum*, σέβας, et λατρεῖαν adimit, quam Tharasius προσκύνησιν κατὰ λατρεῖαν, id est *latriæ adorationem* nominat, eaque rejecta, solam dat simplicem προσκύνησιν, quæ est ἔμφασις τιμῆς, hoc est *honoris significatio*, ut ex Anastasio Antiocheno declarat : et ἀσπασμὸς, ut in epistola ad Imperatores docet.

Latriam.

Sic Gregorius secundus Romanus pontifex in epistola prima *ad Leonem Isauricum Imperatorem* ait, « mortales omnes adoratione diaboli rejecta, imagines adorare instituisse, non latriæ cultu, sed habitudine, ac relative[a]. »

Eadem reperies in *Excerptis sententiarum de venerandis imaginibus* ex synodo septima[3] : ubi λατρεία, et λατρευτικὴ προσκύνησις abjudicatur ab imaginibus ; conceditur vero simplex προσκύνησις, καὶ ἀσπασμὸς, καὶ τιμή. Addunt eadem *Excerpta*, Christo convenire λατρευτικὴν προσκύνησιν, et φυσικὴν, hoc est *latriæ adorationem, et naturalem :* Imagini vero Christi σχετικὴν, καὶ ὁμωνυμικὴν, καὶ ὑποστατικὴν, id est *relativam, æquivocam, et hypostaticam*. In quibus omnibus animadvertes, λατρεῖαν, vel λατρευτικὴν προσκύνησιν, opponi σχετικῇ : nec ullam λατρεῖαν σχετικὴν agnosci ab illis Patribus. Quæ ut omnia plenius percipiantur, paulo accuratius enucleanda sunt.

Latriæ adoratio.

Adoratio et osculum et honor.

Latriam vel latreuticam adorationem opponi relativæ: nec ullam latriam relativam agnosci....

VI. Imprimis vero memoria repetendum istud est, quod hoc in libro capite secundo commemoratum est[4] ; religiosum omnem honorem, ad excellentiam quamdam referri, et eam respicere, maxime virtutis ac sanctitatis ; ac pro eo atque inest in eo, quod colitur præstans illa dignitas, ac forma, sic honorificum ad illud pertinere ac tendere affectum animi. Quoniam autem Deus in se solus perfectissimam illam dignitatem, et excellentiam obtinet ; quemadmodum et ὀντότητα, id est *entitatem ;* adeo ut creatæ res omnes si cum eo comparentur, nihil omnino sint ; nec boni quidquam, et honore digni habeant : eo fit, ut honor, ac religiosus cultus unum proprie Deum ambiat : creaturas vero secundo loco, et ἀναλόγως, vel ὁμωνύμως, et σχετικῶς, hoc est *habitudine* quadam, et *proportione* ; quatenus ut entis rationem, ita quæ eam consequuntur, et inter hæc, illam ipsam, cui cultus, et honor impenditur, qualitatem, formamque participant. Porro σχέσιν illam, id est *habitudinem*, et *relationem* duplicem esse illic ostendimus : alteram, cui non subest creata ulla qualitas, et excellens forma ; puta virtus, et sanctitas ex divinæ communicatione manans ; cui veneratio debetur ; quemadmodum in mutis et inanimis, aut ratione carentibus evenit : in quibus honor ille, qui defertur, neutiquam insistit, nec adhærescit : sed quantus quantus

Cultus creaturarum relatio duplex.

[a] GREG. II papa in sept. synod. Οἱ ἄνθρωποι ἀφέντες τὰς προσκυνήσεις τοῦ διαβόλου, ταύτας προσεκύνησαν οὐ λατρευτικῶς, ἀλλὰ σχετικῶς.

1 Cap. VII et seq. — 2 In syn. VII act. IV. — 3 Tom. II *Bibl. Patr.* — 4 § 2.

est, ad prototypum transit; ut sit mera illa σχέσις, et, ut ita dicam, *transitoria*. Alteram vero diximus esse, quæ in eo, per quod transit ad principale, dignitatem quamdam, et excellentiam propriam invenit; quæ suum cultum, et honorem meretur. Ita religionem, cum ad unum præcipue referatur Deum, nihilominus ad angelos, hominesque sanctos post illum respectare, et eis honoris aliquid adspergere.

Relatio.

Ex his perspicue concluditur, cultum illum, qui imaginibus attributus est, prioris esse generis, ac mere σχετικὸν, nec in ipsis consistere: sed verissime de illis Basilii pervagatam illam usurpari sententiam: « Honorem imaginis transire ad prototypum[a]. » Atque hoc de λατρείᾳ potissimum et intelligi par est; et ab Iconomachorum adversariis tractatoribus defenditur: qui λατρείαν σχέσει, et λατρευτικῶς, ei, quod est σχετικῶς, opponunt, uti paulo ante memini. Quamobrem non est sejunctus, ac divulsus honor imaginis ab exemplari: nec separatim ab hoc illa colitur. De quo legenda sunt omnino *Excerpta de imaginibus* ex septima synodo descripta; qui liber sententias Patrum de hoc argumento complectitur[1]; quarum etiam nonnullas ex libris sanctorum Germani, Nicephori Constantinopolitanorum episcoporum, ac Theodori Studitæ collegit Euthymius in *Panoplia*, titulo undecimo: et nos supra libro quinto quasdam ex illis explicavimus[2]: præsertim illam quæ imaginem affirmat hypostasi non distare a prototypo, sed natura duntaxat: Ex quo efficitur id, quod dixi, eumdem imaginis, et prototypi cultum esse; nec illi proprie, sed isti convenire et adscribi.

Relativum.

Latriam relationi et latreutice ei quod est relative.

VII. Declarant hoc *Excerpta* illa congruenti similitudine in hunc modum: « Quamobrem cum adoratur imago, Christus adoratur, cujus est assimilatio; non autem materia, quæ assimilationem istam excipit. Atque ut in speculo contuentis ipsum facies quodammodo describitur, et manet a materia separata. Quod si cui libeat apparentem illic suam imaginem osculari, ad materiam quidem applicat sese; verum imaginem amplectitur, etc. Ita qui Salvatoris, vel Dei genitricis, aut sancti alterius imaginem osculatur, licet ad materiam sese admoveat; imaginem, non materiam exosculatur. Tum vero effigie deleta, cujus gratia erat adoratio, manet adorationis expers materia; utquæ cum similitudine commune nihil habeat[b]. » Altera ibidem est comparatio cum annulo, qui regis figuram variis materiis imprimit, quæ tamen omnes effigies eodem ordine censentur, quatenus imagines sunt, etsi materia discrepent; quoniam omnes ad eamdem regis personam referuntur, velut a materiis abstractæ. Quamobrem si quis imagini per sese, et ab prototypo cogitatione separatæ honoris aliquid habeat, nec idem cum eo potest esse, quem in imagine prototypo exhibet: nec, si omnino ab eodem prototypo mentem avocet, religiosus erit amplius cultus. Quod si latriam imagini soli præstare vellet, scelus faceret. Quippe latriæ cultus absolutus; qualem tunc istum fore sumimus; uni vero Deo convenit; non creatæ rei cuipiam. Ita synodus œcumenica septima in *fidei Decreto* significat; quæ τὴν ἀληθινὴν λατρείαν imaginibus detrahit; tribuit *honorariam adorationem*, et *exosculationem*; hoc est σχετικὸν honorem; a quo λατρείαν disjungere Patres omnes observavimus, nec ullam σχετικὴν λατρείαν agnoscere.

Imaginis et prototypi una adoratio.

Veram latriam.

Relativam latriam.

Quod imaginis, et prototypi unica sit adoratio, non duæ separatæ, ac divisæ, ex antiquorum Patrum consensu, persuadet imprimis constituta imaginis ab illis naturalis conditio, ac proprietas: quam in explicando Trinitatis mysterio primarii inter eos adhibuerunt. Ut enim Filium ejusdem cum Patre esse substantiæ, neque vel ulla re discrepare, et hunc illo præstantiorem esse monstrarent, ex ratione imaginis argumentati sunt, quæ unum prorsus est cum exemplari suo: ut qui imaginem videt, ipsum quoque videat exemplar. Quem locum in secundo libro *de Trinitate* copiose pertractavimus[3]. Habet autem

a Basil. *de Spir. sancto* cap. xvii. Ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

b *Excerpta de imag.* tom. II *Bibl. PP.* Προσκυνουμένης τοίνυν τῆς εἰκόνος, ὁ Χριστὸς προσκυνεῖται, οὗ ἐστιν ὁμοίωσις, καὶ οὐχ ἡ ὑποδεξαμένη τὴν ὁμοίωσιν ὕλη. καὶ ὥσπερ ἐπὶ τοῦ κατόπτρου διαγράφεται τρόπον τινὰ τὸ πρόσωπον τοῦ βλέποντος αὐτὸ, καὶ μένει τῆς ὕλης κεχωρισμένον. κἂν θελήσειε τις ἀσπάσασθαι τὴν ἐμφαινομένην ἰδίαν εἰκόνα, τῇ μὲν ὕλῃ προσέφυ, τὴν δὲ εἰκόνα περιεπτύξατο, etc.

Τὸν αὐτὸν τρόπον ὁ τὴν εἰκόνα τοῦ σωτῆρος, ἢ τῆς θεομήτορος, ἤ τινος τῶν ἁγίων ἀσπαζόμενος, εἰ καὶ προσφύεται τῇ ὕλῃ, τὴν εἰκόνα, καὶ οὐ τὴν ὕλην ἀσπάζεται· καὶ ἀφανισθέντος τοῦ ἐκτυπώματος, ἐφ᾽ ᾧ ἡ προσκύνησις, ἔμεινεν ἀπροσκύνητος ἡ ὕλη, μηδέν τι κοινωνοῦσα τῷ ὁμοιώματι.

1 Tom. II *Bibl. Patr.* — 2 Cap. viii § 7. — 3 Cap. xi.

hujus attenta contemplatio præclaras opportunitates; quæ non solum ad præsentem de imaginibus quæstionem, sed ad sublimiorem quoque, ac diviniorem de Trinitate disputationem illustrandam plurimum conferant. Itaque paululum in eo commorari operæ prætium est visum.

VIII. In actione quarta synodi septimæ, Athanasii prolata est sententia quædam ex sermone, vel libro quarto *contra Arianos*[2]. (Ubi illud observandum : librum hunc revera in nostris codicibus quartum numerari, cum antiquiores nonnisi tertium nominent : ut alias observavimus.) In illo itaque libro Athanasius demonstrare volens, summam esse cum Patre unitatem Filii, vel identitatem potius in natura, et essentia, proprietatibusque divinitatis omnibus; nec ulla re omnino differre; neque inferiorem eo esse, a quo genitus est; exemplo utitur imaginis ac regis: quod his verbis explicat. « In imagine, inquit, regis inest species, et forma : et in rege vicissim inest ea species, quæ est in imagine. Est enim similitudo regis in imagine nulla re discrepans : adeo ut qui imaginem intuetur, in ea regem conspiciat : ac rursus qui videt regem, agnoscat hunc eumdem esse, qui est in imagine[a]. » Quo fit, ait, ut si quis visa imagine regem videre cupiat, huic imago loqui sic possit : Ego et rex unum sumus; ego enim in illo sum; et ille in me. Ex quo ita concludit. « Qui igitur adorat imaginem, in ipsa regem adorat; quippe hujus forma, et species est imago. »

Cui adstipulatus Basilius in libro *de Spiritu sancto* capite XVII, quod in synodo septima citatur, animadvertit, « propterea regis imaginem appellari regem : neque duos esse reges : non enim dividi imperium[b], » ac similiter non esse duas glorificationes, sive honores duos; eo quod honor imaginis ad prototypum transit : adeoque non est diversus, ac distinctus.

Sic in oratione XXVII *contra Sabellianos*, et Arianos idem Basilius ex imaginis notione colligit, Patrem et Filium non esse Deos, vel reges duos. « Neque enim si quis in foro regis imaginem conspiciat, et eum, qui in tabula pictus est, regem nominat, duos reges esse confitetur, imaginem, et eum, cujus est imago[c]. » In *Excerptis de imaginibus* notatum est; « eadem, quæ prototypo imponuntur, vocabula etiam imagini tribui : sed illi, tanquam exemplari, per se ac proprie : huic vero, tanquam imagini propter illud, et abusione quadam[d]. »

IX. Verum Ariani in hac imaginis appellatione, et proprietate calumniose ludificabant, asserentes Filium, qui revera Patris erat imago, ejusque similis, Deum esse, ac bonum, sapientem, cæteraque, quibus divinitas, velut notis insignitur. Sed talem per sese, ac naturaliter, sive, ut loquuntur, *formaliter* non esse, verum extrinsece, et *objective*, vel *æquivoce* : quia talem repræsentat, sicut imago picta regis rex dicitur, non proprie, sed quia regem exprimit. Contra quos Catholici genus imaginis duplex distinguebant : ut esset alia εἰκὼν φυσικὴ, alia μιμητικὴ. Priorem aiebant non modo figuram externam, sed etiam naturam similem, imo eamdem habere; cujusmodi patris est imago filius : posteriorem, non naturæ convenire; sed in externa specie, ac figura; et unitatem, vel identitatem non φυσικὴν, sed ὑποστατικὴν obtinere cum prototypo: quod quidem de *morali*, ut vocant, *identitate* par est intelligi. Ita in *Excerptis de imaginibus* scriptum reperies : idque supra a nobis expositum est[1]. Igitur naturalis imago eamdem cum prototypo naturam, easdemque naturales habet dotes, ac proprietates; ac proinde vocabulis afficitur iisdem, non σχετικῶς tantum, vel quatenus cum prototypo comparatur, et conjuncta cum eo, unumque quodammodo facta cogitatur ; sed etiam proprie, ac per se, et qua saltem cogitatione ab illo separata consideratur. Sic enim Socrates eadem cum Sophronisco patre natura constat,

Arianorum calumnia in imaginum exponenda proprietate.

Imago naturalis alia imitativa.

Naturalem sed substantivam.

Moraliter.

a Athan. orat. IV. Ἐν γὰρ τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως, καὶ ἡ μορφή ἐστι, καὶ ἐν τῷ βασιλεῖ δὲ τὸ ἐν τῇ εἰκόνι εἶδός ἐστιν. ἀπαράλλακτος γάρ ἐστιν ἡ ἐν τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως ὁμοιότης· ὥστε τὸν ἐνορῶντα τῇ εἰκόνι ὁρᾷν ἐν αὐτῇ τὸν βασιλέα· καὶ τὸν πάλιν ὁρῶντα τὸν βασιλέα ἐπιγινώσκειν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ἐν τῇ εἰκόνι, etc.

Ibid. Ὁ γοῦν προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, ἐν αὐτῇ προσκυνεῖ τὸν βασιλέα· ἡ γὰρ ἐκείνου μορφὴ, καὶ τὸ εἶδός ἐστιν ἡ εἰκών.

b Basil. Ὅτι βασιλεὺς λέγεται καὶ ἡ βασιλέως εἰκὼν, καὶ οὐ δύο βασιλεῖς, οὔτε γὰρ κράτος σχίζεται.

c Basil. tom. III. Οὐδὲ γὰρ ὁ κατὰ τὴν ἀγορὰν τῇ βασιλικῇ εἰκόνι ἐνατενίζων, καὶ βασιλία λέγων τὸν ἐν τῷ πίνακι, δύο βασιλέας ὁμολογεῖ.

d *Excerp.* tom. II *Bibl.* Ὅσοις γὰρ ὀνόμασι τὸ ἀρχέτυπον καλεῖται, τοσούτοις καὶ ἡ εἰκὼν αὐτοῦ. ἀλλὰ τὸ μὲν, ὡς ἀρχέτυπον, καθ' ἑαυτὸ, καὶ κυρίως. ἡ δ', ὡς εἰκὼν αὐτοῦ, καὶ δι' ἐκεῖνο, καὶ καταχρηστικῶς.

1 Tom. V, cap. VIII, § 10.

et itidem ut iste, homo vocatur, *rationabilem sortitus naturam*, ut loquitur Seneca [1] : disciplinæ capax, et alia ejusdemmodi, quæ insunt homini ; hæc, inquam, per sese, et a Sophronisco separatus insita sibi, et ingenita possidet, quia naturam vere in se hominis habet, non naturæ tantummodo figuram. At vero picta Sophronisci effigies, communi duntaxat more hominum homo dicitur, quod *moraliter* vocant ; et ὁμωνύμως, non vere, ac proprie : nec aliter, quam ut ad Sophroniscum refertur, et cum eo comparatur, ac velut unum cum eo cogitatur facere. Quare priori modo, et eo jure, quo qui optimo, Filium affirmabant Catholici tum imaginem esse Dei Patris ; tum omnibus et proprietatibus, et appellationibus censeri, quibus ille præditus est.

Æquivoce.

Explicatur locus difficilis Gregorii Nazianzeni.

X. Ex his Gregorii Nazianzeni perdifficilis sane locus, multumque perplexus explicari potest ex oratione XXIII, quam in commendationem habuit Heronis, sive potius Maximi Cynici philosophi : in qua pietatem illius, et catholicæ fidei peritiam prædicans, hortatur eum, ut illius dogmata, et mysteria, audacter explicet : et inter alia, « Præscribe, inquit, pietatis nostræ doctrinam, sic nos instituens, ut profiteamur, unum quidem nos agnoscere Deum ingenitum, Patrem : unum vero genitum Dominum, et Filium : et hunc Deum eatenus, qua per seipsum pronuntiatur : Dominum vero, quando cum Patre nominatur : illud propter naturam : hoc vero, propter singularem principatum [a]. »

Ad hunc locum verbosum commentarium explicat Elias Cretensis : et eumdem obscurissimum esse testatus exponit quomodo potest : nec tamen satisfacit. Ego vero ex iis, quæ dixi hactenus, sic enarrari confido posse. Duo erant Arianorum impia dicta, atque decreta : unum ejusmodi, Verbum [1], ac Filium Deum esse, non vere proprieque dictum, si absolute, ac per se spectetur : sed tantum comparate, et σχετικῶς, quatenus imago est veri Dei, et ad eum refertur ; ut unum quodammodo sit cum eo ; sicut imago regis dicitur rex. Alterum, Domini nomen proprie Filio tribui : quemadmodum Dei vocabulum Patri. Id enim ex Apostolo colligebant [2] : qui *nobis unum Deum esse*, *Patrem* dixit ; et *unum Dominum Jesum Christum*, atque hoc modo ratiocinatur Crellius Anabaptista Photinianus, ut in tertio *de Trinitate* docui [3]. Adversus hæc duo Catholicos instruit Gregorius Nazianzenus : ac Filium appellandum esse contendit Deum non tantum σχετικῶς, et ut cum Patre copulatur : sed etiam per se, absoluteque ; quia stirpem, et fundum appellationis istius habet in se divinitatem ; non solum ὁμωνύμως, et repræsentatione tenus, ut εἰκόνες μιμητικαί : sed ut φυσικὴ εἰκών, naturam eamdem obtinens. Porro quod Ariani *Domini* vocabulum, tanquam inferioris notæ ac dignitatis, adscribebant Filio ; ac diversa interim notione ab ea, qua Patri eadem vox imputatur, nominari putabant : utpote qui rerum omnium dominatum, et potestatem precario accepisset a Patre, eique subjectus, vicissim subjecta contineret omnia : idcirco Gregorius Dominum vult nuncupari Filium, non divisum a Patre, tanquam minoris cujuspiam, et disparis conditionis, jurisque dominatum exerceat : sed conjunctim potius, ut uniusmodi principatus utriusque sit. Hic mihi germanus, et certus istius loci sensus occurrit : quem alioqui difficilem explicatu non immerito esse visum erudito Scholiastæ Eliæ Cretensi quivis agnoscet.

Relative.

Æquivoce.

Imagines imitativæ.

Naturalis imago.

a NAZIANZ. orat. XXIII. Ὁρίζου δὲ καὶ τὴν ἡμετέραν εὐσέβειαν, διδάσκων ἕνα μὲν εἰδέναι Θεὸν ἀγέννητον τὸν πατέρα· ἕνα δὲ γεννητὸν κύριον, τὸν υἱόν· Θεὸν μὲν, ὅταν καθ' ἑαυτὸν λέγηται, προσαγορευόμενον· κύριον δὲ, ὅταν μετὰ πατρὸς ὀνομάζηται· τὸ μὲν διὰ τὴν φύσιν, τὸ δὲ διὰ τὴν μοναρχίαν.

1 Lib. *de vita beata*, cap. XIV. — 2 Vide quæ tom. II, lib. II, cap. XI § 9 diximus. — 3 I *Cor.* VIII, 5. — 4 Cap. V, § 15

CAPUT XVI.

Quæ fuerit Gallicanorum præsulum, aliorumpue in Francofordiensi synodo de cultu imaginum opinio. 1. Ac primum Carolini operis scriptor quid in mente habuerit excutitur. 4. Et declaratur. 5. De Jona Aurelianensi episcopo, quid de eadem re senserit. 7. Quid synodus Parisiensis sub Ludovico Pio. 8. Quid Walafridus Strabo. Refelluntur Iconomachi, qui Crucis cultum, et adorationem admittentes, imaginibus idem deferri vetuerunt. 10. Imagines quatenus Cruci anteferendæ ex S. Nicephori sententia. 11. Iconomachorum duplex genus, et ad quod adscribendi sint Gallicani antistites ante memorati.

Quænam fuerit Francofordientium Patrum de cultu imaginum sententia, perdifficile investigare.

I. Non parum interest ad propositæ de imaginibus quæstionis enodationem, scire quis sensus illorum fuerit, qui vel in Francofordiensi conventu adversus Nicænam secundam synodum decretum fecisse dicuntur; vel secus atque illa sensit, de cultu imaginum existimasse. Horum vero si quis opinionem accuratius indagare studeat; rem esse perplexam, ac difficilem cognoscet; neque quid illis in animo fuerit, liquido satis et perspicue constare. Ut ab eo scriptore initium inquirendi faciam, qui omnium acerrimus in insectando cultu imaginum fuisse creditur; auctor ille quadripartiti operis, qui se Carolum Magnum regem inscribit in præfatione; in eadem queritur, Græcos primum synodum fecisse, in qua imagines, tanquam idola, funditus damnaverint; neque ad ornamentum saltem Ecclesiæ, vel ad rerum gestarum memoriam adhiberi fas esse decreverint: tum ea postmodum abrogata, alteram habuerint, « quæ imagines, quas prior nec etiam cernere permiserat, adorare compelleret. » Quare fuit hæc summa expostulationis illius, quod Nicæna synodus secunda adorandas imagines esse statuerit. Verum de quo genere adorationis litem moverit: atque utrum solus ei latriæ cultus, quem ab Græcis tributum imaginibus putaret esse, displicuerit: an omnem prorsus honorem, et cultum abdicarit; hoc verò non satis explicatum, ac definitum reliquit. Sic enim loquitur interdum, ut divinum duntaxat, quem λατρείαν vocant, notare videatur. Ut in libro secundo, capite XIII, quod de Silvestro Romano pontifice objectum erat, « Constantino Imperatori ab illo imagines Apostolorum esse delatas, » ita dissolvit: Detulit eas illi ad videndum, non ad adorandum: detulit, non ut adorare, quem a simulacrorum cultu abstrahere, et ad solius Dei adorationem convolare hortabatur, compelleret: sed ut idem Imperator quos in somnis viderat, eorum vultus in picturæ fucis cognosceret. » Hic de sola hac adoratione meminit, quæ Deo convenit. Quod et capite XXI libri ejusdem manifestius ostendit; cujus hunc titulum posuit: *Quod non sit contra religionem Christianam; ut illi dicunt, non colere, et non adorare imagines.* Tum in sequentibus probat, « cultum, et adorationem imaginum pene cunctarum divinarum Scripturarum abdicari eloquio. Solum namque Dominum colere; ipsum adorare; ipsum glorificare debere, totius divinæ Scripturæ tuba terribilis intonat. Unde cavendum illis est, et modis omnibus pertimescendum, ne dum imaginum cultum; et adorationem Christianæ religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum, et adorationem frustrari videantur. Quæ duo ita inter se mutuo reluctantur, ut si unum steterit, aliud stare non possit. Si enim singularis cultus soli et uni Deo debitus inconvulsus erit, et revera inconvulsus erit: imaginum cultus modis omnibus cassabitur: et si imaginum cultus non convellatur, soli et uni Deo cultus debitus non erit singularis. » Quid dici clarius potest, ut intelligas, ab operis illius scriptore solum illum, qui Deo proprie convenit, cultum et adorationem imaginum abjudicari?

Latriam.

Non solum latriæ cultum iis videntur denegare.

II. Deinde idem ille scriptor imagines coli adorarique ideo negat oportere, quod et Apostoli eum honorem, tanquam soli concessum Deo, vehementer a se depulerint: et in Decalogo severe prohibeatur: quæ quidem argumento sunt, solam λατρείαν, ac propriam Deo venerationem interdicere voluisse Carolum. In libro secundo, capite XXV, cujus hoc lemma est: *Quod nusquam ab Apostolis exemplis, aut verbis, ut illi garriunt, imagines adorare institutum sit*: id esse falsum ex eo convincit, quod tantum abest ut Apostoli imagines adorari voluerint, ut oblatum sibi ab gentilibus talem cultum constanter enixeque respuerint. Sic enim Petrus a Cornelio

Latriam.

Quid Carolini operis scriptor in mente habuerit.

adorari se prohibuit[1] : cum quidem iste *procidens ad pedes ejus adorasset* : eumque verbis hujusmodi compescuit. *Surge, et ego ipse homo sum.* Ex quibus intelligitur non qualicumque adorationi, sed ei, quæ captum hominis excederet, Apostolum intercessisse. Nam alioqui civilem, et humanam adorationem, hoc est salutationem, neque Scriptura prohibet, et licitam esse Carolus agnoscit ipse : uti paulo post dicam. Quare cum honorem ejusdemmodi, quem Petrus a se rejecit, imaginibus detrahat Carolinus liber, nonnisi divinum ablegare videtur. Eadem est Pauli[2], ac Barnabæ ratio : quorum exemplo utitur ejusdem libri scriptor. Nam illi cum se ab Lycaonibus pro diis haberi, adorarique cernerent; omnino fieri vetuerunt. Rursus idem Caroli commentarius non uno in loco, ac præsertim libro secundo, capite XXVLI, « adorandarum imaginum insolentissimum usum talem improbat, qui per paginam veteris instrumenti interdicitur : et in novi serie testamenti non solum non conceditur : verumetiam reprehenditur[3]. » Atqui neutrum testamentum ut imagines alias. quam falsæ repræsentatrices divinitatis condemnat, ac prohibet : aut adorationem ullam, præterquam generis ejusdem, detestandam, vitandamque præscribit.

Ad hæc libro tertio Carolini operis capite XV reprehenditur adoratio imaginum Imperatoris, in Orientali imperio fieri solita; quod unicum tunc erat; nondum Carolo Magno ad eam dignitatem provecto; et catenus vituperatur, quod soli Deo debetur adoratio : et ne Babylonici regis imaginem simili honore colerent pueri tres, vivi ardere maluerunt. Cum igitur exquisito illo, ac soli divinitati concesso cultu Nabuchodonosor statuam illam adorari jusserit, non alium videtur Carolus intellexisse, quem imaginibus deferri nefas esse judicavit,

Præterea libro quarto, capite XXVII : « Falluntur, inquit, et merito falluntur, qui cum Deus creator omnium se solum adorari censuerit, res quasdam sensu carentes adorare nituntur : et dum putant se in adorandis imaginibus quamdam sanctis exhibere venerationem, soli divinæ adorationi quamdam prorogant communionem. » Tum Hieronymi in libro *contra Vigilantium* testimonio utitur; qui martyres, aliosque sanctos venerandos esse docet, non adorandos : qui honor soli Deo sit habendus. Ex quo concludere licet, solam, quæ Deo peculiariter debetur, adorationem ab Carolo denegari sanctorum imaginibus. Siquidem adorationis genus quoddam hominibus citra culpam tribui propter eorum sanctitatem, vel dignitatem, et excellentiam; tum sacræ litteræ fidem faciunt; tum nec Hieronymus, neque Carolus ignorarunt. His igitur ex locis, aliisque quibus commemorandis supersedemus, suaderi videtur Carolini illius operis concinnatores, ac subscriptores non omnem cultum imaginum, adorationemve damnasse; sed λατρευτικὴν duntaxat, et soli Deo peculiarem. *Cultum Latriæ.*

III. Verum alia sunt ejusdem operis loca, quæ hoc persuadere possunt, omnem penitus religiosum cultum, et adorationem, quæ alioqui creatis rebus sine piaculo ullo concedi potest. ab imaginibus abstinendum esse. Imprimis libro secundo, capite XXIV, « hominem censet adorare caritatis, et salutationis officio fas esse; imagines vero manufactas non licere. » Cujus rei frivolam, et ludicram rationem affert, quod homo ad imaginem Dei factus, et a Deo ipso multum honoratus est : imago vero opus sit manuum hominum:et alia quædam addit ejusdemmodi; quæ ad rem omnino non pertinent; cum id unum agatur, sitne imaginum interdicta prorsus adoratio ob eam causam, quam frequenter opus illud inculcat, quod nullus præter Deum sit honore illo dignandus. Cum ergo ne adorationem quidem illam, ac venerationem, qua creaturas prosequimur, imaginibus concedat Carolinus iste liber; efficitur, nullum prorsus honorem ex illius decreto imagines mereri. *Nunc omnem prorsus cultum tollere videtur.*

Deinde capite XXVIII ejusdem libri secundi, ad id, quod in septima synodo dictum erat a Catholicis, adorandas, et venerandas esse sanctorum imagines : quando quidem Crux sancta pie ab Christianis omnibus adoratur, et colitur : ad hoc, inquam, ita respondet, diversam esse Crucis atque imaginum causam; quippe passum in Cruce esse Dominum; non in imaginibus : redemisse mundum per Crucem; non per imagines : portandam unicuique Crucem præcipi; non imaginem : et alia id genus, insulsa omnia et inepta. Ex iis tamen quæ mens scriptoris illius fuerit conjectura fieri potest : si quid tamen certi ac solidi istius in mente fuerit; verumtamen rationem ponere licet sic : cum

1 *Act.* x. 25. — 2 *Act.* XIV. — 3 Vide supra cap. V et seq.

adoratione illa, quæ latriæ est, et uni excepta Deo, Crucem colendam esse neque Carolini consarcinator ille, neque Christianus ullus existimet: (est enim creatura Crux, non Deus, aut Creator) quoniam ne cultum quidem eumdem, quem Cruci tribuit, latria videlicet inferiorem, imagini Christi, delegandum censet operis Carolini scriptor, manifestum est, non solam ab eo latriam imagini detrahi, sed qualemcumque venerationem; cujusmodi capax esse res alioqui creata potest.

IV. Adjuvat hanc nostram ratiocinationem quod in sequenti capite XXIX, ne sacris quidem vasis æquiparari patitur imagines; vasis, inquam, quibus ad tabernaculi templive ministerium usi sunt Israelitæ : quæ profecto nemo latriæ cultu, tanquam numina, putet affici debuisse, nisi qui juxta cum insano sapit.

Quinetiam libro tertio, capite XXIV, sanctorum reliquias, velut ossa, cineres, aut vestes, apud Christianos in honore, ac veneratione esse fatetur, eumque ritum approbat : de imaginibus vero idem præstari præfracte vetat. Denique capite XXXI et ultimo libri secundi, sanctos venerari præcipit; Deum autem adorari : imagines vero pictas ad ornamentum Ecclesiæ duntaxat, et memoriam retineri. Non igitur cultum aliquem religiosum, et hujusmodi, quem sanctis adscribit, eorum imaginibus indulget.

Sententia probabilior declaratur. In tanta varietate, ac dissensione decretorum, atque dictorum, quam in Carolino opere illo licet animadvertere, difficile est unum aliquod fixumque statuere, de eo, quod proposuimus : utrum solam latriam ab imaginum, quem probavit, usu repulerit; an omni illas honore, ac veneratione spoliatas, ad simplicem basilicarum ornatum, et ad sanctorum, rerumque, quas illi præclare gesserunt, memoriam adhibendas putaverit. Quod ego posterius veri arbitror esse similius. Sed ita tamen, ut cum hoc absolute destinasset animo, paulatim occæcatus inscitia scriptor ille, ac contradicendi libidine, et ardore disputandi longius provectus, de idololatria, vetitoque in Lege veteri cultu simulacrorum nonnulla identidem asperserit : quæ nec ad causam quidquam pertinerent; et apud indoctos, aut minus acres rerum inquisitores valerent ad concitandam invidiam; qui mos est hodiernorum Iconomachorum ex Lutheri, Calvinique fæce; qui quidem adversus catholicum dogma de cultu imaginum disputantes, cum præclare intelligant (de iis enim loquor qui judicii, ac doctrinæ aliquid habent) procul ab idolorum superstitione distare Romanæ institutum ecclesiæ, non desinunt tamen illud idem sub idololatriæ, ac vetitæ in Decalogo superstitionis elogio traducere. Quod cum adeo putide, impudenterque faciunt, contemnuntur ab Nostris; ridentur ab suis paululum acutis, et eruditis; obtinent interim quod volunt, ut et consuetudini, causæque serviant; et imperiti vulgi gratiam cum incremento mercedis, et auctoramenti colligant.

V. De Jona episcopo Aurelianensi par est judicium; hoc est non minus ambiguum, et perplexum. Nam et imagines aliquando solius recordationis gratia usurpari in Ecclesia censet : et solum eum, qui Deo convenit, latriæ cultum abdicare videtur. Displicuit imprimis illi Claudii Taurinensis præceps et inconsulta temeritas, qui sanctorum imagines[1], necnon Cruces diruere, et exterminare ab sua diœcesi non est veritus : ut et supra memini : cum ad recordationem, et plebeiorum, ac rudium institutionem usus sit imaginum retinendus. Ac cum illius verba proposuisset, quibus jactabat se « in Italiam venientem[2], invenisse omnes basilicas, contra ordinem veritatis, sordibus anathematum, et imaginibus plenas, bene ab ipso anathemata imagines appellari dicit[3], quod se ea adoratione adorantes, quæ soli Deo debetur, anathema efficiunt. Bene quidem responderes, inquit, quia nobiscum, imo cum omni catholica Ecclesia, in hac sententia sobrie concordares. Omnis quippe res divinitus prohibita, et si non natura sui, eadem tamen prohibitione, qua prohibita est, sese contra fas appetentem, colentem, adorantem, in exitium anathematis demergat necesse est. » Ibi anathema putat imagines recte nominari ab Claudio, si adversus Decalogi mandatum latriæ utique adoratione colantur. Non minus ambigua Jonæ Aurelianensis opinio.

Et paulo post Claudii ejusdem sententiam approbat asseverantis divino præcepto vetari ullam cujusquam rei similitudinem fieri, quæ in cœlo sit, aut in terra; dum ea conditio subjungatur; « cui cultus, aut adoratio, quæ soli Deo debetur, quodammodo exhibeatur; » verum nihil ex eo contra imagines effici[4]; quæ in Ecclesiis « ob pulchritudinem, et recordationem depictæ collocantur; » quod insuper

1 Jonas lib. I, col. 535 tom. IV *Bibl. Patr.* — 2 Jonas col. 530. — 3 Ibid. 540. — 4 Ibid. 541.

ex Cherubimis, et aliis in Mosis tabernaculo, et Salomonis templo ad rerum similitudinem manu factis operibus confirmat. Post hæc vero, quoniam Claudius lege cautum esse dixerat de similitudinibus istis, *Non adorabis ea*, *neque coles* [1] : respondet non omnem adorationem ab Scriptura damnari; sed esse creatis rebus legitime tributam aliquam : solam ergo latriæ venerationem interdici; quod ex Augustini libro decimo *de Civitate Dei*, capite I, demonstrat.

VI. Rursus in sequentibus Jonas « eorum indiscretum amorem ob honorem sanctorum notat[2], qui eorum imaginibus supplicant : quos tamen nescire se dicit, an temere idololatræ sint vocandi. Videntur sane potius ab hac superstitione adhibito rationis moderamine revocandi, quam idololatræ, cum utique sanctæ Trinitatis fidem veraciter credant, et prædicent, nuncupandi [3].» Sub hæc sanctorum reliquias, quas Claudius contemnebat, neque apud Christianos in veneratione esse patiebatur, *honorandas esse* contendit ex Hieronymi auctoritate[4]. Et quod idem argumentabatur Claudius sic, « Si opera manuum Dei non sunt adoranda et colenda; quanto magis opera manuum hominum adoranda, et colenda non sunt, prorsus nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur? » huic Jonas ita respondet : « In hujus sententiæ sensu nobiscum sobrie sapis. Verum est, inquam, quia neque opera manuum hominum sunt adoranda, et colenda, illo videlicet cultu et adoratione, qui solius divinitatis est. Opus namque manuum Dei corpora sanctorum præcedentia opusculi tui te dixisse produnt; quæ non adoranda adoratione divinitati debita, sed pio sunt amore amplectenda, et honoranda, utpote sancti Spiritus templa sacrata. » Postremo Crucem ipsam « ex sanctorum Patrum traditione venerari, adorare, colere sanctam Ecclesiam docet Jonas idem [5], non cultu, et adoratione, quæ solius divinitatis est. Itaque ob recordationem salutiferæ passionis Dominicæ annuatim in sanctissimo die Parasceves, secundum traditionem Ecclesiasticam, crucem Christi adorat, id est supplicando salutat : quod late deinceps probat. »

Hæc Jonæ de imaginibus sententia non minus, quam Carolini operis, implicata est et obscura; imo in semet incurrit, ac minime cohæret. Nam cum Crucem laudabiliter coli, et adorari, non tamen latriæ cultu, sentiat, quæ sane creatura est, non divinitas; haud dubie venerationem aliquam agnoscit, creatarum rerum propriam. Cur non igitur hanc ipsam Salvatoris imagini pictæ tribuendam existimat, quam Cruci ejusdem religiose deferri tot adversus Claudium testimoniis ostendit? Quid porro rationis habet, omnem imaginum adorationem etiam ab latria diversam, et inferiorem, idololatriæ condemnandam, et Decalogi præcepto prohibitam velle, Crucis vero unius adorationem, quam ejusdem generis constituit, non eadem lege comprehendi? aut quid inest in imagine Salvatoris, cujus gratia coli eam, adorarique nefas sit, quod in Cruce non est; ut ei cultus, et adoratio delegetur? Hæc sunt ad ineptiam, et inscitiam implicata : quæ multo perspicua magis existet in sequenti capite : ubi adorationis illius formam, ac rationem accuratius exponam.

VII. Non absimilis est, et eodum inscitiæ tincta fuco illa Pseudosynodi Parisiensis epistola, quæ Ludovico Pio imperatore, et ejus nomine missa Romam est ad Eugenium secundum : cujus capite undecimo meminimus [6]. Nam perinde est anceps, et ambigue concepta. Non placet illius scriptoribus Orientalium facinus, qui sacras imagines sustulerant : nec eorum synodum probant, quæ Constantini *stercorei* tempore illud ipsum decreverat. Sed ut *imagines erigere licitum*, sic *adorare nefas* arbitrantur [7]. Ideo septimam synodum ab iisdem Græcis celebratam improbant : « in qua sicut illi multum deviaverunt, inquiunt, qui imagines sanctorum in illa alia synodo, quæ sub Constantino avo (Copronymo scilicet) memorati Constantini (Irenes filii), facta est, penitus abdicandas esse decreverunt : sic isti non mediocriter erraverunt, qui eas non solum coli, et adorari, et sanctas nuncupari sanxerunt; verumetiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt. » Deinde illud exponunt, quemadmodum Carolus M. posteriorem hanc synodum « coram se, suisque perlegi fecit, et multis in locis, ut dignum erat, reprehendit, et quædam capitula, quæ reprehensioni patebant, prænotavit, eaque per Angilbertum Abbatem Hadriano direxit, ut illius judicio, et auctoritate corrigerentur. » Hadrianum his acceptis ad singula capita respondisse refert; sed ejus responsionem sugillat epis-

Item Pseudosynodi Parisiensis sententia.

1 *Exod.* XX. — 2 Jonas, col. 547. — 3 Ibid. col. 548 et 549. — 4 Ibid. col. 550. — 5 Ibid. 551. — 6 § 5. — 7 In synodo Paris.

tola; ac quid Ludovicum adversus eam rescribere oporteat, diligenter suggerit, idque uti prudenter faciat hortatur. Summa vero reprehensionis hæc est, quod « imaginum superstitiosam venerationem » (sic enim vocat) ratam auctoritate sua faciat. Has vero ad memoriam, et ornatum, sed citra venerationem, adorationemque retinendas esse sentiunt : idque Patrum sententiis illis approbant, quæ idola fieri, et adorari prohibent. In quo eodem, ac superiores, quos paulo ante memoravimus, errore lapsi, et eodem modo refellendi sunt.

Necnon Walafridi abbatis.

VIII. Walafridus quoque Strabo Abbas Augiæ, qui eodem imperante Ludovico Pio floruit, in libro *de rebus Ecclesiasticis*, capite octavo, quod de imaginibus, et scripturis inscribitur, dubius et ipse nutat : prorsusque supra memoratis popularibus suis assentitur; ac de idolis neque fabricandis, neque colendis eamdem cantilenam occinit : neque tamen imagines sanctorum aboleri, imo vero adhiberi præcipit : « Quod videlicet non sint Deo debitis cultibus, et honoribus colenda, quæ ab illis (Mose, et Salomone) vel nobis facta sint, vel fuerint, aut significandi alicujus mysterii causa; ut tabernaculi, et templi structura omnis : aut ob commemorationem rerum gestarum; ut pictura historiarum : aut ob amorem eorum, quorum similitudines sunt animis videntium arctius imprimendæ; ut imagines Domini, et sanctorum ejus. Neque enim frustra superiori sententiæ subjunctum est, *Non adorabis neque coles ea.* Unde videlicet intelligamus, in his faciendis devotionem, et utilitatem, qua commoveri, vel instrui appetimus, non esse culpandam; sed in his colendis, superstitionem, et hebetudinem, qua spiritualem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam. » Neque vero propterea pictorum, vel fabrorum artem esse damnandam; uti neque creatas res omnes, quod iis homines abutantur ad animorum perniciem. Itaque tam eos improbat, « qui easdem imagines ultra quam satis est venerantur : quam qui illas ut quasdam idololatriæ species respuunt. » Tum divinis honoribus ne ipsos quidem sanctos vivos aut mortuos, nedum eorum imagines coli adorarive patitur. « Cum itaque talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti, et moderati imaginum honores abjiciendi. » Nempe ut minime conculcentur, aut deleantur, ut subinde admonet.

IX. In his Walafridi æstus, et jactatio perspicua est. Quorsum enim illa cautio de idolis, ac divino cultu sanctorum imaginibus non tribuendo pertinet? Quanquam sic illud Decalogi præceptum intelligere videtur, ut non absolute fieri similitudinem rerum prohibere censeat : sed eatenus solum, ut non adorentur. In quo fugit illum ratio; ut in antecedenti capite sexto libri hujus ostendimus. Verumtamen tolerabilius cæteris sapit, qui imagines idola esse negat : ac nonnisi cultum, adorationemque Deo debitam in illarum sibi usu displicere demonstrat. Nec illud interim laudandum, quod *spiritualem cultum ad corporalia traduci vetat*, idque vitio vertit imaginum adoratoribus Catholicis : quasi aut spiritualis omnis cultus *corporalium rerum* in culpa sit : aut idololatriæ statim nota illi subscribi jure debeat. Nonne sancti cum viverent corpore constabant? Et eos tamen ut non divino, sic aliquo honore, et utique spirituali, venerandos esse fatetur. Quid eorumdem sanctorum reliquiæ? nonne sunt corporales res? Atqui colendas, et adorandas eas esse Gallicani iidem antistites nullo modo dubitarunt.

Quid de Cruce dicam? In qua crucem certe vetustioribus Iconomachis Catholici fixerunt. Nam adeo vecordem, et a seipsa dissidentem illorum hæresim uno illo crucis exemplo esse monstrabant, ut ne mutire quidem auderent adversarii : sed suapte capti convictique professione tenerentur. Cum enim crucem colerent, et adorarent, quidquid adversus imaginum cultum, et adorationem objecerant, statim in illos retorquebatur, qui idem in adoranda cruce flagitium, ut quidem rebantur, et ipsi committerent.

Erudita Nicephori patriarchæ C. disputatio, quomodo imago Christi venerabilior cruce.

X. Ad hoc pertinet erudita Nicephori Patriarchæ disputatio ejus[1], qui ab Leone Armenio in exilium pulsus est : in qua crucem Christi cum ejus imaginibus, et ambarum inter se cultum comparat, ostenditque multo hanc illa præstantiorem, et honoratiorem habendam esse. Etenim. « Imago Christi, inquit, similitudo ejus est, et corpori ejus similis est, figuramque corporis ejus nobis describit, et delineat, ac speciem denuntiat, et modum actionis, vel doctrinæ, vel passionis, ut plurimum imitando significat, figura vero Crucis nulla parte similis est corpori ejus, nihilque eorum, quæ dixi, ostendit.

1 Tom. IV § 2 *Bibl. Patr.*

Quod autem simile est alicui, magis propinquum, et cognatum est ei, quam quod non est simile, notiusque illud propter similitudinem efficit : ac proinde honoratior est imago Christi, utpote magis illi finitima, et notior. Cum igitur figura crucis apud nos sit in honore, et veneratione, erit honoratior, et venerabilior imago Christi. Præterea imago Christi primum, et sine medio, statim, et primo congressu speciem ejus nobis indicat, et memoriam affert. Siquidem eum, qui effigiatus, in ipsa effigie, tanquam speculo spectamus. Crux autem non hoc facit. Cum enim crucem videmus, primum quidem mentem ad id, quod apparet, intendimus : deinde cogitamus quid est, et quomodo sanctificata est, et a quo contemplamur : atque ita secundo loco ad crucifixum. et ad eum qui crucem sanctificavit transimus. Quocirca quod primum transit ad aliquid, et illud imprimis manifestum efficit, honoratius est eo, quod hæc secundo loco facit. Imago igitur Christi honoratior est Cruce Christi, quæ alioqui honorata est. » Item illud argumentum adhibet; « quod nomen Christi homonyme de Christi imagine prædicatur. Christus enim vocatur ipsa imago : sicut vocatur rex ipsa imago regis; de cruce autem non potest prædicari. Nemo enim cordatus crucem ullo modo appellabit Christum. Quare quod participat ipsum nomen, sicut participat figuram corporis, magis honoratum est, quam quod nihil horum participat. Imago igitur honoratior est, quam figura crucis. » Ad hæc si crucis figura veneranda est, erit etiam et picta; hoc est illius imago. Hæc et alia plura Nicephorus de cruce, et imagine Christi contra Orientales Iconomachos sui temporis.

Eadem etiam adversus Occidentales, et Gallicanos eodem sæculo sunt ab Catholicis objecta ; quæ sane ἀναντίῤῥητα sunt, et invicta. *Irrefutabilia.* Nam eadem et isti pravitate opinionis imbuti erant, et conflictione judicii, ut et magno in honore crucem haberent, adorarentque, et imaginibus eumdem cultum negarent; tametsi non eas, ut illi, violarent, ac profligarent.

XI. Quanquam non defuere inter Orientales illos Iconomachos, qui imagines nulla afficiendas injuria censerent : sed sic habendas esse, ut neque venerandæ essent, neque dehonestandæ, quod temperamentum secutos esse nostrates supra docuimus. *Iconomachorum duplex genus* Contra quod genus dissidentium ab Catholica traditione disputat idem a me laudatus Patriarcha Nicephorus in tractatu *de Cherubimis*[1]; in quo multis rationibus ita sentientes oppugnat. Theodorus quoque Studites in Catechesi XV, quæ est dogmatica, et Græce, Latineque inter Damasceni opera Basileæ est edita, bifariam divisos fuisse Iconomachos affirmat. « Videte inquit, nefariam illorum sententiam, quæ bifariam tribuitur. Aut enim imaginem Christi nullo modo erigendam existimant; aut erigendam quidem, sed pari loco habendam ac figuras illas, quibus bella, vel venationes exprimuntur. Ex quo negant adorandam illam esse : quoniam nec equi, aut bovis, aut canis, aut leonis, aut pardi, aut serpentis, aut volucris, aut piscis imagines adorantur[a]. » Quam vanam et ineptam superstitionem pluribus refellit, ac memorandum illud inter cætera dicit : loca, in quibus natus est Christus, sancta, et adoranda esse, nominarique, et si quis inde pulverem, aut lapidem sumpserit, tanquam rem pretiosam, et sacram colere, ac venerari. Quinetiam Romæ claves ipsas Principis Apostolorum Petri in honore et pretio haberi : cum tamen Dominus illi non ex materia fabricatas claves dederit : sed eas quæ sermone ligant, et solvunt : at illos argenteas facientes, ad adorandum offerre[b].

Quocirca posteriori isti generi Iconomachorum videntur accensendi Occidentales illi, quos hoc capite descripsi. Qui quidem omnem prorsus honorem, cultum, et adorationem, sive interiorem, sive externum imaginibus detrahebant : easque sic in ecclesiis admittendas putabant; ut haberi solent profanæ, velut arborum, aut ferarum, aut bellorum, ac venationum : quibus nulla honoris significatio, nec adoratio σχετικὴ tribuitur; *Relativa* sed solius oblectationis, vel memoriæ causa intuentium oculis subjici solent.

a Theodorus apud Damasc. Ὁρᾶτε δὲ αὐτῶν τὸ πονηρὸν φρόνημα διχῶς διαιρούμενον, πῇ μὲν εἰς τὸ μηδόλως ἀναστηλοῦν τὴν εἰκόνα Χριστοῦ· πῇ δὲ εἰς τὸ ἀναστηλοῦν μὲν, ἴσας δὲ τοῖς κατὰ πόλεμον, καὶ θήραν ἱστορουμένοις· καθό φασιν οὐδὲ δεῖν αὐτὴν προσκυνεῖσθαι, ὅτι μηδὲ ἵππου, ἢ βοὸς, ἢ κυνὸς, ἢ λέοντος, ἢ παρδάλεως, ἢ ὄφεως, ἢ πετεινοῦ, ἢ ἰχθύος εἰκὼν προσκεκύνηται.

b Ibid. Μανθάνω γὲ ὅτι ἐν Ῥώμῃ καὶ τὰς κλεῖς τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου διὰ τιμῆς ἄγουσι. καίτοι γε ὁ Κύριος οὐ κλεῖς αὐτῷ δίδωσιν αἰσθητὰς, ἀλλὰ τὰς διὰ λόγου εἰς τὸ δεσμεῖν, καὶ λύειν. οἱ δὲ ἀργυρᾶς πεποιηκότες, ταύτας προτιθέασιν εἰς προσκύνησιν.

1 Tom. cod. *Bibl. Patr.* 1129 seq.

CAPUT XVII.

Sitne peculiari aliquo cultu imago veneranda qui in ipsa consistat, et absolutus sit. 1. *De latria notata quædam; quid sit devotio.* 2. *Quid vera, et in spiritu latria.* 3. *Iconoclastæ Christianorum calumniatores, qui idololatriæ speciem quamdam iis affingebant.* 4. *Juliani Apostatæ pro idolis expensa ratio.* 5. *Duplex idololatriæ genus.* 6. *Imagines per se, et absolute venerandas non esse.* 7. *Probatur hoc ex Tridentina, et Nicæna secunda synodis.* 8 *Tum ex variis locis Patrum, qui in hac citantur.* 9. *De Arianorum idololatria, et cujusmodi sit latria.* 10. *Eximia* ἐπίστασις *adversus Iconomachos.* 11. *Proposita quæstio ex superioribus testimoniis deciditur, et absolutum imaginum cultum propugnantium argumenta solvuntur.*

I. Theologorum quorumdam in scholis disputantium perspicax, et limata subtilitas postremam hanc operis de Incarnatione nostri quæstionem peperit: quam ab aliis uberrime pertractatam, minime tamen omittendam putavimus, quod et opera nostra nonnihil hanc perpoliri, et illustrari posse confidimus, et ad illa plenius, et facilius percipienda, quæ hoc, et superiore libro disputata sunt, propemodum necessaria videtur: maxime vero ad Iconoclastarum hodiernorum frangendos impetus, calumniamque propulsandam, quam in sacrarum Imaginum cultum, ejusque propugnatricem catholicam Ecclesiam stulte, inconsiderateque conferunt. Atque ut proposita controversia dijudicari melius possit, nonnulla de latriæ cultu et adoratione capite secundo et XV libri hujus explicata, rursus hic resumenda, et ad præsens institutum applicanda sunt.

Summa eorum quæ superius de adoratione exposita sunt.

In latriæ adorationem, cujusmodi ab hominibus proficiscitur in Deum, duo convenire, ac concurrere diximus in secundo capite: quorum unum est externum; idque corporis opera, et functione perficitur: ut sunt, inclinatio capitis, adgeniculatio, manuum extensio, vel compressio, osculatio, et quæ προσκύνησις proprie dicitur a Græcis, a Græcis, a Latinis *adoratio*, hoc est proni in terram corporis dejectio, et ejusdemmodi cætera, quæ pro variis gentium ritibus, et institutis usurpari solent. Alterum est interius, quod in agnitione supremæ, quæ penes solum Deum est, excellentiæ, et pio in ipsam voluntatis affectu, ac devotione positum est. Devotionem cum dixi, proprio sum usus, et apud Latinos aptissimo rei isti significandæ vocabulo. Nam *devotos* appellatos esse constat eos, qui se obsequio, et servituti principis penitus addixerant, et sacramento devinxerant, ut pro illo, et cum illo mortem oppeterent. Hos Græci καθωσιωμένους vocant, quasi dicas *consecratos*, vel *consecraneos;* unde Glossæ veteres καθοσίωσιν interpretantur *dicationem*; de quo vide quæ olim ad Epiphanium adnotavimus. Ergo λατρείας cultus interior, est religiosa motio voluntatis in Deum, qua ei tanquam supremo omnium dominatori, ac principio ardentissimo affectu subjicimus, et ipsius nos servitio devovemus; ac summam ejus excellentemque dignitatem animo capientes, hanc submisse veneramur, et colimus.

Latriæ.

II. Quamobrem humana, eaque perfecta λατρεία ex utraque parte, interiori, et exteriori in solidum, et pro indiviso constat: sed ita ut interior affectus ille formæ instar habeat, vel animæ: exterior, materiæ, atque corporis. Quamobrem cultus exterior qualiscumque, si desit internus, λατρεία non est: quemadmodum corpus inanimum homo non est, sed cadaver, et rudis, informisque massa Recte ergo Leontius in *disputatione cum Judæo super imaginum adoratione*, « Scopum, ait, et intentionem inquiri in omni salutatione, et omni adoratione [a]. » Siquidem in iis, quæ ad mores pertinent *intentio* itidem est ut in natura constantibus, forma. Ita etiam Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in epistola *ad Thomam episcopum Claudiopolitanum* monet: « Non oportere simpliciter ad ea, quæ fiunt extrinsecus, respectum habere, sed eorum, qui faciunt, mentem, et intentionem ubique probari [b]. »

Latria.

Quid vera et in spiritu latria.

Latria.

Hæc *vera* est, et *in spiritu* λατρεία, quam in Scripturis ita nominatam Patres, et concilia sæpius in usum receperunt. Christus ipse

a In VII syn. act. IV. Ὡς γοῦν πολλάκις εἶπον, ὁ σκοπὸς ἐξετάζεται ἐπὶ παντὸς ἀσπασμοῦ, καὶ ἐπὶ πάσης προσκυνήσεως.

b GERMAN. ibid. Οὐχ ἁπλῶς τὰ ὑποτελούμενα σκοπεῖν χρή. ἀλλὰ πανταχοῦ ὁ σκοπὸς τῶν πραττόντων δοκιμάζεται.

apud Joannem : *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare* [a]. Et Apostolus , *Testis enim mihi est Deus*, inquit, *cui servio in spiritu meo* [b]. Hinc septima synodus in *fidei Decreto* vocat illam « veram secundum fidem nostram latriam[1] » quæ nec imaginibus , nec sanctis ullis ; sed uni summæ majestati, hoc est sacrosanctæ Trinitati, et ei, qui unus est ex Trinitate, Christo Deo pariter et homini conceditur, quod in singulis propemodum paginis Nicænæ secundæ synodi Patres adversus Iconomachos testificati sunt. Sic Germanus Patriarcha in epistola *ad Joannem Synadensem episcopum* , asserit Catholicos « non transferre ad imagines manu factas adorationem illam in spiritu, et veritate, quæ soli incomprehenso, et inaccesso Deo convenit[c]. » Ac paulo post cultus illius religiosi naturam et proprietatem, ac differentiam, quæ ex affectu illo interiori paritur, egregie declarat. Nam etsi imagines Christi, et B. Virginis, ac sanctorum fieri, colique mos sit in Ecclesia receptus, non tamen ex eodem affectu, animique dispositione, et eadem fide venerationem utramque proficisci [d].

Tum in refutatione decreti pseudosynodi ab Iconoclastis contra sacras imagines Imperatore Constantino *Stercoreo* celebratæ, quæ in actione sexta Nicænæ secundæ relecta est, passim illud inculcatur. Ut cum ita loquitur, Epiphanio legente diacono, « Sinceram , puramque fidem et latriam in spiritu, et veritate soli nos offerre Deo, non qualibuscumque sub cœlo creaturis [e]. » Ac deinceps id crebro repetitur : Christianum neminem adorationem illam, quæ est in spiritu, et veritate, imaginibus, etiam crucis ipsius tribuere. Item , cum soli Deo offeratur latria in spiritu, et veritate, cæteris, ait, quæ ipsi dicata, et consecrata sunt, velut figuræ pretiosæ crucis, sancto Evangelio, venerandis imaginibus, et sacris vasis, salutationem, osculum, amplexum, et hononariam adorationem delegari, quam et σχετικὴν προσκύνησιν subinde nominat, id est *relativam adorationem*.

III. Hæc adversus Iconoclastas quanta possunt maxima contentione Catholici sacrarum defensores imaginum tam in actis citatæ synodi septimæ, quam alibi omnes prædicant, repetuntque sæpius : Non se imagines colere, nec adorare veneratione illa, quæ soli Deo peculiaris esse debet, ac *vera, et in spiritu latria*, vel προσκύνησις, id est *adoratio* nominatur. Quæ autem sacris imaginibus in Ecclesia conceditur, illam, inquam, τιμητικὴν, id est *honorariam* adorationem, sive ἀσπασμὸν, id est *salutationem*, ac reliquum omnem externum, et interiorem cultum, et honorem, longe inferioris esse dignationis, tum ne absolutum quidem esse, qui in imagine consistat ipsa, et in eam præcipue, propterque se sit intentus : sed σχετικὸν, id est *comparativum*, ac *relativum* potius ; qui per imaginem transit ad prototypum, et in eo defixus hæret. Cur hæc tanta constantia, et pertinacia sancti illi Patres inculcent, et adversariis intentent, horum fecit improbitas, et libido calumniandi : qui sanctas imagines, idola, et simulacra gentilium : illarum cultum, idololatriam, et superstitionem vocabant, et in utroque violari veterem illam, ac sanctissimam legem a Deo traditam Judæis asserebant. Quam ob causam χριστιανοκατήγοροι, id est *Christianorum accusatores*, identidem in actis appellantur synodi septimæ, quod Ecclesiam universam, suscepto sacrarum imaginum cultu, ab recta fide descivisse penitus, et ad idololatriam transisse jactarent.

Iconoclastæ Catholicorum calumniatores.

Est autem idololatriæ species illa in sacris, ac Propheticis libris notata passim, ac gentibus exprobrata, qua non solum ficta numina, hoc est dæmones, vel vita functos homines, quos non videbant, pro diis adorarent, et colerent: sed horum etiam effigies, et simulacra ex auro, argento, vel ære, ac ligno fabricata tanquam Deos haberent. Negabant hoc e gentilibus politissimi quique, ac doctissimi : nec se adeo fatuos credi, hebetesque patiebantur, ut esse Deos putarent muta, et rationis, ac

a Joan. IV, 24. Πνεῦμα ὁ θεὸς, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.

b Rom. I, 9. Μάρτυς γάρ μου ἐστὶ ὁ θεός, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου.

c GERM. in act. IV, syn. VII. Οὐχ ὡς τὴν πρέπουσαν τῇ ἀκαταλήπτῳ, καὶ ἀπροσίτῳ θεότητι ἐν πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ προσκύνησιν μετατιθέντων ἡμῶν εἰς χειροποιήτους εἰκόνας.

d Ibid. Οὐ κατὰ τὴν αὐτὴν διάθεσιν, καὶ τὴν περὶ αὐτοῦ πίστιν ἔχομεν.

e In VII syn. act. VI. Καὶ τὴν εἰλικρινῆ, καὶ ἀκραιφνῆ πίστιν, καὶ λατρείαν ἐν πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ τῷ θεῷ μόνῳ προσφέρειν, καὶ μὴ τοῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ὁποιοισδήποτε κτίσμασι.

1 Supra cap. XXV, paragr. 2.

sensus inania simulacra. Julianus instar erit omnium. Is in fragmento cujusdam epistolæ, quod inter ejus opera ante viginti annos editum est, quædam dicit non ad illam solum gentilium tergiversationem intelligendam : sed ad nostram quoque de sacris imaginibus disputationem illustrandam usui futura: quæ propterea hic exponam.

Juliani Apostatæ idolorum defensio expenditur et exploditur.

IV. Idolorum suorum contra Christianos patrocinium sumens Apostata primum illud ostendere nititur, neutiquam se illa deos ipsos arbitrari. « Nam simulacra, inquit, et aras, necnon æterni custodiam ignis, et ut uno verbo dicam, cætera id genus omnia Deorum præsentiæ signa majores nostri constituerunt; non ut ista Deos esse credamus : sed ut ipsos per illa veneremur. Etenim quoniam nos in corpore degentes consentaneum corpori cultum adhibere diis oportebat, iidem porro corporis sunt expertes : primum nobis illi simulacra monstrarunt, quod est secundum a primo genus deorum, quod circum cœlum universum in orbem volvitur. Sed cum ne istis quidem corporeus cultus attribui possit, nam suapte natura rei nullius indigent; tertium in terris inventum est genus simulacrorum : in quod cultum nostrum impendentes, Deos nobis propitios reddemus [a]. » Mox ita disputare pergit, illa ipsa simulacra, Deos non esse, sed effigies Deorum : sicut imagines regum non sunt reges ; sed horum effigies. Porro qui reges amant, ac venerantur, eorumdem imagines in amore habere, atque cultu. Ita Deorum amatores, atque cultores, pari in illorum simulacra ferri voluntatis affectu. Hæc Julianus. Verum non est dubium, quin etsi prudentiores, et eruditi gentiles inter facile istud animadverterint, ligneas, aut æreas, aut ex pretiosiore metallo fabricatas effigies, Deos non esse; complures tamen, et quidem majore numero, pro Diis illas habuerint, et adoraverint. De quo nemo Christianus controversiam facere potest : neque quisquis divinis utriusque testamenti litteris fidem potius adhibendam esse censeat, quam execrando Apostatæ, ex mendacio et impudentia pessimæ causæ præsidium advocanti. Certe idipsum, quod ad institutum nostrum satis est, persuasum erat hæreticis Iconoclastis ; qui catholicam Ecclesiam sacrarum imaginum cultricem eadem onerabant infamia, quam penes ethnicos simulacrorum, hoc est idolorum veneratores, residere cognoverant.

Duplex idololatriæ genus.

V. Quocirca dupliciter gentiles idololatras fuisse, omnium, qui Christiano utcumque nomine censentur, opinione certum est : primum quod dæmones, aut homines qualescumque, vel pecudes, vel cœlum, ac sidera, et inanima reliqua tanquam Deos adorarent : deinde quod eorum omnium simulacra Deos esse crederent, ac pro talibus agnoscentes divinis afficerent honoribus, quo scelere imperita maxime plebs, hoc est major pars hominum, per omnes civitates implicata manebat. Horum vero in idolis adorandis cultus esse debuit hujusmodi, ut in ipsas effigies, ac statuas, intenti, divinam illis excellentiam affingerent, eamque simpliciter, et absolute venerarentur ; nec ad alia quædam iis expressa, significataque numina cogitationem converterent. Erat itaque latriæ cultus, et adoratio, non σχετικὴ, ac velut transitoria per figuram penetrans in prototypum animi functio : sed in illa sistens, et ad eam adhærescens. In quo illud eveniebat, quod damnat Apostolus [b], *ut servirent creaturæ potius, quam creatori ;* quod appellant sancti Patres θεοποιεῖν τὰς εἰκόνας [1], hoc est *deificare imagines*. Cum enim, ut paulo ante diximus, imagines, et effigies illæ nullam in se habeant excellentiam ejusmodi, cui honor et cultus imputari possit ; si propter se colantur et absoluta, non relativa veneratione ; nulla religiosi honoris istius et officii ratio objicitur alia, quam ipsa, unde sunt factæ materia, creata res, et inanima : ex quo vera existit idololatria.

Christianorum calumniatores.

Quamobrem Iconoclastæ χριστιανοκατήγοροι posterius hoc superstitionis idololatriæ genus

a Julian. in I par. oper. Ἀγάλματα γὰρ, καὶ βωμὸς (for. βωμοὺς) καὶ πυρὸς ἀσβέστου φυλακὴ (for. φυλακὴν) καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα σύμβολα οἱ πατέρες ἔθεντο τῆς παρουσίας τῶν θεῶν, οὐχ ἵνα ἐκεῖνα θεοὺς νομίσωμεν, ἀλλ' ἵνα δι' αὐτῶν τοὺς θεοὺς θεραπεύσωμεν. Ἐπειδὴ γὰρ ἡμᾶς ὄντας ἐν σώματι σωματικῶς ἔδει ποιεῖσθαι τοῖς θεοῖς καὶ τὰς λατρείας· ἀσώματοι δέ εἰσιν αὐτοί· πρῶτα μὲν ἔδειξαν ἡμῖν ἀγάλματα, δεύτερον ἀπὸ τοῦ πρώτου τῶν θεῶν γένος περὶ πάντα τὸν οὐρανὸν κύκλῳ περιφερόμενον. δυναμένης δὲ οὐδὲ τούτοις ἀποδίδοσθαι τῆς θεραπείας σωματικῆς· ἀπροσδεῆ γάρ ἐστι φύσει· τρίτον ἐπὶ γῆς ἐξευρέθη γένος ἀγαλμάτων· εἰς ὃ τὰς θεραπείας ἐπιτελοῦντες ἑαυτοῖς εὐμενεῖς τοὺς θεοὺς καταστήσωμεν.

b *Rom.* I, 25. Καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.

1 Dom. orat. II *de Imag.* et vadr. in epist. *ad imper*, in VII syn. act. II.

Catholicis objiciebant : utque hoc a se propulsarent isti, contra obnitebantur, et in eo consistebant, nullum crimen esse formidandum hujusmodi, si rite sanctorum veneremur imagines : hoc est ut adoratio nostra non ad ipsam referatur imaginem, nec in ea ullo modo terminetur, et acquiescat : sed ad prototypum perveniat : quemadmodum aqua per tubum, et canalem manans e fonte, non in illo manet, sed per eum in subjectum labrum perfluit. Nec illud obstat, quod externus honor, velut salutatio, genuum flexio, capitis, vel totius corporis inclinatio, imagini præstetur. Primum quia, ut recte Gregorius Papa in epistola *ad Germanum Patriarcham* docet « in hujusmodi re spectanda, et probanda est facientis intentio, nec ullo modo effecta ipsa considerantur[a]. »

Deinde quoniam latria, seu vera et in Spiritu adoratio, quæ soli convenit Deo, et in imaginem translata reos facere potest sacrilegæ superstitionis, non in sola exteriori gestione consistit, nec ab interiori disjuncta, genus illud idololatriæ constituit. Nam una et indivisa est adorandi actio, quæ ex ambobus, externo et interno cultu coalescit. Quæ ex toto, et ut scholæ loquuntur, *adæquate* sumpta in prototypum absolute fertur. Sin ratione, et ἐπινοίᾳ ejus ad imaginem habitudo referatur, nonnisi σχετικὴ erit, id est *relativa*, et imperfecta. Itaque quidquid imagini tribuitur honoris, et observantiæ, σχετικὸν est, et ex prototypo metiendum.

Relativum.

VI. Ex his omnibus principalis hoc in capite susceptæ quæstionis enodatio deducitur : quæ est hujusmodi ; an proprio aliquo, et absoluto cultu venerari fas sit imagines Christi, atque sanctorum. De qua variæ sunt, et confligentes inter se scholasticorum, aliorumque theologorum sententiæ plenis, ac grandibus voluminibus expositæ ; quæ quia teruntur omnium manibus, supervacaneum arbitror in illis expendendis, ac disceptandis tempus conterere ; quod equidem non pigrarer facere, si instituti nostri, ac suscepti operis propria esset illa tractatio: hoc est si apud antiquos Patres, quorum decreta theologia nostra persequitur, vestigium exstaret ullum absoluti illius, et a σχετικῷ distincti sacrarum imaginum cultus : quam sola, ut initio dixi, scholarum paulo limatior, et subtilior, quam nostra fert, excogitavit industria. Quapropter omissis, ac circumcisis opinionum illarum, et altercationum ambagibus ; quod unum ex Patribus, et synodalibus decretis, quæ hucusque declarata sunt, efficitur, et existit ; respondemus omnino , nullum imaginibus Christi ; vel sanctorum adhibendum esse cultum, qui illorum proprius sit, et absolutus : hoc est qui in figura ipsa, et vel picta, vel sculpta, et solida hæreat, ac consistat effigie ; verum omnem, quæ rite religioseque fit, adorationem, ac venerationem imaginis ad ipsam nonnisi σχετικῶς pertinere : proprie vero, ac præcipue ; imo unice spectare prototypum, quod nonnisi una cum imagine sua adoratione colitur.

Relativo.

Nullus imaginibus in se spectatis debetur cultus.

Relative.

VII. Hujus sententiæ nostræ fidem adductis in medium paucis antiquorum testimoniis adstruere conabimur. Ex quibus primum locum vendicant sibi conciliorum, præsertim œcumenicorum duorum sanctiones, septimæ Nicææ habitæ, et Tridentinæ. Non enim cum hæreticis Iconomachis modo disputamus, qui ambarum synodorum istarum auctoritate nihil moventur, sed cum Catholicis, apud quos, et inter quos nata ista controversia est. Quare ut apud Romanos olim [1], « si qua inter necessarios querela esset orta, » ad eam dijudicandam, ac sedandam privati cœtus, et convivia celebrabantur, quæ *Charistia* nominabant, « quibus præter cognatos, et affines nemo interponebatur, ut illa fautoribus concordiæ adhibitis telleretur, » ait Valerius Maximus; sic in hac familiari, et domestica controversia dirimenda solos propinquos, id est Catholicos arbitros advocabimus. Et quoniam partim ex synodali decreto, partim ex actis Nicænæ secundæ synodi vis argumentorum præcipua derivatur, quo diutius in hac consistere liceat, ab Tridentina, licet posteriore, sumemus initium.

Probatur hoc ex Tridentina, et Nicæna secunda synodo.

Quod igitur nullus esse debeat absolutus, et per se tribuendus imagini cultus, Tridentinum concilium ita constituisse videtur [2]. « Imagines porro Christi , Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam :non quod credatur inesse aliqua in iis

a In act. IV, syn. VII. Εἰ καὶ ὁ σκοπὸς τοῦ πράγματος κατά τί δοκιμάζεται, καὶ οὐδαμῶς σκοπεῖται τὰ ἀποτελούμενα.

1 Valer. lib. II. cap. I. — 2 Trid. conc. Sess. XXV.

divinitas, aut virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda: veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi decreto contra imaginum oppugnatores est sancitum. » Non potuit expressioribus verbis synodus illa declarare cultum imaginum prorsus esse σχετικὸν: nec illas per se, proprieque ab fidelibus adorari, vel honore affici: sed adorationem omnem, ac venerationem in prototypa refundi; quippe cum imagines nullam habeant dignitatem, aut excellentiam, cui honos ille proprie conveniat.

Relativum

Eadem synodi septimæ in *Decreto fidei* mens fuit, quod in capite XV supra descripsimus. Nam honorem illum, tam qui Christi imaginibus, quam qui B. Virgini, sanctisque cæteris delegatur, negat esse veram secundum fidem nostram adorationem. Nimirum quoniam hæc adoratio Deum solum respicit; quamvis per imaginem una, et eadem actione pertingat ad Deum.

Necnon ex veterum testimoniis.

VIII. Jam in actis illius synodi complura leguntur variorum auctorum inserta de cultu sacrarum imaginum testimonia: tum Romanorum pontificum; tum aliorum: quæ in idem adorationis σχετικῆς, nec absolutæ dogma conspirant, e quibus summatim aliqua perstringam.

Relativæ.

Hadrianus Papa in epistola, quam ad Imperatores scripsit, in adorandis imaginibus ait, « nos non tabulis ipsis, et coloribus honorem deferre; sed iis quorum nominibus appellantur imagines [a]. Atqui nihil aliud est imago (de picta loquitur) præter lignum, et colores ceræ commistos, ac temperatos [b]: » ut habet refutatio Decreti a pseudo-synodo Iconoclastarum editi, quæ in septima generali lecta est et approbata. Quare idem est dicere, non deferri tabulæ ligneæ, et coloribus honorem, atque cultum; ac negare imagini per sese esse tribuendum.

Leontius Neapolis in Cypro episcopus, in libro quinto *Apologiæ pro Christianis* adversus Judæos, et de sanctis imaginibus, ut in eadem synodo septima laudatur, copiose, et erudite hoc argumentum explicat, Judæos refellens, qui Christianos accusabant, quod contra Decalogi mandatum imagines adorarent. Quibus ita respondet; non tanquam Deos coli ab nostris imagines, quod neque lignum, neque materiam illarum alteram venerentur: ac statim atque prototypi figura, similitudoque est inducta, habere in pretio, et æstimatione desinant. « Christiani nos, inquit, Crucis figuram adorantes non ligni naturam honoramus: sed velut sigillum, et annulum, et characterem Christi illam intuentes, per hanc salutamus eum, et adoramus, qui in illa suffixus est [c]. » Est ergo σχετικὴ, non absoluta veneratio Crucis Dominicæ. Quod ipsum subinde ad cætera pertinere vult monimenta Christi Domini; ut sunt præsepe, stabulum, sepulcrum, et id genus alia: quæ ipsa per sese non honorantur, sed in illis Christus: « Atque uti librum Legis adorans Judæus, pergit Leontius, non membranas, aut atramentum adorat, sed verba Dei, quæ in illis continentur: sic ego Dei adorans imaginem non lignorum, et colorum naturam veneror: absit. Sed inanimam tenens Christi figuram, per hanc ipsum tenere videor, et adorare Christum. »

Relativa.

IX. Eadem modo ratiocinatur Joannes Damascenus in libris *de Imaginibus*; ut in tertio: ubi de Cruce, et ejus adoratione loquens, ait non ipsam adorari per sese Crucem; sed propter Christum, qui in ea suspensus est. Et Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in epistola *ad Thomam Claudiopolitanum episcopum.* « Non lignorum, inquit, adoratur, colorumque commistio: sed invisibilis Deus, qui est in sinu Patris, ille adorationem excipit in spiritu et veritate [d]. »

Sic in actione quinta ejusdem synodi lecta

a Hadr. act. ii. Οὐκ ἐν σανίδι, καὶ χρώμασι τὴν τιμὴν ἔχοντες, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς, ὧν τὴν ὀνομασίαν αἱ εἰκόνες φέρουσι.

b Act. vi, syn. VII. Καί τοι τῆς εἰκόνος οὐδὲν ἕτερον οὔσης, ἢ ξύλον, καὶ χρώματα κηρῷ μεμιγμένα, καὶ κεκραμμένα.

c Leont. ibid. Οὕτω καὶ χριστιανῶν παῖδες τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ προσκυνοῦντες, οὐ τὴν φύσιν τοῦ ξύλου τιμῶμεν, ἀλλὰ σφραγῖδα, καὶ δακτύλιον, καὶ χαρακτῆρα Χριστοῦ αὐτὸν βλέποντες, δι' αὐτοῦ τὸν ἐν αὐτῷ σταυρωθέντα ἀσπαζόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν.

d Germ. ibid. Οὐ γὰρ τῶν ξύλων, καὶ τῶν χρωμάτων προσκυνεῖται ἡ μίξις· ἀλλ' ὁ ἀόρατος θεὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος τὴν προσκύνησιν δέχεται ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ.

sunt *Scholia* quædam in librum *Exodi :* quæ imaginum cultum ab idololatria gentilium vindicant ex eo, quod illæ non existimentur esse dii. Quod si Christi similis effigies aliqua fiat, non ut similitudinem, inquit, ipsam adoremus ideo fit: sed ut mens nostra ex aspectu in cœlum evolet, etc. « Non igitur Deum ipsam esse dicimus imaginem : sed Deum novimus illum qui in imagine pictura est expressus, et cujus similitudo est imago. At gentiles errore decepti similitudines ipsas Deos prædicant, iisque sacrificant [a].»

Luculentus est etiam locus de hac ipsa veneratione sacrarum imaginum haud propria, et absoluta ; sed σχετικῇ, ac propterea minime λατρευτικῇ, et ab gentilium idololatria plurimum distante, in *Refutatione pseudo-synodi Iconoclastarum :* qui Gregorii Nysseni verbis abusi erant ad imaginum cultum idololatriæ probro dehonestandum. Cum enim sanctissimus ille Pater in oratione funebri in S. Basilium [1], hoc de eo prædicasset ; opportune a Deo productum in lucem per id tempus ipsum fuisse, quo Ariani christianam rem pessumdare conabantur : per quos diabolus idololatriam jam propemodum extinctam, et oblitteratam instaurare studebat, nova illius excogitata, et introducta ratione, ut creaturam, opusque Dei pro Deo colerent, sub Filii vocabulo, et quidem latriæ cultu et adoratione : cujus formam ita describit. « Ut Christi nomen, inquit, imponentes creaturæ, hanc ipsam adorarent, hanc latriæ cultu venerarentur, in hac spes salutis suæ collocarent, ab hac judicium expectarent [b]. » Cum igitur renovata per Arium, ejusque discipulos, Aetium, Eunomium, et Eudoxium esset idolorum superstitio ; tum vero missum divinitus venisse Basilium, qui obortas istas impietatis tenebras luminis sui splendore discuteret : Hæc cum Nyssenus Gregorius de idololatria per Arianam hæresim introducta dixisset ; et Iconoclastæ in fidei, vel perfidiæ potius suæ decreto, illius sententiam in totidem verbis usurparent adversus Catholicos imaginum cultores ; tanquam hæc religio ad idolorum superstitionem pertineret ; auctor ille, qui decreti refutationem illam elaboravit coram tota synodo recitatam, et approbatam, calumniæ isti respondet sic, ut neget venerationis genus illud, quo imagines catholica colit Ecclesia, latriam esse, quam illis ipsis, quæ paulo ante posui, verbis Gregorius notavit, ac descripsit. « Venerandas, inquit, imagines Christiani neque Deos nominarunt, nec illis tanquam Diis latriæ cultum detulerunt ; neque salutis suæ spes in illis habuerunt ; nec ab ipsis futurum expectant judicium ; nec aliter circa eas se gerunt, nisi quod ad recordationem, et memoriam, et pro desiderio suo, quo in prototypa feruntur, salutant illa, et honoris adorant gratia : sed non latriæ ritu venerantur, neque divinum iis cultum exhibent [c]. »

Relativa. *Latreutica.* *Ab Arianis renovata idololatria.*

X. Rursus in eadem confutatione ita scriptum est : « In imagine nihil aliud vera ratio recognoscit, præter nominis communionem cum eo, cujus est imago ; non autem substantiæ [d]: » quod est eorum proprium, quæ homonyma, vel analoga dicuntur. et σχετικῶς tantummodo denominantur. Atque hoc ipsum postea diserte sic explanat, Gregorii quippe Nazianzeni allato testimonio, ex oratione in *Natalem Domini :* ubi Bethleemum honorari, et præsepe adorari præcipit, ista subjicit : « Nam quæ Deo dedicata sunt, præsentia ejus, et participatione sancta sunt : sicut tota Scriptura testatur : et ei, quod sanctum est, honor sanctitatis non alia ratione servatur, quam per relativam nostram adorationem [e]. »

Relative.

Eximius est in fine actionis octavæ, et

a Germ. Οὐκ αὐτὴν οὖν θεὸν τὴν εἰκόνα λέγομεν· ἀλλὰ θεὸν οἴδαμεν τὸν ἐν τῇ εἰκόνι γραφέντα, οὗ τὸ ὁμοίωμα ἔχει ἡ εἰκών. Ἕλληνες δὲ πλανώμενοι τὰ ὁμοιώματα θεοὺς δοξάζουσιν, οἷς καὶ θύουσιν.

b Nyssen. Ἀλλὰ τὸ τοῦ Χριστοῦ ὄνομα ἐπιθέντας τῇ κτίσει, ταύτην προσκυνεῖν, ταύτῃ λατρεύειν, ἐν ταύτῃ τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας ἔχειν, παρὰ ταύτης ἀναμένειν τὴν κρίσιν.

c In act. vi, synod. VII. Τὰς τοίνυν σεπτὰς εἰκόνας οἱ Χριστιανοὶ οὔτε θεοὺς ὠνόμασαν· οὔτε ὡς θεοῖς ἐλάτρευσαν· οὔτε τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας αὐτῶν ἐν αὐταῖς ἔσχον, οὔτε παρ' αὐτῶν ἐκδέχονται τὴν μέλλουσαν κρίσιν· εἰ μὴ εἰς ἀνάμνησιν, καὶ ὑπόμνησιν, καὶ πόθῳ διακείμενοι πρὸς τὰ αὐτῶν πρωτότυπα, καὶ ἠσπάζαντο, καὶ τιμητικῶς προσεκύνησαν· οὐ μὲν δὲ ἐλάτρευσαν, ἤ τὸ θεῖον σέβας ταύταις ἀπένειμαν.

d Ibid. Ἐν γὰρ τῇ εἰκόνι ἄλλο οὐδὲν ὁ ἀληθὴς λόγος γινώσκει, ἢ κατὰ τὸ ὄνομα κοινωνεῖν· οὗ τινός ἐστιν εἰκὼν καὶ οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν.

e Ibid. Ἃ γὰρ τῷ θεῷ ἀνατέθειται, τῇ αὐτοῦ ἐπιφοιτήσει τε, καὶ μεθέξει ἅγιά ἐστι, καθὼς πᾶσα ἡ θεία γραφὴ μαρτυρεῖ· καὶ ὡς ἁγίῳ ἡ τιμὴ τῆς ἁγιότητος οὐκ ἄλλως φυλάττεται, ἢ διὰ τῆς ἡμῶν σχετικῆς προσκυνήσεως.

1 Greg. Nyss. tom. II.

postremæ synodi ejusdem locus in perbrevi tractatu ubi res illa pulchre disseritur. Christianos ait unum Deum in Trinitate venerantes « per symbola sub sensum cadentia ad intelligibilia deduci. Cum enim sensibiles simus, non aliter attolli ad intelligibilia possumus, nisi per sensibilia signa : nempe per scripturæ contemplationem, et per imaginum figuratam expressionem. Hæc enim protyporum omnium in memoriam revocandorum, et ad illa perducendi ratio est. Porro alterum illorum per auditum accipimus ; alterum visu comprehendimus [a]. » Ut enim amicum velut præsentem habere videmur, cum eoque versari dupliciter : sive per litteras ab eo scriptas, quibus nobiscum colloquitur : sive illius contemplantes effigiem : ita Christum, atque sanctos, vel legendis, contemplandisque sacris scripturis, ac libris ; vel intuendis illorum imaginibus in memoriam reducimus.

Quamobrem uti libri, et mandata scriptis verba Christi, sanctorumque, non sunt Christus, aut sancti , nec qui monimenta ista colunt, tanquam Christum, sanctosve, mutas colunt litteras illas absoluta veneratione, sed tota mentis eorum intentio in prototypa pervadit : eodem modo in honorandis imaginibus accidit, ut sola σχέσει, ac *relatione* cultus ad eas spectet, nec in his constistat : sed totus in illos, qui repræsentantur, incumbat.

Eximia adversus Iconomachos observatio.

XI. Addamus his sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani eodem spectantem sententiam ex libro *de Imaginibus* [1] : ubi ex eorum, quæ *ad aliquid* dicuntur, genere imaginem esse docet; quæ autem sunt ejusmodi, quidquid sunt, aliorum esse dicunt : « Quia igitur, imago est eorum, quæ sunt in habitudine [2]: idcirco honorato prototypo, simul honoratur imago ejus : et rursus inhonorato simul inhonoratur.» Ex quo ita licet concludere : quoniam imago, qua imago est et sub cultum cadit, absolutum aliquid non est, sed *relationem* meram ac σχέσιν continet, qua prototypum respicit ; non debere propter se honorari, nec absolutam adorationem recipere. Hæc enim ejusdem conditionis sit oportet, cujus est imaginis esssentia, quæ ut imago est, et, ut loqui amant scholæ, *formaliter* σχετικὸν est aliquid, et ad alterum ordinatur, ac dirigitur. Relativum

Ad extremum non levis esse momenti putanda est argumentatio illa, qua Catholici adversus Iconoclastas χριστιανοκατηγόρους, hoc est *Christianorum iniquos calumniatores* soliti sunt uti, et ab usitato more colendarum imaginum idololatriæ crimen depellere. Hinc enim consequens esse dicebant ; mendaces fuisse Prophetas [3] ; qui in hunc mundum veniente Christo, idololatriam funditus eversum iri, et idola conterenda prædixerant. « Imaginem Christi, ait sanctus Nicephorus [4], idolum vocare ausi sunt, sibi ipsis, et Christianis crimen idololatriæ inferunt, accusantes Christum, quasi non potuerit nos ab idolorum cultura liberare. » Prudenter quoque Germanus Constantinopolitanus episcopus in epistola *ad Thomam Claudiopolitanum* incredibile censet, et absurdum, sic Ecclesiam ab Christo destitutam fuisse credere, ut in turpissimam idololatriam permittente illo relapsa sit, quacum ad extremum usque futurum se pollicitus fuerat [5] : nec adversus eam portas inferi aliquid effecturas unquam. Neque vero tantam Dei bonitatem decere, ut innumerabiles populos magno in ipsum ardore pietatis incensos sic occæcatos relinqueret, ac divini Spiritus sui ope, afflatuque nudatos, ut tam horribiles tenebras dignoscere, lucemque veræ, et ab Apostolis traditæ fidei, ac religionis despicere non possent : cum in medio duorum [6], triumve in suo nomine congregatorum se futurum ostenderit.

Sic in confutatione hæretici decreti [7], impudens impurumque illud Iconoclastarum dictum simili ratione convincitur : quo sua opera jactabant Ecclesiam ab idolorum servitute repurgatam fuisse : quasi regnum Christi, quod nunquam intermoriturum esse Scriptura prædicat, teterrima clade nefandæ superstitionis aboleri, extinguique potuerit. Nam imaginum usum, cultumque jamdudum in Ecclesia percrebuisse, antequam hæresis illa grassandi fecisset initium, supra pluribus argum ntis evicimus.

XII. His omnibus, aliisque studio brevitatis omissis testimoniis adducor, minime ut

a Gr. Nyss. Δι' αἰσθητῶν συμβόλων πρὸς τὰ νοητὰ ἀγόμεθα. αἰσθητοὶ γὰρ ὄντες ἄλλως πως πρὸς τὰ νοητὰ οὐκ ἀνατεινόμεθα εἰ μὴ δι' αἰσθητῶν συμβόλων, διά τε γραφικῆς θεωρίας, καὶ διὰ εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως. αὕτη γὰρ ἁπάντων τῶν πρωτοτύπων ὑπόμνησίς ἐστι, καὶ ἀναγωγὴ πρὸς αὐτὰ, καὶ τὸ μὲν διὰ τῆς ἀκοῆς ἐνωτιζόμεθα, τὸ δὲ διὰ τῆς ὁράσεως κατανοοῦμεν.

1 Niceph. tom. IV *Bibl. Patr.* col. 1135. — 2 Ibid. col. 1136. — 3 *Isa.* II, 18. — 4 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 1122, § 7. — 5 *Matth.* XXVIII. 20. — 6 Ibid. XVIII, 20. — 7 In syn. VII.

probandam existimem Catholicorum illorum sententiam, qui sanctis imaginibus cultum nescio quem aspergunt a σχετικῷ diversum, et eumdem absolutum, qui ad imaginem dirigatur ipsam per sese, et in ea terminetur. Etenim mirificus in eo synodorum œcumenicarum, ac Patrum consensus habetur ex illis, quæ in medium attulimus; uniusmodi esse Christi, verbi gratia, in imagine cultum et adorationem, quæ in solidum tendit ad prototypum, et cum eo comparata, absoluta est, atque perfecta; neutiquam ad imaginem adhærescens; hæc vera est latria, et *adoratio in spiritu et veritate:* quam solus obtinet Deus; sin ad imaginem solam κατ' ἐπίνοιαν, et *cogitatione* referatur, nonnisi σχετικὴν esse, et eamdem inchoatam et imperfectam. Ecquis porro veterum, Græcorum pariter, ac Latinorum, qui contra Iconomachos cultum propugnavit imaginum, eas unquam putavit adorandas esse per se, venerationeque dignas? Imo quis non contrarium expressis verbis docuit, inculcavitque sæpius? quis non calumniari, decipive illos asseruit, quod aliam, præter σχετικὴν adorationem, et in prototypum absolute desinentem Catholicis affingerent? Quare contra mentem, auctoritatemque veterum sentiunt omnino, qui per se, proprieque solas adorandas imagines existimant.

Relativo.

Reprobatur sententia quorumdam cultum alium a relativo diversum propugnantium.

Relativam.

Relativam.

Satisfit adversariorum objectis.

Nam quod argumentantur ita ex septimæ synodi decreto: Imagines in eo colendas esse statui; sed non latria venerandas: indeque consequi alio quodam cultu afficiendas esse per sese: quippe si ex accidenti solum, et non proprie eas adorari vellet, ita ut adoratio non in imagine, sed in Christo ipso terminaretur: non negaret latriæ cultu venerandas esse; qui certe Christo tribuitur: hæc illorum præcipua ratio omnino ex antecedentibus facile convincitur. Non enim sequitur ex eo, quod latriæ veneratio imagini detrahitur, absolutam huic concedi alteram oportere: sed σχετικὴν duntaxat, quod genus adorationis proprium est illius. Latriæ cultus, dum in imagine Christo tribuitur, una et indivisa est actio, quæ per imaginem dirigitur ad Christum: neque quatenus imaginem attingit, latria est: (hæc enim nonnisi absoluta est:) sed *relativa* et imperfecta; sicut quod ad alterum refertur si solum cogitetur, non est perfectum: nec absolutum censetur: quoniam intelligi sine alterius implicata notione non potest. Etenim utcumque versare rem istam conetur aliquis, nunquam aliter imaginem Christi, ut ejus est imago, colere, vel in pretio, et honore se habere sentiet, nisi qua confuse, vel explicate repræsentare Christum agnoscitur.

Relativam.

XIII. Quod autem instant, si nulla propria veneratione dignandæ sunt imagines, posse negare nos, eas esse venerandas: quia quod nonnisi improprie dicitur; simpliciter negari potest; non multum promovent. Negandum enim est, ullo cultu proprio, et absoluto colendas esse: σχετικῷ, et *relativo* fatendum est. Cæterum honor, et cultus religiosus imaginum duplex esse potest: et unus θετικὸς, alter *negativus* appellari. Θετικὸν, quem scholæ *positivum* nominant, ejusmodi voco, ut sit honorificentia quædam externa, velut adoratio, genuque flexio, quæ coram imagine fit; pia et circumspecta tractatio. Negativus autem in eo consistit, nulla ut illius dehonestatio fiat: ut non diruatur; non dissecetur; non flammis aboleatur. Utrumque, sed hunc maxime posteriorem, Ecclesiastica sanctio præscribit: qui et absolutus suo in genere censeri debet: quoniam absolute, ac simpliciter ab imaginum contumelia abstinendum esse præcipitur. At prior minime est absolutus; sed relativus duntaxat. Qui autem universe, ac præfracte diceret non esse venerandas imagines: hic non priorem tantum, sed etiam posteriorem adimeret cultum: et ludibrio, ac petulantiæ in rem sacram, ac religiosam frena laxaret: quod certe nefarium est: et idcirco, non est universe pronuntiandum, imagines non esse venerandas, nisi additum sit *absoluto*, ac *propter se.* Sic enim periculi nihil est, cum hoc palam dicimus, ac profitemur, quod œcumenicæ synodi, ac Patres omnes sententiis suis ratum, et fixum esse voluerunt.

CAPUT XVIII.

Objecta quædam ab Iconoclastis adversus imaginum cultum explicantur, ac diluuntur.

I. Sunt apud auctores illos, quorum adversus Iconomachorum hæresim testimoniis usi sumus, argumenta quædam ab istis jactari solita: quæ licet ex jactis antea fundamentis explicari, ac refelli nullo negotio possint; imo levia et inscita videantur; non parvarum tamen rerum ex-

ponendarum ansam nobis offerunt; et ad illustrandam tum adversariorum opinionem; tum ecclesiæ Catholicæ fidem : nec non mysterii totius, quod in hoc opere tractamus, plenam, perfectamque notitiam, non levi adjumento futura sunt : de quibus ideo capite in hoc postremo disserendum putavimus.

Horum sit illud primum : quod cum imagines Christi fiunt, ejus persona, quæ in duabus naturis est una, dissolvitur, ac dividitur. Hinc apud S. Nicephorum Patriarcham in libro *de Cherubimis* a Mose factis hæc illorum est percontatio[1], « Quomodo Christum Deum, et hominem imagine exprimis, cum hæc separari non posssint[2]? » Et in actione quarta synodi septimæ, eorumdem hæc sententia ponitur : « Qui adorat imaginem, in duo Christum dividit, et qui contemplatur imaginem, et dicit, aut inscribit, quod hic sit Christus, dividit Christum[a]. »

I° Objectio ex separatione vel confusione naturarum petita.

Et quod admirandum magis est, utramque ex adverso pugnantem hæresim Nestorii, et Eutychis Catholicis affingebant, affirmantes eos, qui imagines Christi facerent, non solum naturas separare, ac divellere duas; sed etiam miscere, ac confundere: Sic in *Decreto fidei*[3], sive potius impietatis, et hæresis suæ, quod imperante Copronymo conciliabulum illorum edidit; asserunt imaginum molitores, et adoratores binarium inducere filiorum in Christum. Et subinde; « nihilo secius suffragari Ario, Dioscoro, Eutychi, et Severo, qui confusionem, et commistionem in duabus naturis unius Christi constituunt[b]. » Quod sic interpretabantur : Cum in Christo divina natura cum humana copulata sit arctissimo[4], et indissolubili nexu : qui illius imaginem pingunt, horum alterutrum dicant necesse est : aut solius humanæ figuram exprimere se : aut personæ totius ex duplici natura constitutæ. Si prius eligant; quandoquidem divinitas adumbrari nulla similitudine potest; ab hac divelli consequens est hominis naturam; quæ in tabella repræsentatur. Ita Nestoriana διαίρεσις existet. Sin est ut Christum totum exhiberi malint in imagine; quoniam nihil nisi sub sensum cadens, et corporatum, figura delineari potest, sequetur absurdius alterum, ut divinitas Christi in carnem, vel hominis naturam conversa, commutataque fuerit : cujusmodi commentum fuit Eutychianorum, et Monophysitarum.

Divisio.

II. Huic ineptæ, et inscitæ rationi Patres occurrunt, affirmantes imprimis, ita coloribus expressam in tabula præberi Christi Salvatoris imaginem, quomodo idonea est ars illum penicillo consequi; hoc est ut externam tantum corporis figuram, et lineamenta describat; quæ in vivente persona continent non modo divinam minime aspectabilem naturam, sed etiam animam ipsam. Non est autem imaginis adæquari repræsentando cum prototypo; ita ut totum hoc, cum omnibus ex quibus constat, partibus oculis subjiciat : « Non enim imago secundum essentiam, vel substantiam prototypo similis est : sed tantummodo secundum nomen, et situm membrorum, quæ figura describuntur[c]. » Ecquis vero eousque desipit, ut cum Alexandri, vel Cæsaris, exempli causa, imago pingitur, quoniam utriusque pingi non potest anima, disjungi hanc a corpore putet, et vinculum solvi, quo ambo inter se nectuntur? Certe qui sic existimet, idem judicare debebit quoties videndi sensus vivos illos intuebitur : ut quia nonnisi externam corporis speciem, eique superfusum colorem, et lineamenta, positumque partium capere oculus potest; non vel animam, vel inclusas, et interiores partes, quæ cute coercentur, revera dividi, ac separari a se mutuo omnia ista contendat.

Hujusmodi et Iconomachorum cavillatio, et adversus hos pugnantium Catholicorum contentio latius patet et ad multos usus hac in theologica doctrina diffunditur : in qua valde hoc necessarium est scire, quod nec ad intelligendum difficile est, non eodem in sese modo res habere, quo a nobis intelligentia percipiuntur : nec ut disjunctas, ac divisas eas cognoscimus, ita tales ipsas esse revera. Hoc in primo tomo[5], cum de divinis attributis ageretur, adversus Eunomianos studiose docuimus; quorum par erat, atque Iconomachorum, in eo genere argutandi licentia. Nec diversa Monophysitarum, et Eutychianorum erat vecordia : qui de numero naturarum in

a In VII synod. act. IV. Ὅτι, ὁ προσκυνῶν τῇ εἰκόνι, διαιρεῖ τὸν Χριστὸν εἰς δύο· καὶ ὅτι ὁ θεωρῶν τὴν εἰκόνα, καὶ λέγων, ἢ ἐπιγράφων· ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, διαιρεῖ τὸν Χριστόν

b Ibid. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἄρειον, καὶ Διόσκορον, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Σεβῆρον, τοὺς σύγχυσιν, καὶ φυρμὸν ἐπὶ τῶν δύο φύσεων τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ δογματίζοντας.

c In VII syn. act. VI. Καὶ ἡ εἰκὼν οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν τῷ πρωτοτύπῳ ἔοικεν, ἢ μόνον κατὰ τὸ ὄνομα, καὶ κατὰ τὴν θέσιν τῶν χαρακτηριζομένων μελῶν.

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* — 2 Tom. V conc. — 3 In sept. syn. act. IV. — 4 Vide syn. sept. act. VI — 5 Lib. I, cap. X et XI,

Christo controversiam movebant futilem et insulsam: de qua in quarto libro operis hujus multa diximus [1]: quæ hic opportunitatem suam habent. Hanc vero confutatio decreti illius pseudo-synodici persecuta, præclare imaginum hostes cum suo illo commento refellit. Siquidem, auctore Gregorio Nazianzeno, « naturas ait cogitatione discriminari, ut et earum nomina [a]; » tum ita disserit: « Omnes sancti Patres nostri confusionem repudiantes, separabiles cogitatione mentis duas affirmant esse naturas, ratione differentiæ, non divisionis [b], etc. Ac Nestorius quidem rebus ipsis naturas dividit; asserens aliam esse Dei rationem, aliam ejus, qui ex Virgine natus est; in hominem privatim, et privatim existentem Deum. At catholica Ecclesia inconfuse unitatem professa, sola cogitatione naturas dividit indivise; unum et eumdem confitens Emmanuelem etiam post unitionem [c]. » Quocirca qui Christi imaginem faciunt, solam illius externam corporis speciem, ac formam coloribus referunt; non animam, non divinitatem: non tamen reipsa separant, ac dividunt, quamvis unum sine altero, vel potius non cum altero repræsentent.

II° Ex eo quod pingere Christum esset incircumscriptum Verbum circumscribere.

III. Huic affine est argumentum alterum, quod ex circumscriptione ducebant Iconoclastæ. Cum enim Christi nomen naturam utramque significet, divinam, et humanam, ex eo contendebant, imaginem Christi pingi non oportere, quod hoc esset incircumscriptum Verbum circumscribere. Ita decretum pseudo synodicum Iconomachorum, qui Eusebii Pamphili auctoritate nitebantur in epistola quadam ab Constantiam Constantini Magni sororem, Licinio nuptam, quæ cum ab Eusebio Salvatoris imaginem mitti ad se postulasset, scripta ad eam epistola illa negavit Eusebius hæc oportere fieri: quod neque secundum eam, quam accepit a Patre, naturam exprimi potest; nec secundum humanam; quod ea modo in paternam assumpta gloriam, ac splendorem nullis coloribus repræsentari queat: cum ne Apostoli quidem viventis adhuc in carne mortali, sed ad tempus cœlesti quodam fulgore perfusæ, coruscationem tolerare potuerint. Hæc fere sunt in fragmentis illius epistolæ, quæ ex Iconoclastarum synodico decreto lecta sunt in synodo septima Nicæna [2]. At Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in opusculo capitum duodecim adversus Iconoclastas [3], capite secundo, cum Eusebianæ hujus epistolæ meminit, ait in ea scriptum fuisse, *incircumscriptum* esse modo Christum Dominum: tanquam in eam prolapsus sit opinionem, quam superiore sæculo Brentius, et qui ab eo prodierunt Ubiquistæ renovarunt: ut adeo totam in Deum transisse vellet humanam Christi substantiam, illius ut immensitatem, et τὸ ἀπερίγραπτον obtineret. Quod impium, sceleratumque commentum pluribus evertit Nicephorus idem in tractatu *de Cherubimis*, capite octavo: ubi de circumscriptione late disputat.

Incircumscriptum.

Auctor item *Confutationis decreti fidei* ab Iconoclastis editi futilem illam argumentationem explodit, eodem prorsus modo, quo illud de divisione, confusioneve naturarum paulo ante propositum. Tum in eo potissimum hæreticos istos errare dicit, quod non animadvertant, imaginem non ejusdem esse substantiæ, cujus est prototypum: sed plane diversæ; ex quo fit, ut quod inest ipsi, non transeat in imaginem, sed exterior sola species et conformatio corporis, atque membrorum. Hinc autem licet intueri quantum ab illa Ubiquistarum amentia remoti fuerint Patres illi, qui contra Iconoclastas pro Ecclesiæ traditione certarunt: qui Christi carnem humanamque substantiam, etiam postquam in cœlum est translata circumscriptam esse putaverunt. De qua re supra, libro decimo copiose disputavimus.

III° Ex auctoritate Gregorii Magni.

IV. Piget in nugis istis, et vanis, ac futilibus Iconoclastarum argutiis tempus terere. Unum illud expendendum superest, quod non ab Græcis, sed ab Latinis Iconomachis objectum est sæpius contra Imaginum adorationem, ex Gregorii auctoritate hujus nominis primi, et re potius, quam appellatione Magni, Romani pontificis. Hic enim non præjudicium, sed plane judicium de hac causa fecisse videtur, et imaginum cultum adorationemque rescrip-

a Nazianz. in VII syn. ibid. Ἡνίκα αἱ φύσεις διΐστανται ταῖς ἐπινοίαις, συνδιαιρεῖται καὶ τὰ ὀνόματα.

b Ibid. Πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες ἡμῶν τὴν σύγχυσιν μὴ προσιέμενοι, χωριστὰς τῇ ἐπινοίᾳ λέγουσι τὰς δύο φύσεις τῷ λόγῳ τῆς διαφορᾶς, οὐ τῆς διαιρέσεως.

c Ibid. Καὶ ὁ μὲν Νεστόριος τοῖς πράγμασι διαιρεῖ τὰς φύσεις, λέγων ἄλλον τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, καὶ ἄλλον τὸν ἐκ τῆς παρθένου, εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς, καὶ εἰς Θεὸν ἰδικῶς. ἡ δὲ καθολικὴ ἐκκλησία ἀσυγχύτως ὁμολογοῦσα τὴν ἕνωσιν, τῇ ἐπινοίᾳ καὶ μόνῃ διαιρεῖ τὰς φύσεις ἀδιαιρέτως, ἕνα τὸν αὐτὸν ὁμολογοῦσα τὸν Ἐμμανουὴλ καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν.

1 Cap. IV et X. — 2 Act. VI. — 3 Tom. IV *Bibl. Patr.*

tis damnasse suis. Quippe ad Serenum Massiliensem episcopum scribens [1], graviter eum redarguit quod « quosdam imaginum adoratores aspiciens, inquit, easdem Ecclesiæ imagines confregit, atque projecit. » De quo quid sentiat, his verbis exponit Gregorius : « Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudamus : sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere non valent. Tua ergo fraternitas et illas servare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit : quatenus et litterarum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, et populus in picturæ adoratione minime peccaret. » Ad eumdem porro Serenum alteram scripsit epistolam [2]; in qua pluribus idem illius factum redarguit. « Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus : fregisse vero reprehendimus. » Maxime vero illa re offensus est, quod « cum inter gentes habitaret, attendere debuerat, ne dum recto zelo incaute succenditur, ferocibus animis scandalum generaret. Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in ecclesiis; sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit; si zelum discretione condiisses, sine dubio et ea, quæ intendebas salubriter obtinere, et collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras congregare. » Demum hortatur illum, ut imagines restituat, et ne adorentur admoneat.

V. Hæc verba Gregorii necessario describenda fuerunt; primum quod ex his constet, imagines in ecclesiis jampridem haberi solitas esse; deinde quod indidem colligere licet, quæ causa fuerit cur Gregorius de imaginibus non adorandis tanto studio commonuerit; et idipsum ut populo significaret, episcopo præceperit. Nimirum quod complures in ea provincia gentiles adhuc degerent, qui idolis, ac simulacris assueti, et eorum implicati superstitioso cultu, difficile labem hanc eluere poterant. Itaque nonnulli ex iis, ut apparet, rudes et barbari, postquam religionem Christianam amplexi erant, ex imaginum aspectu in pristinum relabebantur errorem; ut iis latriæ honorem, venerationemque tribuerent; hoc est absoluta, et non σχετικῇ adoratione, tanquam Deos, effigies illas colerent. *Relativa.* Hoc enim, idololatria nondum emortua, sed in vicino adhuc vigente contagione quadam accidere poterat, quod de gentilium idolis scribit Augustinus epistola XLIX [3], ut « cum in sublimi locarentur; ut a precantibus attenderentur, ipsa similitudine membrorum, atque sensuum, quamvis insensatæ, et exanimæ afficerent infirmos animos, ut vivere ac spirare viderentur. » Quocirca sedulo monendos imperitos, ac propter tarditatem pronos in idololatriam populos censuit Gregorius, ne quem idolis antea deferebant cultum, eumdem imaginibus adhiberent.

Hanc nostram de Gregorii mente sententiam comprobat, quod in alia epistola *ad Secundinum* inclusum, religiosum, et probe institutum hominem scribens, imaginem ad eum se mittere Salvatoris, quam poposcerat, dicit, et quemadmodum hac utendum sit, ostendit : imo quemadmodum sit adoranda declarat. Scio quidem, inquit [4], quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas : sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur : Sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur. » Quæ postrema verba perspicue demonstrant, Romanam ecclesiam, et ipsum ejus, imo totius Christiani orbis antistitem Gregorium imagines adorasse, hoc est coram iis prostravisse se : sed non quasi *ante divinitatem* : hoc est non ad ipsas imagines mentem suam, et intentionem animi direxisse; ita ut in imagine sisteret adoratio : verum in hac respexisse prototypum ; et ad eum retulisse per imaginem, cum exteriore cultu, interiorem voluntatis affectum.

Hujusmodi Gregorii fuisse sententiam, illud quoque persuadet, quod non aliter interpretatus est Hadrianus primus in *Apologia ad Carolum* magnum pro synodi septimæ defensione scripta [5]. Cujus in ultimo capite de hoc agens Gregorii decreto, probat neutiquam eum ab veneratione imaginum abhorruisse : sed sic eam impendendam esse monuisse, ut, quod ipse dicit, « aspiciens sacras imagines, in adorationem humiliter se prosterneret solius omnipotentis sanctæ Trinitatis : » tum, « ut ante easdem sacras imagines se proster-

1 Greg. lib. VII, ep. CXVII. — 2 Ibid. lib. IX, ep. IX. — 3 Quæst. III. — 4 Lib. VII, ep. LIV. — 5 Tom. VI conc.

nens, non quasi ante divinitatem, ante ipsas prosterneretur, sed prosternentem se illum adoraret, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. » Ex quo illud præterea conficitur, non modo Gregorium M. sed ne Hadrianum quidem, cum septimam synodum tanto studio propugnaret ; approbasse venerationem, et adorationem imaginum earum propriam, et absolutam; quam ab recentioribus quibusdam theologis excogitatam capite antecedente confutavimus. Quippe nullam aliam, præter

Relativam. σχετικὴν, agnoscit uterque pontifex : sed neque septima synodus, qua cum Gregorii Magni congruere sententiam affirmat qui hoc optime omnium scivit Hadrianus Papa : minime uti dubitandum sit, quin nova illa de colendis per sese imaginibus opinio aliena sit ab Romanorum Pontificum, et œcumenicorum conciliorum auctoritate : ac proinde huic anteponenda sit altera ; quæ probum, ac legitimum honorem, atque cultum imaginibus, sine cujusquam offensione constituit. De qua legendus præ cæteris Gabriel Vasquezius [1], qui hanc controversiam fuse, eruditeque disceptavit.

1 In III parte ccv et seq. usque ad 110.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE INCARNATIONE VERBI

LIBER DECIMUS SEXTUS

IN QUO ADVERSUS SAMOSATENOS RECENTIORES, SIVE SOCINIANOS, NEC NON JUDÆOS CHRISTI INCARNATI VERBI, AC DEI HOMINISQUE DOGMA DEFENDITUR.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ

Scopus hujus libri. Quæ ad sacrosancti, et ineffabilis illius mysterii rationem attinent, accurate, quantum fieri potuit, pro instituto nostro, quindecim libris exposuimus. Nunc illud postremo loco tractandum est, quemadmodum ab adversantium calumniis, et oppugnationibus vindicari possit : non eorum dico, qui male illud explicant, cum exstitisse revera fateantur : (Nam contra istius generis hæreticos toto hactenus in opere decertavimus) sed qui carnem, id est hominis naturam a Deo susceptam, et utramque in Christo consociatam esse substantiam funditus abnegant : quales Judæi sunt : et qui nomine solo Christiani, revera Judaica impietate contaminati sunt. recentes Photiniani, sive Samosateni : qui Michaëlis Serveti fanaticum delirium superiori instaurare sæculo sunt aggressi, Fausto Socino Senensi apostata auctore præcipuo : a quo Sociniani passim appellari solent. Recte autem fecisse me arbitror, ut hanc generalem catholici dogmatis propugnationem operis in finem conjicerem. Hinc enim commodum illlud existet, ut exposito prius, penitusque perspecto mysterio illo, contradicentium fraudes, cavillationesque sophisticas, et facilius dignoscere, et certius, ac valentius refellere possimus. Nam pleræque argumentationes illorum ex ejus ignoratione, quid in catholica professione sit, oriuntur, ac robur acquirunt. Ut igitur circumveniendi, et illudendi facultas iis adimeretur, consilium id placuit, prius mysterii totius naturam et proprietatem evolvere : deinde ad hæreticorum objecta respondere. Quamobrem sepositis tantisper, et in finem reservatis Judæis, ab Socinianis auspicabimur; contra quos multa jam in tomo secundo disputavimus, libro *de Trinitate* tertio : in quo Joannis Crellii illius sectæ Ministri librum quemdam excussimus; quo in libro omnia hæresis istius venena colliguntur : ac tum ad evertendum Trinitatis sacrosanctæ mysterium omnes admoventur machinæ, tum novantiqua perfidia comprobatur. Sed tum quidem, cum illa commentabar, nihil præter Crellii istius opus, et Socini epistolas ad diversos, et horum mutuas ad ipsum illius sectæ monimentorum curaveram legere. Post id vero tempus tam Socini ipsius, quam ejus discipulorum complures lucubrationes nactus sum, in iisque volutandis sum impigre versatus; præsertim in his, quæ arcana sectæ dogmata latius edisseruut; cujusmodi est Joannis Volkelii Misnici opus *de vera religione :* nec non Jonæ Schlichtingii a Bukoviec contra Meisnerum Vittebergæ professorem Lutheranum; quod mihi postremum opus omnium, quæ legeram, teterrimum, et pestilentissimum est visum.

Quanquam et in hoc, et in cæteris, quæ legere potui, nihil est argumenti fere, quod non in illo priori Creliano propositum, et videlicet refutatum a nobis fuerit in tertio *de Trinitate* libro. Præter quem multa quoque secundus complectitur eodem facientia. Ibi enim de Christi, ac Spiritus sancti divinitate; adeoque de sanctissimæ dogmate Trinitatis ea deprompsimus, quæ valent ad Socinianam labefactandam hæresim : maxime cum præcipua Scripturæ loca, quibus catholica nititur fides, illustrata sunt, et ab illorum fuco, et cavillatione defensa. Verum quod in unum tunc eram dogma Trinitatis

intentus, quæ ad Incarnationem divini Verbi proprie spectabant, vel omisi penitus, vel leviter attigi; quæ nunc diligentius pertractanda sunt, iis vicissim prætermissis, quæ ad Trinitatem pertinent : nisi si quid propter utriusque affinitatem argumenti necesse sit repetere; quod, ubi res feret, quam parcissime conabor facere.

Hoc contra Photinianam hæresim certamine perfunctus, aggrediar ad ea, quæ adversus Judæos in promptu debent esse Christianis : quæque in explicando Incarnati Filii Dei negotio theologis est solemne tradere; quemadmodum illorum retundi, frangique pervicacia possit : ut promissum tot Propheticis oraculis Christum et venisse jamdudum intelligant, et desinant sperare venturum.

CAPUT PRIMUM

1. *De Socinianorum hæresi, quæ Incarnationis evertit fidem, dum ejus fundamenta duo labefactat, asserens neque verum, et consubstantialem Patri Deum esse Filium, nec ex duabus naturis constare Christum.* 2. *Duplici argumentorum genere utuntur : quorum prius ex Scripturarum silentio falso repetunt.* 3. *Joannis locus ex initio Evangelii, quo mysterium illud affirmatur.* 4 *Socinianorum cavillatio in detorquendis Scripturæ locis.* 5. *Catholicæ partis expositio loci illius Joannis.* 6. *Huic contraria Socinianorum.* 7. *Subdola eorum calumnia :* 8. *Ex qua colligitur non posse solis ex Scripturæ verbis litem illam componi ob illorum pervicaciam.*

Sociniana impietas consubstantialem Patri et in duabus naturis negat esse Christum.

Sociniana, sive Photiniana recens impietas; quoniam disputandi principium capere inde decrevimus; Christum asserit neque Deum esse verum, ejusdemque cum Patre æternitatis, ac substantiæ; neque duabus in una hypostasi constare naturis. Sic Incarnationis mysterium, et ipsum adeo Christum tollit e medio, dum ambo Christianæ de illis professionis et fidei fundamenta convellit. De quibus elegans est politissimi scriptoris Asterii, neque hic omittenda sententia in oratione *de sanctis Apostolis Petro, et Paulo :* quæ sic habet. « Omnis ratio, quæ ad Dei, et Salvatoris nostri agnitionem pertinet, in his duobus spectatur, et vertitur : quorum alterum in primigenia divinitate consistit : quæ est Verbum, quod in principio est semper, et est apud Patrem, et Deus est : quemadmodum nos magnus Theologus Joannes arcanum illud mysterium edocuit; qui tanquam spongia quædam, ad Unigeniti pectus applicatus, reconditæ sapientiæ inde notitiam extraxit. Alterum est, Incarnationis mysterium, quam bonus Deus, ut ad imbecillitatem se nostram accommodaret, admisit[a]. »

Has duas naturas proxime significare *Christi* vocabulum suo loco demonstravimus; et ex earum applicatione mutua, et conjunctione unum existere, hoc est eamdem numero personam, quæ Deus pariter, et homo sit, ac verus uterque, et in sua quisque substantia perfectus. Quod ut Catholici sincere, bonaque fide, ita Sociniani de divina substantia verbo tenus, ficteque profitentur. Siquidem hominem illum, qui Jesus Christus appellatur, nihil præter hominem, quod ad naturam attinet, esse confirmant : ac de Maria conceptum, et partu in lucem editum : ita ut ante hoc tempus in rerum natura nusquam exstiterit. Deum porro idcirco nominari, Deique filium, non quod essentia sit divina præditus, aut a Deo Patre substantiva generatione productus : verum propter excellentem dignitatem, et functionem; ad quam ex omni æternitate a Deo destinatus est.

Duplici argumentorum genere utitur Sociniana secta.

II. Ab his progressa principiis nefanda secta duplici argumentorum genere in exitium catholicæ religionis armatur : quorum unum ex auctoritate litterarum sacrarum : alterum ex humana ratiocinatione ducitur. Ita Socinus, Volkelus, Crellius, Schlichtingius dogma illud Christianum labefactare sunt aggressi : quod nec ex Scripturis probari possit : et cum communi hominum sensu, atque iisdem insita ratione pugnet.

Quod ad Scripturas spectat, Faustus Socinus in disputatione *de Christi natura*[1], quam

a Aster. Ἅπας λόγος ὁ συντελῶν πρὸς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν πρὸς δύο ταῦτα καὶ θεωρεῖται, καὶ στρέφεται· ἓν μὲν τὸ τῆς ἀρχεγόνου θεότητος· ἥ τίς ἐστιν ὁ ἐν ἀρχῇ λόγος ὢν ἀεὶ, καὶ πρὸς τὸν πατέρα ὢν, καὶ Θεὸς ὢν, καθὼς ἡμᾶς ὁ μέγας θεολόγος Ἰωάννης ἐμυσταγώγησεν, οἷον σπογγιά τις τῷ στήθει τοῦ μονογενοῦς παρακείμενος, κἀκεῖθεν ἑλκύσας τῆς κεκρυμμένης σοφίας τὴν γνῶσιν. ἕτερον δὲ τὸ τῆς οἰκονομίας, ἣν ἀγαθὸς ὁ Θεὸς πρὸς τὴν συγκατάβασιν τῆς ἀσθενείας ἡμῶν κατεδέξατο.

1 Disp. Racoviæ edita anno 1519.

nondum absolutam reliquit, proposito duplici illo genere argumentandi, ita prius illud instituit : « Si Jesus Christus Dei filius servator noster esset ille Jehova unicus Israelitarum, et Christianorum Deus, manifeste, ut omnes fatentur, consequeretur, Deum hominem fuisse factum; quod cum ab humana ratione penitus abhorreat, id quidem disertis verbis, ut ita esse credamus, oporteret, et non in uno tantum, sed in quamplurimis locis scriptum exstare; quod in omnibus, quæ paululum modo ad credendum difficilia sunt, factum fuisse conspicimus : » ut in cœli terræque creatione, providentia, resurrectione, vita æterna.

Atqui « ne uno quidem in loco stupenda isthæc Dei metamorphosis obscure significata deprehenditur [1]; quo fit ut ejus assertores non claris divinarum litterarum testimoniis; imo ne testimoniis quidem ullis; sed potius meris quibusdam consecutionibus sententiam suam adstruere conentur. » Hæc ille : in quibus manifesti mendacii convincitur. Sunt enim quamplurima, eaque disertissima Scripturæ testimonia, quæ Christum Dominum ambo hæc esse, Deum et hominem, perspicue demonstrant.

Probatur contra Socinianos Scripturas evidenter docere Christum Deum esse et hominem

III. Atque ut evidentius illorum calumnia deprehendatur, ita cum illis stipulari volo, et hanc eis ferre conditionem : Nullæ adhuc exstent divinæ Litteræ, ac quemadmodum scribendæ sint, in consultationem aliquam, deliberationemque veniatur. Ad hanc itaque si Socinus, vel ejusdem sectæ alius adhibeatur, interrogeturque qua formula, et conceptione verborum enuntiari illud oporteat, de quo inter nos agitur : Christum Deum esse simul et hominem, et utrumque verum : illum porro, summum, et cujusmodi, cum Deum dicimus, vocabulo isti subjicimus, et intelligentia capimus : nempe ut qui Deus ex omni æternitate fuerat, hominem se in tempore fecerit ex Maria Virgine conceptus, et partu in lucem editus. Non aliis, opinor, verbis declarandum istud esse respondebit, quam istis : Hic homo, qui dicitur Jesus, non homo tantum est, sed etiam Deus verus, ac summus; proprius, et unigenitus Dei filius, æternus, omnipotens, creator omnium, quem adorare, in quem credere, ac sperare nos oportet.

Atqui nulla istiusmodi proprietatum est, quam non Christo Domino aperte tribuerint divinæ litteræ : ut in secundo *de Trinitate* libro latissime probavimus. Joannes Evangelista initio Evangelii sui, *In principio*, inquit, *erat Verbum*. Relinquamus in medio quid id *principium* significet. Certe mox Deum ait Verbum istud fuisse. Et *Deus erat Verbum*. At quale Verbum? *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Ac paulo post illud idem *Verbum carnem esse factum* asserit; quod nihil aliud indicat, quam hominem. Erat ergo antequam homo esset ille, qui assumpta carne vocatus est Jesus Christus; sed nonnisi Deus erat. Quare postquam homo factus est, Deus simul et homo esse cœpit. Ac deinceps et Dei filius, et hominis filius appellatus est. Dei quidem cum his adjunctis, et eo contextu sermonis, qui non vulgari lege, communique cum creatis rebus modo filium esse suadeat : sed peculiari, et proprio. Nam et *proprius filius* dicitur [2] : et *unigenitus* [3] : et *verus filius* [4]; nec non *verus Deus, et vita æterna*. Item *magnus Deus* [5]; et *super omnia Deus* [6], tum *principium et finis. Ego sum*, inquit ipse Christus [7], *α, et ω, principium, et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens*. Ex iis omnibus Scripturæ locis manifeste consequuntur illa, quæ de filio Dei, deque divinitate ipsius, et incarnatione fides catholica profitetur : neque clarius, ac disertius exprimi ista potuerunt.

IV. Atenim de singulis illis locis controversiam movent; et aliter intelligenda illa pugnant adversarii, quam nos volumus. Quid tum? Minusne propterea convenienter ex sacrarum auctoritate Scripturarum catholicum, et omnibus retro sæculis sic intellectum, ac prædicatum dogma defendimus? Etenim si hoc satis est ad elevandum argumenti, quod e Scripturis ducitur, pondus ac firmitatem, utcumque aliter explicare posse quod ex illis affertur; nihil erit quod e Scripturis probando colligi possit. Nihil enim tam clare ac perspicue affirmatum in Scripturis afferri potest, quod non simili exceptione possit eludi.

Falsa exponendæ Scripturæ Socinianorum ratio.

Licet hoc intueri in decreto illo fidei, quod in exemplum Socinus adduxit, ut ostenderet, qualem iis in locis Scripturæ perspicuitatem requireret, quibus Christianæ religionis dogma quodpiam approbatur : nempe in eo

1 Disp. Racoviæ edita anno 1619 § 8.— 2 *Rom.* VIII, 2. — 3 *Joann.* III, 13.— 4 I *Joann.* V, 20.— 5 *Tit.* II, 13.— 6 *Rom.* IX, 5. — 7 *Apoc.* I, 8.

fidei dogmate, quo *cœli terræque divina creatio* credenda proponitur. Siquidem istud ipsum neque tam evidenter expressum in sacris est litteris, quam illud, de quo agimus; et eadem secus interpretandi licentia extorqueri testimonia omnia poterunt, ex quibus colligitur. Exempli causa sit illa libri *Geneseos* sententia, quæ in illum sensum disertissima videtur: *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Cum igitur rationem abs se fidei suæ reposcenti, qua Deum ex nihilo cœlum, ac terram produxisse credit, et Scripturæ auctoritatem requirenti, locum illum Genesis Socinianus aliquis objecerit, quid faciet, si statim contra eum præscribat alius; nihil ex illo loco effici; quippe *creandi* vocabulum apud Latinos non significare rem ex nihilo facere: sed potius ex antecedente materia? ut Hieronymus, Augustinus, aliique Patres observant; quod in secundo libro *de Trinitate* capite primo pluribus ostendimus; ita Græcam vocem κτίζειν accipi solere: nec non Hebraicam ברא; ut cum de homine dicitur, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*; *et masculum ac feminam creavit eos*[1]. Ibi enim nullius linguæ dictio productionem ex nihilo, sed ex terrena materia designat. Quid si contentiosior aliquis existat, qui nomen *Elohim*, quod adjungitur ad *bara*, non Deum, sed angelos significare, illo in loco Geneseos affirmet: itaque legendum asserat; ברא אלהים בראשית, *In principio creandi*, hoc est *quo crearunt angeli cœlum, et terram*; quemadmodum initio capitis quinti scriptum est ביום ברא *in die quo creavit?* quomodo illum refellet Socinus, qui Saturnini et aliorum veterem instaurans hæresim, mundum ab Angelis procreatum esse illo ex loco probare instituet: aut qua se ratione ab illius calumnia tutabitur?

Intelligant igitur Photiniani uno ex hoc exemplo cujusmodi pleraque alia proponi poterant: non se magnum facere; nec valde astutos esse, qui hanc aliter exponendæ Scripturæ causationem oppido frigidam, et insulsam induxerint, qua se ab aliorum vexatione defenderent. Siquidem latius, quam volunt, aut ipsis expedit, patet: ut et suomet artificio irretiti teneantur; et eo demum pertineat, nullum ut ex auctoritate sacrarum litterarum dogma fidei probari possit.

V. Ut autem melius sectæ istius ἀλογία, et parum acuta, imo hebes, et stolida disputandi ratio cognoscatur, ac pene oculis subjiciatur ipsis; experiamur in eo, de quo hic agimus, fidei dogmate; ac specimen aliquod præbeamus conflictionis illius et pugnæ, quæ inter Catholicos, et Socinianos de Incarnatione Verbi, ac filii Dei oritur. Negant isti satis liquido constare nobis e Scripturis, quæ de mysterio illo profitemur: nempe Verbum esse Dei filium, ac Deum a Patre diversum hypostasi et persona tantum, sed essentia minime distinctum: hunc vero de Maria Virgine conceptum, ac genitum hominem, sive carnem esse factum. Catholici ex adverso pugnant manifeste illud docere Scripturas sacras: et quibus in locis id faciant, complures proferunt. De sensu igitur horum, et interpretatione reliqua deinceps est tota contentio. Celeberrimus est, quoniam maxime omnium est expressus, qui initio Evangelii Joannis occurrit. *Joannis*, inquam, qui, ut Ambrosius[2], « majore tuba fudit æterna mysteria; quidquid locutus est mysterium est. »

Hic, *In principio*, inquit, *erat Verbum; et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum.* Ab hoc *Deo*, et *Verbo*, et per hunc *omnia* dicit *esse facta* et *sine ipso nihil esse factum.* Tum expositis iis bonis, et commodis, quæ ex illo fonte divinitatis in homines derivata sunt, et ad illustrandam, commendandamque potiorem hanc naturam attinent, demum ad alteram assumptam ab eo naturam delabitur: hoc est ἀπὸ τῆς θεολογίας εἰς τὴν οἰκονομίαν, ut Græci Patres loqui consueverunt; ac Verbum idem, Deumque, a quo sunt omnia condita, *carnem esse factum* adstruit: hoc est hominem: et hunc esse qui Jesus Christus nominatus est; quem Joannes Baptista *Christum*, id est *Messiam* esse testificatus est; et *Filium Dei*[3]; quo nomine deinceps appellatus est: ut ab Nathanaele[4]: et *unigenitus Dei filius*[5]. *A divinitate ad Incarnationem.*

Tota illa Joannis oratio, contextusque sermonis quantum fieri potest evidentissime mysterium illud incarnationis, hoc est Dei hominis facti declarat: sive individui illius, et personæ, quæ nomen illud habuit *Jesu*, atque Christi: quæque eatenus a Patre Deo genita est, qua Deus et Verbum est; vel secundum divinitatem: a femina virgine, ac matre, qua idem qui Deus erat, homo itidem ut Deus, esse cœpit.

VI. Adversus hæc Sociniani multa dispu-

1 *Genes.* I, 27. — 2 Lib. III *Sacram.* cap. II.— 3 *Joan.* I, 34. — 4 Ibid. vers 49. — 5 *Joan.* III, 16 et I, 14.

Sociniana expositio loci Joannis: *In principio erat Verbum.*

tant; ac nova quadam, et inaudita ratione totam hanc Joannis orationem ita explicare contendunt. Scripsit auctor ipse sectæ vel instaurator potius Socinus libellum quemdam de hoc argumento : in quo damnata communi, et antiqua illius interpretatione loci, alteram instituit in hanc fere sententiam. Imprimis nomen « *principii* non æternitatem respicere dicit : sed ordinem earum rerum, quas Johannes de Jesu Christo dilectissimo Dei filio scripturus est. Quemadmodum enim Moses initio sui operis mundi creationem descripturus, *in principio* dixit eorum respectu, quæ deinceps dicturus erat, ac si diceret, principio, in primis, et ante omnia condidit Deus cœlum, et terram : ita et Joannes cum de spirituali mundo per Christum creato scripturus esset, usus est illa ordinis voce : ut intelligamus Verbum hoc fuisse non quidem ab omni æternitate, sed ante res creatas omnes novi mundi; » ut sit iste sensus; Initio novi Testamenti, ac totius οἰκονομίας ab homine Christo, qui e Maria virgine natus est, gestæ, et administratæ, erat Verbum. Jam quod Verbum nominat, inquit, non sic accipit, ut sempiterni Patris filius verus, ac proprie dictus Deus, Patri coæternus, ac consubstantialis fuerit, verum uti, quod ad ipsam naturam attinet, homo duntaxat esset, qui antequam nasceretur e Virgine, nondum exstaret in rerum natura. Quem quidem λόγον, id est *verbum*[3], aut *sermonem* appellatum esse vult, nonnisi metaphorice, ac metonymice. Metaphorice quidem, « quod uti verbo hominis ejus voluntas patefit. » Metonymice vero, « quod Christus auctor sit verbi illius quod κατ' ἐξοχὴν, ac simplici appellatione gaudere potest : quippe quod aliis omnibus utilius sit, atque præstantius. » Nam quod ait Joannes, *Et Verbum erat apud Deum* sic explicat: « Jesus, quatenus, Dei Verbum, antequam Baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat. » Rursus cum sic Evangelista loquitur, *Et Deus erat Verbum* negat Deum aliter appellari Christum, quam eo modo, quo cum rebus creatis interdum appellatio ista communicatur. Denique quod sequitur, *Et verbum caro factum est*, aliter exponit, ac vulgo fit. Sic enim vertit, *et Verbum caro fuit*, quia in Græco est ἐγένετο, quod sic interpretatur, Christum illum fuisse carnem, hoc est hominem imbecillum, ærumnosum, despectum, humilem; nam carnis nomine imbecillitatem, atque humanitatem significare Scripturam solere.

Œconomiæ.

Per excellentiam.

VII. Hæ sunt contrariæ inter se Evangelici illius loci interpretationes, ac sententiæ, de quibus etsi non est difficile judicium : ac statim apparet quam inepta sit, et putide affectata, detortaque posterior : altera vero, consentanea, et Evangelicæ narrationi congruens : tamen differamus hoc tantisper, et quam oppugnandi catholici, et antiqui dogmatis rectam, ac probabilem rationem Socinus ineat attente consideremus.

Imprimis nullæ illius artes, et præstigiæ facere possunt, ut non apprime cum verbis Joannis, ac totius orationis contextu catholica cohæreat expositio. Nam propriis, ac nativis utitur, sine vi ac violentia, vocabulorum notionibus. λόγος illic est idipsum, quod apud Græcos ista vox significat, *notio*, et ἔννοια. *Dei* vox quoque verum, proprieque dictum, et hac appellatione dignum indicat, præpotentem, et æternum, increatumque spiritum. *Caro* item usitatissima Scripturæ consuetudine corpus animatum rationali anima, hoc est *hominem* significat : cujusmodi ἐγένετο, id est *factum est* Verbum illud.

Adversus hanc loci illius enarrationem nihil e Scripturis afferre Sociniani possunt, cur ejus pœnitere nos debeat : aut cur illi alteram, posterioremque præferamus; quam pro vetere, et olim recepta, novam ac nuper excogitatam nobis objiciunt. Quamobrem nihil ad nostram coarguendam vel sententiam, vel ei conformem illius loci declarationem afferre, causarive possunt aliud, nisi callidas quasdam et subtiles argutias; quæ per sese, et ut mysterii istius fert obscuritas, irretire, ac terrere rudes, et in tricis illis minus exercitatos homines possunt. Cujusmodi spinosis, ac morosis argumentationibus conferti sunt scholasticorum nostrorum commentarii; quotidianæque calent eorum disputationes : ex quibus Socinus, ac tota illa factio, quæ ad impugnanda Trinitatis, Incarnationisque mysteria, et circumveniendos doctrinarum harum expertes valent, malitiose corrasit, ac subdole. De quibus paulo post dicam : nunc quod cœpimus exequamur.

VIII. Hinc igitur prorsus intellectum esse arbitror, si ad componendam litem hanc, et controversiam nihil præter nudam Scripturarum auctoritatem asciscatur, nullum expediri posse illius exitum : non quod ex illis satis magna lux ad veritatem dignoscendam non affluat : sed quod pervicacibus, et obstinatis in sua quoquo modo tuenda opinione mentibus promptum ac facile sit innumeras exco-

Non sufficit Scriptura ad lites dirimendas.

gitare cavillationes, et calumnias; quibus adversarios si non vincere, morari certe, ac fatigare tædio possint: dum ab seria, et theologica certatione, rem ad vocabulorum inquisitionem, et Grammaticas velitationes transferunt. Quo in genere disputandi tota est Socinianorum natio, nec multum tamen proficit. Nam eodem, quo circumretitos, et implicatos alios tenere studet, vocum aucupio, et artificio frangitur. Quid enim laboris est, quod illi contra Catholicos faciunt, in ipsos retorquere, et quod ex aliorum, ut putant, similium locorum comparatione constitutis a se Scripturarum sensibus subsidium advocant, idipsum et nostris, contrariam in partem, ex similium perinde locorum contentione conquirere? Magna est enim utrimque istiusmodi argumentorum copia: quam vel multiplex parit usus vocum, ac sententiarum: vel aliunde nonnunquam oborta difficultas, et obscuritas affert. Denique nihil tam istic est perspicuum, et expressum, quod non variis ludificationibus improbe contentiosa ingenia in commodum male suscepti erroris extorqueant.

Ecquam igitur ad illa pacanda dissidia viam, ac rationem inire oporteat, communi ex hominum sensu, ac judicio sequens caput exponet.

CAPUT II.

Ex veterum auctoritate catholica de Christo fides, et initii Joannis Evangelii interpretatio probatur. 1. *Scripturæ quomodo explicandæ.* 2. *Ex antiquitatis consensu potissimum id facere oportet.* 3. *Memorabilis Socini sententia, fidem catholicam ad Nicænum usque tempus incorruptam de Dei essentia, et persona Jesu Christi perseverasse.* 4. *Ab auctoribus itaque primorum sæculorum testimonia repetuntur de Catholica professione; ut Irenæo.* 7. *Ignatio.* 9. *Justino, Athenagora,* 10. *Clemente Alexandrino,* 10. *Hippolyto Portuensi, Origene, Dionysio Alexandrino.* 13. *Synodis tribus contra Paulum Samosatenum celebratis.* 14. *Tertulliano, Cypriano, et aliis.*

I. In hac vexandæ Scripturæ, et ad sensum suum cogendæ lascivia, quam superiori capite demonstravimus, proclive istud est bonis ac pacificis mentibus agnoscere, quam non expedita, sed fallax potius, et calumniosa sit illa ratio, et via, quam in disputandis e Scriptura fidei quæstionibus Sociniani Samosatenses instituerunt. Quod de Socinianis dico, idem et ad Lutheranos, et Calvinistas pertinet, adeoque recentiores hæreses omnes: quæ cum ad solas Scripturas adhærescere se profiteantur, revera non Scripturas, sed Scripturarum sensus, interpretationesque, quales visum ipsis est, persequuntur. Quocirca meminisse illud omnes oportet, quod a Petro Apostolo scriptum est in posteriore canonica: *Hoc primum intelligentes*, ait, *quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*[a]. Sive, ut in Græco legitur, *non est propriæ interpretationis*, Ἐπίλυσις est *expositio*, et *enarratio;* atque ita Cyrillus anathematismorum suorum, quos contra Nestorium scripserat, *explicationem* Ephesino rogante concilio a se factam appellavit. Scripturas itaque docet Apostolorum princeps non ex privato cujusque sensu, et ingenio interpretandas esse. Et quoniam voces ipsæ, ac verba Scripturarum, quam *litteram* vocant, instar habent corporis: *sensus* autem, et

Scripturæ proprio sensu non interpretandæ.

a I *Petr.* I, 20. Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες ὅτι, πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται.

ἡ διάνοια, animæ loco est : manifestum est, posterius hoc, quod longe alteri præstat, non humano ingenio, quamlibet erudito, et acuto permittendum esse : sed ex potiori, et divina auctoritate repetendum. Etenim si Scripturæ verba ipsa sermonesque commutare proprio ex arbitrio non licet : tametsi hoc eo animo facias ut planius, elegantiusve loquantur : multo minus fas esse debet quam quisque poterit, aut volet, verbis illis sententiam affingere : præsertim usitatæ, ac receptæ omnibus retro sæculis adversantem.

Ex antiquitatis consensu Scripturarum sensus eruendus.

II. Nondum de fidei Christianæ, et interpretandæ Scripturæ regula disputo : de qua quidem alio loco viderimus. Hoc unum in præsentiarum ago, et insisto : Cum tot modis, et interpretationum varietatibus trahi in diversa sacræ litteræ possint ; atque ex Hebraicæ, Græcæque linguæ copia novæ illarum expositiones adornari : quas non probare facilius sit, quam refellere : huic demum incommodo de consensu partis utriusque litigantium prorsus iri obviam oportere. Nemini autem tutior, certiorque ratio potest occurrere, quam ut ratus ille sensus habeatur, in quem primis sæculis, et Apostolorum ætati proximis Christiana omnis conspiravit Ecclesia : quique deinceps, ad nostra usque tempora, perpetua nec unquam interrupta successione manavit. Huic ergo præscriptioni nullum omnino, cui frontis aliquid supersit, intercessurum existimo. Non enim humani judicii, ac pudoris est, tanti momenti rem, quanti est æterna pendens ex ea salus, et Ecclesiæ tranquillitas, committere opinionibus hominum, et inventis, hoc est in perpetua contentionum jactatione relinquere. Hanc si conditionem recuset Socinianorum natio, primum non nos disputando superabit unquam : tum vero se probabit indignam, qua cum commercii aliquid, vel communis ulla de re sermonis habeatur. Nam quæ via esse potest alia conciliandorum inter se de fide, ac de Scripturæ sensu dissidentium, si ista non est? Aut quis infiniti, et inextricabilis esse negotii non videt, modum altercationibus ponere, si tamdiu perseverare sinantur, dum alterutra pars nihil habere quod respondeat, et convictam se esse fateatur ?

III. Sed omissis, ac spretis istis non tam metuendis, quam odiosis adversariis, nos quod instituimus pergamus facere : ac quis verior sit Scripturæ sensus ex perpetua ab Apostolicis usque temporibus auctoritate repetamus. Sic enim ad rationes nostras vel invitos adducemus cum antistite suo, sectæque principe, Socinianos omnes ; si magistri præscripta, et decreta præstare voluerint ; quos aliter non puto esse facturos.

Memorabilis Socini sententia veram essentiæ Dei notitiam usque ad tempora concilii Nicæni perseverasse.

Hic enim revocanda in memoriam est Socini sententia quædam, quam alibi commemoravimus[9]; qua illud affirmat ; « cognitionem veræ essentiæ Dei, et personæ Jesu Christi, sine ulla controversia, usque ad tempora concilii Nicæni, et aliquanto post, inter eos, qui Christum profitebantur, esse non destitisse. » Non potest aliter sciri, quæ fuerit in ecclesia Christiana primis sæculis fidei professio, quam « ex illorum, qui tunc exstiterunt, scriptis, » ut ibidem Socinus observat. Cum autem fides non aliunde, ut eidem placet, quam ex Scripturis habeatur, et earum interpretatione, ac sententia : prorsus necesse est, illum esse germanum, verumque locorum Scripturæ sensum, unde vera fidei dogmata deduxerunt ; qui ex istorum veterum scriptis hodieque colligitur. Hoc autem constituto, jam nihil causæ est, quin et falsa sit Sociniana tam expositio Scripturæ, quam capite antecedente descripsi, quam ei innixa, ex eaque confecta de Dei filio Christoque sententia : et ei contraria, quæ ex catholica ecclesia petita est, et eodem allata capite, utrique præferenda sit. Habet enim consentientes sibi antiquos omnes, qui illo intervallo vixerunt : quorum quidem ad notitiam nostram scripta pervenerunt : ut in *Prolegomenis* tomi secundi, qui est *de Trinitate* : et in tertio ejusdem libro demonstratum est ; ubi Clementis primi Romani pontificis, Ignatii, Polycarpi, Justini, Athenagoræ, Irenæi, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Minucii, Hippolyti, Origenis, Cypriani, Dionysii Romani pontificis, et alterius cognominis Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, et aliorum ejusdem ætatis : qui in Antiochena duplici synodo contra Paulum Samosatenum eadem cum Socinianis asseverantem congregati sunt, eumque postremo damnarunt : Arnobii item, Lactantii, Novatiani. Qui omnes in Trinitatis dogmate, hoc est tribus in Deo personis, necnon Christi divinitate, et natura duplici constituenda inter se concordes, et consentanei sunt. Certe Christum secundum divinitatem longe antequam homo

De Dei Filio et Christo vera statuitur sententia ex Patribus synodo Nicænæ anterioribus

In lib. III tom. II *de Trin.* cap. VII § 12 et cap. XI § 10. — 2 Faustus Socinus in ep. II *ad Rad.*

ex muliere nasceretur, exstitisse sine ulla controversia profitentur.

IV. Ac tum quidem cum illorum testimoniis utebamur, illud potissimum spectabamus, quod ad Trinitatis mysterium, et divinam Christi substantiam attinet. Id enim nobis erat propositum. Sed multa interim iis admista sunt, quæ duplicem in Christo naturam, et humanam a Deo susceptam adstruebant; præsertim in tertio libro, capite undecimo; quæ illic selecta, præsens ad Incarnationis argumentum accommodanda sunt. Nos pauca quædam hic adjungemus, quæ allatæ a nobis superiori capite Scripturæ locorum interpretationi, qualem adhibent Catholici, suffragantur : maxime celeberrimi illius, quod ex Joannis Evangelio deprompsimus.

Adducuntur testes Irenæus.

Irenæus libro tertio, capite undecimo, hoc ipsum confirmat, quod Socinus, ejusque sectatores temere abnegant, Joannem postremum omnium Evangelium ideo scripsisse, ac de divinitate Christi luculentam fecisse mentionem, ut Cerinthi, ac similium damnaret errorem : qui, ut libro primo meminimus[1], Christum esse hominem asserebant. Idem porro Joannis verba non aliter enarrat, ac nos supra fecimus. Nam λόγον. sive *Verbum*, Dei esse filium, ac Deum scribit, per quem Deus Pater omnia condidit : hoc est creaturas omnes, ac mundum universa continentem : et eumdem carnem, id est hominem esse factum; quod *secundum nullam sententiam hæreticorum* affirmari dicit.

Et capite XVIII « Quoniam, inquit, Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra. » Tum eodem capite Pauli ad Romanos locum memorat, ubi *Christum* ait *Deum esse super omnes. Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem : qui est Deus super omnes benedictus in sæcula* [2]. Ita Christum secundum potiorem substantiam summum esse fatetur Deum.

V. Rursus quod Sociniani Christum ipsum in Scripturis appellari quidem agnoscunt Deum : sed verum, ac summum, et eodem jure, quo Pater Deus dicitur, appellari non putant, præclare hoc, et uberrime idem refellit Irenæus libro tertio, capite sexto. « Neque igitur Dominus, inquit, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive, et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus : neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, et filium ejus, qui dominium accipit a Patre suo omnis conditionis, etc. Vere igitur cum Pater sit Dominus, et Filius vere sit Dominus, merito Spiritus sanctus Domini appellatione signavit eos. » Deinceps vero pleraque illa loca Testamenti veteris, quæ adversus Arianos, et Samosatenos afferri solent, et nos libro secundo, ac tertio *de Trinitate* descripsimus, ad ejusdem filii Dei, ac Verbi divinitatem summam illam quidem, ac veram, et coæternam Patri, nec minorem approbandam recenset. Ubi et superiorem illam regulam, qua usum vocabuli istius, *Deus*, moderari dixerat in Scripturis Spiritum sanctum, apprime utilem, et contra Socinianos opportunam latius exponit. « Cum autem eos, qui non sunt dii, inquit, nominat, non in totum, quemadmodum prædixi, Scriptura ostendit illos Deos : sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse dii; quemadmodum apud David, dii gentium, idola dæmoniorum; et, deos alienos non sectabimini, » etc. Qui locus apprime notandus adversus Socini calumnias, ut postea videbimus : qui hac vocabuli *Dei*, et *filii*, ὁμωνυμίᾳ ad elevandam utriusque proprietatem in Christo veteratorie est abusus.

Æquivocatione.

VI. In primo vero capite libri primi, in quo Valentinorum hæresim, et nugaces fabulas exponit, ac refellit : imprimis illos arguit, quod Joannis locum illum ex initio Evangelii falsa enarratione depravarent, et ad commentitios suos Æonas singula illius accommodarent nomina : cum de vero, et unigenito Dei filio, ac Verbo incarnato, id est carne, vel homine facto, Jesu Christo prorsus intelligi debeant. Descripsit hanc totam Irenæi disputationem Epiphanius in hæresi XXXI. Itaque Græca ex eo repræsentabimus : Latina vero ex interpretatione nostra. Igitur postquam vafram hæreticorum istorum ad Æonas suos accommodationem Evangelicæ orationis exposuit. « Vides, inquit, carissime, artem illam, ac fraudem, qua utentes sibimetipsis illudunt, dum sacris litteris per calumniam abutuntur; ut ex illarum testimonio fabulæ suæ fidem auctoritatemque concilient[a]. » Post

[a] IREN. apud Epiph. hær. XXXI, § 28. Ὁρᾷς, ἀγαπητὲ, τὴν μέθοδον, ᾗ οἱ χρώμενοι φρεναπατοῦσιν ἑαυτοὺς, ἐπηρεάζοντες τὰς γραφὰς, τὸ πλάσμα αὐτῶν δι' αὐτῶν συνιστάνειν πειρώμενοι.

1 Cap. II, § 4. — 2 *Rom.* IX, 5.

eorum expositionem repudians, veram et catholicam, ac prorsus eamdem, quam nos capite antecedente proposuimus, opponit. « Est igitur minime obscura, inquit, interpretationis illius corruptela. Nam cum Joannes unum Deum omnipotentem, et unum unigenitum Christum Jesum prædicet, per quem omnia facta esse dicit, etc. isti singula, quæ illic dicta sunt, a veritate removentes, et nominibus abutentes ad institutum suum transtulerunt[a]. » Ac subinde verba illa, *Et Verbum caro factum est*, explicans de Jesu Christo, σαρκωθῆναι ὑπὲρ ἀνθρώπων ait, quod nihil aliud est, *quam carnem esse factum*. Quid autem istud sit, exponit sic : « Caro, inquit, vetus illud opus Dei est Jam tum ab Adami tempore ex humo formatum ; cujusmodi vere, factum esse Verbum Joannes ostendit[b]. »

Sed luculentum est quod postea contra eosdem hæreticos objicit, fidei catholicæ Symbolum[1]; quod quidem per universam Ecclesiam toto orbe diffusam prædicari asserit : ita ut nec Ecclesiæ in Germania constitutæ aliter credant, tradantve[2] : nec in Hispaniis, Celtisve sitæ, nec quæ in Oriente, aut Ægypto, vel Libya, mediove in orbe positæ : ac plura alia pertexit, quæ catholicæ fidei summam omnium per illud tempus nationum professione celebratam continent. In qua illud potissimum Sociniani observare debent, hanc ab illo poni fidem, quam ab Apostolis, et eorum discipulis traditam accepit Ecclesia, « ut credamus in unum Deum Patrem omnipotentem[3], etc. Et in unum Christum Jesum filium Dei incarnatum pro salute nostra. Et in Spiritum sanctum : qui per Prophetas prædicavit œconomias, et adventus, et generationem ex Virgine, » etc. In quibus et personarum trium, hoc est Trinitatis liquida confessio; et Verbi ac Filii Dei incarnatio continetur; quod utrumque Sociniani abnegant. Verum tam multa sunt per totum illud opus Irenæi sparsa catholicæ, ac Socinianis invisæ fidei testimonia, ut ea longum sit, neque necessarium hoc loco describere. Legant ipsi, si verum scire cupiunt, ac resipiscant perditissimæ sectæ propugnatores Anabaptistæ.

VII. Irenæo antiquior Ignatius, etsi locum illum ex initio Evangelii Joannis non exposuit ; tamen haud obscure ad ipsum alludens, multa dicit illius, quam adduximus, expositioni consentanea, et cum Socinianorum commentis minime cohærentia. Hujus auctoris aliquot testimonia protulimus in præfatione tomi secundi[4], et in tertio *de Trinitate* ab antiquis citata[5], ut Athanasio, Theodoreto, aliisve scriptoribus. Inter quæ celeberrimum est, quod Athanasius refert in libro *de Synodis*, ubi Christum ait esse simul γενετὸν, καὶ ἀγένητον, *factum, et non factum*, « in homine Deum : qui ex Maria simul est, et ex Deo. » Quæ sententia in epistola Ignatii *ad Ephesios* exstat ex recentiori editione, ac manifeste in ea est utriusque naturæ significatio, quam Joannes latius diffudit, cum eumdem dixit, Deum esse Verbum, et omnia per ipsum esse facta, et postea carnem esse factum, atque ex matre femina prodiisse. Nec minus allusit ad Joannem Ignatius in epistola *ad Magnesios*, dum sic ait, « Jesus Christus qui ante sæcula apud Patrem erat, et in fine apparuit[c]. » Paulo vero post : « Unus, inquit, est Deus, qui seipsum manifestum reddidit per Jesum Christum filium suum : qui est ipsius Verbum sempiternum, non post silentium progressum[d]. » Quibus verbis significat, ex omni æternitate processisse a Deo Patre Filium, eumdemque Verbum. Et quid aliud est procedere filium a patre, nisi esse genitum ? Ergo nullum tempus genituram illius antecessit : hoc est Verbi prolationem. Alioquin infinito ante spatio, sive infinitis sæculis, locutionem illam, prolationemque Verbi, adeoque generationem ejusdem, qua filius est, præcessisset ἀγεννησία ; quam σιγὴν, id est *silentium* vocat Ignatius, translatione sumpta ab humana locutione, quæ silentium sequitur, ac rumpit. Hæc vera est sententia loci istius : quam minime intelligentes aliqui, perperam accepe-

Ignatius.

Innascentia

a Iren. Φανερὰ οὖν ἡ τῆς ἐξηγήσεως παραποίησις. τοῦ γὰρ Ἰωάννου ἕνα θεὸν παντοκράτορα, καὶ ἕνα μονογενῆ Χριστὸν Ἰησοῦν κηρύσσοντος, δι' οὗ τὰ πάντα γεγονέναι λέγει, etc. Καὶ ἓν ἕκαστον τῶν εἰρημένων ἄραντες ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καταχρησάμενοι τοῖς ὀνόμασι, εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν μετήνεγκαν.

b Ibid. § 29. Σὰρξ δέ ἐστιν ἡ ἀρχαία ἐκ τοῦ χοῦ κατὰ τὸν Ἀδὰμ ἡ γεγονυῖα πλάσις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἣν ἀληθῶς γεγονέναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐμήνυσεν ὁ Ἰωάννης.

c Ignat. Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη.

d Ibid. Ὅτι εἷς Θεός ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών.

1 Irenæus apud Epiph. hæres. xxxi, § 39. — 2 Ibid. § 31. — 3 Ibid. § 30. — 4 Cap. ii, § 8. — 5 Cap. xi, § 13.

runt : et ad Valentinorum *Æonas*, ac *Sigen* respexisse putarunt Ignatium : ex quo de epistolarum illarum auctoris statu præpostere sunt argumentati, de quo postmodum dicam.

Falsam interpretationem.

VIII. Cæterum non potest hic locus Ignatii detorqueri ad Socinianorum παρερμηνείαν ; qui Jesum Christum hominem fuisse merum adstruunt, et λόγον, id est *verbum*, vel *sermonem* appellari metonymice, quod Dei summi, verique sermonem, et voluntatem hominibus importarit. Non enim ἀΐδιος homo iste fuit : et necessario ortum ipsius antevenit silentium: hoc est τὸν λόγον ἡ ἀλογία: vel λαλιὰν, aut λάλησιν, ἡ ἀλαλία, vel ἀλαλησία : ut adversus Arianos concludebant antiqui Patres, Athanasius, aliique: de quibus tomo secundo diximus. Itaque quantivis pretii est Ignatii locus ille.

Æternus.

Verbum silentium, aut locutionem infantia.

Sunt et certi loquendi modi iisdem in epistolis, qui idipsum persuadent, duas in Christo fuisse naturas, et alteram harum, divinitatem veram, proprieque dictam : tum incarnatum fuisse Deum istum, atque Filium, et Verbum. Nam sæpe illum nominat τὸν θεὸν, cum articulo, vel θεὸν ἡμῶν. In prima epistola quæ *ad Smyrnæos* inscribitur. « Glorifico, inquit, Jesum Christum Deum [a]. » Et paulo post, eumdem *Dominum nostrum* nuncupat ; quem ait « vere ex Davidis genere ortum ac Dei filium , secundum voluntatem, et potentiam Dei revera ex Virgine genitum [b]. » Ibi natura duplex perspicue designatur ; dum ille Dominus noster, ac Deus Dei filius dicitur ex Davidis stirpe natus esse secundum carnem. Hæc enim loquendi forma, *secundum carnem*, alteram, quæ non secundum carnem est, originem demonstrat : propter quam vocatur Deus noster ab eodem Ignatio in epistola *ad Ephesios*. « Cur non omnes, inquit, prudentes simus, cum acceperimus notitiam Dei, qui est Jesus Christus ? » Et subinde,

Illum Deum Deum nostrum.

« Nam Deus noster Jesus Christus conceptus est ex Maria [c]. »

Justinus martyr.

IX. Huic ætate suppar Justinus martyr, qui anno ab ortu Christi centesimo quinquagesimo floruit, Joannis Evangelium non minus diserte sic interpretatus est, ut de duabus Christi naturis nullum dubitandi locum reliquerit, In *Apologetico secundo* Jesum Christum asserit ab Christianis dici « solum proprie filium Deo genitum , qui est Verbum ipsius, et Primogenitus , et Virtus : ac de illius voluntate hominem esse factum [d]. » Ac paulo ante dixerat, genituram esse Patris : et peculiari quadam ratione, ac præter communem generandi modum ex Deo Dei Verbum esse genitum. Item eadem in *Apologia*, « primam Dei virtutem, ac Filium, et Verbum incarnatum, hominem esse factum » dicit [e]: utiturque voce σαρκοποιηθεὶς, quæ *carnem fieri* significat, ad explicandum illud Joannis καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο ; quam quidem vocem aliquoties usurpat.

Et Verbum caro factum est.

Sic in calce *Apologetici* prioris, « Ingeniti, et ineffabilis Dei Verbum, ait, secundum Deum adoramus, et amamus, quandoquidem et propter nos homo factum est [f]. »

Præexistentia.

Idem et in dialogo *cum Tryphone*, de sempiterna Verbi generatione, qui est Jesus Christus, ejusque προϋπάρξει multa disserit ; ex quibus nonnulla in præfatione tomi secundi, capite tertio retulimus.

Tatianus.

Tatianus quoque Justini discipulus in capite undecimo libri tertii *de Trinitate* citatus a nobis, « Verbum a Patre genitum ait, Deum in hominis forma factum esse. »

Athenagoras.

Athenagoras item Atheniensis philosophus in *Legatione pro Christianis*[1], quam M. Aurelio Antonino, et L. Aurelio Commodo obtulit, Deum ab Christianis coli profitetur ingenitum, æternum, invisibilem, etc. *necnon Dei*

a IGNAT. epist. 1. Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν θεόν.

b Ibid. Εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, υἱὸν θεοῦ, κατὰ θέλημα, καὶ δύναμιν θεοῦ γεγενημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου.

c IGNAT. Διὰ τί δὲ οὐ πάντες φρόνιμοι γινόμεθα λαβόντες θεοῦ γνῶσιν, ὃ (ὅς) ἐστιν Ἰησοῦς Χριστὸς * ;

MOX : Ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας.

d JUST. *Apol.* II. Καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ θεῷ γεγένηται λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων, καὶ πρωτότοκος, καὶ δύναμις, καὶ τῇ αὐτοῦ βουλῇ γενόμενος ἄνθρωπος.

e Ibid. Ἡ δὲ πρώτη δύναμις, μετὰ τὸν πατέρα πάντων, καὶ δεσπότην θεὸν, καὶ υἱὸς ὁ λόγος ἐστίν· ὅς τινα τρόπον σαρκοποιηθεὶς ἄνθρωπος γέγονεν, ἐν τοῖς ἑξῆς ἐροῦμεν.

f Idem. vers. 18. Τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτου, καὶ ἀρρήτου θεοῦ λόγον μετὰ τὸν θεὸν προσκυνοῦμεν, καὶ ἀγαπῶμεν, ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν.

* Ὁ (ὅς) ἐστιν Ἰησοῦς Χρίστος. Rejicienda hæc correctio utpote nulla auctoritate suffulta, nec necessaria. Legendum : Ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χρίστος *quod* (scilicet notitia Dei) *est Christus Jesus.* J. B. F.

1 Vide illius verba in præf. tom. II, cap. III et lib. XI *de Trinit.* cap. XI.

filium. Cujus quidem filii proprietatem deinceps explicat ex Joannis potissimum Evangelio : etsi de suo aliquid addat : et hunc esse λόγον, id est *Verbum Patris* affirmat ; «atque ab ipso, et per ipsum omnia esse facta, quum unum sint Pater et Filius, et Filius in Patre sit, ac Pater in Filio : » ac cætera, quæ catholicam Trinitatis, et Incarnationis fidem disertissime continent, et sunt a nobis alio in loco descripta ; ut et aliorum ejusdem fere ætatis testimonia, quæ compendii gratia hic omittimus.

Clemens Alexandrinus. *Divinitate quam incarnatione.*

X. Clemens Alexandrinus, qui M. Aurelio, et ejus filio Commodo imperantibus scripsit, haud pauca de Christi tam θεολογίᾳ, quam οἰκονομίᾳ prodidit, ut Græcorum Patrum more loquar : ac Joannis Evangelii principium itidem ut Catholici, contra autem ac Sociniani faciunt, intellexit. Nam ut omittam illa loca, quæ in secundo tomo ex eo allata sunt : in quibus Trinitatis mysterium, ac Verbi τὸ ὁμοούσιον ex Joannis auctoritate illa probat [1] : idem Verbum, ac Dei filium eumdem incarnatum esse, ac duas in se continere naturas aperte significat. In admonitione *ad Gentes*, primum asserit τὸν λόγον, id est *Verbum* antiquius esse diis omnibus gentilium, maxime Ægyptiorum ; qui vetustatis palmam sibi præ reliquis populis arrogabant. Illorum quippe numina mundi constitutionem minime præcessisse : Verbum autem ante creatas res omnes exstitisse : « quoniam in principio erat Verbum. » Quod quidem antea fuisse dicit, quatenus « divinum principium universorum et erat, et est [a] ; » at vero Christi nomen postea consecutum. Quod subinde declarat sic : « Hoc igitur Verbum, qui Christus est, tum olim nobis ut simus : tum ut bene simus causa exstitit ; et nunc hominibus apparuit illud idem Verbum : quod cum solum utrumque sit, Deus et homo, fons et origo nobis est honorum omnium [b]. »

Consubstantialitatem.

Idem in *Stromateo* septimo, assumptam a Verbo naturam hominis declarat [2]. Nam post multa de filii Dei, ac Verbi natura, et excellentia disputata : postquam omnia regi ab illo, et ordinari quæcumque sunt creata dixit : tum vero ubique esse, nec ullo circumscribi loco : ac totum esse mentem ; totum oculum ; omnia videre ; omnia audire ; omnia scire : et alia quædam, quæ haud dubia sunt divinitatis argumenta : mox addit : huic omnia esse subjecta, « Verbo, inquam, paterno, quod sanctam suscepit œconomiam. » Græca jam alibi descripsimus [3]. In his vero Christum docet, qua Deus est, ante res omnes créatas exstitisse : tum *œconomiam*, id est *incarnationem* subiisse. Quod in eodem libro clarius significat postea, cum ait : « Quandoquidem, ut ait Propheta, *qui docet hominem scientiam* [4], Dominus est, per humanum os operans Dominus. Ideo et carnem assumpsit [c]. »

Hippolytus Portuensis.

XI. Floruit eodem, quo Clemens Alexandrinus, sæculo martyr egregius Hippolytus Portuensis. Hujus vero de duarum naturarum in Christo copulatione, Verbi Dei scilicet, et hominis, locus est insignis a Theodoreto citatus in dialogo primo, quem in *Prolegomenis* tomi secundi, capite quarto descripsimus. Ibi « Verbum Dei primogenitum in Virginem descendisse, ait, et primogenitum perinde hominem in illius utero formatum : ut primogenitum Verbum Dei cum homine primogenito conjunctum esse monstretur. » Græca in *Prolegomenis* exscripta reperies. Ejusdem auctoris ex Anastasii *Collectaneis* ibidem multa alia testimonia retulimus : quæ Verbi Dei sempiternam, æqualemque Patri divinitatem, et incarnationem factam in tempore manifestis verbis indicant.

Origenes. *Præexistentiam.*

Clementis Alexandrini discipulus Origenes Verbi divinitatem, et προύπαρξιν, et hominis ab eodem assumptam naturam non minus agnovit ; ac supervacaneum est illius hic proferre verba : cum pleni exstent ejus commentarii in Evangelium Joannis ; in quibus adversus Socinianam impietatem, et catholico congruenter dogmati illius initium interpretatus est. Sic in commentariis in epistolam

a Clem. Alex. *in Protr.* Ἀλλ' ὅτι μὲν ἦν ὁ λόγος ἄνωθεν, ἀρχὴ θεία τῶν πάντων ἦν τε, καὶ ἔστιν.

b Ibid. Οὗτος γοῦν ὁ λόγος ὁ Χριστὸς καὶ τοῦ εἶναι πάλαι ἡμᾶς· ἦν γὰρ ἐν Θεῷ· καὶ τοῦ εὖ εἶναι (deest αἴτιος, aut aliud ejusmodi) νῦν δὴ ἐπεφάνη ἀνθρώποις αὐτὸς ὁ λόγος, ὁ μόνος ἄμφω Θεός τε, καὶ ἄνθρωπος, ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος τῶν ἀγαθῶν *.

c Idem *Strom.* VII. Εἰδὼς εὖ μάλα, ὅτι ὁ διδάσκων ἄνθρωπον γνῶσιν κατὰ τὸν Προφήτην, Κύριός ἐστιν, διὰ στόματος ἀνθρωπίνου Κύριος ἐνεργῶν. ταύτῃ καὶ σάρκα ἀνείληφεν.

* Truncus est textus S. Clementis citati supplendumque cum auctore αἴτιος, quod omnes agnoscunt editores.
J. B. F.

1 Clem. *Pæd.* cap. VIII. — 2 Idem *Strom.* VII. — 3 Lib. I *de Trinit.* cap. IV § 1. — 4 *Psalm.* LXXXXIII, 19.

ad Romanos plurima eodem pertinentia scripsit.

Dionysius Alexandrinus.

Dionysius Alexandrinus vir eruditus contra Paulum Samosatenum hæresis illius, quam Sociniani tuentur, auctorem, sive instauratorem potius, multum et disputando, et scribendo laboravit : ac de filii Dei, ac Verbi divinitate proprie dicta veraque, ac sempiterna, et ejusdem incarnatione, quod in communi erat omnium Christianorum fide luculenter exposuit. Hujus exstat epistola *ad Paulum Samosatenum* : cui subjectæ sunt quæstiones aliquot, objectionesve Pauli ejusdem contra Christi divinitatem, ac naturam duplicem, cum Dionysii responsionibus. Quo in opere toto Sociniani erroris capita omnia refellit : atque ex Joannis Evangelio dogma catholicum approbat. Hujus unam alteramve sententiam delibare satis erit.

XII. In aditu epistolæ statim ostendit, unum esse filium Dei, ex natura utraque constantem, non duas personas, sive naturas duas personalibus suis proprietatibus divisas. « Nam Christus, inquit, non vocabulo tenus, sed revera ante sæcula existens Verbum, Christus Dominus Jesus. Ipse enim factus est homo incarnatus ex Maria[a]. » Et paulo post : « Qui est Christus, Dei virtus, Patris sapientia, qui est Verbum æternum. Cum enim sit æternus, factus est puer[b]. » Atque hanc esse totius Ecclesiæ fidem ait, « quam sancti Patres et ipsi confessi sunt, et nobis confitendam tradiderunt. » Nempe quod Socini interpretationi, opinionique penitus adversatur : « Formam ipsam Dei, et Verbum Dei non per se, ac separatum, hominem, hoc est personam humanam esse : tum Verbum ipsum in Patre subsistens fuisse[c], » quod assumpta homini natura incarnatum ex Maria dicitur. Neque vero scindendum, ac dividendum esse ait in duo, Verbum et carnem : verum « eumdem omnino Christum esse Verbum Patri coæternum, et unam personam Deum invisibilem, et visibilem factum. Deus enim apparuit in carne, factus ex muliere. Qui ex Deo Patre genitus est ex utero ante Luciferum, velut ex corde Verbum ex Patre editum : ac simplex illud et expers partium Verbum, caro factum est secundum Scripturas. » Hæc, et iis plura Dionysius in epistola ; ubi et paulo post ista, filium eumdem, ac Verbum ὁμοούσιον, id est « consubstantialem Patri affirmat esse dictum ab sanctis Patribus[d]. »

Synodi tres contra Paulum Samosatenum celebratæ.

XIII. Atque hæc Dionysii Alexandrini epistola majoris idcirco auctoritatis est, quod ex synodo missa est Alexandriæ habita ab ejus urbis Præsule Dionysio. Quam ad synodum aliæ postmodum accesserunt duæ Antiochiæ celebratæ adversus Paulum Samosatenum[1] : quarum prior anno Christi 265, Gallieno imperante est habita ; eique Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia, et Gregorius ille magnus cognomento Thaumaturgus Neocæsareæ in Ponto interfuerunt episcopi. Posterior Aureliano imperatore, anno 270 celebrata est ab episcopis vel septuaginta, vel centum octoginta : in qua convictus a Malchione Paulus damnatus est, et episcopatu dejectus.

Hujus posterioris synodi duæ exstant epistolæ synodicæ ; una ad Paulum ipsum Samosatenum ; altera ad Dionysium Romanum Pontificem[2], et Maximum Alexandrinum ; necnon ad omnes ubique episcopos, presbyteros, et diaconos ; et universam adeo catholicam Ecclesiam. In priori, quæ integra exstat, præscribunt Patres fidei regulam hæresi, quam Paulus induxerat, adversam : quam quidem affirmant « ab initio acceptam ac traditam habere se, et in catholica, sanctaque Ecclesia servatam usque in præsentem diem continua successione a beatis Apostolis, qui inspectores ipsi fuerunt, et ministri verbi, denuntiatam ex Lege, ac Prophetis, et novo Testamento[e]. » In illa porro fidei professione, de Christo eadem omnino continentur ; quæ

a Dionys. Alex. tom. II *Bibl. PP.* Ὁ γὰρ Χριστὸς οὐκ ὀνόματι μόνῳ, ἀλλ' ἀληθείᾳ πρὸ αἰώνων ὢν λόγος, Χριστὸς Κύριος Ἰησοῦς. αὐτὸς γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ σαρκωθεὶς ἐκ Μαρίας.

b Ibid. Ὅς ἐστι Χριστὸς θεοῦ δύναμις, ἡ τοῦ Πατρὸς σοφία, ὢν λόγος ἀΐδιος. ἀΐδιος γὰρ ὢν γέγονε παιδίον.

c Ibid. Ὅτι καὶ ἡ μορφὴ τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ἄνθρωπος εἶναι οὐ δύνανται αὐτοτελὴς, ἤγουν πρόσωπον, ἡ δὲ μορφὴ τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ λόγος μετ' αὐτοῦ θεὸς, καὶ υἱὸς θεοῦ ἐνυπόστατος λόγος ἐπὶ τοῦ Πατρός. Καὶ οὕτως ὡμολόγησαν αὐτὸν οἱ ἅγιοι πατέρες, καὶ παρέδωκαν ἡμῖν ὁμολογεῖν, καὶ πιστεύειν.

d Ibid. Καὶ ὁμοούσιον Πατρὶ εἰρημένον ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων.

e Epist. synod. tom. II *Bibl. PP.* Ἔδοξεν ἡμῖν ἔγγραφον τὴν πίστιν, ἣν ἐξ ἀρχῆς παρελαβόμεν, καὶ ἔχομεν παραδοθεῖσαν, καὶ τηρουμένην ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας ἐκ διαδοχῆς ὑπὸ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων· οἳ καὶ αὐτόπται, καὶ ὑπηρέται γεγόνασι τοῦ λόγου, καταγγελλομένην ἐκ νόμου, καὶ Προφητῶν, καὶ τῆς καινῆς διαθήκης.

1 Vide lib. I hujus tom. cap. III. — 2 Apud Eus. lib. VII, cap. XXX.

hactenus Ecclesia catholica tuetur. Imprimis vero illud ipsum refellit, quod Sociniana hæresis defendit. Asserunt enim « filium Dei genitum, et unigenitum esse sapientiam, et Verbum, et Virtutem Dei, qui ante sæcula exstitit : non præscientia, sed substantia, et hypostasi Deum; Dei filium[a]. » Tum multis utriusque Testamenti locis confirmat, Deum illum esse sermonem summum ac verum, Deum Israelis, qui semper cum Patre fuerit, et per quem omnia facta sunt : ut in Evangelio scribit Joannes. Postea « filium eumdem, qui est apud Patrem, Deum quidem esse, ac Dominum omnium, quæ facta sunt ait : sed a Patre missum de cœlis, et incarnatum, hominem esse factum[b]. »

In eadem synodo Malchion, uti diximus, cum Paulo disputavit, eumque confutavit. Cujus disputationis fragmentum refert Petrus diaconus in libro *de Incarnatione*, capite tertio : ubi « Christum ex divinitate, et humanitate compositum esse probat. » Verba Malchionis, et illum Petri diaconi locum descripsimus supra libro tertio [1].

XIV. Secundum Græcos scriptores expromendi sunt Latini. Sed in præfatione tomi secundi capite quinto jam eo labore perfuncti sumus. Non tamen facere possum, quin paucos adjiciam hoc loco; maxime, qui initium Evangelii Joannis eodem modo, ac nos Catholici facimus, de Christo summo Deo homine facto sunt interpretati, Tertullianus

Verbum. passim *filium Dei* esse λόγον, ac *Deum* asseverat[2], eumque sermonem, vel rationem nonnunquam Latine vocat : ut in *Apologetico* : ac *Deum de Deo*, *lumen de lumine*. Et in libro *contra Hermogenem*[3], ex Evangelii Joannis loco illo refellit hæreticum istum, qui ex materia sibi coæterna Deum omnia creasse dicebat. « *In principio*, inquit, *erat sermo*. In quo principio scilicet Deus facit cœlum, et terram. *Et sermo erat apud Deum : et Deus erat sermo. Omnia per ipsum facta sunt : et sine illo factum est nihil.* Cum igitur et hic manifestetur et factor ; id est Deus : et facta id est omnia : et per quem, id est sermo : nonne et unde omnia facta essent a Deo per sermonem exegisset ordo profiteri, si ex aliquo facta essent? »

Fidei regula a Tertulliano tradita. Postremo animadvertenda est fidei regula, in qua summatim omnia, quæ ad Trinitatis, et Incarnationis dogmata pertinent, in illo libro complexus est, quem scripsit nulla adhuc hæreticæ contagione labis afflatus. Hic est liber *de Præscriptionibus* adversus hæreticos : cujus in capite XIII ita scribit : « Regula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet, qua creditur: Unum omnino Deum esse ; nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium demissum. Id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei varie visum a Patriarchis : in prophetis semper auditum: postremo delatum ex spiritu Patris Dei, et virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus ; et ex ea natum egisse Jesum Christum, etc. Hæc regula a Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, et quæ hæreticos faciunt. »

Cypriani vero, ac cæterorum Latinorum, qui ante Nicænam vixere synodum, testimonia non hic repetam : quæ in præfatione tomi secundi habes exscripta. Sentio enim longius esse me, quam decreveram, in hac testium appellatione provectum. Et sunt illa, quæ hactenus percensui satis idonea testimonia ad id, quod propositum erat, evincendum ; traditam ab Christo Domino per Apostolos ad Nicæna tempora, et his citeriora manasse fidem illam, et verborum Joannis enarrationem ; quam Romana, et catholica retinet Ecclesia : quam autem commentus est Socinus, omnibus retro sæculis inauditam fuisse; ac merito propterea repudiari oportere ; cum nihil adversus antiquam illam, et receptam possit opponi, quod momenti sit alicujus, et quod in adversarios multo valentius dirigere, ac retorquere non liceat; quod in sequentibus explicabitur.

a EPIST. Τοῦτον δὲ τὸν υἱὸν γεννητὸν, μονογενῆ υἱὸν, etc. Σοφίαν, καὶ λόγον, καὶ δύναμιν θεοῦ πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει. ἀλλ' οὐσίᾳ, καὶ ὑποστάσει θεόν, θεοῦ υἱόν.

b Ibid. Τὸν δὲ υἱὸν παρὰ τῷ πατρὶ ὄντα θεὸν μὲν, καὶ κύριον τῶν γενητῶν ἁπάντων· ὑπὸ δὲ τοῦ πατρὸς ἀποσταλέντα ἐξ οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐνηνθρωπηκέναι.

1 Cap. XII, §7. — 2 Tertul. in *Apol.* cap. XXV. — 3 Idem *cont. Hermog.* cap. XX.

CAPUT III.

Accurata Sociniani dogmatis confutatio. 1. *Qui primum negat, Joannem Evangelium scripsisse, ut Cerinthum, et Ebionem refelleret.* 2. *Quod ex Irenæo refellitur.* 3. *Cujus insignia testimonia proferuntur.* 4. *Præsertim de Christi natura duplici.* 5. *Socinianorum cavillatio de sensu verborum illorum* In principio. 6. *Quæ dissolvitur.* 8. In principio *apud Joannem significat antecessionem, qua Verbum ante res omnes, adeoque ex æterno subsistit; quod ex similibus Scripturæ locis approbatur.* 11. *Socinianorum sophistica cavillatio retegitur, et eorum refutandorum ratio proponitur.* 13. *De Verbi notione fraus illorum, et litigatio.* 14. *Tum de Dei nomine: quod Christo proprie convenire monstratur.*

I. Superioris disputatione capitis hactenus saltem profecisse nos credimus, ut hoc ab omnibus intelligi posset, sensum illum Joannis verborum, quo catholicum dogma nititur, a primis et Apostolicis Ecclesiæ temporibus usitatum, ac receptum fuisse. Quæ res quanti fieri debeat, soli dissimulant permiscendarum rerum cupidi homines, et Christianæ non minus veritatis, quam concordiæ, ac pacis inimici. At illi certe quantum libet in versandis, calumniandisque Scripturis exercitati sint; nihil ex iis proferre possunt tam acute excogitatum, et argute, ut nos ab illa veteri, et quadam canitie veneranda auctoritate dimoveat. Experiamur hoc modo; et quibus argumentis catholicam interpretationem elevare, ac labefactare studeant, attente consideremus.

Negat Socinus Joannem Evangelium scripsisse ut Cerinthum et Ebionem refelleret.

Faustus Socinus Senensis, a quo renovandæ sectæ illius initium est factum, opusculum quoddam elucubravit de explanatione capitis primi Joannis. « Cujus falsa, inquit, interpretatio omnis erroris fons fuisse videtur, et Achilles quidam eorum, qui suis sophismatibus veritatem manifestissimam tenebris involverunt. » In opusculo isto primum id esse falsum asserit, quod de Joanne vulgo perhibetur; hunc Evangelium suum post alios tres scripsisse, ut Ebionis, et Cerinthi hæresim refutaret; quæ Christum ante matrem fuisse negabat. Verum id « ab omni veritate alienum esse » Socinus affirmat. « Longe enim alia fuit, inquit, Cerinthi, et Ebionis sententia, atque ab omnibus passim hac nostra ætate scribitur, et superioribus sæculis ab aliquibus scriptum est, si vetustissimo scriptori Irenæo credimus, qui utriusque doctrinam recensens, quod Christum Verbum scilicet Dei ante Mariam fuisse negarent, ne indicat quidem. »

Ab Irenæo quem sibi patronum advocat refellitur.

II. Antequam ultra progrediamur, animadvertenda præceps hominis est in affirmando levitas. Nam quod Irenæo teste confirmat, idipsum eodem auctore refellitur: qui et Cerinthum refert docuisse, Jesum ante Mariam non exstitisse: et ad illum redarguendum Joannem Evangelium suum instituisse scribere. Irenæi verba de Cerintho sunt hæc [1]. « Jesum autem subjecit non ex virgine natum: impossibile enim hoc ei visum est: fuisse autem eum Joseph et Mariæ filium similiter ut reliqui omnes homines: et plus potuisse justitia, et prudentia, et sapientia, præ omnibus: et post baptismum descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est super omnia, figura columbæ: et tunc annuntiasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse: in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu; et Jesum passum esse, et resurrexisse: Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritualem. » Perspicuum est ex iis Irenæi verbis, eum, qui verus solusque Christus in Evangeliis, ac toto Testamento novo prædicatur, hoc est Jesum Mariæ virginis, ac Josepho nuptæ filium, ab Cerintho tum merum hominem habitum fuisse, tum Maria matre sua posteriorem: quod temere Socinus negavit. Nam quod Christum ab Jesu diversum constituit, nihil ad rem facit: agimus enim de eo Christo, qui vere sic appellatus est, et quidem solus.

Porro Cerinthus Christum nescio quem commentitium alterius ordinis, asserebat, qui nihil ad nos, neque ad præsentem disputationem attinet. Satis enim est ad Socini mendacium refutandum, verum illum Christum, quem utique non solum sincere Christiani, sed etiam falso ita cognominati Socini sectatores profitentur, nihil præter hominem, cæterorumque similem exstitisse ex opinione

1 Iren. lib. I, cap. xxv.

Cerinthi; idque memoriæ ab Irenæo esse proditum.

Irenæi insignia testimonia proferuntur

III. Quod autem ad evellendam ex animis hominum Cerinthi hæresim; quæ eadem et Carpocratis [1], et Ebionis fuit; ut Irenæus, Tertullianus [2], aliique veteres testantur; Evangelium suum post alios tres scripserit Joannes, disertissimis verbis idem confirmat Irenæus libro tertio, capite XI. « Hanc fidem, inquit, annuntians Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab iis, qui dicuntur Nicolaitæ, etc. Omnia igitur talia circumscribere volens Discipulus Domini, et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit: et visibilia, et invisibilia: significans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc et salutem his, qui in conditione sunt, præstitit hominibus, sic inchoavit in ea quæ est secundum Evangelium, doctrina; *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet; et tenebræ eam non comprehenderunt. Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt.* In omnibus ergo est et hæc quæ secundum nos est conditio. »

Cum igitur duo Cerinthus asseveraret; alterum, « mundum a primo Deo factum non esse, sed a virtute quadam valde separata, et distante ab ea principalitate, quæ est super universa, et ignorante eum, qui est super omnia Deum. » Alterum, « Jesum fuisse Joseph et Mariæ filium, similiter ut reliqui homines, » ut Irenæus capite XXVI libri primi scribit: Joannes eodem teste, utrique volens occurrere, contra primum illud opposuit; *omnia per ipsum facta sunt:* hoc est *tam visibilia, quam invisibilia:* et quidquid ad *conditionem*, id est *creaturam* pertinet, cœlum, ac terra et quæcumque ambobus istis comprehensa sunt. Contra secundum vero, demonstravit, « Verbum, quod in principio erat, et per quod omnia sunt, illud, inquam, Verbum, quod apud Deum Deus erat, carnem esse factum, et habitasse in nobis. » Sic enim intelligimus, Jesum Christum, de quo Joannes loquitur, communem ac cæterorum similem hominem minime fuisse: sed eumdem et Verbum, ac Deum, et hominem exstitisse: quod quidem abnegantes hæreses illas omnes, contra quas scribit, Irenæus confutat sic [3]: « Secundum autem nullam sententiam hæreticorum, Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus, etc. Omnes igitur illos falsos testes ostendens discipulus Domini, ait, *Et Verbum caro factum est.* »

Præsertim de Christi natura duplici.

IV. Post hæc idem scriptor de Evangelistis quatuor eadem illa narrat, quæ ab sanctis Patribus usurpari solent: nimirum suo quemque genere animalis mystice significari: ac primum de Verbo loqui sic pergit. « Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedit super Cherubim, et continet omnia, declaratus hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod in uno spiritu continetur. Quemadmodum et David postulans ejus adventum ait, *Qui sedes super Cherubim appare.* » Tum causam edisserit, propter quam Joanni aquila tribuitur; Marco, leo; Lucæ, vitulus; homo, Matthæo. Nos duobus interjectis omissis, quæ de primo et quarto scribit Irenæus tantummodo referemus; hæc enim ad convincendam Socinianorum ἀλογίαν, et impietatem præcipue spectant; quibus Christi ejusdem generatio duplex, ac duplex item natura comprobatur. Sic igitur Apostolicus ille vir. « Et Evangelia, inquit, his consonantia (nempe figuris quatuor) in quibus insidet Dominus Jesus. Aliud enim illam, quæ est a Patre, principalem, et efficabilem, et gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic, *In principio erat Verbum; et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; Et, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* » Hæc de Joanne. De Matthæo vero sic: « Matthæus vero eam, quæ est secundum hominem, generationem ejus enarrat, *Liber*, dicens, *generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*, Et iterum, *Christi autem generatio sic erat.* Humanæ formæ igitur hoc Evangelium. Propter hoc et per totum Evangelium humiliter sentiens, et mitis homo separatus est. » Duplicem itaque generationem Christi, ac naturas totidem Irenæus agnoscit: et miræ stupiditatis arguit Soci-

Ineptam disputationem.

1 Iren. lib. I, cap. XXIV et XXVI. — 2 Lib. *de carn. Christi* cap. XI. — 3 Iren. lib. III, cap. XI.

num, qui contra se vetustissimi illius Patris implorat fidem, suaque se voce condemnat.

V. Ecquis ergo deinceps erit, qui locum illum ex Joannis Evangelio non sic explicare malit, ut antiquissimi illi fecerunt Apostolorum discipuli ; ac de vera, et æterna divinitate Jesu Christi, cui humana est in tempore juncta natura, potius intelligere, quam Socini novam, et commentitiam interpretationem sequi ? Nam ut hanc verisimilem, nec absurdam omnino esse velimus, certe recens est excogitata , nec ab ullo veterum tradita : quod negare isti nunquam audebunt. Nostra autem et antiqua, et ab Apostolorum sæculo audita sola est, et probata. Itaque ut utrobique paria omnia sint, hoc uno vincimus, quod intervallo illo, quo incorrupta erat adhuc Christiana fides, fatente Socino, nemo aliter, quam ex nostro illo sensu, locutum esse Joannem existimavit.

Quid habet porro quod e Scripturis ad illam refellendam interpretationem, tam firmum tamque insuperabile possit afferre, ut ejus nos aliquando pœniteat ?

Socini cavillatio de sensu verborum : *In principio.*

Principio illud Socinus opponit [1] ; et qui Socini sectam amplexi sunt, Joannes Volkelius [2], et Jonas Schlichtingius [3] ; non recte verba illa Joannis explicare nos, *in principio erat Verbum*, qui Christi *æternitatem principii nomine designare velimus.* Atqui non *principii* vocabulum ipsum *æternitatem* significare dicimus : sed ex tota illa complexione vocum, *In principio erat*, consequenter illam ostendi. *Principium* enim late, infiniteque sumitur hoc loco ; ut sit id, quod rerum omnium, quæ conditæ sunt, quæque cogitatione mentis informari possunt, exstantiam, et originem antecedit, sive veram, et, ut vocant, actualem, sive divina destinatione ex omni æternitate fixam. De qua re, et illius loci totius enarratione, vide accuratam nostram disputationem in secundo libro *de Trinitate*, capite octavo.

VI. Atenim « principii nomen in his verbis ordinem earum rerum respicit, ait Socinus, quas Joannes de Jesu Christo dilectissimo Dei Filio scripturus est. » Ut enim Moses mundi totius aspectabilis, et eorum, quæ mundo continentur, historiam aggressus, primum omnium generalem hanc sententiam edidit, *In principio creavit Deus cœlum , et terram* : qua universe proposuit quæ deinceps particulatim explicaturus erat : ut nos in libro primo *de Opificio*, capite primo diximus : ita Joannem volunt, *in principio*, posuisse pro eo, quod est ante res omnes creatas novi mundi, id est Testamenti ; quas res subinde per partes singulas exponit.

Quæ dissolvitur.

Atqui joculare commentum istud est, gratisque confictum ; et, ut jam dixi, nova, et inaudita hactenus ejusmodi Joannis interpretatio : quam nullus antiquorum perhibet : cum alteram, et catholicam Irenæus, Justinus cæteri denique omnes supra commemorati pro indubitata sequantur. Deinde quo nos Scripturæ testimonio constringunt, ut ita potius, quomodo illis placet, quam ut antiquissimi Patres tanto consensu faciunt, verba illa Joannis intelligamus ? Moses cum *in principio* dixit, eamdem vocem ad sequentia comparavit. Esto : quis nos ubique cogit eo sensu positam arbitrari ? Nonne probabilis et nostra ratio est tot sæculorum usu, tot vetustissimorum, gravissimorum, sanctissimorum, doctissimorum Patrum testimonio comprobata? Sed occurrit Schlichtingius [4], et « Nego, inquit, usquam sive in sacris, sive in profanis, vocibus in principio, absolute positis, absolutum prorsus rerum omnium, quæ unquam factæ fuerint, principium declarari. » Fac alibi nullum exstare illius notionis exemplum ; an propterea illic locum non habet ? Stulta, et plena cavillationis argumentatio. Ecce tibi λόγος absolute nominatur in eodem Joannis loco Jesus Christus, sive Messias, ut fateris ipse : Potesne præter Joannem, qui sic appellarit quempiam alterum proferre ? λόγον alias passim, id est *Verbum*, absolute, sive *Verbum Domini*, sermo ipsius transiens, aut locutio dicitur : non hypostasis aliqua, vel substantia. Licebit igitur Sabelliano alicui calumniam ex eo struere : ut quia nihil tale tot in litterarum sacrarum voluminibus legitur, neget apud Joannem *Verbi* nomen subsistens aliquid, ac manens exprimere ; sed transeuntem potius affectionem, et locutionem : ut et Sabellius olim asserebat. Quid adversus hunc hiscere poterit, cum suapte circumventus stropha implicatusque tenebitur ?

Verbum.

VII. Est et alius, sed Joannis ejusdem locus, ubi Christus Dominus λόγος τοῦ θεοῦ nuncupatur, *Apocalypsis* decimo nono capite [5]. Sed et nos vicissim alterum locum

Verbum Dei

1 Soc. in lib. *de exp. cap.* I *Joann.* — 2 Volk. lib. V *de vera relig.* cap. X. — 3 Schlic. *in notis cont. Vechn.* et in disp. *cont. Meisn.* — 4 In *not. cont. Vechn.* — 5 *Apoc.* XXIV. 13.

Joannis edemus, in quo *principii* vox absoluta significatione, itidem ut in initio Evangelii, ponitur. Sic enim primam suam canonicam epistolam exorsus est : Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς : *Quod erat a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris : quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, etc. Quo in loco Œcumenius observat, similem hanc esse Joannis sententiam alteri illi, quam initio Evangelii sui usurpavit. Ibi ergo

Subsistens. Verbum vitæ, sive vita ἐνυπόστατος ex omni æternitate fuisse monstratur.

Possumus et alium Scripturæ locum producere, in quo duæ istæ voces *in principio*, absolute positæ *æternitatem* indicant. In primo capite Prophetæ Habacuc. *Numquid non tu a principio Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur*[1]? Ubi Hebraica vox קדם *æternitatem* significat. Nam et Hebræi קדמון *æternum*, et קדמוה *æternitatem* vocant ; ut est apud R. Mosem in secundo libro *Doctoris perplexorum*, ubi de mundi æternitate adversus Aristotelem disputat.

In principio antecessionem, qua ex æterno Verbum subsistit, significat.

VIII. Rursus eadem locutio absolute sumpta apud Michæam capite quinto legitur, in celeberrimo illo vaticinio, ubi Messiæ ortus prædicitur : *Et tu Bethleem terra Juda*, etc. ubi hoc addit Propheta, *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis* [a]. Hebraica lectio habet, itidem ut in superiore loco, *Mikkedem*, quod LXX vertunt ἀπ' ἀρχῆς, quod esse potest *a principio* ; et quidem eodem sensu, quem approbare nitimur. In quo consentientes habemus veteres Interpretes, qui æternam Verbi, ac Filii Dei ὑπόστασιν, id est *exstantiam*, ac generationem significari volunt. Hieronymus ita hunc locum παραφραστικῶς enarrat[2].

Paraphrastice.

« Ac ne putes eum de genere David tantum esse, cui repromisi dicens, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*[3]: carnis assumptio divinam non impedit majestatem. De me enim natus est ante omnia sæcula : et temporum conditor, in tempore non tenetur. Ipse est enim, cui et in alio Psalmo dixi, *Ante luciferum genui te*[4]. In *principio enim erat Verbum* ; et *Verbum erat apud Deum* ; et *Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Et idcirco *egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* » Vides ut ex Hieronymi sententia ἀπ' ἀρχῆς in illo Michææ loco eadem notione usurpetur, qua in Evangelio Joannis ; et utrobique non temporarium aliquod initium, sed æternitatem significet : adeoque ἀπολύτως, et sine σχέσει, absoluteque dicatur ?

Ab initio.

Relatione.

Siquidem *egressus a principio*, est æterna Verbi a Patre processio, sive *exitus* : de quo ita Christus, «*Exivi a Patre*[5], *et veni in mundum:* » Nihil enim sic vetat accipi. Chrysostomus certe ita locum illum intellexit in homilia quadam, ubi Deum esse Christum probat : ac duplicem Christi naturam, ibidem designari asserit. « Nam cum dicit, *et egressus ejus a principio a diebus æternitatis*, illius exstantiam, sæculis anteriorem omnibus ostendit. Cum autem sic ait, *Exibit dux, qui pascet populum meum Israel*, generationem secundum carnem exprimit [b]. »

IX. Idem in homilia septima *in Matthæum* ex illis verbis Judæorum convincit amentiam, qui de Zorobabele prophetiam hanc explicare conantur. Quod et Theodoretus in commentario ad illa Michææ verba facit; et, ut Hieronymus sempiternam Verbi generationem exprimi putat ; cujusmodi et ab Joanne initio Evangelii, et a Davide Psalmo centesimo nono describitur. Cyrillus item in commentario ad eumdem Prophetam.

Hebræorum porro magistri plerique de Messia Michææ locum illum interpretati sunt: ut R. Selomoh, et David Kimhius. Quorum ille insigniter adnotat : consentaneum huic esse, quod Michæas de Bethleemo parva quidem et contempta ; sed ducem nihilominus populi editura prædicit, alteri illi, quod dicit David : « *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*[6]. » Tum iis Michææ verbis, *Egressus ejus a principio*, respondere ait ista *Psalmi* LXXII. « *Ante solem permanet nomen ejus* [c]. » Quod ex Hebræo sic vertit Hieronymus. *Ultra solem perseverabit nomen ejus.* Quæ omnia de Messia Magistri veteres accipiunt.

Hinc apparet, plurimum opinione sua falli Socinianum Schlichtingium qui præfracte negat in Scriptura, vel apud profanos, voces istas *in principio* usurpari ἀσχέτως, ut absolute res omnes, quæ unquam factæ sunt, aliquid antecessisse significent. Quam imperiti ho-

Absoluto.

a Mich. v, 2. ומוצאתיו מקדם מימי עולם.

b Chrys. hom. LXI, vers. 40. Οὗτος καὶ τὴν θεότητα, καὶ τὴν ἀνθρωπότητα δείκνυσι. τῷ μὲν γὰρ εἰπεῖν αἱ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, τὴν προαιώνιον ἐδήλωσεν ὕπαρξιν· τῷ δὲ εἰπεῖν ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅς τις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραηλ, τὴν κατὰ σάρκα γένεσιν.

c Psal. LXXI, 17. לפני שמש ינון שמו.

1 *Habac.* I, 12. — 2 Hier, in cap. v *Mich.* — 3 *Psalm.* CXXXI. — 4 *Psalm.* CIX. — 5 *Joann.* XVI, 28. — 6 *Psalm.* CXVII, 22.

minis levitatem, temeritatemque, præter illa quæ attuli, etiam ille *Ecclesiastici* convincit locus. *Ante sæculum a principio creavit me, et usque ad sæculum non deficiam* [a]. Hic enim ἀπ' ἀρχῆς id est *a principio* absolute antecessionem haud dubie significat *rerum omnium, que unquam factæ sunt*. Quod et superiora demonstrant: *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam*. An est aliqua facta res, quæ creatura non sit? Igitur *a principio* ibi sumitur, « et absolutum prorsus rerum omnium quæ unquam factæ fuerint, principium declarat: quod nusquam sive in sacris, sive in profanis » reperiri vanissimus homo pronuntiavit.

X. Ac perspicue isto in loco Jesus Siracides ad *Proverbii* celeberrimum allusit illum, in quo ita *Sapientia* loquitur [1]: « *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* » In Græcis codicibus ἔκτισε legitur, id est *creavit*, de qua voce, ut loci totius expositione, accurate alibi disputavi [2]. Quod autem Latinus vetus *in initio* vertit, cum in Hebræo sit ראשית *principium*: vidit subaudiendum esse ב præpositivum, ut, in principio Genesis. Nam et Aquila, qui Hebræis superstitiosius institit, ἀρχῆθεν vertit, id est *a principio*. Ergo *in principio* vel *principio*, illud ipsum quod volumus, et quod negant Sociniani, declarat: ante res omnes conditas; imo ex omni æternitate Deum Verbum exstitisse. Sic in versu sequenti, Septuaginta ita reddiderunt: « *Ante sæculum fundavit me: in principio antequam terram faceret* [b]. » Ubi ἐν ἀρχῇ absolute *res omnes, quæ unquam factæ sunt*, præcessisse sapientiam ostendit.

In principio

Justinus martyr in dialogo *cum Tryphone* hunc versum ita legit; ut duas voces ἐν ἀρχῇ cum ἐθεμελίωσέ με conjungat, hoc modo: *Ante sæculum fundavit me in principio*: qua ratione Verbi æternitas, et ejus sempiterna generatio disertius adstruitur. Et certe illo eodem in loco Verbum Deum ex æterno genitum a Patre manifestissime illis ex Verbis Salomonis Justinus affirmat. « Testimonium mihi dicet, inquit, sermo Sapientiæ: qui est ipse Deus ab universorum patre generatus, et Verbum, et Sapientia, et Virtus, et Gloria genitoris existens: qui per Salomonem ita locutus est. » His multa subjungit de Verbo, et hujus æternitate, qua res omnes creatas præcessit.

Sic et Irenæus libro IV, capite XXXVII, æternam antecessionem significari verbis illis interpretatus est.

XI. Tot igitur argumentis Socinianæ commentum expositionis eliditur: et catholica, antiquissimaque sententia corroboratur. Sane nihil, ut dixi, et dicendum intelligo sæpius, e Scripturis præsidii asciscere possunt nuperi isti fidei, et Evangelii interpolatores, quo suam causam valenter adeo probent; ut assensum a nobis exprimant; ac veterem, et bene fundatam nostram tum fidem, tum divini verbi interpretationem extorqueant. Etenim ut solida illa, et præstantissima dogmatis nostri firmamenta seponam, quæ hucusque digessimus: vel hoc ipsum, quod levissimum videri possit, refellendi genus ad eos comprimendos, ac confutandos satis superque est, quod eorum exemplo, imitationeque conficimus. Ut enim illi, cum sacrarum litterarum testimoniis utimur ad fidei, quam oppugnant catholicæ caput aliquod adstruendum, hoc uno se tuentur, non sic intelligenda esse, quomodo putamus, illa quæ proferimus, loca Scripturæ: sed alio sensu, quem ex simili vocabulorum significatione aliis in locis usitata repetunt. Ut, exempli gratia, cum Jesum Christum demonstramus, antequam e B. Virgine Maria nasceretur, Deum, ac Dei filium et Verbum, idque ex omni æternitatæ, fuisse: atque hoc Joannis ex illis verbis probamus: *In principio erat Verbum*, respondent, non sic interpretandas istas esse voces, *In principio*, ut significent, ante omnia, resque conditas omnes a Deo: sed potius, ante res in novo Testamento ab illo designatas; et ante mundum non aspectabilem illum, et corporeum; sed spiritualem. Cum sic igitur eludere conantur ex analogia, et simili usu nominum eorumdem: nos vicissim eos ita propulsabimus; si et ad institutum nostrum congruentes illarum vocum proprietates aliis ex locis advocemus: et magis consentaneam esse rationem nostram eadem, qua illi, pertinacia contendamus; quam quidem justiorem nobis utique facit quod paulo antea memoravi; tum illorum expositionis inusitata, ne-

Socinianorum refutandorum optima ratio.

a Eccles. XXIV, 14. Πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέν με, καὶ ἕως αἰῶνος οὐ μὴ ἐκλίπω.

b Prov. VIII, 23. Πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με· ἐν ἀρχῇ πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι.

1 *Prov.* VIII, 22. — 2 Lib. II *de Trinit.* cap. VII.

que prius audita novitas ; tum vetustissimorum Ecclesiæ doctorum, ac Patrum cum ea, quam adhibemus, explicatione consentiens auctoritas. Idipsum et reliquis in vocibus, ac locutionibus, de quibus importune rixantur, pari constantia faciemus. Sic mendacium suo ipsum artificio fractum, enervatumque cedat veritati necesse est, et ad antiquitatis normam, ac judicium suapte convictum conscientia revocetur.

XII. Præclare Gregorius Nyssenus in tertio *contra Eunomium*, hæreticum hunc catholicam de Trinitate fidem simili vocabulorum calumnia vexantem redarguit, atque ita refellit : « Hujusmodi species orationis, malitia, fraus, et deceptio nominatur; non solerter excogitata, et artificiosa demonstratio. Sola enim, quæ ex communi consensione satis id, quod ignoratur, perspicuum facit, demonstratio dicitur. At malitiose circumvenire, et convictionem callide subterfugere, et apparentibus fallaciis confundere intelligentiam eorum, qui, ut ait Apostolus[1], *mente corrupti sunt*, nemo sapiens artificiosam demonstrationem appellaverit[a]. » Hic est sectæ Socinianæ genius; hæc librorum, et disputationum, quæ ab illis innumerabiles proficiscuntur, indoles. Nunquam communiter receptis, et ab omni retro vetustate, ipsoque Christianæ religionis exordio constitutis, et confessis utuntur in argumentando : sed in ambiguis vocum significationibus misere confligunt, et tricantur. Quid tam Christianos inter confessum, et communiter receptum ex antiquo fuit, quam illa verborum Joannis, de quibus agimus, interpretatio, quam ex Justino martyre, Irenæo, aliisque Apostolorum ætati proximis hoc, et antecedenti capite proponimus? Quis novas illas, et absonas notiones vocabulorum, ac locutionum, quibus pro libidine abutuntur, ante corruptores istos Evangelii commentus est? Quocirca meminerit catholicus theologus sic eorum, uti dixi, eludendos impetus, et simili arte retundendos esse,ut Scripturæ loca locis; sententiæ sententiis : vocum significationes significationibus opponantur : donec probabilem aliquem, et acceptum utrique contendentium parti, hoc est communi sensui, et rationi consentaneum exitum, qualem antea præscripsimus[2], cogantur admittere. Sed jam cætera loci ejusdem ex Joannis initio pertexamus.

XIII. Verbum appellari ab Joanne Socinianis placet ipsummet Christum Jesum, merum, ut putant, hominem : idque metaphorice simul, ac metonymice[3]: metaphorice quidem, « quod per Christum omnis Dei voluntas patefit : sicut verbo hominis ejus voluntas cognoscitur: metonymice vero, quod Christus auctor sit verbi illius,quod κατ' ἐξοχὴν hac simplici appellatione gaudere potest : quippe quod aliis omnibus utilius sit, ac præstantius. » Hujus inventi probationem si ab illis requiras, nullam e sacris litteris alteram audies, præter hanc : quod similiter Joannes Baptista *vox* est *clamantis in deserto* nominatus[4] : et Aaron os Mosis[5] : quibus utique non substantia aut natura significatur : sed munus tantummodo, quo fungebantur. *De Verbi notione Socinianorum fraus et litigatio.*

Atqui genus hoc argumentandi fallax est, et insulsum. Constat enim voces easdem, ac locutiones in sacris libris partim proprie, ac secundum nativam usurpari notionem : partim tropice, ac translate; quemadmodum vocabulum Deus, panis, leo, et hujus generis alia; sic verbum sæpius pro sermone, ac locutione transeunte sumitur sive hominis, sive Dei. Quærendum itaque de Socinianis est, qua sibi ratione persuaserint, ac nobis itidem probare possint, *verbum* in Joannis illo loco non idem, quod in aliis plerisque prætereuntem, et fugacem significare locutionem : sed illud esse quod volunt, hominem aliquem, qui prædicandi munere fungatur. Hic vero necesse est hæreant, nec explicare se possint, si in Scriptura pedem figere cogantur. Nam et plausibilis non minus, quam est illorum, enarratio totius illius loci concinnari potest, et ad eum sensum accommodari singula.

Et ut Sabellianam istam interpretationem præteream : certe catholica, et nostra cohærens est, et consentanea suis omnibus partibus, nec ex Scripturis convinci falsitatis ullius potest. Cur non ergo magis illa nobis pla-

a NYSSEN. Ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον εἶδος τοῦ λόγου κακουργία, καὶ ἀπάτη, καὶ φενακισμὸς ὀνομάζεται, οὐ πεφροντισμένη, καὶ τεχνική τις ἀπόδειξις. Μόνη γὰρ ἡ διὰ τῶν ὁμολογουμένων φανεροῦσα τὸ ἀγνοούμενον, ἀπόδειξις ὀνομαζέται. τὸ δὲ παραλογίζεσθαι διὰ κακουργίας, καὶ ὑποκλέπτειν τὸν ἔλεγχον, καὶ συγχεῖν ἐν ταῖς ἐπιπολαίοις ἀπάταις τὴν διάνοιαν, τῶν καθώς φησιν ὁ Ἀπόστολος κατεφθαρμένων τὸν νοῦν, οὐκ ἄν τις τῶν σωφρονούντων ἀπόδειξιν τεχνικὴν ὀνομάσειεν.

1 I *Timoth.* vi, 5. — 2 Cap. ii, § 1 et seq. — 3 Socin. in *expl. cap.* i *Joann.* — 4 *Joann.* i, 3. — 5 *Exod.* iv, 16.

ceat; et sine abnormi illo tropo Verbum ab Joanne Dei Filium appellari putemus cum Christiana omni vetustate : cujus appellationis causas exposuimus in libris *de Trinitate*, maxime in sexto?

Verbum. XIV. Quid quod λόγος simpliciter, et nullo adjuncto alio positus impropriam locutionem *Verbum Dei* excludit? Dixisset enim potius λόγος τοῦ Θεοῦ : sicut Joannes Baptista *vocem* se *clamantis* esse profitetur, nec tam vasta, et incerta notione contentus esset. Atque ut in Socinum, ejusque discipulos suum sophisma retorqueam, quod ille Catholicis objectat : « Si res ita haberet, ut ipsi loquuntur, profecto divinas litteras alicubi clare, aperte, et sine verborum involucris, ambagibusque hæc docturas fuisse : mirum siquidem esse, Joannem, ac cæteros Evangelistas, et Apostolos in re tanti momenti nihil penitus, quod clarum, et apertum sit, unquam scripsisse : » idem istud opponam illi, rationemque reposcam, cur non Joannes, si ad ejus sensum verba illa scripsit, clare, aperteque dixit : *In principio mundi spiritalis, et Evangelici, erat Jesus Christus*, qui quia paternam voluntatem importavit in homines, ideo Verbum nominatur; tum cætera similiter, quæ deinceps eodem de mysterio pertexuit.

Inepta cavillatio. Tum de *Dei* nomine, quod Christo proprie convenire monstratur. *Abusive.*

Par est in vocabulo *Deus* ἀλογία Socinianorum; qui Jesum Christum non substantia, vel natura Deum, sed functione, et officio duntaxat esse volunt. Nam cum illa vox proprie sæpius, nonnunquam vero laxius, et καταχρηστικῶς in Scripturis usurpata legatur : velim mihi respondeant, quis hanc illis licentiam dederit, ut propria, et nativa significatione rejecta, impropriam eligerent, quam ad Verbum applicarent, cum dicitur; *Et Deus erat Verbum*. Sane, quod observatum ab Irenæo supra memoravimus[1], quando nomen illud creatis rebus attribuitur, fere aliquid adjungitur, ex quo intelligi queat, non vere proprieve id illis accommodari. Tum alia sunt indicia, Scripturæve testimonia, quæ a primis usque temporibus sic in Ecclesia, et apud fideles accepta, et intellecta sunt, uti nemo dubitaverit, figurato illic loquendi usu Dei nomen alteri, quam vero, et sempiterno numini fuisse concessum. Deum se Pharaonis constituisse Mosem Dominus ait *Exodi* septimo[2]. At quam multa sunt in Scripturis omnibus argumenta merum hominem illum exstitisse, non Deum proprie dictum? ac vel hoc potissimum, quod peccasse nonnunquam legitur, quod in Deum cadere non potest. Deinde non absolute Deus appellatur, sed *Deus Pharaonis*. Nemo ipsum vel viventem homo nominavit Deum, vel mortuum postea pro Deo habuit. Ecclesia vero ipsa, hoc est Synagoga, non modo pro Deo non coluit, sed ne levissime quidem id de eo suspicata est : nec ullus controversiam de hac re commovit ullam.

XV. At in Jesu Christo longe dissimilia sunt omnia : ut Justinus, Irenæus, aliique veteres observant. Etenim absolute *Deus* nominatur, ac *Dominus, et qui est Deus super omnes benedictus in sæcula;* quod de Christo dictum ab Apostolo Paulo refert Irenæus[3] : cujus verba capite secundo descripsimus[4]. Tum alia quoque innumera exstant summæ divinitatis indicia, quæ de se mortalis adhuc, et post mortem præbuit Christus, ac per Apostolos tradi voluit; de quibus in secundo *de Trinitate* copiose diximus.

Jam illud citra dubitationem fatuum est, quod hæc Joannnis, *Et Verbum caro factum est*, sic explicant, ut homo ille, qui *Verbum* dictus est, infirmus imbecillisque fuerit. Itaque sic illa vertunt. *Et Verbum caro fuit.* Nam et « carnis nomine in sacris litteris, ait Socinus, hominis imbecillitas, atque humilitas significatur, » et verbum ἐγένετο pro eo quod est *fuit*, et *exstitit* non raro sumitur. Ne sit ulla de utroque contentio. Negare tamen non poterunt, etiam sic in Scripturis easdem voces usurpari, quemadmodum exponimus : nec ex iisdem litteris erroris nos convincere : quod nisi accurate, ac perspicue faciant, nos in veteri possessione manebimus antiquorum auctoritate contenti : qui ex illo Joannis loco illud consequens fecerunt, Verbum Deum, Deique Filium *incarnatum esse*, hoc est σαρκωθῆναι, vel σαρκοποιηθῆναι, ut Justinus, et Irenæus antiquissimi auctores loquuntur : ac deinceps duabus constare naturis, hominis ac Dei, uti capite secundo demonstravimus.

Animadvertendum est autem, illa eadem Joannis verba, in quibus *Verbum caro factum esse* dicit, Irenæum scribere per illa declarari Apostoli Pauli[5], in quibus *Filium Dei factum esse Deo Patri* asserit, *ex semine David*, κατὰ σάρκα, idest *secundum carnem*, ac duas ejusdem Christi naturas, et totidem generationes agnoscere[6] : uti capite secundo docuimus; ex quo etiam liquet verbum ἐγένετο id, quod Catholici

1 Cap. II, § 5.—2 *Exod.* VII, 2.—3 *Rom.* IX, 3.—4 Lib. III, cap. XVIII.—5 Iren. lib. III, cap. XVIII *Rom.* I, 3.—6 § 4, 5 6.

volunt, apud Joannem significare, *factum est*, non autem *fuit*, aut, *exstitit*.

Valeant igitur sophisticæ Photinianorum recentium nugæ; nec Ecclesiam Christi tot sæculorum auctoritate fundatam sero tandem Christianam facere se posse confidant. Atque ut appareat, quam vulgaria, parumque metuenda sint ista ingenia; et quam male ab judicio, et eruditione parati commovere res tantas aggressi sunt: proponam præcipuorum sectæ illius auctorum argumenta, quæ adversus Incarnationis mysterium validissima, ut putarunt, omnium opposuerunt; præsertim Faustus Socinus, Joannes Volkellus, ac postremus omnium, et acerrimus Jonas Schlichtingius: atque ab illis incipiam, quæ ex Joannis verbis petita sunt: tum alia subjungam, quæ universe dogma illud impugnant.

CAPUT IV.

Objecta Photinianorum de loci illius Joannis interpretatione. 1. An Verbum summus sit Deus: et quomodo apud Deum fuerit. 2. Cur ita sit locutus Joannes. 3. Socinianos Christum solo nomine Deum appellare; reipsa non esse putare. 4. Tum cur Deum esse repetat Joannes, cum jam esse significaverit eo ipso, quod ab æterno exstitisse dixit. 5. Alia deinceps Schlichtingii objecta diluuntur.

I. Primum ex Joannis verbis argumentum inde conficit Schlichtingius [1], quod *Verbum apud Deum fuisse* dicitur. Atqui Deus ibi summum Deum, et unicum significat. Igitur
Verbum. non est ὁ λόγος summus, et unicus adeoque verus ille Deus. Quod si Deus ille, apud quem Verbum erat, intelligitur Pater, cur absoluto nomine Deus appellatur, « idque etiam tum cum a Filio distinguitur? » Non enim recte dicetur, « Paulus erat apud hominem, cum velit dicere, quod fuerit apud hominem. »

Satisfit I° objectioni de hoc loco: *Verbum erat apud Deum.*

Respondendum huic argumento sic est, Dei nomen illis verbis Patris haud dubie significare personam; quam et articulus indicat πρὸς τὸν θεὸν: Esse autem et hunc, id est Patrem, summum, et unicum, verumque Deum: sed non solum, neque secluso filio: verum cum eo, ac Spiritu sancto. Porro vox illa, *summus Deus*; sive, ut Græci dicunt, ὁ ἐπὶ πάντων θεός, bifariam usurpatur: vel secundum naturam, et essentiam; vel secundum personæ proprietatem. Priore modo personis tribus convenit, quarum natura, et essentia est summa deitas: posteriore vero, quia significat eum, a quo cæteræ personæ originem accipiunt, cum ipse habeat a nullo, soli convenit Patri: ut alias observavimus [2]. In Evangelio Joannis, ubi dictum est, *Et Verbum erat apud Deum*, Græce, uti dixi, est πρὸς τὸν θεόν. Ergo hic Deus, hoc est prima persona de tribus intelligitur. Cum vero illud addit, *Et Deus erat Verbum*, sine articulo Dei vox posita naturam ipsam, ac divinitatem exprimit. Hoc autem Joannes ideo dixit, ut ostenderet, Verbum omnium opifex, cum, nullæ res adhuc essent creatæ, in illis non exstitisse: ut intelligas ἐνυπόστατον, ac manens fuisse Verbum istud, non transiens, et fugax; quod tunc solum existit, cum opus aliquod per illud efficitur: adeoque non in opifice ipso, et efficiente remanet: sed in opus transit, et est in eo, quamdiu producitur. Quare ut et Verbum Deum esse doceret, et a Patre originis proprietate distinctum, non tamen divisum; duo ista Joannes dixit; apud Deum Patrem fuisse ante res omnes creatas, et Deum fuisse.

II. Quin et illud observatione dignum est, Judæos per id tempus, ut erant rudes, et occæcati, solum Deum agnovisse, quem Patrem suum esse Christus docuerat, nec tamen eorum plerisque persuaserat: Idcirco Joannis octavo capite sic illos Christus alloquitur [3]: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est: et non cognovistis eum.* Itaque de hoc ipso Deo, quem Judæi animo capiebant, nec non Judaizantes hæretici plerique, ad quos dedocendos, vel refutandos Joannes ista scribebat, loqui sic necesse habuit, ut diceret, *Verbum erat* πρὸς τὸν θεόν, hoc est, *apud illum Deum*, quem vos, o Judæi, et hæretici, solum novistis: Erat, inquam, apud eum, *antequam quidquam faceret a principio*: et quidem ab eo distinctus: sed non divinitate: quia Deus erat idem Verbum. Eam causam habuit Joannes cur ita loqueretur: quam non haberet, qui sic diceret, *Erat Paulus apud hominem*, si certum hominem, id est Petrum, intelligeret. Quod si qua esset causa, cur ita loqui deberet, nemo eum reprehenderet.

1 In notis *ad conc. Vechn.* et in disp. *cont. Meisn.* — 2 Lib. III *de Trin.* cap. II, § 10. — 3 *Joann.* VIII, 54.

Observatio.

Observatio Schlichingii ad hæc verba : *Et Deus erat sermo.*

III. Sed non est omittenda Schlichtingii ἐπίστασις ad illa, *Et Deus erat sermo*, ut quidem vertit. Ait « Sermonis, id est Verbi istius summam dignitatem et præstantiam exprimi : nempe quod non tantum apud Deum fuerit : sed et ipse Sermo, Deus fuerit : ut quidem omnino personam, quæ Sermo Dei esset, oportebat. » Verum inani fuco, ac tectorio honorificæ de Christo professionis obducta est horribilis in eum blasphemia. Etenim Christum illi nudum esse hominem prædicant, et creaturam; nec antequam e Virgine nasceretur, ullo modo in rerum exstitisse natura : Deum porro non esse revera proprieque dictum : sed ob functionis præstantiam, ut jam diximus. Qui hujusmodi est, quomodo *Deum hunc oportet esse?* quod de Sermone, id est humana persona Socinianus affirmat. Certe λόγος omnis, sive *Sermo Dei*, Deus non est; uti neque *vox clamantis* clamans est ipse. Sæpe ad Prophetas sermo Dei factus est : nec iste sermo Deus fuit : nec ad illos Deus a Deo factus legitur. Quid ergo sibi vult cum sua conclusiuncula Jonas iste? Nemo Deus est vere liquidoque ita nuncupatus, nisi cujus est propria divinitas. Quare nec Deus proprie vocari dignus est, qui mera est creatura; qualem isti Christum esse mentiuntur.

II• Cur cum ab æterno dixisset fuisse Verbum, addidit idem esse apud Deum.

At rursus instat : Cum ab æterno fuisse Verbum dixisset Joannes : quid attinebat subinde hoc idem docere fuisse Deum? Nam « docere Jesum Christum, cum in terris ageret, cumque Propheticum tantum, ac Mediatorium munus obiret, Deum fuisse, hoc demum utile, et necessarium erat. » At si idem Christus natura et essentia Deus esset ab æterno existens, « non debebat dicere, Verbum erat Deus, quasi dubitari posset an Deus ab æterno existens aliquando Deus fuerit. » Futilis, et inepta ratio. Quis enim nescit quam multa dicuntur in Scripturis acervatim de Deo, quæ Dei nomine continentur? Istum ergo si auscultes, nihil neque dicendum de Deo fuit, neque porro dicendum erit, nisi hoc unum quod Deus est. Frustra igitur Moses populum alloquens ista dixit : *Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et Deus dominantium, Deus magnus, et potens, et terribilis*[1]. Siquidem una *Dei* vox cætera complectitur.

Sed illud præterea non vidit, aliud esse, rem ab æterno aliquam existere, aliud esse Deum. Nam mundo, vel materiæ ex omni æternitate constantibus, qui adjunxere Deum philosophi, ut Aristoteles, Deum esse mundum, materiamve minime judicarunt. Quinetiam Arianos quosdam Verbum ac Dei Filium existimasse ante sæcula, infinitatemque temporum a Patre productum esse, non tamen ex sua substantia, alibi demonstravimus ex Hilario[2], et Epiphanio. Quare non otiose illud adjunxit Joannes, Verbum, quod in principio erat, Deum fuisse : uti ὁμοούσιον, et æqualem Patri Dei filium, et unum cum Patre esse sciremus.

Consubstantialem.

Nam quod « utile ac necessarium ait fuisse docere Jesum Christum, cum in terris ageret, Deum fuisse : » nec utile fuit, neque necessarium : quia falsum, et execrandum fuit, si, ut illi per summam blasphemiam jactitant, nihil præter hominem exstitit. Deus enim, nisi verus, et æternus et omnipotens, hoc est substantia, et natura talis, est nullus; nec tu hominem pictum, vere hominem, absoluteque esse dixeris.

III• Quomodo unus apud alterum fuit

IV. Pergit deinde : et, si eadem numero Verbi natura cum Patre fuit, « quo pacto unus, inquit, apud alterum fuit? » Nihil est quod tam expediri facile possit. Sic enim natura est amborum una numero; ut persona numero non sit eadem. Facit autem hæc *numeralis*, ut ita dicam, *identitas* naturæ, ut una sit apud alteram persona, quam περιχώρησιν, appellant theologi : de qua suo loco diximus.

Circumincessionem.

Ad hæc observat Schlichtingius, Verbum ita nominari Deum, ut in Græco non sit ὁ Θεὸς cum articulo; sed simpliciter Θεὸς : ut indicaret Evangelista non ejusdem conditionis esse divinitatem illam, quæ Patri tribuitur, cum *apud Deum* fuisse Verbum dicitur. Quippe summus ibi Deus intelligitur, apud quem erat Verbum. Ex quo consequens est, Verbum non esse summum Deum, cum apud summum Deum fuerit. Verum sophistica hæc argutia jam a nobis est explosa in tertio *de Trinitate* libro[3].

Ille Deus. Deus.

Dei porro nomen non eodem omnino modo utrobique sumitur : ut initio capitis hujus diximus. Alioqui Verbum ipsum cum eo, a quo procedit, et apud quem erat, Patre confunderetur.

Nec audiendus est; imo *retro* cum *Satana* proturbandus est Socinianus idem, cum ita scribit : « Naturam deitatis proprie non sub-

1 *Deut.* x, 17.— 2 Lib. I *de Trin.* cap. x, § 5. — 3 Cap. ii, paragr. 10.

stantiam aliquam ab humana, vel Angelica distinctam significare, sed robur, et imperium sublime, et eximium. Dei enim appellatio proprie non naturæ, id est peculiaris alicujus substantiæ significationem habet, sed peculiaris roboris, et imperii. » Quis hoc Christianus, imo sui compos ac sobrius homo ferre possit? Natura deitatis substantiam haud dubie divinam significat : sicut natura humanitatis, humanam : nec nisi qui alterutram habet, Deus vel homo verus est, ac proprie dictus.

Idololatrica ejusdem auctoris blasphemia.

V. Neque hic finis blasphemiarum. Paulo post enim ista subjicit : « Deinde non video, quid obstet quo minus ei, qui substantia vel Angelus sit, vel homo, divinus et cœlestis debeatur cultus, dummodo omnem in cœlis, et in terris potestatem, omneque judicium a Deo acceperit, et benevolo sit in homines affectu. » Impura vox, quæ ad Ethnicam idololatriam quam latissimam viam sternit. Divinus omnino cultus, quem λατρείαν nominant, nulli alteri quam vero debetur, aut sine scelere tribuitur, Deo : de quo plenius in superiore libro disputatum est. Tum illius conscelerati dicti ratio, quam mox adtexuit, inscitissima est. « Num et ipsi Deo, inquit, summo non ob naturam ejus proprie, quæ nobis ignota est : sed ob robur ejus, et imperium divinum, et affectum in homines propensum, cultum deferimus?» Falsissimum istud est. Nam ob divinitatem, hoc est Dei summi naturam, proprius Deo cultus adhibetur, quæ tametsi cujusmodi sit nemo prorsus intelligit, esse tamen aliquam norunt illius cultores universi.

Sed homo parum acutus principium, et originem cultus divini ab natura cultus ipsius, vel, ut loqui solent, *motivo*, ac *formali ratione*, nescivit discernere. Ita enim sese res habet : Naturalem Dei notitiam ex rebus ab illo procreatis homines ceperunt : ut in ea, quæ est *ad Romanos* scripta , testatur Apostolus : quarum ex contemplatione, tum multo magis usu, et experimentis, illius colendi, sibique demerendi tantorum bonorum auctoris, ac largitoris studio sunt accensi. Verum qui ex eo religionis, observantiæ, et honoris affectus exstitit, non in operibus ipsis, nec in eorum efficientia constitit : sed ad ejus fontem, atque stirpem. summam, inquam, excellentemque naturam, per hæc illius vestigia pervenit.

Alia Schlichtingii objecta diluuntur.

VI. Postremo de horum Joannis verborum sententia, *Et Verbum caro factum est*, altercatur Schlichtingius : eaque sic intelligi non patitur, ut sermonem factum esse carnem sit, eum qui existebat antea, id quod non erat, hominem esse factum. Etenim si antea *Verbum*, sive *Sermo* Deus erat, et postea caro factum est, necesse est ut sit in carnem mutatum. Hoc vero probare consequens esse pergit enumeratione rerum illarum, quæ ex aliis aliæ sunt factæ. Ut cum virga Mosis serpens est facta ; uxor Lothi, columna salis. Atqui stolide captiosa est, et imbecillis hæc argumentatio : eique germana etiam altera, qua contra Trinitatis mysterium utuntur. Cum enim singularia ambo ista suo in genere sint, frustra similium rerum exempla postulantur, quæ fidem illis præstruant. Itaque nullum Catholicis in hac re negotium faciunt: qui et ex Scripturis, et ex harum interprete primorum sæculorum, perinde ut insequentium, Ecclesia didicerunt, Verbum ab omni æternitate genitum a Deo Patre, Deum et ipsum, carnem, id est hominem, sic esse factum, ut ambæ naturæ sine ulla confusione, integræ, ac perfectæ remanerent, sola personali, ac divina Verbi proprietate naturam utramque sustentante ; quod quemadmodum fieri possit ; et quam nihil habeat dissentaneum ac repugnans, copiose toto hoc in opere disputavimus.

Atenim non dixit, Verbum incarnatum est; (objicit Socinianus) imo satis hoc expressit ita loquens, *Verbum caro factum*, quod Justinus, et Irenæus intellexerunt, qui id per verbum σαρκοῦσθαι, et σαρκοποιεῖσθαι declarandum putarunt. *Incarnari.* Respondeant porro vicissim et isti, ubinam scripserit Joannes; Jesum Christum nihil nisi hominem fuisse : ubi eumdem hominem merum, ac creaturam solum, Deum nihilominus appellari, et λατρείας cultu affici ; *Latriæ.* et Sermonem Verbumque nominari : Hæc et alia, quæ stulte impii homines, et anthropolatræ garriunt, certo nobis, ac liquido in Scripturis exhibeant.

VII. Ad extremum odiose molestus est, dum ita sciscitatur, quid vox *factum est* significet in istis verbis, *Verbum caro factum est*, an idem sit quod unitum. Quod si ita est, « quid hoc significavit, inquit, Verbum caro unitum est? » Ita nugatur ludius iste; quem nos absolvimus sic. Non illic *factum est* idem est, proprie, et ut loquuntur *formaliter*, quod *unitum est* : sed est, hoc quod non erat, nova effectione, id est *generatione* esse cœpisse. Verbum enim revera genitum est, et generatione ista caro factum ; ut in lib. IV, c. II, et lib. V, c. XIV, demonstravimus : præsertim in

hoc : Deus, inquam, conceptus est in utero sanctissimæ matris, et genitus, non tamen qua Deus est, sed ut homo. Hoc autem non productione divinitatis, sed unitione accidit : per quam Deus nulla sui mutatione, vel diminutione, novam sibi copulavit in eadem persona substantiam. Quare vox ἐγένετο in Verbo, *unitionem* non significat præcise, sed continet, ac si pressius explicanda sit, utendum erit illa : non tamen primaria, et obvia notio hæc vocabulo illi subjicitur. Itaque non potest hoc, *Verbum caro factum est*, proxime in istud resolvi : *Verbum carni est unitum.* Nam quod impurus ille ita posterius hoc concipit, *Verbum caro est unitum*, stupidus, et agasone dignus est jocus : verum ex *consequenti*, et κατ' ἐπεξήγησιν in illud recidit.

Sed objicit iterum; Non videri Incarnationem Verbi sententia illa significari; cum tam multa de eo dixerit antequam ad illam veniret, quæ incarnatione posteriora sunt : velut in mundum, et *in sua venisse, nec a suis esse susceptum : dedisse potestatem iis, qui se reciperent, filios Dei fieri.* Verum nihil argumentatione hac inanius, ac levius. Facile est enim probabilem hujus rei rationem reddere, quod Maldonatus, aliique fecerunt.

Hoc igitur dicimus; quæ post comma quartum ad decimum quartum usque comprehenduntur, includenda esse parenthesi : et ideo inserta, quod de vita, et luce hominum inciderat mentio : nec omittendum videbatur, sed continenti oratione declarandum, quid in hominibus lux ista perfecerit, et quemadmodum vicissim erga eam sese homines gesserint; quibus obiter expositis, redit ad cursum oratio : et ut ad illius, qua homo est, narrationem, factorum dictorumque transeat, apertam susceptæ carnis mentionem injicit quasi diceret : Igitur *Verbum* illud, quod *in principio erat, et Deus apud Deum erat, caro factum est.*

CAPUT V.

Socinianorum adversus Incarnationis dogma sophisticæ argumentationes diluuntur, ac multiplices fraudes, cavillationesque reteguntur.

I. Sequuntur argumenta nunc illa, quibus contra Incarnationis fidem obstrepunt novi Photiniani : quæ fere ludicra sunt commenta sophistarum, nec ea quidem admodum acuta, et in superioribus explicata libris vel ex his, quæ tractata illic, et disputata sunt, nullo negotio refutari possunt. Sed proderit quæ ibidem dispersa sunt, unum in locum, conspectumque cogere : ut tanto commodiorem usum et in promptu posita, et in breve contracta præbeant. Diluitur argumentum Socini ex impossibilitate Incarnationis deductum.

Ex iis argumentis primum hoc procedat in medium, quod Socinus proponit in libello quodam, in quo de Christi natura disputavit. « Deus, inquit, immensus est, et substantia infinitus, cum homo sit materialis, et suis dimensionibus constet, et substantia finitus sit; rei autem finitæ ad infinitam nulla est proportio. » Itaque « Deus cum materiali homine nullo pacto ita conjungi potuit, ut ex utroque unum, ut vocant, suppositum factum fuerit. » Puerilis hæc, ac tirone philosophiæ vix digna ratiocinatio, vel ἀλογιστία potius semetipsam evertit. Vulgatum enim in scholis enuntiatum; *nullam finiti ad infinitum esse proportionem*; imperite prorsus ad hoc negotium transfertur. Valet enim duntaxat in rebus quantitatem habentibus, et in commensu partium consistit :quo fit ut unum quantum alteri sit æquale, vel majus, aut minus : non eo spectat, ut nulla comparatio, commerciumve sit nullum inter finitum, et infinitum. Nam et Deus ab homine cognoscitur, et videri etiam a beato illius essentia potest, et ad imaginem Dei, ac similitudinem est homo factus. Loco denique omni, atque corpori præsens est Deus, infinitus finito. Ita nihil est quod finitam hominis naturam cum infinito copulari Deo, et in unam personam coalescere prohibeat.

II. Nec illa nos terrent, quæ ex illa junctione consequi Socinus absurda dicit : « Oportere vel materialem hominem immensum, et

Exploduntur quæ ex illa junctione s qui absurda Socinus contendit.

substantia infinitus evasisse : vel Deum dimensionibus obnoxium et substantia finitum factum fuisse. » Neutrum est necesse. Deus enim loco conjungitur cum homine quolibet : nec ideo nativa proprietate caret utervis. Quæ autem argumentandi ratio est ista ; ad oppugnandum aliquod dogma, id tanquam *medium*, ut Dialectici nominant, assumere, quod est dogmatis ipsius, et enuntiati pars contrarii? Velut in hac quæstione ; Deum infinitum esse, hominem finitum, fatentur Catholici : utrumque porro nihilominus in unum convenisse suppositum, salvis amborum proprietatibus existimant. At homo vanissimus ut coalescere naturas minime potuisse probet, hoc sumit, quod est in thesi, et « Substantiam, inquit, infinitam, et substantiam finitam in unum coaluisse, aut coalescere potuisse, quis sanæ mentis unquam dixerit, utraque naturam, et proprietatem suam retinente, quæ invicem penitus dissident, neque ulla ratione convenire possunt?» Vides acumen disputatoris istius. Nam si ea, quæ natura dissident, convenire, ac coalescere nullo inter se modo possunt ; non poterit anima hominis, quæ corpus non est, et materia caret, utpote spiritualis, et indissolubilis substantia ; in unam cum corpore coalescere naturam. Et quamvis par utrobique non sit conjunctionis ratio, ut in libro tertio, capite decimo latius exposuimus ; ac non una natura, sed una duntaxat persona fiat in Christo duabus ex substantiis, in homine vero tam natura fiat una, quam persona ; nihil hoc tamen similitudini officit. Ac nescio an non incredibilius sit, ex spirituali anima, et corpore unam naturam personamque constare ; quam unam duntaxat ex Dei, et hominis junctione personam. Sed utcumque res habet, non est tamen diffitendum, quin hoc facere Deus potuerit, si fecisse monstretur.

Præclare omnino Guitmundus Aversanus Archiepiscopus in libro primo *de veritate Eucharistiæ*, de conversione substantiæ panis et vini in Christi corpus, et sanguinem agens ; « Hanc, inquit [1], mutationem si facere voluit Deus, absque dubio fecit. Requirendum ergo tantummodo est, an id Deus voluerit. Quod cum voluisse Deum, ipso adjuvante, opportuno loco monstraverimus, sive possit intelligi quomodo fiat, sive non possit, obtinebimus tamen necessaria ratione quoniam fecit. Non enim satis argumento est, si nostræ infirmitatis cæcitas id nunquam in hac vita capere valet, quo minus debeas credere, si manifestæ rationis necessitas rem ita, ut diximus, probaverit esse.» Idem licet nobis usurpare in hoc Incarnati Verbi mysterio. Nam duas in eo naturas convenisse, conjunctasque esse, ita ut unus idemque verus homo, ac Deus exstiterit Christus, necessariis e Scriptura rationibus ostendimus.

Aliud ejusdem futile argumentum.

III. Contemnendum et illud est, quod idem Socinus intentat : Ejusmodi Dei esse substantiam, « cui nihil unquam accidere possit. At vero mortalem hominem ita vel induisse, vel assumpsisse, ut una cum eo in tertium aliquid evaserit, non solum esset aliquid ei, ejusque substantiæ accidisse, sed maximi momenti rem accidisse. » Hic ejus, quod *accidens* proprie dicitur, rationem sibi ignotam fuisse demonstrat. Discant igitur Sociniani, non omne, quod substantiæ jam completæ supervenit, et adjungitur, id accidens esse, quale removendum a Deo esse, naturalis etiam illius notio declarat : sed illud solum, quod substantiam afficit, tanquam forma subjectam sibi materiam, eique communicat *esse* quoddam *accidentarium* : ut scholæ loquuntur. Hoc humana natura non facit : neque porro infinite perfectum Verbum additamento aliquo perfectionis cumulat : sed ab ea formatur potius, ac perficitur, nec *esse* illi tribuit *accidentarium ;* sed naturale, ac substantivum, nec inhæret ipsi denique : sed ab eo hypostatice sustentatur.

Objecerat hanc eamdem sibi argumentationem S. Thomas in libro quarto *contra Gentes*, de Incarnatione disputans. Nimirum [2], videri naturam hominis « accidentaliter advenire Verbo, quia huic advenit post esse completum. » Cui sic occurrit [3] : Ita « Verbum humanam naturam assumpsisse, ut vere sit homo : esse autem hominem est esse in genere substantiæ. Quia igitur ex unione naturæ humanæ hypostasis Verbi habet quod sit homo, non advenit ei accidentaliter. Nam accidentia substantiale non conferunt. »

Exploditur quartum ejusdem argumentum.

IV. Rursus Joannes Volkellus cum ratione pugnare catholicum dogma Incarnationis inde concludit [4] ; « quia mens nostra dictat, fieri non posse, ut duæ formæ substantiales, eæque perfectæ, in unum, idemque suppositum cadant. » Huic vero ratiocinationi illud

1 Guitmund. tom. IV *Bibl. Patr.* — 2 S. Thom. lib. IV *cont. gent.* cap. XL. — 3 Ibid. cap. XLIX. — 4 Lib. V, cap. XI.

opponendum est, quod superioribus in libris plenissime disputatum est : Perfectam dici substantiam, vel secundum *essentiam*, vel secundum *existentiam*. Priore modo natura singularis perfecta dicitur, in quam prædicata omnia conveniunt, quæ οὐσιώδη, id est *essentialia* dicuntur ; at posteriore modo non est perfecta, nisi subsistendi proprietate sit affecta, quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως appellant Patres. Hujus generis perfectæ substantiæ duæ in unius substantivi [1], proprieve dicti compositi coagmentationem coalescere nequeunt : prioris vero generis possunt, ut in Christo ; cujus divina substantia utroque est modo perfecta : humana per sese duntaxat essentia perfecta est, existendi vero modum, ultimumque complementum non habet ex sese : sed pro eo divinam habet hypostasim Verbi, cujus alieno adminiculo fulcitur.

Modum exstantiæ.

Item quintum.

Non secus imbecilla est argumentatio Volkelli ejusdem altera, quæ sic habet : « Duarum substantiarum qualitatum ratione contrariarum nequaquam utramque de uno eodemque supposito, et quidem directe, seu in quid prædicari posse. » Cujusmodi sunt Deus, et homo : cum ille sit æternus, hic creatus, et proprietates cæteras habeant inter se repugnantes. Verum falsissima ista sunt, si de supposito vel persona loquitur : de natura vero, et essentia, vera sunt. Non enim potest ex contrariis, et dissidentibus prædicatis τὸ τί ἦν εἶναι constitui. Possunt autem naturæ duæ diversis, ac dissocialibus constare proprietatibus, et in unum coire suppositum. Quanquam proprie contraria non sunt substantiva prædicata. Non enim substantiæ contrarium est aliquid, ut in *Categoriis* scribit Aristoteles, sed utcumque opposita, et ἀσύστατα, licet camdem essentiam conflare non possint, si perfecte sunt opposita, possunt tamen in idem convenire suppositum.

Quidditas.

Insubsistentia.

Et aliud huic affine.

V. Huic affine est, et annexum argumentum alterum : « quod quædam in Scripturis de Christo simpliciter negantur, quæ neganda non essent sine restrictione, si ratione unius naturæ convenirent. Non enim negamus hominem edere, bibere ; quia ratione unius naturæ, id est animæ non conveniunt. « Atqui negant Scripturæ tantum esse Filium, quantus est Pater, quod ratione humanæ naturæ dictum putant Catholici ; tum a seipso nihil posse facere totus de se profitetur Christus. Nonne ineptissimum dictu istud esset, hominem nihil intelligere, quia corpus ipsius nihil intelligit? Hæc fere Volkellus. Quod argumentum usurpavit Joannes Crellius opere in illo, quod toto tertio libro *de Trinitate* confutavimus [2], ubi nonnulla scitu digna, et huic apprime loco necessaria de aientibus, ac negantibus enuntiatis adnotavimus. Nunc illud paucis respondemus : In naturis compositis fatendum id quidem, non posse toti ipsi singularum partium prædicata convenire. Non enim hominem, exempli causa, dicimus esse animam, vel formam, vel substantiam spiritualem ; sed neque materiam, molemve per sese inanimam esse, cujusmodi corpus est, si ex sese consideretur. At in hypostasi, personave duabus ex substantiis composita, qualis est Christi, communicari inter se cujusque propria naturæ. Cæterum in enuntiationibus illis, quæ de Christo dicuntur, cum aliæ sint affirmantes, aliæ negantes, priores quidem absolute de toto supposito usurpari possunt, ut cum Apostolus Christum vocat *Dei virtutem, et Dei sapientiam* [3], quod solius divinitatis ratione illi convenit ; at negantes non possunt absolute de eo pronuntiari. Falsa enim est illi contradicens propositio, nisi proxime addatur hoc, quatenus homo est, vel quatenus est Deus, ut si ita dicam ; Christus non est Dei virtus, et Dei sapientia, qua est homo. Hæc in illo capite tertio libri de *Trinitate* tertii latius exposuimus, quæ inde repetenda sunt. Quæ autem affert exempla Volkellus ad id quod vult suadendum, nihil ad rem pertinent. Nam etsi majorem seipso dicat esse Patrem, non se negat æqualem. Quo illud referendum est Hilarii in libro nono ; « Major utique Pater est, dum pater est, sed Filius, dum filius est, minor non est. » Illud autem quod ab eodem dictum est Christo ; *Nihil a seipso facere se*, et alia ejusdemmodi, in capite illo tertio libri tertii declaravimus.

VI. Præterea Jonas Schlichtingius ex Fausto Socino argumentatur in hunc modum ; « Quicumque vere mortuus est, is non est, aut illius non est divina substantia. Mori enim nulla divina substantia potest. Sed Filius Dei unigenitus vero mortuus est. Ergo non divina ulla, sed humana substantia in Christo est unigenitus Dei Filius. » Sed hujus syllogismi πρότασις, quæ *major* dicitur, universe falsa est. Siquidem is, qui vere mortuus est, hoc est persona Christi, vel unigeniti Dei filii, duplici natura constat, sive substantia, quarum una

1 Vide lib. III *de Trin.* cap. III, paragr. 13. — 2 Cap. III, paragr. 1 et seq. — 3 I *Cor.* I, 24.

morti est obnoxia, altera mortis expers. Atenim « petitio est ista principii, tum hoc pacto contradictiones omnes conciliari poterunt. Nam dicet quispiam, album, quatenus est album, non esse nigrum : quasi album possit esse non album. Tale est et hoc ; Qui mortuus est, quatenus est mortuus, non est vivus : quasi scilicet is, qui mortuus est, possit non esse mortuus. »

Ratiocinatio Socinianorum est principii petitio.

Verum quod de principii petitione tam iste, quam Socinus, et Crellius, ac passim alii sectæ ejusdem excipiunt, in ipsos alibi retorsimus[1] : ostendimusque, petere principium ; non eum, qui thesim suam propugnat, et ad diluenda contradicentium argumenta positis a se principiis utitur : sed eum qui contra thesim disputans, eo ad impugnandum tanquam medio utitur, quod in quæstione positum est. Quod illi sæpenumero faciunt, velut in hac disputatione, cum thesis ista nostra sit, eamdem hypostasim Verbi duas habere naturas in sese subsistentes : quarum altera immortalis est ; altera per sese morti est obnoxia : cum utraque divina sit, una, quia a Deo genita est ; et est Verbum ipsum, ac Deus filius ; altera quoniam a Deo assumpta, unam cum eo personam facit : hæc, inquam, et hujusmodi alia cum in catholico dogmate ponantur ; ridicule Socinus, ejusque discipuli contra hoc argumentantes, illud afferunt : « Mori non posse illum, cujus est divina substantia : et, quicumque vere mortuus est, is non est, aut illius non est divina substantia. » Atqui illud ipsum est, de quo inter nos agitur, quodque nobis asserentibus, impugnandum suscepere Sociniani. Stulte ergo et ridicule, in quo ipsi peccant, id in nos crimen conferunt.

De contradictione breve responsum.

VII. De contradictione, breviter illis responsum sit : non hic locum habere ubi non eodem modo, vel, *secundum idem*, ut loquuntur, utraque pars affirmat, et negat. Christum vere esse mortuum cum Apostolo dicimus ; *sed secundum carnem*, hoc est, quatenus homo erat. Id enim valet, *mortificatus carne*[2] ; quod Petrus Apostolus scribit. Eumdem, quatenus Deus erat, vel secundum divinitatem, negamus esse mortuum. Quod de albo Schlichtingius invidiam facit, negans recte dici, *album*, *quatenus est album*, *non esse nigrum ;* primum sophistico in cœno volutatur. Vox *album* dupliciter usurpatur : aut pro *albore* ipso, sive *albitudine*, concretum, ut vocant, nomen pro abstracto ; quod est usitatissimum : aut pro subjecto, coloratoque corpore. Si de priore agitur, supervacanea est reduplicatio. Nam albor simpliciter, nigror non est. Sin album corpus intelligas : fingamus divina vi, et omnipotentia eamdem albi parietis hypostasim, ebeni, aut nigri alterius esse corporis hypostasim : tunc idem paries albus et niger esse dicetur : et hoc album, quatenus album est, vel quatenus est paries, non esse nigrum. Ibi ergo necessaria fiet ἀναδίπλωσις. Denique calumnia est in eo perspicua Sociniani Schlichtingii, quod *mortui* nomen in homine simplici sumit ; cum negat recte sic enuntiari : *mortuus quatenus mortuus est*, *non est vivus.* Nam qui idem Deus est, et homo, potest qua est homo, mortuus dici, minimeque vivus : et qua Deus est, vivus, non mortuus.

Reduplicatio.

Aliis satisfit Schlichtingii expostulationibus.

VIII. Vide alteram deinde Schlichtingii cavillationem. Distinguendum esse contra Socinum dixerat Meisnerus *subjectum* quod, et *subjectum* quo ; tum *majorem propositionem*, quæ sic habet : *Quicumque vere mortuus est*, *is divinæ substantiæ particeps non est*, *de subjecto* quo *intellectam cum reduplicatione veram esse :* Siquidem Christus mortuus est carne, sive humanitate, vel qua homo : idque *subjectum quo* dicitur. Ridet hanc argutiam Schlichtingius : et mori « subjectum *quod* ait, non subjectum *quo*. Non enim moritur anima, vel corpus in homine, sed homo moritur. »

Atqui duplex in eo sophistica est ambiguitas. Prima in vocabulo *substantiæ*. Hæc enim tum personam ipsam, tum naturam significat. Itaque cum sic enuntiat. *Quicumque vere mortuus est*, *is divinæ substantiæ non est particeps* ; præter illud, quod paulo ante dixi, verum eatenus esse ; si uniusmodi tantum naturam habeat, uti simplex homo quilibet : sin duplici constet, falsum esse : licet et alia ratione distinguere. Si enim pro natura sumitur vox *substantiæ*, fatendum est id, quod moritur, non esse particeps divinitatis in eo, quod moritur, hoc est non secundum id quod Deus est mori. Quod si personam intelligas dici substantiam ; tum erit falsa propositio. Mortuum enim affirmamus esse Christum hominem, qui etiam ut hic homo est, particeps est divinæ personæ, in eaque subsistit. Tertia potest huic adjungi cavillatio in animæ atque corporis exemplo, et hominis simplicis, quem cum Christo comparat. Etenim tametsi

1 Lib. III *de Trin.* cap. IX, paragr. 16 et seq. — 2 I *Petr.* III, 18.

in eo similitudo constat, et analogia, quod ut Christi persona ex Deo et humana natura constans subjectum est *quod*, cum mori Christus dicitur; subjectum vero *quo*, est natura ipsa divina, quæ non moritur: ita in homine simplici, qui mori dicitur, subjectum *quod* est totus homo, qui morte dissolvitur: subjectum *quo*, est anima, quæ non moritur. In eo vero dispar est ratio; quod in homine simplici duplex est tantummodo subjectum *quo* in ista comparatione; anima, sive forma, et materia, quæ est corpus; quorum neutrum ejusmodi est, ut secundum hoc mori homo dicatur; quare totum ipsum duntaxat moritur. At in Christo quadruplex est *subjectum quo*; divinitas, corpus, anima, et ex utraque composita humana natura. Jam vero totum hoc, quod Christus vocatur, estque subjectum *quod*, mortuum cum dicitur, subjectum *quo* primum secundum, et tertium non moritur, quartum vero perimitur; quia disjunctis a se mutuo corpore et anima, natura statim extinguitur humana.

IX. Atenim Socinus hoc argumento fretus, iterum *magna vi fervidus instat:* « Si Filius Dei unigenitus non est mortuus secundum divinitatem: hinc necessario sequi ipsam ejus divinitatem non esse Dei filium unigenitum. » Nos huic Sophistæ respondemus sic: Neque secundum divinitatem mortuum esse filium Dei unigenitum: neque divinitatem ipsam, si proprie ac præcise loquimur, esse Filium Dei. Est enim eadem cum tribus personis reipsa; sive, ut in scholis aiunt, *realiter*, et *identice*, non autem κατ' ἐπίνοιαν, hoc est *ratione*, mentisque conceptu. Quod discrimen, omnium veterum consensu Græcorum, Latinorumque Patrum, idoneum est ad capienda diversa, et opposita invicem enuntiata: ut in secundo tomo diximus.

Porro *Dei filius unigenitus* dupliciter intelligitur. Nam vel statum illum *filii* significat, qui primario, et ex omni æternitate Verbo competit, citra ullum cum creatura commercium: vel posteriorem, et quasi adventitium, quatenus ex alterius naturæ copulatione redundavit: ac nihilominus uterque naturalis est, proprieque dictus. Potest et hoc brevius explicari sic: ut *filius Dei unigenitus* dicatur aut *Verbum solum:* aut *Verbum incarnatum.* De quo genere utroque *filietatis* prorsus legenda sunt quæ in libro septimo copiose diximus[1]: ubi duplicem modum obtinendæ filietatis propriæ, ac naturalis ostendimus: quorum alter per naturalem, et *formalem*, ut sic loquar, generationem existit; qua natura ipsa, et essentia communicatur: alter fit per *substantivam unitionem* in eamdem personam. Horum prior modus soli competit Verbo, quod a Patre in filium gignitur: posterior homini assumpto per unitionem cum Verbo tribuitur. Quo animadverso, Socinianum prius illud sophisma dissolvitur: necnon posterius hoc; « Secundum quam naturam Christus non est mortuus, secundum illam non est Filius Dei unigenitus. » Quod enim ad primum spectat, pessime id quidem dicitur; divinitatem ipsam esse Dei filium unigenitum. Nam complexo, vel concreto nomine uti oportuit; *Deus,* aut *Dei Verbum* est filius Dei. Licet tamen, ut paulo antea notavi, pronuntiare sic; reipsa, et identice divinitas ipsa est filius Dei; imo et Pater est, et Spiritus sanctus: sed nihil hoc ad institutum pertinet. Nam in theologicis istis, ac limatioribus de Trinitate disputationibus, accuratius, ac notionum, et ἐπινοιῶν servata distinctione loqui consuevimus. Atque hoc pacto filius Dei in priore *filietatis* modo, divinitas est ipsa. In posteriore vero non est. Non enim humanitas assumpta, divinitas fit: sed adjuncta Verbo Deus fit ac Verbum, unitione, non generatione, qua divina natura communicetur.

X. Alterum sophisma perinde ex iis, quæ dicta sunt, exploditur. Siquidem non secundum naturam humanam Christus est Dei filius. Hæc enim particula, *secundum*, reduplicandi vim habens, presse, ac *formaliter* usurpatur; idemque significat quod *prout*, vel *quatenus:* et *rationem*, ut vocant, *formalem* indicat. Non est autem ratio cur hic homo Deus fit, humana natura. Quod si conjunctionis cum Verbo fiat mentio: vera erit hæc enuntiatio: *Secundum naturam unitam Verbo, in qua mortuus est Christus, filius est Dei:* ut hunc sensum habeat: *Ex unitione naturæ illius cum Verbo, hominem exstitisse Dei filium.*

Itaque vere, proprieque loquendo Dei filius est mortuus, quia verus proprieque dictus erat ille, qui moriebatur, Dei filius; neque curandæ sunt sophisticæ istæ, tortuosæque conduplicationes, quæ sunt gerræ, nugæque meræ, ac boni sensus inanissimæ, et, ut ait Philosophus, τερετίσματα, quibus indoctos fal- *Næniæ.*

1 Cap. v et seq.

lere, ac circumscribere conantur impuri Sociniani.

Tale est et illud : « Quærimus, inquit, num ista caro, ista natura humana quidquam ad ipsum Dei filium formaliter, et vere sic dictum constituendum pertineat ; num vero non pertineat. Si pertinet ; ergo antequam carnem assumeret, Dei filius vere, ac personaliter non fuit. Si non pertinet ; quo pacto carne, seu humana natura moriente, ipse Filius vere ac proprie est mortuus ? » Ad hoc e constituta paulo ante filii, ac filietatis ratione duplici, ac modo, parata responsio est. Ad filium Dei constituendum, quatenus per generationem communicatam accipit naturam, caro ipsa non pertinet ; ad eumdem vero, quatenus unitione, assumptioneque naturæ fit alterius, hæc ipsa, quæ assumitur, natura pertinet. Ergo antequam Verbum humanam sibi naturam adjungeret, *vere, ac personaliter* erat Dei filius ; eadem assumpta, hæc ipsa natura, ut in eamdem hypostasim cum Verbo, sic in eamdem est ascita filii proprietatem, alio tamen modo, quam divinitas ; hæc enim generatione ; illa unitione cessit in eumdem, et indivisum Dei filium.

XI. Indidem et reliquæ diluuntur ejusdem Schlichtingii ex Socino contortæ, fallacesque conclusiunculæ, quibus hoc efficere studet ; Christum non posse filium esse Dei ratione divinitatis : sed naturæ solius humanæ. Quarum ratiocinationum præcipuum illud est, veluti fundamentum, quod cum persona sit essentia ipsa, vel natura subsistens ; ac filius Dei sit persona ista ; non vere proprieque dici potest mortua persona unigeniti filii Dei, nisi essentiam ipsam illius mors affecerit. Nam filius per essentiam suam est filius.

Nihil est negotii in argumentatione hac eludenda, si quis superiorum meminerit. Christum itaque dico ut personam, ita Dei filium esse secundum utramque naturam una personali proprietate subsistentem, atque devinctam. Quare compositam hanc eamdem esse personam, veterum plerique dixerunt : ut in libro tertio demonstratum est [1]. Hoc autem nonnisi post assumptam naturam hominis accidit. Nam antequam homo fieret, Deus erat Verbum, ac verus, et naturalis Dei filius, sed nondum filius erat, aut Deus incarnatus. Ac persona quidem ipsa est natura, vel essentia cum existendi modo, et proprietate : qualis ab æterno fuit in filio divinitas filietate modificata, et quodammodo determinata. Post incarnationem, duæ naturæ, vel essentiæ eadem, et singulari proprietate personali, hoc est filietate continentur : non autem una quæpiam composita ex duabus essentia.

Ac tametsi essentia proprie loquendo neque mori, neque gigni dicatur, ut in septimo *Metaphysicæ*, capite octavo docet Aristoteles ; sed sola hominis persona : non tamen hæc mori dicitur, nisi cum essentia rerum in natura desinit existere : hoc est cum ab corpore anima divellitur. Quod si persona simplex est, et natura unica constans, tam natura, quam persona suo quæque modo interire dicitur, hoc est non existere. Sin duas naturas continet, una intercepta, cum altera manet incolumis persona, quæ ratione prioris naturæ mori dicitur. Ita filius Dei secundum assumptum hominem vere, proprieque mortuus est : idemque secundum divinitatem non est mortuus ; quæ est essentia ipsa divina subsistens in Verbo ; et in humana natura subsistere, vel eam potius sustentare, sine ulla sua vel jactura, vel mutatione, desinens.

XII. Neque vero consequens est inde, vel duo esse supposita, vel quod uni naturæ convenit, cum altera communicari non debere, vel B. Virginem non esse Dei genitricem, hoc est θεοτόκον : ut falso colligit Schlichtingius. Nam tria hæc verissima sunt, et ex mysterii illius ratione, ut ab Catholicis est defensa, necessario sequuntur ; in quo peregrinari, qui illud oppugnare vellet, Socinianus iste non debuit. Quinetiam, quod perinde negat, fatendum illud est, hunc hominem, qui una est cum Dei filio persona, uti Deum esse, sic ab æterno exstitisse, et omnipotentem esse, et quidquid de Deo aliud affirmatur ; dum vel addatur, vel tacite subaudiatur, *secundum divinitatem* ; quod supra diligenter exposuimus.

« Sed urget adhuc validius Socinus, ait Schlichtingius, ne per ullum quidem loquendi modum dici posse, Unigenitum Dei filium fuisse mortuum, si substantia aliqua divina, quæ in Christo esset, foret ipse Dei filius unigenitus ; quemadmodum ne per loquendi quidem modum ullum dici poterit ipsam hominis animam mori, licet corpus moriatur. » Atqui ne corpus quidem hominis proprie mori dicitur, sed homo ipse totus :

[1] Cap. XII et seq.

nisi, quod est usitatissimum, pro toto pars usurpetur illa, quæ ex duabus sola in sensus nostros incidit. Verum ut ne de eo disputemus, plurimum anima cum corpore comparata distat a Verbo Deo, qui cum humana natura confertur in Christo. Non enim anima per se subsistens in suam hypostasim corpus assumpsit humanum, nec existendi proprietas, qua anima per sese utcumque subsistit, eadem est per quam subsistit et corpus. Sed ambæ totius ejusdem sunt partes ac natura sua neutiquam absolutæ, atque completæ. At Verbum divinum pars non est proprie dicta Christi ; uti nec humanitas ejusdem : sed integra sunt ambo, et completa ; illud quidem, natura pariter, et persona; hæc autem natura, non persona. Itaque Verbum integram hominis naturam in eamdem secum hypostasim assumit, quæ naturas deinceps ambas ita continet, ut quæ singulis conveniunt, inter ipsas mutuo communicentur ; de quo fuse disseruimus in quarto libro [1]. Id autem in anima hominis, et corpore locum non habet.

Postremo quod præcise quærit Schlichtingius, an persona Verbi, quæ ex omni æternitate simplex exstitit, homine Christo moriente mortua sit ; huic ex ante dictis facile respondetur. Eamdem enim personam Verbi dicimus, quæ ab æterno fuit, assumpta in tempore natura hominis, eo moriente, vere dici mortuam, non quatenus Dei ; sed quatenus hominis in Deo subsistentis erat persona. Non enim *adæquate*, ut in scholis dicitur, persona erat alterutrius substantiæ : sed ambarum simul : ita tamen ut homine mortuo, hominis esse persona desineret ; maneret Dei, atque Verbi. Hæc et alia, quæ contra Socinianam istam sectam hucusque disputavimus, nihil attingere opus erat, si mihi cum eruditis utcumque theologis; non cum argute loquacibus, et ineptis sophistis res foret. Quocirca paucis illis contenti erimus ; ex quibus cætera, quæ dici poterant, et sunt a me prætermissa, colligi poterunt; si quid forte similium argumentorum propositum ab illis, ac diluendum fuerit. Nam nihil fere superest, quod non ad ea revocetur, quæ sunt exposita tum in hoc libro, tum in secundo, ac tertio *de Trinitate :* ubi fusius ista pertractavimus *.

CAPUT VI.

Adversus Judæos Incarnationis mysterium defenditur. 2. *Christos duos recentiores Judæi constituunt.* 4. *Messiam jamdudum advenisse e sacris litteris probatur, ac primum ex Jacobi vaticinio : quod est Genesis capite* 49. *quod deinceps exponitur,* 5. *ex nostra sententia.* 6. *Ad quam illustrandam aliqua notantur.* 7. *Quæ contra sententiam nostram objecta sunt explicantur.* 8. *Cur ab Juda tota gens Judæorum nomen obtinuit.* 9. *Josephi locus insignis.* 11. *Quid* sceptri *vox in illa Jacobi prophetia significet.* 12. *Præfecturæ ab Romanis constitutæ.* 14. *Explicatur illud,* de femore ejus *in Jacobi verbis.* 15. *Quatenus unanimis consensus Patrum ratio ducenda sit.*

I. Ad Judæos deinceps, et ad eorum tum frangendam pervicaciam, tum cæcitatem illuminandam convertenda est disputatio nostra : non illa quidem instituta generatim ; neque sectæ capita universa complectens : (Hoc enim alteri reservandum est operæ ; cum de Fide disserentes adversus religiones omnes Christianam, et quidem Romanam, ac catholicam adstruemus) sed ut de solo agamus *Messia*, quem ita illi nominant : Græci, Latinique *Christum*.

De hoc tria in quæstionem venire ait Leontius in libro *de sectis*, actione secunda [2]: primum an ejusmodi sit prænuntiatus aliquis : secundum, an jam advenerit, aut adhuc expectandus sit quandoque venturus : tertium, an sit Deus. Horum trium capitum, primum omittendum putat, quod de eo nobiscum sentiant : de posterioribus agendum duobus.

* Divinitatem Jesu Christi integro Latino commentario (qui nuper Gallice versus prodiit) propugnavit superioribus annis doctissimus P. Macranus Benedictinus. Sed his, quibus hæc scribo, Florentiæ excusus est libellus pereruditus Petri Thomæ Ansaldi Ecclesiæ Cathedralis Miniatensis Præpositi de *Divinitate Domini nostri Jesu Christi.* Nimirum quam cæteri theologi ex Scriptura, et traditione, ex SS. PP. auctoritate, aliisque id genus theologicis locis demonstrarant Verbi Divinitatem, is ex Œcumenicis Conciliis, ex antiquis liturgiis, atque ex variis Christianorum, et gentium monumentis ostendere præclaro sane, laudabilique consilio aggressus est. F. A. Z.

1 Cap. xv et seq. — 2 Tom. II *Bibl. Patr.*

Sed de tertio pauca, si forte, tractanda nobis erunt: quoniam in tertio *de Trinitate* libro jam illud argumentum occupavimus; at de primo illud obiter videndum, unum, an plures ejusdem nominis venturos arbitrentur. Sed obiter, ut dixi; nam præcipua de adventus tempore debet esse controversia.

Quibus tribuatur Messiæ nomen.

II. Christi vocabulum, quod משיח ab Hebræis dicitur, et utrobique ab unctione derivatur, triplici hominum generi solet attribui, regibus, sacerdotibus, et prophetis: uti fuse libro undecimo, capite nono declaravimus. Hinc et reges potissimum, et sacerdotes *uncti*, vel *uncti Domini* vocantur. Sed ex omni hominum numero, quibus nomen illud tanquam appellativum est impositum: excellens quidam, et insignior cæteris intelligitur, qui velut propriam sibi communem istam appellationem vendicat pari Judæorum, Christianorumque consensu. Cujus notionem proprietatemque Tertullianus accurate delineavit in libro *adversus Judæos*, capite sexto. « Et quidem, inquit, in primis quærendum an expectetur novæ legis lator, et novi Testamenti hæres, et novorum sacrificiorum sacerdos, et novæ circumcisionis purgator, et æterni sabbati cultor: qui legem veterem compescat, et novum Testamentum statuat, nova sacrificia offerat, et cæremonias antiquas reprimat, et circumcisionem antiquam cum suo sibi sabbato compescat, et novum regnum, quod non corrumpatur, adnuntiet. » Quæ omnia per prophetas de Messia prædicta esse constat, ut ex sequentibus manifestum erit.

Unicum Messiam veteres agnovere Judæi.

Hebræi veteres, tam qui ante Christi Domini ortum exstitere, quam qui eadem cum illo ætate vixerunt, unum ac singularem Messiam agnoverunt, quem tot oraculis nuntiatum, tot figuris adumbratum, tot promissis iteratum expectare jussi fuerant. De hoc interrogati Judæorum legis periti, ac doctores, et scribæ ab Herode rege, ubi nasciturus esset, sine ulla cunctatione responderunt, *In Bethleem Judæ*; uti ex Michææ Prophetæ vaticinio didicerant. Hunc ipsum sciscitanti Domino cujus e stirpe ortum traheret [1], Davidis filium iidem illi Judæorum magistri oportere esse dixerunt. Præter hunc nullum alterum pollicebantur sibi. At recentiores Judæi duos Christos esse promissos insulsissime finxerunt [2]: alterum, in quem conveniunt abjecta quæque, et humilia de Christo prædicta sacris in libris: alterum, cui splendida, et magnifica omnia de eodem nuntiata tribuunt. Priorem nominant *Messiam filium Josephi*: posteriorem *Messiam filium Davidis*. De utroque meminit R. Selomoh in commentario ad *Isaiæ* caput XXIV. XVIII. « Qui effugerit, inquit, gladium Messiæ filii Joseph, incidet in gladium Messiæ filii David. »

Duos comminiscuntur recentiores.

III. At R. Moses Maiemonides in tractatu *de Regibus*; qui est postremus operis magni, quod inscribitur *Jad hazakah*, capite undecimo, duos in Scriptura commemorari Christos, sive Messias ait, Davidem, et qui ex ejus stirpe nasciturus est, verum illum, insignemque Messiam; de quo ita scribit: « Rex Messias venturus est, ut stet, et restituat regnum domus David in antiquam statum, et in pristinum dominatum: et ædificabit sanctuarium: congregabit dispersos Israelis: instaurabit judicia omnia in diebus suis: quemadmodum olim offerebant oblationes; observabant annos remissionis, et Jobelæos, secundum præceptum, quod in Lege est expressum. Et quisquis in illum Messiam non credit, aut non expectat ejus adventum, non solum reliquos Prophetas abnegat: sed etiam legem ipsam, et Mosem doctorem nostrum: quoniam ecce lex de eo testatur, » etc. Deinde multa de Christo hoc, et Messia narrat: ac postremo quæ de adventus illius tempore ab magistris tradita sunt, pleraque parum esse certa docet: neque curiosius inquirenda esse talia. Imo illis exitium imprecatur, qui in temporis istius computatione operam collocant; cujus imprecationis formulam ita concipi ab Sapientibus testis est R. Moses: Ramb. cap XII *de regibus.* תיפח רוחם של משבוח קוצים. *Rumpatur præ tumore spiritus eorum, qui computant fines temporum.* Sic veritatis in Scriptura coruscantis splendidissima luce perstricti, et hebetati, ultro sibi tenebras arcessunt, et densa se caligine inextricabilis erroris involvunt. Nos ad illorum inscitiam, cæcitatemque convincendam duo ista demonstrare conabimur: alterum, jampridem advenisse Messiam, ac prædictum tot Prophetarum oraculis, designatumque tempus illius adventus præterisse: alterum, illum ipsum, quem Christiani prædicant, Jesum Mariæ Virginis filium, eumdemque Deum, verum et unicum esse Messiam; neque præter hunc alium amplius expectandum.

Supputatione temporum sibi interdixerunt.

1 *Michææ* XXII, 42. — 2 Vide Joann. Buxt. in syn. Jud. cap. XXXVI.

Quod utrumque selectis, ac præcipuis e Scripturæ locis adstruemus. Non enim universa persequi; ac ne longius quidem in paucis illis, quæ proponemus, explicandis immorari decrevimus: præsertim quæ aliis in libris jam a nobis tractata; aut idonee commentationibus aliorum enarrata fuerint.

Probatur jamdudum advenisse Christum ex Jacobi vaticinio quod exponitur.

IV. Ex iis porro locis nullus prius attingendus est; quam disertum, et eximium illud oraculum Jacobi Patriarchæ, quod est *Geneseos* XLIX. Quo in capite moriturus ille quæ filiis suis, hoc est eorum posteris, eventura erant singillatim prædicit; ac de Juda pronuntiat in hunc modum: *Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti; requiescens accubuisti ut leo; et quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium.* Hujus loci primum constituenda sententia est; tum quæ vis illius sit, adversus Judæos explicabimus.

Duæ sunt celeberrimæ, et inter Christianos doctores pervagatæ de horum verborum interpretatione sententiæ: quarum altera Judæ nomine tribum hujus nominis peculiarem significari putat, hoc sensu, ut tamdiu penes tribum istam principatus, aut regni jus futurum sit, donec Messias advenerit. Sic enim existimant: ex illa tribu, postquam semel imperandi potestas ad eam pervenit, semper aliquos exstitisse, qui toti populo præessent, usque ad Christi tempora: quando ad alienigenas potestas illa transiit. Altera Judæ vocabulo non solam intelligi censet Judæ tribum: sed populum omnem Judaicum. Utraque magnos habet auctores tum ex Græcis, Latinisque Patribus: tum ex recentioribus theologis, et sacrarum litterarum interpretibus: quorum hic ambitiosum catalogum texere, et rationum, argumentorumque momenta ponderare, neque nobis in præsens vacat: et ut hoc compendifacere mallem, studio est aliorum, diligentiaque factum.

Harum duarum opinionum priorem merito anteponimus alteri: ac Judæ nomen ad tribum peculiarem pertinere volumus. Sed paulo aliter oraculi verba illius exponimus, quam ii faciunt, quibus idem, quod nobis, placuit; non populum universum Hebraici nominis; sed propriam tribum ab Jacobo significari. Cujusmodi autem ratio nostra illa sit, alio in libro declaravimus[1]. Quam quia nondum quibusdam persuasimus; qui et adversus eam aliquot argumenta proposuerunt; postulat a nobis hic locus quantulamcumque iis in excutiendis, ac diluendis operam; ne sententiæ nostræ, cujus nondum nos pœnitet, veritati diffisi potius, quam alia re impulsi, patrocininium illius abjecisse videamur. Ut autem melius et a nobis agi causa nostra, et ab eruditis lectoribus intelligi, dijudicarique possit, ejus ante omnia summam hic referri necesse est, quæ est ejusmodi.

V. Ad Judam Patriarcham filium suum converso sermone Jacobus, prædictiones suas ad illius peculiarem, et cognominem Tribum accommodavit; quod in cæteris fere omnibus instituit: ac necessario fecit hoc ipsum iis in verbis, quorum in longinquum tempus erat exitus: *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Juda*; etc. id sic interpretabamur. Sceptri vox πολιτείαν, et legitimæ reipublicæ, vel civilis communitatis formam significat: sive populum, ac tribum, et multitudinem certis ac suis legibus utentem; quæ proprium habeat imperium, ac magistratum, cujus auctoritate potestateque contineatur aliqua vulgatis ex tribus; imprimisque monarchica, vel, si forte, ex hac, et aristocratica temperata; quales ambæ aliis atque aliis usurpatæ temporibus apud Judæos exstiterunt. *Non auferetur ergo sceptrum de Juda*, hoc est jurisdictio, ac civilis potestas, et reipublicæ, communitatisque forma, sive ἀρχὴ, quod est *imperium*; illud, inquam, non prius ab Judæ posteris, ejusque tribu auferetur omnino, quam Messias advenerit; ut cum disturbatam, ac disjectam istius tribus communitatem, et civilis corporis formam, hoc est magistratum, imperium, potestatem, ac jurisdictionem sublatam videris, tum demum intelligas illum venisse, qui venturus ac promissus expectatur. Quod quidem ultima omnium in tribu Judæ cognonime factum esse didicimus. Nam reliquis in longinqua terrarum deportatis, ac dissipatis, sola tribus Judæ in sede propria, hoc est sorte sua, et assignata sibi terræ portione constitit: ac regiminis propriam formam, etiam sub eorum, a quibus erat subacta, principum potestate retinuit, quamlibet attenuatam, et accisam.

Politiam. Auctoris sententia.

Ad quam confirmandam nonnulla notantur.

VI. Ac nonnulla mihi videntur circa illius vaticinii sensum, et exitum apprime notanda: quorum primum hoc esse debet: Cum de tribu Judæ, ejusque statu, et diuturniore,

1 Rat. par. II, lib. V, cap. XVI.

quam reliquarum, incolumitate, ac stabilitate loquitur Jacob, non ad communitatem ipsam, et Judæ posterorum multitudinem, ac rempublicam per sese, et ab omni abstractam loco respectum habuisse : sed non sine comparatione cum assignata illi agri Palæstini portione : tanquam ita pronuntiaret : Non ante desituram tribum Judæ in promissæ quondam, ac deinceps attributæ terræ possessione mansionem habere, et in ea civilis communitatis, ac regiminis servare formam, quam Messias venerit. Quod eo animadverti necesse est, ne Judæis, magnis utique fabulatoribus, impune liceat ad nescio quos in Babylonia Judæorum ἀποδασμούς, et *fictitios duces* inibi rerum potientes confugere : de quibus paulo post. Itaque verisimile est, Jacobum, qui, cum de singulis Patriarchis, eorumque tribubus verba faceret, permulta, quæ ad locum pertinent, ubi collocandæ erant, immiscuit; istud etiam in primaria observasse tribu : et quæ illi prædicebat, ad propriam in Palæstina terra sedem ipsius accommodasse.

Deinde illud animo retinendum est; non eam esse Patriarchici illius oraculi mentem, ut tempus præcise designet, quo Messias affuturus est, ut eodem momento, quod illud evenerit, quidquid tandem est quod futurum ante prædicit, Messias accedat. Hoc enim in nulla prorsus vaticinii illius interpretatione constat. Verum ita, uti dixi, intelligendum hoc est; ut cum illa, quocumque tandem interpretare modo, præcurrentia signa exstare videris; tum scias, Messiam jam in mundum venisse : ut a posteriori sumptum indicium antecedentis rei faciat fidem. Prius enim Messias venturus dicitur, quam ab Juda sceptrum recedat. Simul illud repetendum est, quod alibi monui: prophetiarum eventa non una aliqua temporis particula circumscribi : sed paulatim evoluta compleri. Sic istud ipsum, quod Jacob edidit, de auferendo sceptro, pedetentim est impletum. Ac quemadmodum homo, quamdiu spirat, et cum morte luctans sensim deficientem trahit animam, vel mori, vel vivere dicitur : sic ablatio illa sceptri, ac potestatis, et Judaicæ communitatis, ac πολιτείας extinctio paulatim est expleta : et aliquanto ante Christi ortum inchoata tempore, ac deinde progressa, tandem in templi, et urbis excidio, Vespasiano Imperatore perfectum habuit exitum.

VII. His animadversis, expendamus modo quæ contra nostram illam oraculi Jacobæi interpretationem eruditissimus theologus objecit. Principio displicet ei[1], quod « plena metaphoris est expositio ista, et prophetiæ textum valde ambiguum, et obscurissimum reddit : cum ait sceptrum sumi pro tribu : et Judam pro toto populo Israelitico; non autem pro Juda filio Jacob (quem singulariter Jacob alloquebatur) et pro illius posteris : et, *de femore ejus*, vel, *de inter pedes ejus* idem esse, ac de illius possessione firma more leonis. » Hæc doctissimus, et amicissimus theologus. Verum mirari nihil attinet, tot in illis verbis allegorice esse dicta, cum tota ista prophetia perpetua sit allegoria. Quis enim nescit, morem hunc esse Prophetarum, ut similibus figuris, et ænigmatum involucris obscurent ea quarum in longinquum tempus exitus differtur? Plena sunt Esaiæ, Ezechielis, ac cæterorum scripta talibus exemplis. Et alioqui fuit hæc, ut observat Hieronymus, gentis illius consuetudo, in qua Prophetæ illi, ac Patriarchæ nati sunt, ut in omni pene sermone familiarem usum haberent parabolarum, et apologorum: quorum quidem ea ratio est, ut uno aliquo in similitudinem accepto, partes illius pro significatæ rei partibus usurpentur. Objecta solvuntur.

Placuit Jacobo leonis in prædam imminentis figuram usurpare ad Judæ filii, ejusque tribus indolem exprimendam ; ac generosum illius animum et impetum ; quæ similitudo deinceps sacrarum litterarum scriptoribus valde placuit ; eaque creberrime sunt usi ; maxime, quod ad Christum tribus illius decus ; imo gentis totius, magnopere pertineret : qui in præda non tam rapienda, quam ex prædonis Tartarei faucibus extrahenda, liberandaque, leonis vires ac fortitudinem explicavit. Huic ergo consentanea subinde adjecit cætera.

Quid quod eamdem similitudinem Balaamus quoque, non alio, quam divino instigante spiritu, homo cæteroqui perditus, adhibuit ? tametsi non ad Judæ tribum : sed ad totum Israeliticum populum eam accommodavit. *Ecce populus*, inquit[2], *ut leæna consurget, quasi et leo erigetur. Non accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat* Ubi pro *leæna*, Hebraice scriptum est לביא quæ vox *grandem leonem* significat. Septuaginta tamen σκύμνον, id est *catulum* vertunt.

1 Martin. tom. IV, disp. I *de Incarn.* sect. VI, par. 62. — 2 *Num.* XXIII, 24.

VIII. Sed objicit præterea ; « Si per vocem Judæ intelligimus solam multitudinem eorum qui de stirpe Judæ Patriarchæ prognati erant ; non est verum quod dicimus, solam illam multitudinem fuisse superstitem subinde post Babylonicam captivitatem. Nam usque ad Christum manserunt sacerdotes Aaronici de tribu Levi : » ex qua et Assamonæi, sive Machabæi ortum duxerunt; tum ex aliis tribubus plerique supertites fuerunt. Sin est, « ut intelligamus totam Judæorum multitudinem, quæ subinde post reditum e captivitate Babylonis dici cœpit nomine Judæorum, male detorquemus ad omnes tribus id, quod de Juda Patriarcha singulariter, et ut distincto ab aliis filiis Jacob, deque ejus posteris dictum est. » Ad hæc ita respondemus ; Nos *Judæ* nomine primario ac præcipue intellectos esse putare ab Jacobo Patriarcha Judæ posteros, hoc est ab eo nominatam, et propagatam Tribum ac nihilominus sub eadem *Judæ tribus* appellatione comprehendi cæteros omnes, qui ex aliis tribubus licet oriundi, in illius sorte, et admisti Judæ posteris habitabant : quippe qui sub dominatu, et ditione ; sive, ut Scripturæ more loquar, *virga*, que est שבט illius propria degebant : hoc est magistratibus illius, et institutis parebant. Sic enim Lutetia, Francorum esse, et a Francis incoli dicitur : etsi complures in ea sint aliarum nationum inquilini, et in jus etiam civitatis recepti. Sane cum de tribubus decem ab Assyriorum rege Salmanassaro longe extra fines Judææ deportatis loquitur Scriptura [1], sic illud expressit? *Iratusque est Dominus vehementer Israeli ; et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tamtummodo.* Atqui in hac tribu, regnoque Ezechiæ sacerdotes et Levitæ remanserant: necnon Benjaminitæ: tum ex aliis tribubus complures ibidem hæserunt. Sed quod omnes in jus, et imperium ac ditionem cesserant principalis, et illic rerum potientis tribus Judæ, ideo *sola tribus Judæ tamtummodo remansisse dicitur.* Cum igitur post id tempus, ab illa sua deportatione nunquam pristinas in sedes reversæ sint Israelitici regni tribus illæ decem, quas Salmanasar transtulit, non minus vere postremis temporibus illud affirmare licuit, quod de illius deportationis tempore Scriptura dicit ; *non remansisse nisi tribum Juda tamtummodo;* quantumvis ex aliis tribubus insititiorum, et adventitiorum civium ad indigenas nonnulla facta sit accessio.

Quinam Judæ nomine intelligendi veniant.

IX. Ut autem melius res tota percipiatur, quædam ex Josepho commemoranda sunt ad id, quod volumus aptissima. Refert ille in *Originum* libro undecimo, capite quinto, cum Persarum rex Esdræ sacerdoti proficisci in Palæstinam, ac rei instaurandæ Judaicæ copiam fecisset, Esdram nuntios ejus rei circum vicinas provincias misisse, atque in Mediam, ad omnes gentis suæ illic degentes, ut qui vellent in patriam redire, ad se in Babyloniam venirent : ac tum plures convasatis bonis suis eo se recepisse. « At omnis populus Israeliticus, inquit, commovere se noluit. Hinc accidit, ut duæ solum tribus in Asia, et Europa sub imperio Romanorum habitent : at decem tribus trans Euphraten in hodiernum usque tempus incolunt [a]. »

Josephi locus insignis.

Duæ illæ tribus sunt, Judæ, et Benjamini. Levitica vero non memoratur ; quia regione, et habitatione distincta non erat ab reliquis, nec numerum augebat : sed sub illis comprehendebatur. Eodem modo et Benjaminitica quasi accessio quædam potioris, et amplioris Judæ tribus est facta : itaque sæpe sola ista computatur : ut cum regna duo ita nominant, ut alterum Judæ, alterum Israelis vocetur ; quod in Scriptura usitatissimum est. Eodem pertinet quod scribit Josephus, « Populum universum Judæorum nomen obtinuisse ex eo die, quo primum Babylone profecti sunt, ab tribu Judæ : quæ cum prima in illa loca venisset, tam ipsi, quam tota ipsa regio in eam cessit appellationem [b]. » Hinc apparet, quam merito Jacobus solum ex omnibus Judam, ejusque tribum elegerit, ad quam vaticinium illud dirigeret : quod sola principatum suum, ac jurisdictionem, et πολιτείαν, hoc est magistratus, vel principes proprios, ac leges, et instituta, nomenque servatura esset, extinctis cæteris, nec amissura prius omnia illa, quam Messias advenisset ; quod in nullam alteram tribum convenit. Quare non detorquet interpretatio nostra quod Judæ tribus

a JOSEPH. lib. II. Ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατὰ χώραν ἔμεινε. διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακουούσας. αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο.

b JOSEPHII. ibid. Ἐκλήθησάν δὲ τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησάν ἐξ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους, αὐτοί τε, καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας αὐτῆς μετέλαβεν.

1 IV *Regum* XVII, 18

proprium est ad universum nomen Israeliticum; ut eruditus theologus existimat; quod si faceremus, quis de novitate conqueri posset, cum antiquorum Patrum, ac recentiorum bene multorum, et gravissimorum ista sit opinio: ut paulo post dicam? Sed nos eam minime probamus: nec ab eo recedimus, quod multo magis Jacobi verbis consentaneum est, ut peculiare aliquid de Judæ tribu Patriarcha prædixerit. Quod si negare quis audeat: proximum est, ut et Scripturam reprehendat, quæ regnum Judæ nominat, et populum, terramque Judæ; cum non illic sola censeretur Judæ Jacobi filii posteritas: sed ex aliis tribubus, maxime ex Levitica non pauci cum illis habitarent.

X. Jam illud nescio cur objiciendum tertio loco putaverit eruditus theologus, consequens ex nostra esse sententia, Jacobi verborum hunc esse sensum: « Non auferetur, vel non recedet populus Israel de toto populo Israel. Qui sensus est improprius. Idem enim non potest recedere a seipso. » Atqui quod de Israelis populo nobis objicitur, miror quid erudito viro in mentem venerit, ut assereret, nos Judæ nomine universos intellexisse posteros Israelis. Nusquam enim id a nobis est usurpatum; nam solam Judæ posteritatem, ac tribum significari volumus. Sed hoc aliud agenti exciderit: quid de Judæ populo ipso dicturi sumus; si quis absonum illud consequens ita constituat: *Non recedet populus Judæ de toto populo Judæ?* Certe ut locutos sic nos absolute esse fateremur, nihilo reprehendendi magis essemus, quam qui vulgata ista proferret: *qui amicitiam aufert, is vitam tollit e vita:* vel *qui leges, aut justitiam eripit, civitatem e civitate tollit:* ac reliqua id genus, quæ quotidiano sermone detrita sunt. Sed non ita præfracte diximus. Nam sceptri vocabulo potestatem, juridictionem, ac πολιτείαν hoc est popularis communitatis formam appellari diximus. Finge nos *civilitatem*, vel *popularitatem* vocasse; nemo erit qui succenseat. At hoc ipsum *complexo*, vel *concreto* vocabulo *populi* significavimus: quod abstracta ista nomina vulgo aliter accipi soleant.

Quid vox *sceptri* significat in illa Jacobi prophetia.

XI. Non minus quoque mirandum illud est, quod contra nos excipitur: neque convenire cum septuaginta Interpretibus expositionem nostram, qua *sceptrum* appellari populum dicimus, cum illi ἄρχοντα verterint: neque cum Vulgata: et ab communi sanctorum Patrum, theologorum, et interpretum catholicorum opinione desciscere. Cujus etiam testem laudat Perrerium, qui tam numerosa auctoritate sententiam illam refellit.

Ducem.

Sed hanc invidiam nemo in nos conferet, qui verba nostra, et eorum sensum diligenter attenderit. Primum enim non præcise vocem *schebet* interpretamur *tribum*, ut sit sola communitas, et multitudo populi Judæ, quæ ad Messiam usque permansit. Sed reipsa principatum, ac potestatem, et jurisdictionem civilem significari volumus, sive *popularitatem* ut hoc nomine uti jam incipiam, hoc est πολιτείαν, et gubernationis jus, formamque; quæ manente tribu ipsa, et multitudine perimi; abolerique potuit. Fingamus animo Romanos, eorumque principes Vespasianum, ac Titum, cæterosque deinceps Judæa potitos, incolas ejus iisdem in sedibus, et urbibus, salvis etiam Hierosolymis, habitare voluisse; adempta tamen omni potestate, ac jurisdictione, civilibusque legibus, et institutis: ita ut toti ex Romano jure, ac magistratu penderent, et ad eorum nutum, et arbitrium rem omnem, saltem publicam, suam administrare cogerentur: adeo ut neque jus vitæ ac necis amplius haberent; neque novas leges condere, aut imponere sibi Romanorum injussu; vel alia, quæ ad civilem gubernationem spectant, auderent attingere: tum vero etsi tribus ipsa, et Judæ posterorum multitudo remaneret: non tamen *sceptrum*, hoc est populus ipse, vel popularitas ita potius, et civilitas populi, nempe gubernatio, regiminis forma, et πολιτεία superesset: ac vere *sceptrum*, id est potestas illi erepta diceretur.

Præfecturæ ab Romanis constitutæ.

XII. Hujus rei specimen egregium Romanorum veterum instituta præbent: qui populos, ac civitates in potestatem redactas pro cujusque meritis varie tractabant. Nam qui sponte se ad illos applicassent, et inter socios adscribi meruissent; aut quoquo modo meliori conditione in eorum potestatem venissent; iis leges, ac libertatem permittebant, ac tantummodo majestatem Populi Romani comiter conservare jubebantur. Ita Græci, præsertim Athenienses, aliique populi, et civitates, et municipa jura sua, et civilem administrationem integram retinuerunt. At quæ civitates in Italia pertinacius Romanis armis restiterant, aut a fide defecerant, bello captæ suis legibus, ac magistratibus, qui Roma mittebantur, Romanis gubernabantur legibus. Eas *Præfecturas* vocabant, quarum erat omnium durissima conditio. Hujusmodi urbes imperio et potestate civili

privatæ etsi eamdem retinerent hominem multitudinem, non eumdem habebant populum: id est πολιτείαν camdem. Quod si hoc de illis gentibus, ac civitatibus usurpari potest, quarum multitudo salva, et integra pristina in sede manere sinebatur: quanto magis de Judææ posteris, post Hierosolymitanam vastitatem, deque reliquiis Judaici nominis idem affirmare licebit; postquam Vespasiano imperante non solum caput gentis eruta sunt Hierosolyma; sed maxima Judæorum pars solum coacta vertere, huc illucque dissipata est: nimirum tunc demum Judæ tribui sceptrum, et ἀρχὴν, hoc est jus communitatis, ac civilis potestatis extortum? Ex iis cognoscitur quam nihil ab communi veterum sensu abhorreat interpretatio nostra : sed eum amplectatur, et expeditum reddat, ac facilem.

Politiam.

Principatum.

XIII. Illud præterea eruditus theologus improbat, quod obiter injeceram, verisimile esse, per *sceptrum* significari civilem jurisdictionem ; per *legislatorem* vero (id enim vocabulum מחקק exprimit) intelligi sacros, et Ecclesiasticos magistratus; atque hoc Jacobum prædicere, auferendam esse Judæ tribu potestatem utramque. Equidem non video cur hæc conjectura cuiquam displicere possit. Quod enim opponitur, inde consequi, Judæ periude sacerdotium, ac regnum attribui ; nullo modo est consequens. Aliud est enim regnum Judæ utraque potestate administrari, civili, et ecclesiastica : aliud est, ejusdem tribus homines utramque functionem exercere. Horum prius verissimum est si sic intelligas, in Judæ regno, et communitate fuisse tum principes laicos ex Judæ stemmate, aut ejus auctoritate, ac nomine procurantes imperium: tum pontifices, et sacerdotes ex stirpe scilicet sacerdotali, ac Levitica. Utrumque magistratus genus ac potestatis indicasse Jacobum dixi probabile videri: quod nemo illo, quem exposuimus, sensu ita se habere diffitebitur. Porro ambæ potestates istæ post excidium urbis in illa gente penitus extinctæ sunt: ac de ecclesiastica quidem, jure accipi potest minax illa Christi denuntiatio : *Auferetur a vobis regnum Dei*[1]; *et dabitur genti facienti fructus ejus*?

Explicatur illud : de femore ejus.

XIV. Tantidem est, quod adversus interpretationem horum verborum, *neque legislator de inter pedes ejus*, ut est in Hebræo, eruditus theologus excipit. Sic enim ex Aben Hezra explicari posse censuimus; ut cum Judam sub leonis prædæ incubantis imagine describat, in eo quoque similitudini serviat, quod ut leo prædam inter crura, et ungues continens, eam sibi eripi, et *exungulari*, ut Plautino verbo utar, non patitur[2]: sic Judæ tribus constantius, ac pertinacius cæteris concessam sibi potestatem civilem, ac jurisdictionem retinuit. At illi propterea explicatio ista non probatur, quod locutio hæc de *femore* aliud in Scripturis significat, nempe ἐκ τῶν γεννητικῶν μορίων. Cujus locutionis exempla refert tria[3]. Verum in iis ipsis Hebræa lectio non eadem est, quæ in Jacobi vaticinio illo. Nam in illis scriptum est, יוצאי ירך id est *egressi femur*. At *Geneseos* XLIX *de inter pedes ejus*. Quare non mirum est, si varietas illa loquendi diversam pepererit sententiam: quæ est ejusmodi ut nihil sit in vulgata editione mutandum. Siquidem *de inter pedes* idem significat, ac *de femore*. Nam leo prædam utroque femore ac crure stringit, et circumplectitur : et *auferre de femore* idem est ac de cruribus, et unguibus : hoc est de possessione, et κατοχῇ quam interpres noster *detentionem* vertit, quæ et *hæreditas*, vel *hæreditaria possessio* potest intelligi. Quam in sententiam commode vetus Glossarium Κατοχὴ, inquit, ἡ ἀπὸ νόμων, *Possessio*, Κατοχὴ ἡ διὰ χειρὸς, *Detentio, retentio*.

E partibus genitalibus.

Jam quod in iisdem illis verbis, *neque legislator de inter pedes ejus*, allusisse suspicabar Patriarcham Jacobum ad judicialem consuetudinem , qua scriba sedere solet ad pedes judicis et præsidis, ac sententiam excipere : (quæ expositio in libro *Bereschith rabba* sectione XCVIII legitur) non sic intelligi debet, ut gubernandæ reipublicæ potestas penes communitatem resideat : cujus velut vicarius, aut exceptor, et scriba duntaxat sit magistratus : verum ita potius, ut stirps, et origo potestatis communitas illa fuerit; quæ hanc in suos magistratus : principesque transtulerit.

Nam tametsi divinitus interdum designati fuerint rectores Judaici populi : hanc tamen electionem populari consensu, ac suffragio ratam fieri Deus ipse voluit : ut in Saule[4], ac Davide contigit[5]. Cæterum ubi in illos derivata semel est illa potestas, et jurisdictio, ita penes principes fuit; ut non amplius in communitatis arbitrio maneret; quod in primo *Regum*, capite octavo Scriptura demonstrat.

1 *Matth.* XXIV, 48. — 2 *Trucul.* ut olim animadvertimus, in notis ad Synesii Dionem. — 3 *Gen.* XXXXVI, 26; *Exod.* XXXXV; *Jud.* VIII, 30. — 4 Vide I *Reg.* cap. VIII et X. — 5 II *Regum* II, IV et V.

Quatenus unanimis consensus Patrum ratio habenda sit.

XV. Ad extremum illud objicit eruditus theologus videri opinionem nostram contrariam esse *communi sanctorum Patrum sensui*, qui in Herode alienigena oraculi illius fidem impletam esse voluerunt; quod ex nostra ratione annis postea circiter quadraginta in templi, et Urbis excidio accidit. Verum paulo ante monuimus, idem de vaticinio isto Jacobi affirmari posse, quod universe de omnibus iidem illi Patres, ac docti interpretes Scripturæ theologique demonstrant, non uno tempore, nedum puncto temporis illa suum exitum habere; sed paulatim, atque haud brevi nonnunquam intervallo quod prædicitur expleri. Id adeo in quod nunc agitur oraculo evenisse dicimus: et antequam funditus collaberetur, everteretur que Judaici populi, et imperii status, sensim attenuatum, ac debilitatum fuisse: idque ab Herode potissimum cœptum, qui per vim, ac tyrannidem partum dominatum eadem impotentia deinceps tenuit, et exercuit. Ita censet Augustinus Torniellus celebris *Annalium* scriptor [1]: qui tantum abest, ut in Herode desiisse prophetiam illam existimet, ut hunc ipsum de Judæ stirpe oriundum ex Nicolai Damasceni commento non dubitarit asserere.

Cujus opinionis novitatem, et cum communi Patrum auctoritate dissensionem, ita purgat, ut neget in iis, quæ ad historiam, et minuta, leviaque ista rerum genera spectant, illorum quemquam judicio constringi [2], Sed in iis gravioribus tantummodo quæstionibus, et quæ ad fidem pertinent; quod prudenter Vincentius Lirinensis admonuit ita scribens [3]: « Quæ tamen antiqua sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis: sed solum certe præcipue in fidei regula, magno nobis studio et investiganda est et sequenda. »

Innumera sunt rei hujus exempla; quorum aliqua Torniellus affert: in quibus ab communi fere auctoritate Patrum impune disceditur. Quam multi veterum Zachariam Joannis Baptistæ patrem summum Judæorum Pontificem fuisse perhibent? Quis hoc hodie tueri sine risu ac ludibrio omnium possit? Ergo in hujusmodi quæstionibus, quæ *ad fidei regulam* non pertinent, ut Vincentius Lirinensis ait, libera debent ingenio et industriæ hominum disputandi spatia permitti: nec angustis arctari finibus: quos nulla circumscribi majoris probabilitatis, nedum necessariæ convictionis coegerit ratio. Quanquam non id nobis assumimus in interpretatione nostra: quæ se cautione illa; quam adduximus facile defendit, dum prophetias ait non uniusmodi termino, et exitu definiri: sed inchoatas habere desitiones, et ad ultimum longioribus interdum progressionibus adduci. Quanto autem cæteris ejusdem loci explicationibus antecellat, ac quemadmodum earum et incommoda devitet, et amplectatur commoda; in sequenti capite declarabitur.

CAPUT VII.

Jacobæi vaticinii variæ interpretationes expensæ. 1. *Duo illarum fastigia.* 2. *Non cohærere, quæ de Machabæis finguntur ex Judæ tribu originem ducentibus; maternam stirpem pro nulla apud Hebræos habitam.* 3. *Refellitur altera eorum opinio, qui Judæ nomine totum populum intelligunt.* 4. *Adversus Judæos usus oraculi illius roboratur; antiquorum ex illa gente consensus de Messiæ adventu ibi significato; de voce* Siloh. 5. *Confutantur Judæorum commenta super loci illius expositione.* 6. *Insignis de re eadem* ἐπίστασις.

Duæ de Jacobæo vaticinio sententiæ.

Insignis a Jacobo editi vaticinii interpretationes variæ, quæ ex Patrum, et eruditorum virorum sententia proferuntur; ad duo præcipua capita revocantur, ut in antecedenti capite demonstravimus*. Quorum prius illorum rationes complectitur, qui Judæ vocabulo unam e duodecim propriam illius, et cognominem significari tribum putant. Ac qui opinionem hanc hucusque sunt amplexi, in id conspirasse fere omnes omnes illos animadvertimus, ut ex Jacobi mente, nunquam de Judæ posteris defuturus aliquis dicatur, qui toti præsit Hebræorum populo, donec promissus olim salutaris Messias advenit. Alterum ad caput referendi sunt, qui non sin-

* Insignem de Jacobæo Vaticinio R. P. Turneminii Dissertationem dabo in appendice, ut nihil quod ad celeberrimum hoc vaticinium spectat, Lectores desiderent. Z.

1 Turn. *ad ann.* 4018 et 4032. — 2 Id. *ad ann.* 4018, § 9. — 1 Cap. xxxix.

gulari e Judæ tribu, ac stirpe sceptrum ac dominatum destinari volunt in populum universum : sed ex tota ipsa gente, ac tribubus omnibus exstituros semper aliquos, qui Hebræorum præsint populo, donec Christus oriatur. In utraque porro hac expositione, ut ab auctoribus suis hactenus est tradita, quædam insunt explicatu difficillima : de quibus paucis agere oportet; uti tanto magis nostra probetur, quæ ab aliarum angustiis incredibili se facilitate defendit.

Difficultates primæ sententiæ.

Ac priori quidem, quam doctus theologus ascivit, jure illud opponitur, non videri Jacobi verbis ad eam , quam affert, sententiam accommodatis respondisse prædictionis eventum. Non enim e tribu Judæ rex, aut princeps aliquis ad ortum usque Messiæ rei Judaicæ præfuit, nisi paucissimis annis; maxime intervallo eo, quod a Sedecia, et Babylonica deportatione ad Christum intercessit, annorum ferme 588. Atqui si ullo tempore alio, certe illo potissimum, quod in Messiam proxime desinebat, explicari fides oraculi debuit, si eo, qui illis placuit, sensu caperetur.

II. Respondent id, quod et doctus theologus affirmat, illo temporis spatio præfuisse quidem Hasamonæos sacerdotalis ordinis : sed eosdem uti paterna stirpe Levitici erant generis, sic maternam originem de Judæ tribu traxisse. Sed hæc ratio multis modis refellitur. Primum enim qui tandem hoc probare possunt, Machabæos ad Judæ tribum materno stemmate pertinere? Nullum prorsus argumentum habent commenti illius, et effugii. Itaque Tuscum hic litigium faciunt, et *litem lite resolvunt*. Præterea, ut hoc gratis detur, quod demonstrare non possunt : in promptu est, maternum genus pro nullo habitum inter Hebræos, ut in eorum commentariis legitur; quare non posse de tribu esse Judæ dici Machabæos in eum finem, ut ad eos regni jus proprie spectaret : quod ad oraculi exitum necesse fuit. Nam quod gratis perinde negari a nobis, ut ab ipso gratis asseritur, objicit vir eruditus, nihil ad rem facit. Est enim illius, qui sententiam suam probare instituit, ex certis, vel confessis argumenta capere; et ad assensum cogere adversarium : non ab eodem negante rationem cur neget reposcere.

Nihilo quoque probabilior illius est causa, dum adversus hoc, quod ab Hebræis attulimus, maternum in tribu, ac stirpe censenda genus pro nullo computari, objicit Christum solo materno genere tribum Judæ contingere. Hoc enim inusitati, et extraordinarii est exempli : quod ad ordinariam legem, et institutum trahi non debet. Ut si dicenti cuipiam, neminem mortalium nisi ex utroque parente nasci, Adamum ex neutro, vel Christum ex matre sola prognatum opponeret : itemque pronuntianti alicui, *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, obstreperet sic : Imo Christum ex muliere natum multum Joanni præstitisse. Quocirca non satis expediunt se, qui Jacobi vaticinium ex illo commento explicare conantur, ut recte Eusebius, et ex eo Perrerius, aliique pereruditi Interpretes affirmant.

Difficultates secundæ.

III. Sed nec isti commodius extricant se propriis e salebris, nec liquidi aliquid planique conficiunt. Judam illi volunt pro toto Hebræorum populo accipi. Atqui de Judæ tribu ibi Patriarcha loquebatur, non de tribubus universis : et peculiare aliquid expromebat, quod soli isti tribui conveniret, non quod haberet illa commune cum reliquis. Quid quod illi ipsi, quibus totam *Judæ* nomine comprehendi Jacobi progeniem placet, in alteram sententiam aliud agentes, sensimque coacti deferuntur? Eusebius certe in probanda interpretatione sua, de principibus, et præfectis ex tota gente præpositis, ea commemorat, quæ ad priorem sententiam attinent; tribus Judæ prærogativam, ac principatum jam tum ab Mosis cœptum tempore, ac perpetuo deinde propagatum. Perrerius quoque, qui de tribu Juda locutum esse Jacobum dixerat[1], « nonnisi secundum congruam quamdam applicationem, sive, ut in scholis loquuntur, appropriationem : » paulo post eo delapsus est[2], ut ita scriberet; licet ii, « qui sceptrum, et principatum tenuerunt post reditum ex captivitate Babylonica, pontifices fuerint de tribu Levi, ipsum tamen sceptrum, et imperium fuisse in tribu, et ex tribu Juda; » quod eo modo declarat, quem superiori exposuimus capite : videlicet, quod abductis reliquis tribubus, sola Judæ tribus imperio, ac sceptro potita sit. Ita priorem in sententiam, ac nostram adeo relabitur.

Expedita auctoris sententia.

Quæ quidem, uti a nobis est explicata, omni illa difficultate caret, ac molestia, qua necesse est laborare cæteras; quæ non ad rerum finem rationes suas, sed ad has potius

1 Perr. in cap. XLIX *Gen.* paragr. 92. — 2 Ibid. paragr. 102.

res ipsas trahere, et invitas accommodare conantur.

IV. Revertamur nunc ad Judæos ipsos, contra quos Jacobæo illo vaticinio Christianam causam armare instituimus. Ad id vero nihil interest utram ambarum, quas proposui, interpretationem adhibeas. Nam utrinque convicta, et constricta tenetur pervicacia illorum, et amentia. Principio negare illud jure non possunt, de Christo, ac Messia illic Jacobum esse locutum. Etenim Paraphrastes Chaldaicus Onkelos, qui cum Hebraicis Bibliis editus est, de Messia locum hunc interpretatur his verbis; « Non auferetur, qui facit potestatem de domo Judæ et scriba de filiis filiorum ejus usque in sæculum, donec veniat Messias, cujus est regnum; et ei obedient populi. » De Onkelos testis est R. Selomoh, et Elias Levites in libro *Methurgeman*. Idem legitur et in *Thargum Hierosolymitano*, quod editum est in calce Bibliorum Basileensium : necnon apud Paraphrastem Jonathanem Uzielis filium.

Explicatur vox *Schiloh*.

Quibus suffragatur et David Kimhius in libro *Radicum :* aliique veteres illius gentis magistri. Iidem porro omnes Hebræam dictionem שילה *Schiloh*, nomen esse *Messiæ* peculiare testantur : et varias istius vocis origines afferunt : de quibus Hebræorum commentarii, ac Scripturæ interpretes legi possunt, David Kimhius[1], quem inter alias significationes de Messia exposuisse diximus, Aben Hezra, et R. Selomoh, qui itidem Messiam intelligit. Atque hi posteriores duo nomen illud deducunt a של--לו, hoc est *cui*; quod Septuaginta secuti videntur. Verterunt enim τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *quæ reposita sunt ei*. Alii ᾧ ἀπόκειται *cui repositum est*. Ita quod in Hebræo compendiose scriptum erat commode suppleverunt. Latinus noster, *qui mittendus est*, reddidit, videtur legisse השלוח id est *missus*. Is est ὁ ἀπόστολος, vel שלום, aut simile quippiam.

Ex utrali harum sententiarum æque revincuntur Judæi.

Sed non est hoc loco necesse pluribus ejus vocabuli notionem persequi. Quod enim satis est ad institutum nostrum, abunde constat, ex auctoritate veterum Hebræorum, prædictionem illam Jacobi ad *Messiam* pertinere; et hunc illius esse sensum : Penes Judam, id est, vel tribum ab Juda propagatam, nominatamque, vel Judaicum populum, mansurum esse sceptrum : hoc est potestatem, et imperium, usque ad Messiæ adventum. Cum igitur jampridem abolitum, extinctumque sit illud imperium, illa potestas, ille vel unius ex ista tribu, vel totius tribus, populique dominatus, ac prærogativa : imo vero cum nusquam Judaici populi, tribusve communitas, aut civilis gubernatio; aut ejus nominis civitas illa supersit : sed huc illucque dispersa sit, ac toto orbe dissipata infelix ista natio; quis non vaticinio illi pridem clausulam suam appositam esse fateatur? quis non tempus illud agnoscat, quod ab Osee prædictum designatumque sic est[2], *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim ?*

Judæorum effugia præcluduntur.

V. Multa Judæi ex adverso pro se ad eludendam vim oraculi istius excogitarunt : atque hoc potissimum, quod in tractatu Talmudico *Sanhedrin Gemara* traditur[3] : et ad illum *Geneseos* locum R. Selomoh proponit : qui sic illud exponit : Ex quo David principatum ceperit, non desituros ex tribu Judæ præfectos populi; et hodieque Babylone esse principes captivitatum, Græce αἰχμαλωτάρχας, quos vocat ראשי גליות, qui populo præsunt ex regis voluntate. At hoc effugium, splendidum est, putidumque mendacium : cujus in auctores aptissime convenit, quod ait Æschines orator : « Vanos homines, cum aliquid mentiuntur, quædam minime definita, et obscura loqui, ne redargui possint[a] » cui consonat Hebræorum illud proverbium : « Qui vult mentiri procul faciat testes suos[b]. » Quis fando unquam audiit Judæorum esse civitatem aliquam, aut rempublicam sui juris, ac potestatis? quis Judæorum exstat hodie princeps, qui vitæ, necisque potestatem in suos exerceat; qui leges condere possit, et qui pacis, aut belli jus habeat; qui alia denique gerat, et administret, quæ sunt regni, vel civilis propria regiminis? Ubicumque terrarum Judæi habitant, principibus parent, ac serviunt, quorum in ditione degunt, nec supplicio quemquam e suis afficere, nec jus aliunde petere; quam ab publicis magistratibus possunt; non suo, sed eorum apud quos turmatim incolunt, arbitrio constitutis. Quod

a Æschin. Οἱ ἀλαζόνες, ὅταν τι ψεύδονται, ἀόριστα, καὶ ἀσαφῆ πειρῶνται λέγειν, φοβούμενοι τὸν ἔλεγχον.

b Rab. רוצהלשקר ירחיק עדיו.

1 Vide Fagium in con. ad Thar. Onk. — 2 *Osee* III, 4. — 3 *Gem.* tom. I *Talm.* sol. v.

si quid jurisdictionis ex moribus, institutisque majorum in contractibus, aut ritibus suis exercent, id nonnisi precario, et earum, quibus serviunt, nationum indulgentia, vel principum obtinent. Adde tribuum inter illos incertum, vel nullum potius esse discrimen. Adde, quod antecedente capite diximus, in illis Patriarchæ Jacobi verbis; sceptrum, et potestatem, quæ sub adventum Messiæ auferenda dicitur, ac Judaicæ tribus propriam sedem, ac promissam assignatamque regionem tacite referri : ut nunquam defore prædicat tribus illius imperium, donec Messias advenerit.

VI. Longe absurdiora, ineptioraque sunt, quæ Aben Hezra, aliique magistri commenti sunt: quæ apud Tostatum, aliosque legi possunt; quibus id curæ fuit, Judæorum ineptias, et aniles nugas uberiori disputatione refellere. Reliqua illius oraculi verba : *Et in eum gentes sperabunt :* paulo post excutienda venient. Unum ad ea, quæ dicta sunt, quod pene præterierat, addam postremo. Cum Jacobus in illis verbis, (quæ de adventu Messiæ summi illius, et exquisiti, quem expectat Judaica gens, potior, ac sanior pars Hebræorum interpretatur) certum aliquod, ac determinatum fortunati illius temporis signum vellet edere : ex quo posteri sui facile illud agnoscerent; non fuisse consilii, obscurum nescio quem, et incertum æchmalotarcharum (si ulli tamen forent) designare principatum; cujus ex defectu tanti momenti res dignosci, dijudicarique deberet; quod idem et de totius Judæ tribus prærogativa dici potest, quam idem Hebræorum doctores afferunt. Hæc enim ab aliis discerni neque potest hoc tempore : et multo minus illo poterit, quo venturum esse Judæi Messiam falso sibi pollicentur. Itaque non solum commentitia; sed etiam inania sunt, et ad rem minime pertinentia, quæ ad detorquendam Jacobæi vaticinii sententiam Judæi fabulantur*.

CAPUT VIII.

De Septuaginta Danielis hebdomadibus. 2. Earum tempus summatim exponitur. 3. Hebræorum de illis opiniones. 4. Refelluntur, et contra illos ostenditur jam advenisse Christum. 5. Eorumdem commenta diluuntur.

Luculentissimum Danielis vaticinium.

I. Luculentissimum Prophetæ Danielis semper habitum est a Christianis vaticinium illud, quod in ejus prophetiæ capite nono continetur. Nam Messiæ cædem, ejusque tempus, et Judaicæ religionis occasum, et urbis, quæ arx erat illius, ac sanctuarii demolitionem : tum perpetuum sacrificiorum, ac cæremoniarum, quæ illic ex legis Mosaicæ præscripto celebrabantur, interitum accuratisssime describit : ac denique nunquam instauranda hæc amplius, sed ad mundi finem usque in sempiterna vastitate, ac ruina mansura esse prædicit. Magnum igitur in illo contra perfidos, et contumaces Judæos Christianæ religioni præsidium providentia divina constituit. Non enim, si frontem haberent, quam mentiendi assiduitate detriverunt, negare auderent, jampridem fatale illud annorum finitum esse spatium, quod Messiæ neci, et videlicet adventui, præfinivit Angelus. Sed adeo hebes, et plumbea est ista gens et in communis hominum sensus, ac judicii obdurata contemptum, ut quibus veritate ac ratione resistere nequeunt, horum fatigare patientiam intolerabili commentorum stoliditate conentur.

Ad hos itaque convincendos advocandum illud est celeberrimum Danielis oraculum; ac septuaginta hebdomadarum evolvenda series; quod equidem diligenter hoc loco facerem, nisi jam alio in libro de hac re plene ac copiose disputassem. Liber est iste duodecimus ingentis operis, quod *de Doctrina temporum* ante quatuor et viginti annos edidimus[1]. In quo totam hanc de hebdomadibus illis controversiam capitibus aliquot exposuimus; quatenus inter Christianos de illarum initio, ac fine contenditur. Nunc autem que-

* Vide in fine præsentis libri, appendicem in qua nova declaratur Jacobæi vaticinii expositio, quam minimis difficultatibus intricata et impedita. J. B. F.

1 A cap. XXIX, ad XXXIV.

madmodum adversus Judæos inde duci ac tractari argumentatio possit, quod illic omisimus, explicandum superest. Sed ante quæ ibidem probata nobis est illarum et exposita ratio summatim colligenda videtur.

Unde petendum initium septuaginta Danielis hebdomadarum.

II. Septuaginta annorum hebdomadas (non enim aliæ possunt intelligi) Danielis nono capite[2] definitas esse docet Angelus *ab exitu sermonis*, *ut iterum ædificetur Hierusalem*, *usque ad Christum ducem*[1]. Eamdem mox hebdomadum summam bifariam dividit in septem, et sexaginta duas, et unam : cujusmodi partitio nonnunquam fit in sacris litteris; velut apud Ezechielem viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli minam unam facere dicuntur[2]. Sunt autem hebdomades septuaginta, anni quadringenti nonaginta. Horum initium procedit ab eo anno, quo decretum de instauranda urbe Hierosolymitana exitum habuit, quod Neemiæ rogatu impetratum est ab Artaxerxe Longimano Xerxis filio, anno, qui regni illius putatur vicesimus[3], nempe a primo illius initio, quo a patre in regni consortium est ascitus, cum ad acceptam in Græcia cladem, et ignominiam ulciscendam bellum de integro moliretur, ut in calce libri secundi Justinus historicus affirmat. Tum enim verisimile est, ex Persarum consuetudine, successorem sibi nominasse, et in regni societatem recepisse filium Artaxerxem; ut in decimo *de Doctrina temporum*[4], capite XXV probabilibus argumentis eruimus. Id autem anno primo exeunte, vel ineunte secundo Olympiadis 76 accidisse videtur, qui est ante Christianam æram 474, anno Xerxis post Darii patris obitum decimo.

Ab hoc anno computandus est annus Artaxerxis vicesimus, qui idem est decimus post Xerxis necem : a quo septuaginta hebdomadas auspicatus est Angelus. Numeratis annis 490 ab anno ante Christum 455 quo initium hebdomadum ponimus; qui est periodi Julianæ 4259, in quam cadit Artaxerxis decimus post parentis obitum, et a priore exordio vicesimus; desinunt hebdomades in annum æræ Christianæ 35 vel 36. Ergo hebdomadis septuagesimæ anno tertio Christus occisus est; quod commodissime incidit, et in verba illa Danielis aptissime quadrat, quæ post hebdomadas septem, et sexaginta duas, hoc est finita undeseptuaginta, occidendum dicunt esse Christum : nempe μεσαζούσης, id est labente septuagesima : qua ultima Hebdomade continentur Christi Domini prædicatio, et eam secuta mors; quod his verbis Angelus significat; *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*. Sed hæc pluribus explanata sunt in duodecimo illo libro *de Doctrina Temporum;* ubi Danielis verba particulatim enarravimus. Quare prætermissis iis, ad Judæos disputationem vertemus.

Refelluntur Judæorum commenta.

III. Ex omnibus Hebræorum magistrorum opinionibus recepta maxime, tralatitiaque est illa, quæ annos 490 hebdomadum septuaginta templi utriusque clade circumscribunt : ut inter excidium urbis, ac templi, quod Nabuchodonosoro regnante Babyloniis, Sedecia Hierosolymis, contigit, et alterum sub Tito Vespasiani filio, et hujus anno secundo, anni illi omnes explicentur. Sic Hebræorum Chronicum majus, quod *seder holam rabba* vocant; et quod majoris apud illos auctoritatis est, Talmudicus tractatus[5], qui *havodahzara*, hoc est *de cultu idolorum* inscribitur, ex R. Jose, ubi templum secundum durasse volunt annis 420, quibus additi anni 70, quot videlicet in ruinis suis templum prius jacuit, conficiunt annos 490. Cui et R. Selomoh subscribit; et ante hunc R. Saadias cognomento Gaon, id est, *magnificus :* qui Christum, ad quem hebdomadas septem ex ejus opinione numerat Propheta, cum sic ait; *usque ad Christum ducem*, *hebdomades septem*; Cyrum existimat fuisse. Ita enim septuaginta annos desolationis templi prioris ad hunc usque digerit : reliquos a Cyro ad secundi templi excidium, 420.

R. Abraam Aben Hezra, confutata R. Saadiæ opinione, hebdomadas non ab eversis ab Nabuchodonosoro Hierosolymis : sed a Cyri primordio numerandas esse contendit; Christum vero priorem, ad quem hebdomadas septem putari ab Angelo credit, Neemiam interpretatur : finem denique hebdomadici totius intervalli constituit in excidio secundi templi; tum quod scriptum est apud Danielem : *Et post hebdomadas* occidetur Christus*, Id exponit sic ; *ut nullus deinde rex sit futurus*. in quo cum R. Selomoh convenit, qui in Agrippa rege desinere ait hebdomadas : quem et obsessis a Tito Hierosolymis occisum existimat.

*Sexaginta duas.

IV. Hæ sunt primariorum Judæorum sen-

1 *Dan.* IX 24 et 25. — 2 *Ezech.* XXXXV, 12. — 3 *Neemiæ* II, 1. — 4 Vide et Ration. par. II, lib. III, cap. X. — 5 Tom. IV *Talm.* in *Avodazara* cap. I, sol. 9.

tentiæ de initio ac fine suptuaginta Danielis hebdomadarum. In quibus refellendis non abutar otio; sunt enim inepte admodum imperiteque descriptæ. Hoc unum, in quo consentiunt omnes, ab illis accipiam, illarum clausulam esse secundi templi vastationem: quod ad eos convincendos apprime sufficit. Nam inde perspicuum est jamdudum evolutas hebdomadas esse: adeoque quod iis expletis fore prædixit Angelus, omnino esse perfectum: hoc est ante annos mille quingentos, et octoginta. Hoc enim certissime constat, Vespasiano secundum, et Tito coss. expugnata, et incensa cum templo esse Hierosolyma: qui secundus fuit annus imperii Vespasiani, ut testatur Josephus[1]: et nos firmissimis argumentis libro undecimo *de Doctrina Temporum*, capite XVII demonstravimus. Est autem prædictum, hebdomadas illas septuaginta in eum finem decretas, ac definitas esse, ut iis elapsis *consummetur prævaricatio*: hoc est peccato finis ac modus adhibeatur: et adducatur justitia sempiterna: nec non ut prophetiæ desinant: ac denique ut sub illarum exitum Christus ungatur: hoc est missus adveniat; et in ultima occidatur: ac postremo ut abolito jugi sacrificio legis veteris, urbem templumque teneat sempiterna vastitas, et desolatio. Quæ omnia post intervallum illud annorum 490 evenire oportuit: ut revera factum cernimus. Hebræi licet in postremis istis de consummatione, ac desolatione a Græcis, Latinisque dissentire videntur, in eumdem tamen sensum recidunt, ut in duodecimo *de Doctrina Temporum*, capite XXXV demonstravimus.

Huic reclamant Judæorum aliqui, imprimisque R. Salomon: qui negat hebdomadas illas in eum finem præstitutas esse, ut iis elapsis expientur peccata, et justitia succedat: atque ut Messias statim adveniat: sed ut iis finitis, templi, et urbis sequatur vastatio, et Judaici populi captivitas: qua fiat, ut peccare desinat, deque prioribus peccatis eum pœniteat: et alia nonnulla, quæ idem R. Salomon his annectit: quæque a Paulo Burgensi, et Hieronymo a sancta fide in libro secundo *contra Judæos* diluuntur. Nos adversus hoc effugium paucis ita disputamus: Cum Daniel populi sui liberationem, ac tot calamitatum exitum supplex a Deo postulasset, absurdissimum esse Gabrielem ad eum consolandum a Deo missum ea nuntiasse illi, quæ summum ipsi mœrorem erant allatura. Non enim libertatem, ac pacem, tranquillitatemque fore significasset ex illo commento R. Salomonis: sed majorem, ac diuturniorem vexationem, et captivitatem, cujus nullum ostenderet exitum. Neque vero post illas hebdomadas sanctiores sunt, quam dudum. Etenim veneficiis, auguriis, et superstitionibus mire sunt dediti: ut affirmat idem ille Hieronymus a sancta fide, ex ea gente conversus ad Christum.

Quod si meliores, ac justiores ob id ipsum illos esse contendat aliquis, quod ab idolorum cultu, ac superstitione, in quam olim effusi erant, funditus abhorrent: hoc ipso vehementius comprimentur. Etenim antequam hebdomades illæ completæ essent, quoties in idololatriam prolapsi fuerant, subinde gentibus in captivitatem, ac servitutem tradebantur a Deo.

Sed nunquam sic oppressi, ac destituti fuerunt, ut simul atque ad se rediissent, et ad Deum conversi veniam rogassent, non paulo post in libertatem patriamque revocarentur. Quare cum nullum gravius sit idololatria scelus, qui convenit, Deum, a quo resipiscentibus ab immanissimo omnium peccato Judæis nunquam non repræsentata venia est, et gratia, tanto leviorum criminum reis, ac veniam, et misericordiam assidue implorantibus inexorabilem præbere se; nec diuturnæ calamitati modum aliquem adhibere: sed tot jam sæculis pessimo in statu, miserrimaque conditione versari sinere?

VI. Reliquæ partes interpretationis Rabbinicæ pari inscitia, et falsitate sunt refertæ; velut cum *Christum ducem*, ad quem hebdomades septuaginta pertinent, Agrippam esse volunt, et alterum ac priorem, Neemiam aut Cyrum; quæ ab illis quos nominavi scriptoribus validissime refutantur: nec omnino cum historia congruunt. Frustra quoque verba illa Danielis, quibus ait septuaginta hebdomadas decisas esse, *ut consummetur iniquitas*, ita pervertunt, quasi sit iste sensus, ut desistant a peccatis suis, et eo modo mereantur ut Deus illorum abstergat iniquitatem. Non enim consentaneum est, Angelum velle illas hebdomadas ita definitas esse, ut iis confectis, illud ipsum, quod promittitur, nonnisi in spe, et expectatione sit, ac merito aliquo sit obtinendum: sed ut statim præstetur. Alioqui falso diceret, determinatum, ac præ-

1 Jos. lib. VII *de Excid.* cap. XXXIX.

finitum fuisse illud intervallum annorum ad consummandum peccatum, si post idem spatium non consummanda esset iniquitas; sed meritis esset ejus acquirenda consummatio.

CAPUT IX.

1. *Adversum Judæos demonstratur, Mosaicum cultum, ac cæremonias antiquæ legis non in eum finem datas esse, ut in perpetuum valerent : tum gentes Messiæ tempore verum Deum agnituras.* 3. *Malachiæ locus expenditur.* 4. *Rabbinorum de eo sententiæ.* 5. *Refelluntur.* 6. *Locus e Psalmo secundo eodem pertinens illustratur. Judæorum fraus.* 7. *Tum alius e Psalmo* XXII. 8. *Michææ prophetia de Christo.* 9. *Et Isaiæ.*

I. Ne diutius vaticiniorum duorum, quæ totidem capitibus exposita sunt, singularis adversus Judæos usus differatur; cum illis quædam alia contendenda sunt; ut ex omnium conglobatione duo ista colligantur : alterum, Judaicæ religionis, ac legis antiquæ cultum abrogandum fuisse : alterum, hoc ipsum adveniente Messia, uti prædictum erat, accidisse.

Primum igitur hoc Scripturarum auctoritate comprobandum est, veterem legem non ut in perpetuum valeret a Mose traditam fuisse; sed ut aliquando desineret, eique præstantior altera succederet : ac tum gentes idolis relictis ad illum, quem Israeliticus populus adorabat, Deum, ejusque cultum accessuras esse : Judæos vero pristinis exactos sedibus, huc illucque dispergendos esse, nec ulla amplius civili communitate censendos; hæc, inquam, omnia de Israelis posteris in Testamenti veteris libris esse prædicta, testimoniis illis ostendemus, quæ et ab antiquis Patribus ad illorum convincendam cæcitatem afferri solita sunt; et præ cæteris manifesta sunt, et invicta.

Lex vetus abroganda, novaque substituenda.

Quod Mosaicum cultum veterisque cæremonias legis neutiquam in perpetuum manere oportuit, Cyprianus in libro primo *Testimoniorum* capite XI, ex Hieremia probat : cujus hæc verba sint. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus*[1] *: et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum : non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*, etc. Ex quibus verbis ita concludit Augustinus[2] : « Aperte promissum est Testamentum novum, non secundum Testamentum, quod factum est ad populum, quando eductus est de Ægypto. Cum ergo in illo Testamento præcepta sint ista, quæ nos ad novum pertinentes observare non cogimur, cur non Judæi se potius in vetustate supervacua remansisse non cognoscunt, quam nobis nova promissa tenentibus, quod vetera non observemus objiciunt ? »

II. Dominus ecce per Prophetam veteris pacti mutationem, et alterius, novique substitutionem aperte pollicetur. Non igitur perenne debuit esse pactum prius : sed sub institutionem posterioris antiquari.

Refelluntur Judæorum sententiæ.

R. David Kimhius ad illum Hieremiæ locum adnotat, non aliam legem denuntiare Prophetam, quam Mosaicam : sed hujus duntaxat obsignationem in cordibus Judæorum; ut eam non violent amplius. Cujus dicti sui testem citat Malachiam ultimum Prophetarum, qui velut sigillum Prophetis addidit : et in calce prophetiæ suæ veterem legem commendavit his verbis[3], *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta, et judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.* Ex quo argumentatur Kimhius, nullam aliam legem expectandam esse, præter Mosaicam; quod vero Hieremias *novum pactum* nominat, legem non esse diversam; sed prioris commendationem.

Sed hoc inane esse perfugium ex eodem Malachia vincimus; qui in primo capite testificatur, Judaica esse sacra olim abroganda : et in meliora mutanda : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum*, ait, *et munus non suscipiam de manu vestra.* (Hebraice מנחה, quæ vox sacrificium significat) Tum vero quando ista contingent, alterum ubique terrarum sacrificium, et ab ipsis etiam gentibus, offerendum esse prædicit. Non igitur veteris instaurationem pacti; sed hujus abro

1 *Jerem.* XXXI, 31. — 2 Orat. *cont. Jud.* — 3 *Mal.* IV, 4.

gationem, et novi institutionem uterque Propheta denuntiat.

Ac futile est quod David Kimhius de Malachia observat, qui cum Prophetarum clausula sit, legem Mosaicam revocare jubet in memoriam. Non enim postrema illa prophetiæ ipsius ad idem tempus referri debent, ad quod alter capitis primi locus pertinet. Imo disjuncta illorum esse tempora satis ex eo constat, quod in primo capite, sacrificia, et reliquas adeo legis antiquæ cæremonias olim minime sibi placituras, hoc est mutandas, et amovendas esse dicit : in illis vero quarti capitis verbis, ejusdem illius legis memores ut sint hortatur. Nimirum, quod ita veterem legem abolendam esse, vel commutandam admonet, ut hanc nihilominus, quamdiu manet, ac suum tempus implet, observari jubeat.

Exponitur præclarum Malachiæ vaticinium.

III. Verum Malachiæ ille locus diligenter accurateque a nobis explicandus est; nam nullus aptior eo est ad Judaicam pervicaciam refrenandam : nullus ab antiquis Patribus sæpius ad id usurpatus : ut ab Justino martyre in dialogo *cum Tryphone*, Tertulliano libro IV, capite XXXII, Cypriano in libro primo *Testimoniorum contra Judæos* capite XVI, Chrysostomo oratione secunda *contra Judæos*, Augustino in oratione prima contra eosdem, aliisque compluribus. Sed Malachiæ reliqua hic adscribenda sunt : quæ mox subjicit prioribus, quibus animum se ad Judæorum sacra non habere testatur Deus : et cur ita sit affectus rationem ita reddit : *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomine meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Perspicuum est, ut observat Chrysostomus, et Augustinus, diversum sacrificii genus ad Judaico ibi Malachiam ostendere; quod non uni affixum loco, uti prius, futurum sit : sed terrarum ubique celebrandum. Cum igitur posterius hoc substitutum fuerit, prius aboleatur necesse est : quod ab eo tum *aversa Dei mens* futura sit, ut Propheta testatur. Ac qualiscumque tandem illa sit ab gentibus oblatio repræsentanda ; de qua ex communi Patrum sententia libro duodecimo supra disseruimus [1]; eam cum successerit, antiquandam esse Mosaicam, ille locus ostendit.

Refelluntur ineptæ Rabbinorum expositiones.

IV. Quam sit evidens, et ad Judaicam frangendam audaciam idoneum illud Malachiæ testimonium, vel hinc argumentari licet, quod ad vim illius declinandam, quia verisimile nihil excogitare poterant, multa dissentanea, et absurda commenti sunt Hebræorum magistri. Imprimis R. Salomon Jarchi in commentario ad Malachiam, ex majorum suorum sententia sic exponit : *Magnum esse nomen suum in gentibus.* Dominum idcirco dicere, quod etsi gentes Deos adorent plurimos, sciunt tamen, ac profitentur unum esse summum, qui omnibus præsit, et antecellat : qui quidem Israelitarum est Deus; quo pertinet vetus illud Clarii Apollinis responsum.

« Cogita omnium supremum Deum esse Jao [a]. »

Nam Ἰαὼ est יהוה Deus Hebræorum.

Eadem interpretatio David Kimhio placuit: nempe quod licet gentes militiam cœli, hoc est sidera, tanquam Deos venerentur, unum tamen supremum numen adorant, et appellant *Deum deorum*, quod est Israelitici Dei proprium. Rursus aliter explicat : quod si illis imperassem, uti munus mihi aliquod, et sacrificium offerrent, purum illud, et exquisitum deligerent : non ut vos facitis o Judæi : qui despectas hostias, et mutilas, ac languidas offertis : quod paulo ante populo suo exprobaverat. Hæc posterior expositio auctorem etiam habet Aben Hezra; qui mox alteram illam, quam primo loco posuit David Kimhius, ab excellenti quodam Magistro sibi traditam præ cæteris amplectitur : ut Deus honorem illum, quem ab gentibus supremum Deum honorifice appellantibus capit, instar habere se dicat *oblationis mundæ*, et gratissimæ. Denique R. Salomon aliam subjicit enarrationem ejusdem loci. Ait enim, Deum affirmare sibi jucundissimas esse Judæorum, qui inter gentes habitant, preces, ac laudes, quibus numen suum venerantur, licet nullum sacrificium, victimam nullam offerant.

V. Hæ sunt præcipuæ Magistrorum opiniones de illius vaticinii sensu : sed alienæ omnes, et ineptæ. Maxime prima omnium, quæ est R. Salomonis, et Aben Hezræ valde placuit. Etenim stultissimum est, imo impium, affirmare gentiles, eo quod summum

a Apud Macrob. I *Sat.* cap. XVIII. Φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαὼ.

1 Cap. XII, paragr. 12 et seq.

Deum una cum idolis suis, ac minoribus diis venerantur, unum ullum ac supremum demereri Deum : et hunc illorum profanum utique cultum appellare *mundam oblationem:* cum primo legis divinæ mandato penitus adversetur ; in quo Deus *zeloten* se esse professus, vetat *deos alienos haberi coram se*, nec non adorari, colique sculptilia, et effigies rerum omnium, quæ in cœlo sunt, hoc est siderum, ac rerum deinde cæterarum.

Aliæ porro ex ipso contextu sermonis, et Prophetæ scopo refelluntur : qui duo illa comparat inter se religiosi cultus, oblationisque genera : unum quo Israelitæ Deum colebant; alterum, quod gentes ejusdem in Dei cultum, et obsequium præstabunt ; non alio profecto tempore, quam quo illius notitiam perceperint; cujus nonnisi Messiæ adventu, ac beneficio compotes fore per universum orbem nationes omnes, Scripturæ sacræ testantur ; uti paulo post ostendam. Quocirca frigida sunt inventa omnia Rabbinorum, et interpretamenta, quæ ad eludendam divini verbi auctoritatem Prophetico illi affingunt oraculo.

Gentes, post adventum Messiæ, ad veri Dei cultum convertendas nuntiant prophetæ.

VI. Rursus post adventum Messiæ, ejusque beneficio, gentes aliquando, relictis idolis, ad verum Deum, quem Israelitæ colebant, receptum habituras, seque illius ad cultum applicaturas, innumera Scripturæ loca prædicant ; ex quibus pauca seligam. Primum in libro *Psalmorum* sæpe illud Propheta demonstrat ; velut in *Psalmo* secundo, et vicesimo primo ; nec non septuagesimo primo.

Locus *Psalmi* secundi illustratur necnon et XXI, et LXXI

In priore de tribus Deus Christum suum alloquitur, ac gentes ejus potestati subjiciendas pollicetur : *Postula,* inquit, *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Hunc vero Psalmum de Messia interpretandum esse veteres Hebræorum Magistri docuerunt ; ut testatur R. Salomon, cujus verba necessario describenda sunt : « Magistri nostri, inquit, hujus Psalmi sensum interpretati sunt de rege Messia. Sed secundum simplicem sententiam, ut refellantur hæretici, recte illum exponemus de Davide ipso[a].» Ita veneta Biblia. In recentioribus Basileensibus a Joanne Buxtorfio editis, duo illa vocabula truncata sunt לתשובת המינים, *ut respondeatur hæreticis.* Nimirum *Minæos* illi nominant Christianos, qui legem corrumpunt, et perperam exponunt ; ut illi mentiuntur : quia de Jesu, qui vere Christus est, Psalmum illum intelligunt. Quinetiam R. David Kimhius affirmat Magistros suos de Messia eumdem exposuisse : Christianos vero de Jesu, quos quidem vocat הנוצרים, id est *Nazarenos.* Hieronymus in epistola *ad Augustinum ;* « Usque hodie per totas Orientis synagogas, inquit, inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Minæorum, et a Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant, qui credunt in Christum Filium Dei. » Igitur de Messia Psalmus iste, ex antiquorum Hebræorum sententia, debet exponi. Sed odio Christi recentiores Judæi alio de industria detorserunt. Nam et Aben Hezra de Messia posse accipi fatetur.

Eadem cautione, imo prævaricatione utitur R. Salomon ad Psalmum vicesimum : quem ait antiquos Rabbinos ad Christum retulisse : sed *ut respondeatur Minæis*, qui male id interpretantur, de Davide potius exponendum.

VII. In vicesimo primo Psalmo palam est gentium ad Deum verum conversionem prædici. Nam et Psalmus ille de Christo, nec alio, quam Domino Jesu, prorsus capiendus est : cujus et historiam omnem tolerati in cruce supplicii graphice describit. Ibi gentium ista resipiscentia, et ad Dei cultum applicatio luculenter exprimitur, cum sic ait : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum ; et ipse dominabitur gentium.*

Sic in *Psalmo* LXXI Messiæ regnum toto orbe propagandum prædicitur : *Et dominabitur*, inquit[1], *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis munera offerent, reges Arabum, et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.* Item[2], *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.* Et quamvis *in Salomonem* inscriptus sit iste Psalmus, ac tum a Davide sit editus, ut Hebræi Interpretes asserunt, quando Salomonem filium suum successorem sibi constituit, et ungi, atque in solio suo collocari jussit ;

a R. Salom. רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמעו לתשובת אמינים נבון לפותריו ולע דויד עצמו.

1 *Psalm.* LXXI, 8. — 2 Ibid. vers. 17.

altiore tamen sensu ad Messiam refertur, cujus ille figuram adumbravit. Itaque novi illius regis occasione, majori aspirante numinis afflatu, David in Christum, ac spirituale ipsius imperium mentis oculos intendit. Hebræorum certe doctissimi in illud consentiunt, Chaldæum secuti Paraphrastem, qui de Messia interpretatus est, ut observat Elias Levites in libro, qui inscribitur *Methurgeman*, in voce חמש. Adstipulantur et antiquiores Rabbini Aben Hezra, et David Kimhius. Quare ex illo Davidis testimonio validissime demonstratur, gentes ad veri Dei cultum adducendas esse, quando Messias advenerit.

Isaiæ et Michææ prophetia de Christo

VIII. Idem illud de Gentium futura conversione ad unius, verique numinis agnitionem et cultum, postquam Messias venerit, insigni vaticinio testati sunt Prophetæ duo, qui eodem tempore, et iisdem etiam verbis istud elocuti sunt, Isaias, et Michæas; ille capite secundo; iste quarto. *Et erit in novissimis diebus*, inquit Isaias, *præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem*, etc. quæ iisdem, uti dixi, verbis scribit Michæas. Quod de Messia rege vaticinium illud intelligendum sit, fatentur Hebræi Aben Hezra, nec non David Kimhius in commentariis ad utrumque Prophetam.

Sed indidem argumentantur, nondum illud tempus exstitisse, quoniam nondum signa illa, et prodigia facta sunt, quæ ibidem describuntur, veluti, quod mons domus Dei non sublatus est supra vertices aliorum montium : tum quod altissima illa pax necdum mortales inter est exorta, et ejusdemmodi alia, quæ, ut est eorum captus, stupide, imperiteque solent objicere. Non enim intelligunt, pleraque de Christo, et ejus imperio a Prophetis esse prædicta, quæ sub crassis, et in sensum cadentibus rerum corporatarum imaginibus mysticas, et spirituales habent significationes.

Ac quod ad pacem spectat, quam adventus Messiæ fructum fore præcipuum Prophetarum tot oracula declararunt, supra in libro duodecimo, capite septimo de ea disputavimus.

IX. Non minus illustre est Isaiæ de gentibus Messiæ tempore ad veri Dei cultores aggregandis vaticinium capite LV. *Ecce testem populis*, inquit, *dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis : et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te.* Ubi illud observare attinet, quod *ducem ac præceptorem Gentibus fore* pollicetur, eamdem in Hebræo vocem usurpari, quæ *duci* respondet, qua *Danielis* nono *Messias*, id est *Christus*, nominatur; ubi scriptum est, *usque ad Christum ducem*[a], נגיד ; quæ vox *principalem*, *antecessorem*, ac *præsulem* significat. Ex quo Paulus ex Judæo Christianus, et Burgensis episcopus in *Additionibus ad Lyrani commentarium in Danielem*, contra Judæos argumentatur, *Christum ducem* ab hoc Propheta nuncupatum haud alium designari, quam verum Messiam. « Nullus enim sanæ mentis, ait, posset dicere, nec etiam ipsimet Hebræi in tantam prorumperent, insaniam quod assererent, ut aliquis in sacris Scripturis principalis Messias dicatur, nisi ille, qui inter cæteros Christos principatum tenet, vel tenebit secundum eos. » Ergo et in illo Isaiæ loco, capite quinquagesimo quinto Christus ille, qui *dux primarius*, id est נגיד, ac *præceptor* dandus gentibus promittitur, haud alius est, quam verus, et unicus Messias; quod et Aben Hezra summæ inter Judæos auctoritatis asseverat : ac testem ideo Messiam productum esse dicit, « quod nullus alius est nagid, id est *dux principalis*, qui mundo præsit[b]. » Paraphrastes item Chaldæus, cum sic Isaiæ verba reddit, *Ecce principem in populos constitui eum; regem, et dynastam super omnia regna ;* nullum alium, præterquam magnum illum Messiam, intellexit. Ex quo ratiocinari, ac concludere debemus ; præcipuas vero Messiæ eas esse partes attributas, uti gentes ad sese, ac per se convertat ad Deum, quem adorabant Israelitæ.

Atque illud ipsum est, quod Jacob in postrema allocutione, qua moriturus filiis suis ventura prædixit de Christo ex Judæ tribu nasciturо vaticinatus est. *Et ipse erit expectatio gentium*; qui locus Hebraice sic habet : *Et ei erit obedientia*, vel *aggregatio populorum.* Ita enim vox יקהה ab Hebræis exponitur. Et Paraphrastes Onkelos, vertit : *Et ei obediant*

a Dan. IX, 25. עד משיח נגיד.

b ABEN HEZRA. *in Isa.* cap. LV, 4. אחר כי אין מלך נגיד על העולם :

populi. Jonatham vero filius Huzielis, *Et propter eum diffluent populi.* Hierosolymitanum denique Thargum; *Et ei subjicietur omne regnum terræ.* At Septuaginta, ut et Latinus noster, *expectationem* verterunt: quasi Hebraice legerint תקות. Sed hæ omnes interpretationes vim eamdem habent: ut Messiam illum significent ad obsequium suum, ac Dei cultum et agnitionem gentes omnes esse revocaturum.

CAPUT X.

Ex propheticis oraculis supra allatis concluditur, jam advenisse Messiam. 1. Maxime quod gentes, idolis relictis verum Deum Israelitarum agnoscant colantque. 2. Refutatur objectio Judæorum; quod gentiles Judaicas cæremonias non admittunt. 4. Eosdem Judæos fateri, Messiam jam advenisse. 5. Hunc ipsum fuisse Jesum Christum ostenditur. 6. Ex prædictionibus Propheticis in eo completis. 9. Insignis ad retundendos Judæos Chrysostomi locus.

Venisse Messiam probatur e conversione gentium.

I. Omnibus ex iis Scripturæ locis, quæ de innumeris pauca selegimus, ea conficitur summa ratiocinationis, quæ Judæorum obstinatos in perfidiam et exitium animos pervincere bene et attente cogitata potest. Cum enim de Messia rege, consentientibus illorum magistris, et doctoribus, Prophetæ prædixerint, postquam advenerit ille, gentes et populos, idolis suis relictis, et abjectis, eumdem, quem Israelitæ adorabant, confessuros et veneraturos esse Deum; consequens est, tum cum reipsa perfectum illud est, ac gentes, idololatria repudiata, ad unius se Dei profitendam religionem, Dei, inquam, illius, quem veteres Prophetæ, ac Patriarchæ coluerunt, aggregaverint; jam advenisse Messiam. Atqui jampridem nationes omnes, quæ, cum ista prædicebantur, erant cognitæ, et in plurimorum, eorumdemque fœdissimorum interdum numinum obsequium præcipiti ferebantur amentia, ea contemnunt, atque proculcant; proque iis Deum adorant Abrahami, Isaaci, et Jacobi; et promissum toties, tandemque missum ab illo Messiam agnoscunt: ac tanto mentis ardore pristinam superstitionem detestati, unum illum veteris, ac novæ, quam illa prænuntiabat, legis auctorem Deum venerantur, ut nulla vis cruciatuum ac tormentorum; nullæ præmiorum illecebræ, invictam illorum constantiam vel frangere, vel emollire, ac labefactare potuerint. Quid igitur superest aliud, quam ut illum jam venisse fateamur, cui tam incredibilis ac stupenda gentium mutatio, tanquam auctori, divinitus est attributa?

Nam et Judæi hodieque Messiæ, quem frustra tot jam expectant sæculis, decus illud assignant, ut « per illum gentes per pœnitentiam ad veram legem convertantur [a]: » ut refert R. Moses in tractatu *de Regibus*. Quare cum veram legem, hoc est veri Israelitarum Dei fidem, ac religionem amplexæ sint nationes, dubitandum non est, quin promissus ille Messias ante venerit, quam illius effecta ista cernerentur. Atque hoc insuper idem ille Judæorum celeberrimus doctor adnotat; stultum esse, putare Messiæ temporibus, mundi ordinem, et usitatum rerum cursum esse mutandum; quippe omnia naturali lege, et eadem, qua nunc aguntur, ratione, modoque esse gubernanda. Quæ res adversus ineptos aliquos, et imperitos istius gentis observari debet, qui prodigia nescio quæ, et extraordinaria portenta a nobis exigunt; quæ certis e Scripturæ locis figurate, et allegorice conceptis, tanquam simpliciter prænuntiata colligunt. At hoc ipsum R. Moses admonet, hujusmodi allegoricas esse sententias; inter quas illa numeranda est, quam superiori capite ex Isaia, et Michæa referebam, de monte Dei supra reliquos montes collesque sublevando, et hujus generis alia.

Exploditur Judæorum exceptio.

II. Atenim gentes illas ad Judaicos ritus, ac Mosaicas cæremonias esse traducendas existimant: quod nondum hactenus fecerunt. Nam Christiana religio ab Judaica magnopere discrepat. Verum quod in Judaismo præcipuum est, et quod perpetuo mansurum, ac nunquam mutandum esse Scriptura statuit, illud Christiani profitentur. Deum enim colunt eumdem quem Abrahamus, Moses, David, ac Prophetæ omnes, et Patriarchæ coluerunt: legem ab illo editam, ac præcepta omnia, quatenus ea servari voluit, ac præscripsit, observare student: nimirum ea, quæ naturalis sunt juris, ac perpetui. Quæ autem ad sacramenta, et cæremonias ritusque Mo-

a R. Moses tract *de Reg.* cap. XII. ויחזרו בהשובה כולם לדת האמת:

saicos pertinent, quoniam solis Israelis posteris edita sunt, iis se negant obligatos esse. Non enim justi omnes, ac fideles synagoga, et Judaico populo circumscripti erant : neque circumcisionis, ac reliquarum cæremoniarum usu et observatione tenebantur; aut proselyti esse cogebantur : sed hoc sponte sua, qui vellet, adjungebat ad cæterum professionis ad salutem necessariæ cultum. Sed nec Judæi ipsi partem illam ejus, quam præ se ferunt, religionis obtinent, quæ certo loco sic addicta est, et affixa, ut eam alibi præstare, sacrilegium habeatur. Ita nec sacrificia celebrare; nec agnum Paschalem immolare; nec primitias offerre; nec alia facere libet illis hoc tempore, quæ ritualium veteris legis librorum omnes propemodum paginas implent.

III. Ad hæc eædem illæ Scripturæ, quæ ab Judæis celebrari ritus illos, et instituta jusserunt, non eos esse perpetuos, sed in alios cultus olim esse mutandos admonuerunt, cum primum Messias accederet; ut supra demonstravimus. Quamobrem quæ gentiles ad Israelitarum Deum, ejusque religionem, et obsequium Messiæ ductu, ac beneficio, transituros aliquando prædixerunt; non illis profecto servanda, retinendaque talia præscripsere, quæ ab eodem abroganda esse Messia testatæ sunt. Daniel ecce tibi propheta, post occisum a Judæis Messiam ducem, non amplius populum ipsius fore prædixit, a quo sit abnegatus : tum civitate, ac sanctuario dissipato, et stupenda ibidem abominatione constituta, sempiternam fore, hoc est usque ad mundi consummationem, et finem perseveraturam vastitatem affirmat.

Præclare hoc argumentum, et, qua cætera solet, verborum sententiarumque vi, et gravitate tractavit Chrysostomus oratione secunda *contra Judæos*[1]: ubi Danielis vaticinium illud explanat de abolitis Judæorum sacrificiis, deque urbe, ac sanctuario subverso, nec unquam instaurando : idque ex eo probat, quod cum Judæi sæpius ad illud in integrum restituendum magno studio, et impensis aggressi sint, nunquam id efficere potuerunt: ut ante annos viginti, quam sermonem hunc haberet, accidisse refert, imperante Juliano apostata; quod in Ecclesiasticis nostris historiis ab illorum temporum scriptoribus memoriæ proditum tenemus.

Venisse Messiam fatentur ipsimet Judæi.

IV. Quanquam quid nos tantopere necesse est in eo laborare, ut jam Messiam venisse persuadeamus obstinatis Judæis? Hoc enim ultro confitentur illorum primores, et magistri in *Talmudicis Digestis*, quibus secundum Scripturas sacras plurimum fidei, auctoritatisque tribuunt. Non enim sic obbrutuerunt, ut non manifestissimis litterarum sacrarum convicti testimoniis, agnoverint intervallum illud, quod mittendo Messiæ præfinitum est, et eo amplius excessisse. Sed cur tamdiu feriatus, ac deses sit, varias, ut sunt nugandi artifices periti, causas proferunt. Licet antiquorum ex illa fæce doctorum responsa legere in tractatu *Sanhedrim*, capite undecimo. Inter hæc memorabile est istud, quod ex domo, sive schola Eliæ profectum ita memorant. « Docuit domus Eliæ; sex millibus annorum mundus existet : ex his duo millia erunt inanitas (hoc est sine lege Dei) duobus millibus erit lex : duobus millibus erunt dies Messiæ. Sed propter iniquitates nostras, quæ multiplicatæ sunt, excesserunt ex his quotcumque tandem excesserunt[a]. » Quem locum enarrans Glossa R. Salomonis, exponit sic : ut postquam duobus annorum millibus lex duraverit, Messiam venire oporteat : sed propter peccata populi nondum præfinito tempore venerit. Vides sententiam illam, quæ Eliæ scholæ tribuitur, satis eum communi Christianorum chronologia consentire; quæ quidem hoc habet, quarto circiter millenario exeunte, Dominum Jesum Christum, qui legis clausula est, in hunc mundum venisse. Mox in eadem *Gemara* ita legitur : « Dixit Rab (id est Magister) expleti sunt omnes termini, (adventui Messiæ præfiniti) ac tota res non pendet nisi ex pœnitentia, et operibus bonis[b]. »

Quapropter ex antiquorum Rabbinorum opinione constat, jamdudum tempus ortui Messiæ præstitutum a Prophetis impletum fuisse. Quod vero reipsa jam exstiterit, exortusque sit, majores suos affirmasse testis est R. Salomon Jarchi : atque illo ipso die natum esse, quo Hierosolyma postremo omnium est

a Tom. XV edit. Ven. *Talm.* tract. *Sanhed.* cap. XII. תנא רבי אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תיהו שני אלפום תורה שני אלפים ימות המשיח ובעיונותינו שרבו יצאו מהם מה שיצאו :

b Ibid. אמר רב כלו כל הקיצים ואין הדבר תלוי אלא בתשובה ומעשי בים :

1 Chrys. tom. VI, hom. XXIII.

eversa. Sed ubinam sit, ac tam longas moras trahat, incertum esse. Sunt qui Romæ inter ægros[1], et leprosos latere dicant; tanta est recutitorum illorum insania, et impunitas mentiendi. De quorum somniis legendus Joannes Buxtorfius in libro *de Synagoga Judaica*, capite XXXVI.

Hic Messias non potest alius esse quam Jesus Christus.

V. Hunc vero Messiam non alium fingi posse, præter Jesum Christum, quem Christiani venerantur; ex iis, quæ attuli, Scripturæ testimoniis, et eorum interpretatione, non quam Christiani locis illis accommodant, sed quæ ex Judæorum ipsorum magistris petitur, facile demonstratur. Primum nullus alius adduci potest, in quem tot oraculorum exitus, ac veri Messiæ signa, et κριτήρια congruant. Horum ista sunt exploratissima. Judæ tribus sceptro [2], id est imperio, vel civili jure, ac potestate destituta : Hierosolymorum, ac templi, et sanctuarii vastatio, et perpetua solitudo[3]: sacrificorum, ac rituum omnium legalium, qui certo loco circumscripti erant, peremptio : Gentilium ad verum Deum, quem Patriarchæ, ac Prophetæ, et Israelitæ coluerunt, conversio[4]; et idololatriæ profligatio : denique intervallum annorum 490 [5] quod ab instaurato templo jussu Persarum regis usque ad *Messiam ducem*, et ejus obitum, explicatum iri Daniel prædixit. Hæc signa nullum in alium dico competere, quam in Jesum Mariæ Virginis filium. Nam nullus alius novam legem introduxit, pactumque novum, ac religionem; in qua Deus Abraham, Isaac, et Jacob pro vero, et unico Deo colatur : quaque admissa, et accepta lege gentes idolorum superstitioni hactenus deditæ, illum sibi Deum ascivisse dicantur. Nullus item alius nominari potest, in quem notata illa propheticis oraculis intervalla desinant : quique subinde post illa completa, initium iis dederit, quæ statim subsecutura monstrantur. Etenim Muhammedes, quem Saraceni jactare poterant, sex propemodum sæculis postea prodiit : cum amplius bis septuaginta hebdomadibus ab templi secundi conditu esset exhaustum : quo temporis spatio longe lateque propagata erat Christiana religio : et Judaicis extinctis cæremoniis; nec non idolorum per totum Romanum orbem, et in plerisque aliis regionibus servitute sublata; summus ille Deus, qui in sola Judæa notus ante fuerat, a gentibus adorabatur.

Recte autem Tertullianus in libro *contra Judæos*, sexto capite scribit; « non potuisse cessare legem antiquam, et prophetas, nisi venisset is, qui per eamdem legem, et per eosdem Prophetas venturus annuntiabatur. »

Alia prophetarum oracula Christo ad amussim congruentia

VI. Huc accedunt alia Prophetarum prædicta de Messia, quæ adamussim quadrant in Christum Dominum. Velut est ortus illius de Bethleemi oppido, Michææ quinto capite, quem locum de Messia interpretantur Paraphrastes Chaldæus, R. Salomon, et David Kimhius. Item ejusdem cruciatus, mors, et eo spectantia reliqua; quæ de Messia in *Psalmo* XXI, et *Isaiæ* LIII capite prodita sunt. Utrobique enim de Christo mentionem fieri, veteres Hebræi fatentur, quod de *Psalmo* XXI, supra demonstravimus. De Isaiæ capite illo fidem facit Talmudicus ille tractatus, quem sæpe citavimus, *Sanhedrin*, capite XI ubi varia Messiæ nomina traduntur in *Gemara :* et hoc inter alia, « *Leprosus domus Rabbi.* Doctores, inquit, nostri dicunt, Leprosus domus Rabbi nomen est ejus : quoniam scriptum est [6] : *Vere languores nostros ipse tulit; et dolores nostros portavit : et nos putavimus eum percussum, et cæsum a Deo, et humiliatum* [a]. » Ita ex Hæbræo citant Rabbini. Septuaginta quoque : *Et nos reputavimus eum esse in labore, et in plaga, et in afflictione* [b]. Hieronymus ad hunc Isaiæ locum hæc adnotat : « Et nos putavimus eum esse immundum, sive ἐν πόνῳ, id est *dolore*, ut LXX transtulerunt : pro quo Aquila, et Symmachus, posuerunt *leprosum*, Theodotio *flagellatum.* » Mox Symmachum transtulisse ait ἐν ἁφῇ ὄντα hoc est *in lepra*. Sic Hesychius interpretatur *tectionem* aut *colorem lepræ* [c]. Aquilam vero posuisse dicit Hieronymus ἀφήμνεον, id est *leprosum*, « quod multi non intelligentes putant, inquit, relictum : et alii legunt καθήμενον, id est *sedentem*. »

Nobilius in *Notis ad Græca Biblia* legit apud Hieronymum ἐν ἀλφῇ pro ἐν ἁφῇ : et ἀλφήμενον pro ἀφήμενον : tanquam ab ἀλφός deductum sit,

a Tract. *Sanh*. cap. II. ידבנן אמרי הוורא רבי רבי שמו :

b Sept. Καὶ ἡμεῖς ἐλογισάμεθα αὐτὸν εἶναι ἐν πόνῳ, καὶ ἐν πληγῇ, καὶ ἐν κακώσει.

c Hesych. Ἁφὴ, αἴσθησις χειρῶν, ἤγουν ψηλάφησις, ἢ χροιὰ λέπρας.

1 In *Talm*. tract. *Sanhed*. can. XI — 2 *Gen*. XLIX. — 3 *Dan*. IX. — 4 *Gen*. XLIX *et Isa*. LV. — 5 *Dan*. IX. — 6 *Isa*, LIII, 4.

quod *vitiliginem* significat : ut est in glossario veteri. Sed ἀλφή nescio an dicatur. Tum vero minime mutanda vox est ἀφή. Sed nec ἀφήμενον. Nam apud Hesychium lego ἀφήμενον esse τὸν ἄποθεν καθήμενον, *qui procul vel seorsum sedet*, id est habitat : quales sunt leprosi, qui ab urbibus, et hominum frequentia segregantur. Hinc autem animadvertimus, recte Latinum Interpretem in illo Isaiæ loco participium Hebraicum נגוע quod proprie *percussum* significat, vertisse *leprosum*. Siquidem נגע *plaga* proprie pro lepra usurpatur : ut *Levitici* XIII.

VII. His adjungendæ sunt prophetiæ duæ: quarum una est Zachariæ : *Ecce rex tuus*, nquit[1], *veniet tibi justus, et Salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.* Quem locum R. Josue filius Levi de Messia interpretatur[2], qui asinum insessurus erat : ubi et lepida fabella est de Sapore Persarum rege. Atque hujus quidem vaticinii fidem Dominus Jesus implevit : ut est *Joannis* capite XII. Altera prophetia est Aggæi : quæ sic habet: *Adhuc unum modicum est*[3], *et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam : Et movebo omnes gentes : et veniet desideratus cunctis gentibus ; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum*, etc. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* Hanc prophetiam de Messia interpretatus est R. Hakiba omnium Thalmudistarum sapientissimus[4], (ita eum vocat R. Moses in capite undecimo tractatus ultimi operis *Jad*, qui est de regibus, et Messia) quod et R. Samuel in glossa testatur. Hinc autem firmissimum ducitur argumentum, quo et Messiam jam advenisse ; nec vero latuisse, sed palam conspectum fuisse monstratur : nec alium porro quam D. Jesum a Propheta designatum. Etenim stante adhuc secundo templo Messiam exstitisse, et in hoc ipsum templum venisse constat ex illo Aggæi loco : ut ex eo major posterioris gloria, quam prioris fuerit. Ecquis autem vel fingi potest alius, in quem cætera quæ paulo ante memoravi, Messiæ propria competant, qui Templum secundum adierit præter illum, quem Christiani profitentur?

VIII. Hæc satis sunt, ut Judæos domesticis illorum testibus, et quidem omni exceptione majoribus, adigamus ad veri Messiæ confitendam οἰκονομίαν, et adventum. *Incarnationem.* Nam quod venisse quidem, id est ortum esse; sed nondum in apertum processisse, sed adhuc latere nugantur ; multis de causis id est absurdum. Primum Scripturæ loca, quæ adduximus, absolute demonstrant, ex illis, quæ præscribunt, indiciis, certissime colligendum, non solum Messiam advenisse, et in rerum esse natura, ubi illa viderimus : sed etiam ea præstitisse quæ erant illius partium; hoc est novam legem, novumque pactum condidisse ; ac gentes ad Dei quem Israelitæ colunt, professionem adduxisse ; tum sacrorum omnium Judaicorum et ipsius arcis Judaicæ religionis ; hoc est sanctuarii vastitatem posteriorem fore Messiæ functione, qua *pactum confirmabit multis hebdomada una*[5].

Deinde ratio illa, quam afferunt, cur tamdiu differatur ἡ ἐπιφάνεια Messiæ, cum dicunt *Manifestatio.* id peccatis suis esse tribuendum, ideoque seria opus esse pœnitentia, ex qua promissi exitus pendeat; apud Talmudicos doctores non satis constat : sed quibusdam ita pronuntiantibus, alii refragantur. « Rabbi Eliezer dicebat, inquiunt[6], si Israelitæ egerint pœnitentiam, redimentur : quia scriptum est : *Revertimini filii rebelles, sanabo rebelliones vestras.* » Huic vero contradicens R. Josue opponebat illud Isaiæ [7] : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* Rursus illo Scripturæ locis aliis suam affirmante sententiam, iste contraria in speciem objiciebat alia. Cujus concertationis is fuisse finis perhibetur[8], ut R. Eliezer tacuerit. Non igitur pro certo licet illis asserere, Messiam ideo differri, quod nondum pœnitentia satisfactum fuerit.

IX. Præterea hanc illorum excusationem egregie refellit Chrysostomus oratione *contra Judæos* tertia : quo præeunte sic illorum pervicaciam expugnare licet : cum nunquam peccandi populus ille finem fecerit : ut ex frequentibus, et vero acerbissimis Prophetarum querelis, et expostulationibus apparet : qui horrenda illorum scelera maxime idololatriam, iis exprobrant : quid esse causæ potest, cur illos Deus toties in captivitatem, et servitutem gentibus exteris, ac regibus deditos, certo expleto tempore in patriam, ac libertatem nihilominus revocarit : imo vero quoties ob peccata sua in illam calamitatem incidissent, simul atque pœnitentia ducti toto se ad Deum pectore convertissent, ac veniam,

1 *Zach.* IX, 9. — 2 In *Sanhed.* cap. XI. — 3 *Agg.* II, 7. — 4 In *Sanhed.* — 5 *Dan.* IX. — 6 *Talmud* XVI, 15. — 7 *Isa.* LII, 3. — 8 *Talm.*, ibid.

opemque postulassent; non defuturum se pollicetur; sed quamlibet dissipatos pristinas se in sedes reducturum : hoc idem in postrema, et vero durissima omnium, ac diuturnissima captivitate nondum fecerit? Relegantur illa, quæ *Deuteronomii* capite XXVIII et sequente Moses prodidit : quanta, quamque horribilia populo Deus pœnarum genera denuntiaverit, si leges suas, ac mandata violaret, ab ejusque cultu desciseeret. Hujusmodi profecto illa sunt, ut legentibus, etsi ad eos proprie non pertineant, haud vulgarem metum, ac terrorem objiciant, et tamen subinde capite XXX fidem dat, si tot circumventi oppressique malis ad sese redierint, se illis propitium futurum : *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam*, inquit, *ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt Patres tui, et obtinebis eam, et benedicens tibi majoris numeri te esse faciet, quam fuerunt patres tui.* Cur igitur tandiu cessat ? cur ad illorum continuas preces, obsecrationes, obtestationes, quibus aures suas assidue pulsant, tot jam obsurdescit sæculis, nec eorum miseratione commovetur ? Quid hic autem peccata sua causantur? Quamvis enim gravia sint, multo iis tamen leviora sunt, quæ priscis illis temporibus admittebant, et ad quæ luenda barbarorum in potestatem divinitus tradebantur. Numquid idolis superstitionibusque gentilium implicantur? numquid Baali, et Astartæ sacrificant? num Molocho initiatos filios suos flammis devovent? Nihil horum hoc tempore simile faciunt. Nunquam ab idolis, cultuque dæmonum alieniores : nunquam Mosaicæ legis, ac cæremoniarum suarum, quantum ipsis fas est, observantiores fuerunt; neque tamen ab illa misserrima et longissima calamitate, ac servitute extricare se possunt : non libertatem recuperare : non patriam, sedemque divinitus sibi destinatam repetere : non templum aut sacrificiorum jus et usum instaurare per tot annos illis conceditur. Quis igitur non sentit, extremum illud esse istius gentis exitium, et hanc *abominandam desolationem, quam usque ad consummationem, et finem perseveraturam esse* Danielis prophetia denuntiavit? cum et illius causam haud aliam esse docuit, quam Messiæ, id est Christi ducis indignissimam necem. Quod parricidium, sive *Deicidium* potius, ut omnium, quæ ab illis aliquando perpetrata sunt criminum atrocissimum, et immanissimum fuit : sic extraordinariis, ac nunquam, ad irati Dei monimentum, et exemplum posterorum, desituris expiari pœnis oportuit.

Sed de Incarnationis mysterio, quod hoc bifariam partito tomo quarto *Theologicorum dogmatum*, Deo adspirante, complexi sumus, disputandi finem faciemus.

APPENDIX

AD LIBRI XVI CAPITA VI ET VII.

Jacobi de venturo Christo vaticinium celeberrimum, quod Petavius acri quo cætera consuevit judicio expendit, post ipsum a pluribus illustratum fuit. Verum aliter omnino ac cæteri omnes cum interpretes, tum theologi, explanavit doctissimus e Societate nostra scriptor P. Turneminius; cujus ea de re dissertatio epistolaris in *Trevoltianis Ephemeridibus* a. 1705 mensis Martii, et 1721 mensis Februarii lucem aspexit. Itaque ut insigne hoc Messiæ vaticinium magis, magisque illustraretur, hanc Turneminii lucubrationem hic rursus edere constitui ex Gallico, quo primum scripta est, idiomate Latine a me redditam, et paucis adnotationibus locupletatam. Sed primam tantum hujus Turneminianæ dissertationis partem dabimus, quæ una novam exhibet Jacobæi Vaticinii explicationem; nam altera consectaria solum continet contra Judæos, quæ quidem ubi prior illa pars accurate intellecta sit, ex sese fluunt, quin duce opus sit ad ea colligenda.

F. A. ZACHARIAS.

R. P. TURNEMINII

E SOCIETATE JESU

EPISTOLARIS DISSERTATIO AD N. N.

DE JACOBÆO VATICINIO

EX TREVOLTIENSIBUS EPHEMERIDIBUS MENSIS MARTII AN. 1705 ART. XLV. DEPROMPTA, AC NUNC PRIMUM LATINE REDDITA.

Velles, theologos Jacobi morientis de Judæ sorte vaticinium minus usurpare. Neque Christus Jesus, neque Apostoli, inquis, illud unquam citarunt; totque, ac tam variæ, quæ excogitatæ sunt, ejus explanationes obscuritatem illius aperte produnt. Quin audes et illud adfirmare, nullam earum tibi plane adridere. Ut enim, inquis, de illis non loquar, quæ passim rejiciuntur, quot est obnoxia difficultatibus vulgaris hypothesis, quæ Judæ non interruptam Principum e familia sua proficiscendorum seriem a David usque ad Messiam eo docet vaticinio promitti! Qui enim cum Athaliæ tyrannide, cum Babylonica captivitate, longoque et absoluto Persarum, Syriorumque regum in Judæam imperio isthæc promissa concilies? Eone deveniendum, ut cum Genebrardo Asmonæos e tribu Judæ fuisse dicamus? quum fuisse illos de tribu Levi ex ipsa Scriptura sacra sit exploratum: nec ullo satis idoneo argumento asseremus, illos per feminas e Juda prodiisse, idque implendo vaticinio sufficere * ?

Quorumdam Græcorum Patrum, ac Dionysii Petavii sententia propugnari facilius posse tibi videtur; utque illi insistant, per jocum theologiæ professores hortaris. Quod tamen ad te adtinet, quominus eam amplectaris, una hæc obstat difficultas. Reddo illam tuis verbis. « Judæa ubi in Romani Imperii provinciam cessit, peculiaris esse ditio desiit. Ad illud usque tempus, hujus sententiæ auctores aiunt, nullius obnoxia fuit principatui. Tunc impleta promissio fuit, debuitque Messias venire. At si Judæa, ex quo alterius pars esse cœpit principatus, separata ditio non amplius fuit; multo ante natum Christum tempore ab Juda fuit sceptrum ablatum; regnorum enim Babylonici, Persici, et Syrii provincia fuit pluribus ante sæculis, quam in Romanorum veniret potestatem. »

Videtur hæc tibi objectio magni momenti. Quod si quis illam dicat, sub Babylonis, Persidos, et Syriæ regibus suismet sese legibus rexisse, suas quoque sub Romanis leges servasse illam instas; Britanniamque insuper objicis, atque Normanniam, quæ mores singulæ suos etiamnum habent, ad quos judicia in illis feruntur provinciis, sceptrum tamen certe amiserunt, postquam in Gallici regni partem cesserunt. Si te audimus, tribus

* Confer Petavium *Rationar. temp.* par. II, lib. III, c. VI; *et de Incarnat.* lib. XVI, § 2. Abbas Houtteville in opere inscripto: *la Religion prouvée par les faits* tom. II, cap. VII, ut vim Petavianæ argumentationis effugeret, ostendere adgressus est, Asmonæorum tempore tribum Levi nonnisi tribu Judæ in id consentiente Hebræam administrasse rempublicam. Nimirum sumit ille, decem tribus Hierosolymam minime rediisse, ultraque Euphratem dispersas mansisse: Benjamin porro tribus tam exiguo constabat numero, ut vix ejus ulla tunc ratio haberi posset. At etsi vulgatior sententia illud ipsum fert, quod vir hic eruditus confidenter affirmat, decem tribus e captivitate rediisse, gravissimis tamen illa a Calmetio argumentis improbatur, quæ illud saltem efficiunt, ut prudens quisque de ejus opinionis firmitate jam dubitet. Præterea quid hinc extundet Houttevillius? Id unum, inquit Cl. Abbas de Artigny tom. I. *Novorum historiæ critices, atque eruditionis monumentorum*, sceptrum de tribu Juda ablatum non fuisse, quum ipsa ad alios Reipublicæ administrandæ provinciam deferret; verum hoc ipsum evidenti est argumento, Israelitici populi duces post David non omnes ex ea prodisse tribu, contra quam vulgaris hic indicata hypothesis asserit.

Juda ab Jerusalem sub Sedecia rege capta ad Simonem Machabæum haberi non potest, nisi alterius ditionis provincia. Qua in re consulere nos jubes primi Machabæorum libri caput quintum, et vicesimum, ubi disertis verbis fertur Antiochus Simoni Machabæo facultatem indulsisse cudendæ monetæ; quod argumento est non obscuro, Judæam ad illud usque tempus regni Syrii partem constituisse *.

Noli exspectare, ut in tuis te digressionibus sequar. Non ego adgredior varias hujusce vaticinii explicationes asserere ; satis mihi est meam proponere, quæ extra tuarum objectionum ictus esse mihi videtur.

Accipe igitur meam hujus sententiæ explanationem. Multum abest a cæteris versionibus mea paraphrasis ; consentanea tamen est non hebræo solum autographo, sed etiam Latinæ vulgatæ ; nullamque vim infert propriæ seu Hebraicorum, seu Latinorum verborum significationi.

Latinæ Vulgatæ hæc sententia est : *Non auferetur sceptrum de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat, qui mittendus est : et ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Gen.* XLIX, 10, 11, 12.

Quæ sic Hebræus codex exhibet : « Lo iasour schebeth mihoudah oumechiqq mibben raglao nghad chi javo schilo, ve lo siqquehath nghammimosri laggephen nghiroth, velasorequah beni athono chebbes baiiain levuscho oubdham nghavim souhoth : chachlili nghenaim moiain oulben schinnain mechalab. »

Ego vero sic isthæc verto : *Virga non auferetur de Juda, et dux ejus non recedet ab illo (seu Dei regnum in Judam non cessabit) neque eum deseret legislator, dum ex ejus familia veniat* Schiloh, *ille nimirum, cujus Judas populus est; cui promissa reservantur complenda*; qui nascetur ex Virgine ; qui mittetur ad pacem hominibus impertiendam, ad eos beandos, atque salvandos; cui tamen hominum salus magnis stabit laboribus, ac pœnis gravissimis, in quibus morietur. Hic *Schiloh* gentium exspectationem implebit, suæ illas subiget legi ; in eamdem coget ecclesiam ; purgabit, atque asino, asinaque utetur : apparebit autem, quo tempore promissam terram vinorum præstantia, pascuorumque suorum fertilitate insignem Judas etiam tum possidebit. »

Mea hæc explicatio difficultates, quæ te morantur, expedit. Neque enim regum ab Juda profectorum seriem quærere cogor, nec confirmare, Judæam nonnisi Messia advéniente peculiarem esse ditionem desiisse.

Vaticinium promissa alia, aliaque, quibus Messias dignoscatur, signa certissima ex mea sententia comprehendit : continet præterea multas, illasque perhonorificas magnitudinis Messiæ vaticinationes. Quatuor in eo divinas promissiones reperio, quæ Judæ posteritatem speciatim spectant. 1. Deum non eam deserturum, dum veniat Messias. 2. Hunc ex Judæ futurum familia, ad quam Deus promissa Jacob facta contrahit, quemadmodum in Jacobi posteritate factas Isaaco promissiones, atque in Isaac posteritate promissiones Abrahamo factas concluserat. 3. Messiam hunc ex Juda progenitum nationes omnes in unam coacturum Ecclesiam. 4. Tribum Judæ Messiæ advenientis temporibus possessuram etiam tum terram promissam.

Quinque in eodem vaticinio signa comperio, unde agnoscatur Messias. I. Tempus ejus adventus ; *Veniet* scilicet *antequam Deus Tribum Juda deserat, eamque e promissa Terra expelli, et quemadmodum cæteras, disperdi permittat*. 2. Familia, ex qua erit *nascetur ex familia Judæ*. 3. Locus, ubi apparebit ; *terra sancta* 4. Memorandum, quod illum a cæteris omnibus secernet hominibus, eventum erit nationum omnium in unam Ecclesiam collectio. 5. Circumstantia ejus triumphi admodum singularis ; *asina utetur, ejusque pullo*. Quinque hæc signa uni Jesu Christo conveniunt, proque illius religione argumentum efficiunt, cujus vim Judæorum cavillationes omnes nunquam eludent. Nationes videmus

* Non absimili pressus difficultate Samuel Basnagius *Annal. Politico-Ecclesiast.* tom. I. Jacobæo vaticinio negavit promitti tribui Judæ sceptrum usque ad Messiæ adventum non esse auferendum; quin potius ait, sceptrum significari auferendum, simul tamen restituendum promitti Messia adveniente. Hic igitur Vaticinii illius sensus est, si Basnagium audimus : *Sceptrum, Legislatorve de judæ sanguine cretus non recedet ab eo IN PERPETUUM, QUIA veniet Silo*. At ut de Basnagii interpretatione prius dicam, non placet *donec* temporis particulam ab eo reddi *quia*, causali nempe, et illativo sensu. Deinde quod ad causam adtinet, quibus ab hanc opinionem deductus fuit, illis similes, quas anonymus hic Turneminianus objicit, infirmiores sunt, quam ut propter eas a communi sententia recedamus. Fac enim, sceptrum, seu regia potestas multo ante Messiæ adventum ab Juda fuerit ablata; probandum insuper, ducem, et legislatorem fuisse ab Juda sublatum; alterutrum enim si non defecit, salva est prophetia.

omnes in ejus coactas Ecclesiam; scimus, illum in suo triumpho asinæ, asinoque insedisse. Ne ipsi quidem Judæi fuisse eum de tribu Juda inficiantur. Fatentur, illum in Terra sancta visum paucis ante annis quam universa Judæ tribus penitus dissiparetur.

Nihil porro facilius, quam primam illam vaticinationis partem verissimam confirmare, si mea placeat interpretatio. Ut divina promissio, quam pars illa vaticinii continet, impleatur, sufficit, tribum Juda ante Christum non fuisse e Terra sancta penitus pulsam, dissipatam, cumque reliquis tribubus confusam, ut ab illis non amplius posset secerni, a Deo derelictam, ac sensilibus destitutam ejus patrocinii argumentis, quemadmodum in Babylonica captivitate fuerat experta, in qua solatium a Prophetis habuerat proximam ei liberationem nuntiantibus, atque a miraculis fuerat confirmata. Quam diversa est illius conditio post eversam a Tito Hierosloymam! Babylonicæ præterea captivitatis temporibus minuta gens in Judæa perstitit, unde demum sub Hadriano Judæi ad unum omnes pulsi fuere. Sed et illi fatentur, nullum apud ipsos exstare hodie inter tribum Judæ, ac reliquas tribus vestigium discriminis, sed omnes tribus una simul esse commixtas.

Ne vero quidquam eorum, quæ Spiritus sanctus hoc loco nobis revelat, prætermittatur addo plura hic patefieri, quæ futurum Messiam spectant; filium scilicet fore illum Virginis, homines conciliaturum Deo, factas Patriarchis promissiones impleturum, humanam gentem ab antiqua maledictione vindicaturum, multaque passurum. Indicat præterea Spiritus sanctus, Messiam hunc Deum Israel futurum; Deum creatorem, ad quem quum omnia ejus sint, Judas tamen singulari quadam ratione pertinet.

Magnum quod adfert mea hæc interpretatio commodum est, ab ea animos statim ad Evangelii loca, in quibus Jesus in Jacobæum vaticinium intendit, illoque utitur ad revincendos Judæos, revocari. Duo hic animadvertam. Primus locus est apud S. Matthæum. Judæis exprobata Christus incredulitate eorum, hæc illis minatur: *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*. Quid aliud hoc fuit, quam illis dicere? Regnum Dei in Judam, quod vaticinatus est Jacob, nonnisi post Messiæ adventum finem debuerat habere. Regnum ejusmodi finem brevi est habiturum: desinet Deus vester esse legislator; mox vos quoque deseret, quemadmodum decem Tribus; non amplius ejus populus eritis: nationibus imperabit a vobis contemptis, quæ ex lege ipsis a Deo ferenda magis quam vos, proficient.

Christus *Joh.* x, 16, clarius hoc vaticinium designat: « *alias*, inquit, *oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor*. Nempe: Deus ab Juda virgam suam subducit; non amplius hunc populum habet veluti gregem suum; in ejus locum insiliunt nationes, inque unum ovile cogentur. »

Duæ Zachariæ vaticinationes (quod non satis animadversum fuit) cum Jacobæa mirifice consentiunt; ut ex illis didicerim, quei sit isthæc explananda. Zacharias posteaquam capite IX. prædixerat, Deum e terra promissa omnes Judæorum hostes expulsurum, aut illos in sui populi potestatem redacturum ait: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.*

Facile in rege prædicto a Zacharia *Schilo* agnoscitur Jacobi, qui nationes colliget, asinaque, et asino utetur; quam uterque vates circumstantiam prænuntiat.

Sed cum XI *Zachariæ* capite magis convenit vaticinium, quod explicamus. Narrat ibi Zacharias, assumpsisse se Dei jussu pulcherrimam virgam, et funiculum, seu flagellum; tum *pavisse gregem*. Gregem expertus ingratum, illique indignatus *succidit tres pastores* (arietes gregis duces) *in mense uno*, tulitque virgam suam, *quæ vocabatur decus, et abscidit eam*, ut ostenderet, Deum fœdus infringere, quod cum populo suo inierat, illudque cum nationibus omnibus percutere.

Mercedem suam petiit Propheta a dominis gregis, qui *cognoverunt... quia Verbum Domini est, et appenderunt mercedem ejus triginta argenteos*. Tunc dixit Dominus ad Zachariam: *projice illud ad statuarium* (figulum) *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*. Propheta, postquam novum hoc Dei mandatum impleverat, præcidit funiculum, gregemque deseruit; quo Judæos declararet miseriore, quam schisma fuerat decem tribuum, disjunctione a Deo dividendos.

Figuram hanc explicemus. Nobis exhibet

illa temporibus Messiæ proximioribus Dei erga Judam curam, atque consilium. Aliquandiu Deus populum illum post ejus liberationem per Simonem Machabæum magna rexit suavitate, cujus venustula illa virga symbolum erat; victoriis eum non paucis, gloriaque ornavit. At quum nunquam illum non ingratum, indocilemque conspiceret, tantum scelus indignatus prophetico mense, triginta scilicet annorum intervallo tres ei egregios principes eripuit, Simonem ipsum Machabæum, Joannem Hircanum, et Aristobulum: quibus mortuis a suavissima illa, quam diximus, providentia ad severitatem transiit. Continuis fere ærumnis oppressi ex eo tempore fuerunt Judæi, ac tandem a Deo destituti, postquam triginta angenteis, qui dati deinde sunt in agrum figuli, Dei Filium emerunt. (*Matth.* XXVII, 9.)

Exploratum est, Prophetiam Zachariæ nullum de Jacobææ sensu dubitandi locum relinquere. Moriens Jacob tribui Juda promiserat, non illam Deum deserturum usque ad Messiæ adventum. Intelligendum supererat, num Deus eo illam tempore esset relicturus? Id enimvero docemur a Zacharia: tempusque hujusce derelictionis iis ille nobis denotat signis, ut nemo in eo designando possit errare. Sunt hæc, victoriæ, felicitas, splendorque imperii, quem trium annis omnino tiringinta principum præclarissimorum interitus sequitur, gravissimarum defuncto horum postremo calamitatum incursio; Jesus triginta argenteis emptus; pretium hoc figulo persolutum. Clarissima scilicet sunt isthæc signa; unde Judæi ipsum suæ derelictionis, atque impendentis dispersionis tempus intelligere debuerant.

Jamvero unum id superest, ut ea comprobem, vindicemque, in quibus Paraphrasis mea a cæteris differt.

Novæ explicationis momenta

1. Mechokik Legislatorem significat, quo sensu de Deo dicitur Isaiæ XXXIII, 22. *Dux* quoque ductorem significat, sed etiam et legislatorem, et pastorem, quum utriusque sit ducere, potest significare. Satis sit legere *Ps.* XXX, 4; *Ps.* LXXIX, *Mich.* V.

2. Schebet nunc pro sceptro usurpatur, ut Amos I. 5. *Ps.* XLV, 7, nunc pro virga, ut *Mich.* VII, 14, *Levit.* XXI, 32, *Ps.* XXIII, 4. Utramlibet eligas significationem, per me licet. Si *sceptrum* intelligas, illud *non auferetur sceptrum de Juda, neque dux* reddam: *Regnum Dei in Judam non cessabit*; *Deus perget ejus esse Legislator.* Si *virgam** explices, commatis illius sensus hic erit: *Deus ab Juda virgam suam nequaquam subducet; suus esse perget Legislator.* Latinum nomen *sceptrum* a significanda pastorali virga minime abhorret, et citata Zachariæ, et S. Johannis loca pastorales ideas Jacobi moribus plane consentaneas videntur exposcere.

3. Nomini *dux* comma addo, quo a sequentibus verbis *de femoribus ejus*, distinguatur; atque hæc illis: *donec veniat*, conjungo. Nihil hujusmodi interpunctionem vetat. Mos sacrorum librorum majoribus litteris conscribendorum ad XVI sæculum perduravit; illosque qui in versus, numerosque primus distinxerit, et puncta, et commata eis adpinxerit, fuit Robertus Stephanus in sua an. 1545 editione. Nullo porro Ecclesiæ decreto firmata est ejus interpunctio: Interpretes pro illorum arbitrio eam immutant. Et vero quam integrum sit illam commutare, uno exemplo docebo. Primo Evangelii Johannei capite Missales libri, ac plures interpretes verba hæc tertii versiculi: *quod factum est*, cum sequentibus *in ipso vita erat* conjungunt; Cæteri contra Interpretes cum superioribus; *Sine ipso factum est nihil.* Si cui tamen hæc interpunctionis immutatio displiceat, negligere et illam possum, quin tamen vel hilum in mea paraphrasi, quæ ex illa nihil omnino pendet, immutem. Hæc enim formula *de femoribus* potest ita intelligi, ut seriem regum, qui ex Juda prodierint, haudquaquam significet.

Doctiores Interpretes arbitrantur, posse illam reddi *de filiis*, *de medio civium ejus*, *de vexillis*, id est *de tribu ejus;* singulis enim

* Judæus quidam Amstæledamensis, ut Jacobæi vaticinii vim eluderet, *virgam* et ipse Hebraicum *Schebet* explicuit; non tamen pastoritiam, aut ducis quoddam insigne, quemadmodum Turneminius intellexit, sed *afflictionem* interpretatus est. Hinc vaticinium Jacobæum sic ille nefarie pervertit: *ab Judaico populo non auferetur afflictio dum veniat Messias.* Sed quam ludicra atque ab Hebrææ, cæterarumque Orientalium linguarum indole aliena sit hujusmodi interpretatio, ostendit doctus P. Michael Angelus Carmeli e Minoribus quos *Observantes* dicimus, integra dissertatione, quæ legitur in calce tomi secundi inscripti: *Storia di vari costumi Sacri e profani dagli antichi fino a noi pervenuti.*

tribubus sua erant vexilla. Si vis ergo, illud *de femoribus* ad nomen *dux* referto; mihi semper integrum erit, ea sic reddere: *Legislator non recedet de medio civium ejus, de tribu ejus*, quemadmodum Pentateuchum Samaritanum indicat, vel *non auferetur a filiis filiorum ejus*, uti vetus Paraphrastes Chaldæus interpretatus est.

4. *Schiloh.* Non est vulgatum nomen. In hoc uno legitur Scripturæ loco; ac nomen verosimiliter est mysterii plenum a Spiritu sancto inventum ad Messiam designandum. Græci Interpretes, et Onkelos illud intellexerunt perinde ac si esset *Schello, ille ad quem, cui*, aut *ille cujus*; subintelligi potest: *ad quem pertinet Regnum*, seu potius *cujus Judas populus est*, seu etiam *cui promissiones servantur implendæ*. Rabbini quidam eruditi id nomen ducunt a *Schiliah*, quod *secundas* significat, in quibus fœtus in matris utero efformatur. Notant etiam, *Schiloh* etsi masculinæ terminationis est, femininum in Hebræo adfixum habere. Nihil in Scripturis casu positum est; quodque negligentiæ tribui videtur posse, prædictio est ex doctissimorum Interpretum sententia, Messiam scilicet ex Virgine nasciturum, ex Juda non esse, nisi per feminam venturum, suamque originem nonnisi a matris secundis accepturum: *factus ex muliere*, inquit Apostolus.

Samaritani, quos Oleaster, aliique sequuntur interpretes, a *sciala* cum gemino *cametz* quod significat *tranquillum*, aut *beatum reddere, salvum facere*, *Schiloh* deducunt. Vulgatus interpres a *sciala* item cum *cametz*, et *patach*, seu *mittere* traxit. Sunt etiam nobiles interpretes, qui a *Laa*, et *Scin* addito veluti pronomine illud ducant, aiuntque hominem significare labore exhaustum, oppressum dolore, atque inter cruciatus morientem. Ego vero existimarim, varias hasce significationes simul colligendas, quas scilicet omnes Spiritus sanctus spectarit, nomen ea una de causa efformans, ut magnificam Messiæ descriptionem contineret, atque arcana quadam, Deoque sapientissimo digna ratione nos edoceret, Messiam fore Deum, cujus Judas erat populus, filium Virginis missum ad homines cum Deo conciliandos, vereque beatos reddendos, ad illos servandos, promissaque Patriarchis facta implenda magno laborum, et cruciatuum, atque adeo vitæ ipsius sumptu.

5. *Ipse erit expectatio gentium.* Hebraica sententia plures admittit sensus. Quapropter inter se se Interpretes dissident, explicantibus aliis: *ipse munditia gentium.* Quæ quidem versiones omnes meæ plane consentiunt. Omnes tamen malim ego colligere, quam unam quamdam cooptare.

6. *Ligans ad vineam.* Duos hosce versiculos ad litteram minime explicavi; sensum tamen reddidi. Judææ fertilitatem non poterat Propheta significantius denotare quam dicens, minorem in ea vini quam aquæ habitam esse rationem, vinumque ad vestes abluendas adhibitum. Nihil enim Judæam apertius designat tanta vini ubertate. Norunt eruditi, racemum in nummis symbolum esse Judææ.

APPENDIX

DIONYSII PETAVII

AD LIBRUM TERTIUMDECIMUM

DE INCARNATIONE VERBI

IN QUA CATHOLICA DOCTRINA IN EO LIBRO TRADITA

AB HETERODOXI CUJUSDAM OPPUGNATIONE DEFENDITUR

CAPUT PRIMUM.

Scribendi occasio et argumentum. 2. Ostenditur certis indiciis, heterodoxum esse, quem contra disputamus : maxime ex propositionibus quibusdam, quas cum hæreticis communiter propugnat.

Scribendi occasio et argumentum.

Prodiere nuper in lucem complures libelli argumento ipso plausibiles; quod in his certa ratio proponebatur dirimendarum controversiarum, quas de quæstionibus ad gratiam spectantibus agitari sic cernimus, ut Ecclesiæ pacem intestinis motibus, discordiisque perturbent. Porro ratio præscribebatur hujusmodi, ut ad illas quæstiones explicandas disceptatrix, et arbitra Augustini doctrina caperetur. Harum lucubrationum auctor latere cupiens nihil de se, præterquam abbatem se esse, professus est. Et fefellit aliquandiu sub ista nominis dignitatisque larva; ut homo Catholicus apud similes sui pro catholica laborare pace ac concordia videretur. Sed enim diuturna non potest, nedum perpetua latebra illius esse, quod per simulationem, ac fallaciam geritur. Et alioqui non deerant primis etiam in libris haud dubia, neque pressa leviter impuræ, et hæreticæ vestigia doctrinæ : quæ doctos, et acutos homines metu aliquo perstringerent, ne quis adversarum partium eam sibi personam induxisset, quo impunius ad fraudem et perniciem catholicæ veritatis obreperet. Inter hæc complures in anonymum scriptorem, tanquam et Catholicum, et Abbatem, suppressis, itidem ut ille fecerat, auctorum nominibus, emissi sunt libri.

Quibus cum ille vicissim impigre respondisset, ac nihil de opinionum pravitate remitteret, sed in iis tuendis obstinatiori etiam animo persisteret, calefacta, uti fit, contentione, occultari diutius non potuit : sed paulatim, velut ἐξ ὄνου παρακύψεως, pro eo qui erat, agnitus, ac deprehensus est. Huc igitur non levibus conjecturis adductus sum, ut affirmantibus crederem, neque catholicarum esse partium, nec abbatem; sed unum ex ministris, aut ministerii candidatis, qui hac se velitatione probare suis, et venditare studeret. Hoc ipsum vero uti majore cum hostium damno, minore autem causæ suæ invidia faceret, unum se ex Catholicis, et quidem abbatem fecisse : quod nomen in honoratis familiis tralatitium jam esse cœpit, ut quibus adolescentibus clericatus ab nobilibus, et splendidis parentibus destinatus est, ut olim in Palatinis officiis honorarii comites; sic illi abbates honorarii nominentur. — *Ex asini ementito indumento*

Certis indiciis ostenditur heterodoxum fuisse quem contra disputatur.

II. Equidem, ut ita persuasum habeam lucubrationes istiusmodi non ab homine catholico, nedum Abbate profectas, sed ab Calviniano quopiam : qui ovis, imo vervecis sectarii, pellem lupino corpori circumdedit, ea sum justissima, quantum arbitror, ratione permotus. Video enim nulla re alia melius animantem ab alterius generis animante, quam voce, discerni. Sic leonem ex rugitu :

ex latratu canem : bovem ex mugitu : lupum ululatu, ovem nos ex balatu dignoscere, et in eadem natura hominis, ac specie, diversas a se mutuo nationes sermonis proprietate distingui. Ergo et ab hæretico Catholicum merito secernet idem vocis, ac sermonis divortium. *Ex verbis enim tuis*, ait Christus[1], *justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Quamobrem cum in omnibus illius scriptis, qui abbatis sibi nomen usurpavit, hæreticorum germanæ, et ab catholicis discrepantes adeo voces, ac dogmata personent, quæ synodicis decretis, ac Romanorum pontificum editis notata, damnataque sunt, quid aliud, quam ejus hominem esse sectæ statuam, qua cum sensu, opinione, et oratione conspiret? Mihi nemo fidem habeat quisquis discernere per se ista poterit. Sibi credat ipsi potius, et cujusmodi sint illa recognoscat. Nihil inter illum, et Calvini alumnum quempiam, aut Lutheri, aut eorum interesse jurabit, qui Dordracenam Calvinistarum synodum ante annos triginta, vel præsentia sua, vel absentes suffragio, et approbatione ratam fecerunt.

Quinque sunt præcipua, sexve capita partim hæresim olentia, partim suspecta, et eo sensu, quo ab illo propugnantur, cum catholica professione minime cohærentia, quæ libris suis intexuit, Latino uno, quem de septem propositionibus ab theologica facultate Parisiensi disceptandis edidit, ac reliquis deinde populari sermone conscriptis : quæ hoc loco describam.

Prima propositio : *Semipelagianorum error est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Cui affinis et annexa hæc est : *Deum nolle salvos omnes fieri, sed eos solos, qui reipsa salvi fiunt.*

II. *Nullam esse sufficientem duntaxat gratiam : sive nullam esse, quæ non sit efficax.*

III. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti.*

IV. *In veteri lege nullam affuisse gratiam sufficientem, etiam Christi meritis impetratam.*

V. Dogma esse fidei catholicæ, *Prædestinationem, sive electionem ad gloriam absolutam a Deo fieri ante prævisa merita, quæ ex fide, Christique gratia proficiscuntur.*

Horum prima quatuor, pro eo, quem illis subjicit, sensu, hæreticorum propria sunt, atque et synodicis confixa decretis, et ab catholicis theologis pro hæreticis magno consensu habita, et proscripta. Postremum, quatenus absolutam, sine præsensione meritorum, electionem ad gloriam, fidei esse dogma decernit, intolerandæ temeritatis est, eoque nomine damnandum. Ut autem appareat, quibus ex magistris doctrinæ labem illam, ac perniciem hauserit, et ut vanam non esse suspicionem, quam de personato hæretico librorum illorum consarcinatore cepimus, prudens lector intelligat, duas ex illis, tresve propositiones seligam : in quibus consentire cum hæreticis supposititium Abbatem, ab Catholicis vero dissidere, perspicuum faciam.

Prima Propositio ab Abbate defensa.

Christum pro omnibus hominibus mortem minime pertulisse : hoc est ea intentione, ut quantum in ipso erat, omnibus ad salutem consequendam prodesset, errorem vocat libellorum scriptor, qui pro abbate se gerit. Sed eo sensu dici vere hoc affirmat, *pro omnibus, et singulis esse passum :* quod illius merita ad omnes ab æterno liberandos exitio sufficerent; tametsi non ad singulos, quantum in ipso fuit, ac sub conditione, salvandos intentionem ullam habuerit. Hoc et in Latina de septem capitibus diatriba docet, ad propositionem quintam : ubi et Semipelagianum illud esse dogma defendit : et in epistolis, ac novissime in *Apologia* contra Dissertatorem anonymum scripta[2]. Cujus verba paulo post excutiemus. *Abbatis cum Calvinistis concordia.*

Calvinianæ sectæ errorem hunc esse, late disputat Franciscus Fevardentius in libro quinto *Theomachiæ Calvinisticæ*, capite XV, ubi cum Ministro disputans loquitur sic : « Hoc etiam inter vestrorum errores numero, quod in *fidei Genevanæ Clypeo* recensetur, nimirum Jesum Christum non pro omnibus hominibus mortuum esse. » Idem de Calvino refert Paulus Windeckius in libro, quem de hoc argumento conscripsit, et nonnulla profert Calvini loca : quorum unus est expressissimus ex libro *contra Tilmannum Heshusium,* in quo asserit carnem Christi « pro impiis non esse crucifixam, nec sanguinem ejus pro eorum peccatis expiandis effusum esse. »

Theodorus item Beza « Christum pro impiis non effudisse sanguinem docuit[3]; tum, falsum, blasphemum, impium esse, dicere Christum, sive quod ad consilium Dei atti-

1 *Matth.* XII. 37. — 2 Cap. X et XVI. — 3 Beza in *coll.*

net, sive quoad affectum[1], » pro reprobis *crucifixum, et mortuum esse*. Quemadmodum autem ad eas Theodori voces etiam hæretici ipsi cohorruerint, narrat ibidem Fevardentius. Hieronymus quoque Zanchius[2], « Christus, ait, secundum propositum Patris pro ipsis tantum electis natus, precatus, mortuus, passus est. »

Verum ne Calvinisticæ factionis singulos appellem, licet universæ in unam congregatæ synodum congruentem cum larvato Catholico sensum cognoscere. In Dordraceno conventiculo, cujus in decreta Calvinianum nomen omne consensit, inter *Arminianorum*, sive *Remonstrantium* errores, illa ipsa, quam suppositititius condemnat Abbas, sententia traducitur, et Pelagianismi notatur, « Qui impetrationis, et applicationis, inquiunt illi, distinctionem usurpant, ut incautis et imperitis hanc opinionem instillent; Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi acquiruntur : quod autem quidam præ aliis participes fiant remissionis peccatorum, et vitæ æternæ, discrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio se ad gratiam indifferenter oblatam applicante, » etc. Mox ait istos : « perniciosum Pelagianismi venenum populo propinare. »

In ejusdem actis synodi complurimis illius sectæ professiones fidei, ac sententiæ referuntur, qua viritim, qua communi ecclesiarum, ut vocant, decreto editæ, velut illa Davidis est Paræi, « Christum proprie pro omnibus, et solis fidelibus, pro nullis infidelibus : et sic non absolute pro omnibus, et singulis hominibus mortuum esse. » Ac subinde eo sensu pro omnibus passum esse Christum dici asserit, quod « sufficientissimum hoc remedium fuerit peccatis omnium, et singulorum expiandis : » quæ est Anonymi Abbatis ratio. Sic Palatini ministri ac theologi negant « intentionem Dei, ac Christi salvatoris fuisse, ut omnes et singulos redimeret; quamvis si amplitudinem, et sufficientiam λύτρου spectes, Christus pro omnibus mortuus esse dicatur in Scripturis. » Prorsus ita uti affirmat Abbas. Idipsum et Hassiaci Calvinistæ profitentur, nec non ecclesiæ Nassovio-Wetteravicæ.

Pretium redemptionis.

Habet et Genevensem ecclesiam mirifice sibi consentientem Anonymus, qui se Abbatem simulat. Nam in thesi octava sic illa statuit : « Pelagianum esse dicere, Deum per mortem Christi velle omnium et singulorum salutem, modo ipsi velint, et voluntatem hominis illam universalitatem determinare. » De sufficientia quoque Bremenses quidam theologi idem cum Abbate occinunt. Tum Embdenses ministri de intentione Christi ac Dei illud Abbatis crocitant, « Christus ex intentione, consilio, et decreto Patris pro solis electis mortuus est : » idque deinceps latius explicant ac probant, quod operæ pretium sit legere, ut intelligatur quam egregie istis cum abbate conveniat. In secunda parte actorum ejusdem Dordraceni conventus exstant theologorum aliquot Calvinistarum non dissimilia judicia : uti Geldrensium, et Nort-hollandorum *intentionem Patris, et Christi* super salute omnium abnegantium; tum aliorum, quos commemorare nimis longum sit. Hæc enim ad concordiæ cum Calvinistis Abbatis illius specimen sufficiunt : ac plura qui volet, Antonii Richardi librum primum adeat : in quo diligenter collecta ista reperiet.

At Catholici ex adverso reclamant, imprimisque Tridentina synodus : cujus verba perperam, absurdeque contorquet pseudonymus Abbas; uti paulo post ostendam.

Malderus Antuerpienssis episcopus, vir peræque pius, et eruditus in commentariis theologicis ita sentit[3] : « Opinio, inquit, illa Calvinistarum, quæ negat pro omnibus, et singulis Christum mortuum esse, toleranda non est. » Et alibi[4]: « Beza eamdem blasphemiam cum suis defendit, nempe Christum pro solis electis mortuum. » Ibidemque Calvinistarum hanc opinionem vocat « abominandum dogma, et errorem vere gravem, et antichristianum. » Par est Fevardentii, cujus paulo ante meminimus, de hac opinione judicium. Tum Claudii Xantonensis[5], Ebroicensis episcopi : qui inter blasphemias illam numerat. Item Paulus Windeckius, quem supra citavimus; et Guillelmus Reginaldus[6] : Jodocus Coccius[7] : et complures alii, qui contra hæreticos hujus temporis strenue decertarunt.

Altera propositio illius appendix.

Deum nolle, quantum in se est, omnes salvos fieri, simulatus Abbas existimat, dum

1 In II resp. ad illud coll. — 2 In præf. tom. VII. — 3 Mald. in I, II, qu. III, dub. V, num. 1. — 4 In *Antisy*. cap. VII, § 3. — 5 Lib. *de Atheismis* Calv. — 6 Lib. III Calvin. cap. XXII. — 7 Lib. II *Thes*. ar. 7.

« eumdem utriusque propositionis, hujus, et superioris, sensum et interpretationem esse » confirmat. Atqui priorem sic exponit, ut nullam in Christo, uti nec in ejus Patre, fuisse voluntatem existimet, qua mortem suam omnibus ad æternam consequendam salutem, quantum in ipsis erat, prodesse voluerit.

In quo subscriptorem, imo magistrum, ac præsultorem, habet Calvinum. Hic in libro *de æterna Dei prædestinatione* scribit sic : « Nunc jactet Pighius[1], Deum omnes velle salvos fieri : quum ne externa quidem doctrinæ prædicatio, quæ tamen spiritus illuminatione longe inferior est, omnibus sit communis. Agitatus olim a Pelagianis fuit locus iste. » En Armacanorum de Pelagianismo trita, et obsoleta nænia, quam eorum mulierculæ in conclavibus, interque pensa præeuntibus illis addiscunt. Hanc eamdem cantilenam audies ab Calvini discipulo Theodoro Beza in libro *de æterna Dei prædestinatione* contra Castalionem: « Primum, inquit[2], affers eum Pauli locum, in quo dicitur Deus velle ut omnes salvi fiant. Vetus hæc fuit Pelagianorum objectio : ne tibi primo in mentem venisse putes. »

Ita Piscator in thesibus, « Impiam, ait, eorum esse sententiam, qui affirmant Deum omnes, et singulos homines, nemine prorsus excepto, salvos fieri velle. » Idem et Dordraceni in synodo sua decreverunt, cujus verba paulo ante reddidimus : et in iisdem Actis, Palatini theologi; et Calvini assedæ cæteri vulgo prædicant.

Quibus catholici theologi constanter obsistunt : qui dum Christum ea intentione mortem oppetivisse docent, ut quantum in se est, et nisi per eos staret, omnes homines ab æterno interitu vindicare vellet, idipsum et de generali, sed conditionata Dei voluntate sentiunt : ut supra demonstravimus. Itaque non dubitat Graverus, cum de Calvini absurdis agit, « hanc opinionem Calvinistarum, quod Deus nolit omnes homines salvos fieri, extreme impiam, et blasphemam » vocare.

Secunda, vel tertia propositio ab Abbate defensa.

Nullam esse communem omnibus gratiam, sive auxilium gratiæ sufficiens ad salutem comparandam, quod ex illa generali Dei, ac Christi voluntate tribuatur : sed omnem penitus Christi gratiam effectum habere suum, nec ei quemquam resistere; diserta est Abbatis sententia : maxime in *Apologia* contra dissertationem Anonymi : qui postremus illius est fetus. In hac asserit ab Tridentino concilio « gratiam illam sufficientem, ac generalem everti, in quam intuentes dicimus Jesum Christum pro omnibus esse mortuum : » atque hanc in sequentibus paginis capitis XVI latissima disputatione refellit.

Quæ Abbatis, ac novorum dogmatistarum opinio tota Calvini est in libro secundo *Institutionum*, capite tertio, § 10, ubi illam prorsus eodem, quo isti, modo, et iisdem rationibus, atque Augustini testimoniis explicat, probatque. « Ac voluntatem movet, (inquit de Deo gratia sua nos excitante loquens) non qualiter multis sæculis traditum est, et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari : sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chrysostomo repetitum repudiari necesse est. Quem trahit, volentem trahit : quo insinuat, Dominum porrecta tantum manu expectare, an suo auxilio juvari nobis adlubescat. » Addit hoc ipsum, quod novi dogmatistæ identidem oggerunt; « Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare; sed quum suo exemplo docuerit, quam miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis et velit, et possit : quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur? » Postremo, « Medium, ait, quem Sophistæ imaginantur, motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia. »

Longum est ea referre, quæ in tractatu *de æterna Dei prædestinatione*, et in libro tertio *de Libero arbitrio* adversus Pighium, idem hæresiarcha scripsit : ubi Augustini testimoniis fretus iisdem omnino, quæ hæretici, et eorum subscriptor anonymus Abbas inculcant, sufficientem gratiam labefactare studet.

Eodem hæretico afflatus spiritu, non abbas, sed ex monacho, apostata, Petrus Martyr sufficientem, et communem omnibus oppugnavit gratiam, non aliis, quam quibus Abbas, et novi dogmatistæ nituntur, locis usus, et argumentis[3]. Tum vero catholicam, ac vulgo receptam ab theologis sententiam Pelagianismi, perinde ut illi, insimulare per-

1 Calvin. *tract theol.* vide et III *Instit.* cap. XIV, § 14.—2 Beza par. I *tract. theol.*—3 Vide loca com. Clas. III, c. I, § 38 et seq.

git[1]. « Recentiores autem theologi, vel sophistæ, ait, ne prorsus viderentur cum Pelagio convenire, ita statuerunt, gratiam quidem primum accedere; sed nostrum esse eam aut recipere, aut respuere. Atque hoc nihilo verius est, quam illud Pelagii. »

In Dordraceno quoque conventu Calvinistarum frequentium judiciis illa eadem communis; ac sufficiens gratia repudiata est, tanquam Semipelagianorum propria. Ita David Paræus pronuntiavit. Ita ecclesiæ ejusdem professionis aliæ. Tum Embdani theologi : quorum hic verba describam : « Gratia interna, qua Spiritus S. movet, immutat, excitat, porrigit corda hominum, non tantum est sufficiens, verum etiam efficax. Ac proinde distinctio illa gratiæ in sufficientem, si non de externis mediis, sed de vero, et interno Spiritus tractu loquamur, minime nobis probatur. Retineant eam sibi Bellarminus, et Arminius. »

Scripsit epistolam Petrus Molinæus ad eamdem Dordracenam synodum; in qua de gratia illa sufficiente, ac reliquis plerisque capitibus, quæ in Abbatis epistolis disputantur, quid cum Gallicanis omnibus hæreticis sentiat non minus copiose, quam aperte profitetur. Sunt autem hæc, quæ ibidem exponit, cum iis, quæ abbas docuit, adeo consentanea, ut hic ex illo sumpsisse videatur. Ac sub finem epistolæ Molinæus ita scribit. « Gratiam universalem datam omnibus hominibus, quæ vel mediate, vel immediate sufficiat ad perveniendum ad salutem, nullam agnosco. » De hac vero epistola decretum fecere Dordraceni; ut « de accuratissimo scriptoris judicio, et consensu in doctrina gratiæ ei agerentur. » Nec dubium, quin honoris illius, et gratulationis particeps sit Abbas; quem non incredibile est Molinæi istius alumnum, et ab eo institutum, ac subornatum fuisse. Nam et alia quadam in epistola Molinæus idem[2], « Pessimum, inquit, quod reperio in opinionibus istis nuperis, est gratia ista sufficiens; » quæ ab Abbate dicta possunt videri.

His gratiæ sufficientis, ac propositæ omnibus inimicis opponendi sunt catholici theologi : qui ex Tridentini concilii decreto illam se adversus hæreticos adstruere professi sunt; ut inter alios Dominicus Soto, Andreas Vega, Franciscus Horantius, aliique, quorum testimoniis usus est anonymus auctor dissertationis primæ contra Abbatem[3]. Nec multum ad rem pertinet, quod in explicanda gratiæ illius permotione, et efficientia nonnulla sit inter catholicos istos theologos opinionum dissensio. Non enim ad negotium fidei pertinet celebris illa controversia. Pertinet autem ambarum consensu partium, sufficientis, quam Abbas negat, auxilii, gratiæque professio : ut, qui illam improbant, et anathemate damnati ab Tridentina synodo, et ab Catholicorum numero segregandi, atque hæreticis adscribendi communi omnium judicio censeantur.

Certe omnes S. Thomæ discipuli, ac doctrinæ illius addictissimi, cum de aliis ad eam spectantibus acerrime disputent, de sufficiente gratia nullam litem commovent; nec dubitant, quin sit in natura rerum istiusmodi aliqua. Testes sunt ejus rei doctissimi illarum partium theologi, Cumel, Petrus de Cabrera; Ledesma; quorum medius affirmat, adeo certum esse sufficientem dari gratiam, « quæ adultis saltem omnibus in Christo tribuitur : ut oppositum sine errore affirmari non valeat. » Sic enim refert eruditissimus theologus, et episcopus Antuerpiensis Joannes Malderus[4], qui et ipse Calvino contrariam impingit opinionem. Nec secus existimat Andreas Duvallius præceptor olim meus[5]: quem ante annos quinquaginta gratiæ dogmata in Sorbonicis scholis explicantem audiebam : ac penes me sunt illius dictata, quæ tum adolescens excepi : in quibus eadem lego de sufficiente gratia, quæ hactenus exposui : quæ typis sunt excusa postea.

Idem et collegæ illius, ac præceptoris mei Philippi Gamachæi sensus exstitit : cujus fidem faciunt ipsius theologici commentarii[6]. Possum iis innumeros alios adjungere, vetustiores recentioresve scholasticæ theologiæ magistros, ac sacrarum litterarum interpretes : qui per catholicas omnes Academias celebri pietatis, ac doctrinæ laude præstiterunt. Qui quidem tum hoc de sufficiente gratia dogma : tum alia, quæ sub Abbatis nomine, ac persona nuperus ille vellicavit auctor, pro exploratissimis, ac plane catholicis habuerunt. Verum ad id, quod modo propositum habeo, satis ista sunt, quæ ex multis pauca libavi, ut ex iis confici, intelligique possit, in tractandis duobus, tribusve capitibus, quæ in specimen adduximus, sic

1 Vide loc. com. clas. III, cap. II, § 13. — 2 Apud Mald. in I, II. — 3 Cap. XIV et seq. — 4 In I, II, qu. CXI, art. 3, dub. v. memb. 5. — 5 Tom. I tract. I *de grat.* qu. I, art. I. — 6 Gammach. in I, II, qu. CXIII. cap. v.

Abbatem esse versatum, nihil ut ab Calvino, Calvinique discipulis illius abhorreret oratio: sed iisdem sententiarum, argumentorum, ac pene verborum vestigiis insisteret.

Quæ res conjecturam illam vehementer affirmat, quam fecisse nonnullos initio dixi: non Catholicum, aut abbatem hunc esse, sed Calvini gregalem nescio quem, qui personatus in scenam irruperit. Sit igitur opinio ista verior: in quam et ratione convicti, et alioqui voluntate propensi magis inducimur. Libentius enim facio, ut de catholicæ fidei dogmatibus certamen instituens, cum legitimo hoste, id est hæretico, quam cum homine catholico contendam.

Sic agam itaque deinceps scriptore cum isto, tanquam cum alieno, et hæretico: nec eum tamen, quem quis sit nescire volo, durius, et inclementius appellabo; quanquam aliter de me meritus est, qui rixæ, quam cum Anonymo privatim exercebat, ἐκ περιουσίας meum nomen immiscuit. Sed contemnenda scilicet ista sunt: et habenda ratio est, non quid illo dignum sit; sed quid catholicam moderationem, a qua, perinde ut a fide multum alienus est, deceat. Quamobrem nihil nisi *Heterodoxum* illum nominabo postea: quod *sectæ alterius*, et *opinionis hominem significat.*

Temere.

Ad extremum mihi ingressus in hanc concertationem fore aptissimus videtur, si de eo disputare incipiam, a quo litigandi initium est profectum. Id vero est, an ad explicandas controversias, quæ de Tridentini concilii decretis de gratia inter Catholicos existunt, conciliatrix advocanda sit Augustiniana doctrina.

CAPUT II.

I. *An ex Augustini doctrina Tridentini concilii decreta de gratia explicari oporteat.* 2. *De quo Heterodoxi castigatur opinio, et ab eo proposita regula refellitur.* 3. *De Tridentinis decretis, quatenus inter Catholicos possit esse controversia.* 4. *Multis modis confutatur Heterodoxi cautio de illorum decretorum interpretatione.*

I. In Heterodoxi decreto quædam ante non obtuso lectori animadvertenda sunt, ex quibus quale istud sit existimare possit. Est autem in hanc formulam conceptum: « Cum de gratia agitur, ea Tridentini concilii loca, de quorum sensu disputatur inter Catholicos, ex Augustino interpretari oportet: cujus in condendis de illo mysterio decretis suis tum sententias, tum etiam verba synodus illa mutuata est. »

An ex Augustini doctrina Tridentina decreta sint explicanda.

Hoc in edicto id imprimis observandum est, de iis agi decretis synodi Tridentinæ, quæ ad fidem attinent: hoc est, quæ inter fidei capita, vel articulos censeri voluit synodus: ut qui aliter sentiat, pro hæretico sit judicandus. Talium ergo capitum sensus ad decidendas Catholicorum inter se controversias ex Augustini libris, doctrinaque repetendus erit: ut Heterodoxi jubet edictum.

Deinde notandum et illud venit; non earum controversiarum, quæ de Tridentinis decretis Catholicos inter et hæreticos agitantur; sed earum duntaxat, quas inter se Catholici movent, arbitrum illic Augustinum præscribi.

Tertio memoria retinendum hoc est; interpretationem Tridentinorum locorum, quam ex Augustino arcessendam statuit Heterodoxus, talem esse debere, ut controversiam dirimere possit: hoc est certi aliquid definire, in quod pars utraque conveniat, et litigare desinat.

Denique sciri et hoc oportet; *interpretationis decreti*, quod ad fidem spectat, eam esse vim, ut enuntiati, vel orationis, qua decretum continetur, verum, proprium, ac germanum exprimat sensum, qui ejusdem conditionis, proprietatisque sit, cujus est decretum ipsum: hoc est, cum ad assensum animi refertur, uti verus, vel falsus sit, et ea veritatis, aut falsitatis genere, ac gradu, quo decretum ipsum. Quod autem ad Tridentina decreta spectat, ea nonnisi vera sunt, et eo veritatis genere, quod ad fidem pertinet. Quare sensus illorum, quem vera, et germana interpretatio iis adhibet, perinde fidei catholicæ firmitatem habet, de qua non magis dubitare fas sit, quam de Apostoli doctrina: ut ex Heterodoxi Apologia post paulo demonstrabitur.

II. His animadversis, edictum illud non absurdum solum esse defendo; sed etiam minime cohærens, a seque dissentiens. Primum enim nulla inter Catholicos de Tridentinæ synodi decretis ad catholicam de gratia professionem spectantibus potest esse contentio. Catholicos dico, quales, si sapit, intelligere oportet edicti conditorem, doctos scilicet, et eorum intelligentes, quæ de gratia

Abbatis edictum refellitur.

Catholicis omnibus synodus credenda proposuit. Nec de iis quæstionibus loquor, quæ doctrinæ illius, et decreti consectariæ sunt, et a theologis probabiliter, nec sine contentione aliqua disputantur. Non enim quæ sunt ejusmodi, fide esse certa synodus voluit : sed quæ obvia sunt, et simplicia : quæque mediocris ingenii captus intelligentia consequi potest. Nam talia esse debent, quæ ad assensum fidei Christianis objiciuntur ; uniusmodi scilicet, nec ambigua, aut intellectu difficilia nimis et in multiplici notionum ambitu posita. Ut autem melius quæ dixi percipiantur, in fidei dogmatibus discernenda sunt duo : alterum est, ipsa, ut sic loquar, articuli substantia ; quam fidei nostræ proponit Ecclesia : alterum, consequens quiddam, quod ex illa argumentando deducitur.

Ut, exempli causa, ex duabus naturis unam Christi coalescere personam, et eumdem esse Deum pariter, et hominem, catholica statuit Ecclesia. Hoc igitur fidei caput est, de quo controversiam nemo potest movere Christianus. Sed utrum humana ipsa substantia proprium habeat existendi modum : an, ut subsistendi, alienum ac divinum, res est in opinione sita ; quemadmodum et illud, an ex ambabus naturis persona composita censeri debeat : et ejusdem generis alia, quæ ex jactis fidei principiis in utramque partem disputando nectuntur ab scholasticis. De his enim, ut acres interdum, sic ab fidei periculo remotæ controversiæ, et eo ipso licitæ, inter Catholicos oriuntur. De priori vero genere, hoc est asciti in auctoritatem canonicam *articuli substantia*, nemo Catholicus a Catholico dissentit. Norunt enim omnes, qui quidem ad controversias de iis habendas idonei sunt, quid illis decretis cautum, ac determinatum fuerit : quod, ut dixi, simplex, et minime perplexum, ac laciniosum esse solet. Cætera sic versantur in scholasticis, et eruditis concertationibus, ut aliter alii sentiant ; et ad fidem pertinere istis asserentibus, impune illi negent. Neque vero quoniam ex rato, et constituto fidei capite probabili ratione collectum est aliquid, ideo pro tali necesse est haberi : aut ab synodo, quæ prius decrevit, posterius hoc consectarium, fixum, ac definitum esse fateri cogimur : cum cur hoc negetur sua quoque parti alteri probabilis ratio constet.

III. Quamobrem quod in Heterodoxi edicto positum est, earum controversiarum, quæ de synodalibus Tridentinorum Patrum decretis de gratia nascuntur inter Catholicos, explicationem, ac decisionem ex Augustini doctrina petendam esse, speciem, ac pompam habet, quæ fallit imperitos : reipsa vero futilis est, nec secum cohæret. Non enim Catholici cum Catholicis, ut jam demonstratum est, de istis decretis, et obvio, ac primario illorum sensu, (quo solo catholica fides obstringitur) controversiam habent : sed cum hæreticis tantum : ad quos coercendos, et convincendos adhiberi potest, ac solet Augustinus ; quanquam vicissim et illi Augustino teste, ac suffragatore glorientur. Illud, quod institutæ disputationis est, pugnamus iterum, et insistimus ; ad eorum locorum interpretationem, in quibus Tridentina synodus quid de gratia credi oporteret Ecclesiæ præscripsit, in eum finem Augustinum assumi non posse, ut natæ inter Catholicos de illorum sensu controversiæ decidantur : quia nullæ inter Catholicos existunt hujusmodi, quæ ad principalem, ac fidei professioni necessarium sensum pertineant : sed ad consectaria solum illius, et consequentia ; quibus obligare nos synodus noluit ; sed ea liberis theologorum judiciis, ac certationibus reliquit.

Quænam de Tridentinis decretis possit esse inter Catholicos controversia

IV. Atque ut Edicti vanitas omni ex parte constricta teneatur ; age demus hoc Heterodoxo latori legis, quod a nobis nonnisi precario impetrare potest, de sensu Tridentini alicujus decreti de gratia contendere inter se Catholicos, et ex illius formula, litis ab Augustino disceptationem reposci : sic, opinor, instituenda res erit : Quoniam in ista contentione Catholicorum hoc agitur, ut decreti Tridentini, quod fidem exigit, verus, et nativus sensus obtineatur, necesse est ut interpretatio ipsa ex Augustini doctrina, librisque confecta, et enucleata, fidei certitudinem habeat. Etenim decreti verba nonnisi ex sensu, et explicatione vim capiunt, ac firmitatem fidei. Quare tantidem esse debet decreti sensus ex Augustini scriptis expressus, quanti est ipsum synodale decretum : ut ex æquo sit pro hæretico judicandus, qui ab alterutro dissentiat.

Multis modis confutatur Heterodoxi cautio de illorum decretorum interpretatione.

Nam qui de canone aliquo rem fidei continente ab Tridentina synodo edito altercantur inter se theologi, hoc, puto, requirunt, quid sit catholica fide tenendum ex mente, ac decreto concilii : nec eorum aliter controversia terminari potest, quam si arbitræ Augustini doctrinæ sententia sensum aliquem ejusmodi repræsentet, non cui, tanquam probabili duntaxat, pars suscribat utraque ;

sed qui fide catholica certus, indubitatusque teneatur. Nam si probabilis tantummodo sit, non omnem contentionem exhauriet, neque litem resolvet : integrumque pars habebit altera, eo sensu repudiato, probabilem alium amplecti.

Quocirca persuasum hoc esse debet Heterodoxo, parem et eamdem cum Tridentino decreto certitudinem esse fidei in Augustini doctrina ; quod citra ambages asseverat in *Apologia* sua, ita scribens[1]: « Augustini doctrinam tam arcte colligatam esse cum sedis Apostolicæ doctrina, et Apostoli ipsius, ut illius damnari doctrina nequeat, quin simul utraque ista damnetur. » Neque vero tam certa solum, quam Tridentinum est decretum, hujus explicatrix Augustini videri debet oratio : sed etiam perspicua magis, et intellectu facilior ; tum ab omni controversia, et contentione remotior. Nam si nihilo dilucidioribus verbis concepta sit ; sed ejusmodi, ut de sensu illorum Catholici inter se contendant, manifestum est non satis consulto ad interpretenda synodi Tridentinæ decreta Augustini libros admoveri.

V. Prorsus igitur Heterodoxi præscriptio eam vim habet, ut quoties decreta Tridentini concilii de gratia Catholicis obscura videntur, ac de eorum sensu contraria sentiunt, statim ac prolati fuerint illi Augustini libri, ac loca illa, ex quibus synodalia sunt confecta decreta, omnis horum detrahatur ambiguitas, et obscuritas : ac si ipse revivisceret Augustinus, deque controversia illa Catholicos inter ex decretis orta synodalibus arbiter sederet, non aliis verbis, ac sententiis eam decideret, quam quæ illius in scriptis hodie leguntur. Hoc omnino ex Heterodoxi tota illa disputatione consequens est ; quod ipsum tamen perplexi aliquid, et absurdi secum trahit ; ac miro modo fit, ut quo illud argumento probare studet, eo ipso non esse probabile demonstret. Sic enim loquitur : Idcirco in controversiis Catholicorum, quæ de sensu Tridentinorum decretorum de gratia nascuntur, interpretationem ex Augustini doctrina comparandam esse, quod in illis scribendis non sententias duntaxat illius, sed etiam verba mutuata est synodus. Atqui hæc ipsa ratiocinatio persuadet, non posse decretorum illorum explanationem, neque controversiæ disceptationem ex Augustino satis idoneam confici. Etenim Tridentini Patres, cum ex Augustini libris sententias, et verba seligerent, quibus decreta sua conderent, illa utique sumpserunt, quæ omnium ad id, quod sancire, et significare vellent, aptissima judicabant. Sunt autem hujusmodi, hoc est idonea maxime, illa verba, illæque sententiæ, quibus clarissime, ac disertissime enuntiata illa declarantur. Non enim magis expressis, et apertis relictis, minus evidentia, et perspicua caperent. Quod si facerent, imprudenter facerent : et ideo minime fecerunt ; quia nihil nisi prudenter, et ut decebat; ab illis factum esse convenit. Qua re constituta, sequitur nullam ex Augustini monimentis sententiam aliam ad Tridentina explicanda decreta proferri posse ; quoniam cum hæc ex Augustini clarissimis omnium verbis, sententiisque contexta sint, necesse est quidquid præterea ex eodem Augustino capiatur, id eo, ad quod declarandum adhibebitur, minus explicatum, ac liquidum videri. Nam ut in canonibus, sive anathematismis, propter brevitatem, clariora putentur alia esse prætermissa : certe in capitibus, quæ eamdem fidei summam collatare, ac diffusius explanare solent, comprehendi poterant ; et profecto debebant ; ut quæ Catholicis credenda proponerent, tum ipsi melius intelligerent : tum quod spectasse se synodus ipsa testatur, minus difficultatis, ad quam declaratione opus esset aliqua, relinquerent.

VI. Qua in re consideranda maxime sunt synodi verba, quibus ea, quæ statuerat, rata, et omnibus probata esse voluit : tum etiam perspicua sic haberi, *ut declarationem minime postulare viderentur*. Nam cum ibidem ostendit, a quo declaratio decretorum illorum petenda sit, si difficultas oriatur aliqua, ob quam illa sit opus ; non incertum, et perpetuum *difficultati* isti, ac *declarationis* necessitati tempus præfinit : sed breve aliquod spatium, et decretorum promulgationem proxime consequens. Sic enim loquitur : « Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulent, » etc. Nempe proxime consecutum tempus indicat, quo publice proposita decreta, et per provincias, ac civitates recepta sunt, atque ab iis, quorum intererat, Catholicis explicata. Quo tempore si quid forte quæstionis incideret, ab Romano pontifice per eos præsertim, *quos eidem tractando negotio* præfecisset,

[1] *Apol.* cap. XI.

postulandam illius decisionem esse censuit. Quocirca tanto post intervallo, cum ea potissimum, quæ ad fidem spectant (quæ quidem cæteris expeditiora, et intellectu faciliora esse debent: ut de his propterea temporis illa, quam notavi, proximitas accipienda sit). Cum igitur synodica fidei decreta toties, ac tam diligenter excussa, examinataque fuerint; præsertim ob anxiam, et morosam in illis versandis hæreticorum industriam; nullus de eorum sensu inter Catholicos hæsitandi locus est relictus, nulla controversiæ seges, ad quam componendam disceptatore sit opus, aut interprete. Soli restant hæretici, perpetui Romanæ ecclesiæ, ac Tridentinæ synodi hostes, qui hujus decretis obstrepunt, et fidem abrogant, atque in devios, et contrarios sensus illius placita detorquent. Contra hos armandi sunt Catholici, ut occurrere possint captionibus eorum auctoritate veterum, ac præ aliis Augustini; quam et illi anteponunt cæteris, et a suis partibus stare tam falso, quam odiose gloriantur.

Emendabit ergo legem suam, si sapiet, Heterodoxus nimis tumultuarie, et inconsiderate scriptam: et quod de Catholicorum inter se controversiis edixit, ad eas accommodabit, quas illi cum hæreticis instituunt, tam Lutheranis, et Calvinistis, quam novis dogmatistis, qui Tridentinæ synodi decretis ore, ac verbis assentientes, re, ac proposito animi acriter obsistunt: et per speciem Augustinianæ doctrinæ, turbant pacem; scindunt unitatem; sedis Apostolicæ sanctiones, et legitimas synodalium canonum interpretationes cavillando elevant, et eludunt.

Observationum. VII. Brevis hæc, sed utilis animadversio tanquam everriculum erit ἐνστάσεων aliquot Heterodoxi: qui contra Anonymi adversarii sui dissertationes ambas disputans, me quoque in eamdem altercationem inclusit: et quod in ejus edicto reprehensum est, meo id exemplo purgare, ac tueri se posse credidit. Itaque sæpius hoc inculcat[1], idem, cujus arguebatur ipse, commisisse Petavium, ut Tridentinorum dogmatum interpretationem ex Augustini libris arcesseret. Verum ex iis, quæ paulo ante notanda diximus, intelliget non eamdem esse causam utriusque. Etenim quod ex Augustini libris Tridentinum decretum de libero hominis arbitrio utriusvis optandi potestatem habente defendere volui, feci hoc ibi, ubi rectum fuit, ac necesse facere: nimirum in ea controversia, quæ inter Catholicos et Calvinistas, ac Lutheranos, tum amborum assectas vertitur: non in ea, quam soli habent inter se Catholici: illi, inquam, Catholici, qui non appellatione sola nominis istius, sed re, ac doctrinæ professione censentur. Horum enim posterius in usum venire non posse, quod edictum Anonymi Heterodoxi continebat: prius autem utiliter institui, satis hucusque demonstravimus. Desinat itaque deinceps Heterodoxus meo ex instituto, et exemplo temeritati suæ patrocinium obtendere: hoc est ex amborum comparatione turpiorem, ac desperatiorem causam suam reddere.

CAPUT III.

Augustini doctrinam intellectu esse difficilem, deque ea controversias oriri inter Catholicos. 1. Heterodoxi calumnia. 2. Quæ ex ipsius placitis diluitur. 4. Tum ex Catholicorum sensu adversus hæreticos disputantium.

I. Bene hoc Anonymus auctor in priori dissertatione monuerat, nequaquam, ut Abbatis supposititii lex jubet, si quæ de fidei decretis ad gratiam pertinentibus controversiæ orirentur inter Catholicos, ex Augustini doctrina posse dirimi: quod non minor de Augustini esset sententia doctorum hominum contentio. Displicuit hoc Heterodoxo, et ad Augustini contumeliam traxit, quod ulla diceretur esse de illius verbis, sententiisque controversia. Itaque mirifice contorquet se, ac nescio quibus intemperiis actus probris, et conviciis dissertatorem lacerat: hunc insolentem, hunc temerarium appellat: quod Augustinum scripserit haud adeo perspicuum esse, ut non de hujus interpretatione graves inter eruditos homines fuerint, et hodieque sint controversiæ. Hoc cum ita verum, certumque sit, ut nemo nisi ignarus rerum omnium nescire; nemo qui sciat, nisi inverecunde negare possit: tamenne qui hoc dicat, temerarius et insolens habeatur? Quibus vicissim dictis configenda tanta procacitas erat, si tanti esset Heterodoxus iste, ut

1 Abb. in epist. *ad præf.* et in *apol.* par. I et II.

quod per iram, et impotentiam jecit, æquum esset id nos serio prævortier?

Heterodoxi calumnia.

At etiam calumniose, fraudulenterque Dissertationis verba retulit; dum Augustinum *auctorem* illic nominari dicit *obscurum et intricatum* [a] : nec non, *confusum*, *et perturbatum*, *inordinatumque scriptorem* [b]. Atqui nihil horum in dissertatione simile reperias. Ibi capite secundo ratio hæc adfertur, cur Augustini doctrina controversiarum de gratia ex Tridentinis decretis exortarum arbitra, et interpres adhiberi nequeat inter Catholicos; quod « non sit intellectu facilis, et huic ipsi interprete sit opus. » Tum hoc additur [1]. « Non enim ignorare potest, de Augustini mente, ac sententia jampridem acriter inter se contendere Catholicos, et eruditos theologos : quod argumento sit, haud illam adeo expeditam, et in proclivi esse positam. » Hæc omnia, si bene Latine novimus, nihil aliud significant, nisi *intellectu facilem* non esse Augustinianam doctrinam; nec ejusmodi ut non de illius sensu dubitari, et controversia moveri possit. An qui *facilem ad intelligendum* aliquem scriptorem negat esse, hoc ipso *confusum*, *intricatum*, *perturbatum* et *inordinatum* esse pronuntiat? Apostolus certe Petrus in epistolis Pauli *quædam esse* dicit *difficilia intellectu* ; utrumnam propterea scriptorem eumdem *confusum ac perturbatum* appellasse putandus est? Et Augustinus ipse ad *Psalmum* XVII in Prophetis, inquit, « atque in omnibus divini verbi prædicatoribus obscura doctrina est. » Equidem nescio ridenda magis sit an severiore stylo plectenda heterodoxi illius tam insignis vecordia; in quam eadem iterata calumnia toties incurrit.

Augustini doctrina intellectu difficilis.

Heterodoxi calumnia ex ipsius placitis diluitur.

II. Sed eo revocemus animum, quod in secundo illo capite dissertationis recte animadversum esse diximus, et in *Apologia* præfracte negat Heterodoxus : Augustini doctrinam, haud ita facilem ad intelligendum esse, ut non docti inter se Catholici de illius explicatione contendant : ex quo consequens sit, minime ex ea tolli, dirimique controversias posse, quæ de Tridentinis decretis inter Catholicos existerent. Hoc qui non videt, prorsus harum litterarum est rudis : qui sciens negat, huic communis ante sensus est optandus, quam ad dedocendum ratio cum eo aliqua conferatur. Multa multorum sunt incredibiliter, et improbe, ac sine ullo pudore dicta : sed omnia superat, et extra tolerabilis licentiæ fines egreditur commentum illud Heterodoxi : ita claram et perspicuam Augustini esse doctrinam ut de ea nulla sit inter Catholicos movendæ controversiæ justa ratio. Atqui res ipsa per sese loquitur. Et ut Heterodoxi frontem valentius pulsem : age pro se ipse nobis respondeat, ecquid catholicus haberi cupiat. Non negabit, quamdiu ludum suum in scena peraget.

Igitur Catholicus ille Deum non putat omnium ad salutem adducendorum communem voluntatem habere, et ex ea intentione animi, idonea comparandæ salutis omnibus auxilia destinare : ita ut iis, qui reipsa pereunt non divina voluntas, neque gratiæ præsidium, sed illi potius divinæ voluntati gratiæque defuerint. Falsum id absurdumque esse jurat Heterodoxus, homo sua opinione Catholicus. Idem etiam judicium facit de Christo Salvatore; quem negat ea intentione passum, ut ad omnes, quantum in se erat, mortis ac passionis fructus suæ pertineret, et ad eos applicaretur. Quin ille ipse sufficientem, quam vocant, et ab efficaci distinctam gratiam esse nullam existimat : ac cætera ejusdemmodi credenda fidei catholicæ objicit, quæ primo capite commemoravi. Porro nulla alia se causa, cur ita statuat, commoveri impellique profitetur, nisi quod Augustini talem arbitratur fuisse sententiam : cujus auctoritas in iis quæ ad gratiam, ac prædestinationem attinent, rata sit, et sacrosancta.

III. Nunc de iis volo respondeat, qui alia omnia sentiunt, quæ illic percensui. Eosne judicet, inquam, esse Catholicos, qui quod Heterodoxus asserit, falsum universi, complures hæreticum esse pronuntiant; Joannem Malderum Antuerpiensem, Claudium Xantonensem, episcopos, Paulum Windekium, Guillelmum Reginaldum, Jodocum Coccium, Graverum, Cumel, Cabreram, Ledesmam, Andream Duvallium, Philippum Gamachæum, tum alios theologos, quos adversus suppositii Abbatis illa decreta testes et suffragatores appellavit prioris auctor dissertationis, una cum Senonensi concilio, aliisque proxime ante, vel post Tridentinum Christiano toto

a Apol. cap. IV. « Un Auteur obscur et embarrassé. »

b Ibid. cap. IX. « Un Ecrivain confus et embrouillé. »

1 Dissert. prima.

orbe celebratis? Quid Academiæ catholicæ omnes; omnes qui vivunt hodie theologi; paucis exceptis, quos pestilens aura novi Dogmatis afflavit? Quo in numero illos habeat, dicat Heterodoxus. Si Catholicos neget: jam persona posita, Catholicus et ipse Abbas videri desinet, atque apprime se Heterodoxum, id est hæreticum probabit. Sin eos pro Catholicis agnoscet: cum iidem ex Augustini scriptis et doctrina quæ sentiunt hausisse, ac defendere se profiteantur; tandem hoc quod cupimus, obtinebimus de Augustini sensu, et interpretatione non minimam inter se theologos Catholicos habere controversiam: adeoque verissimum illud esse, quod, si saperet, non abnueret Heterodoxus; haud esse facilem intellectu doctrinam, ac sententiam Augustini in iis, quæ ad gratiam pertinent: et in contrarias partes argumentando, explicandoque posse distrahi.

Ubi est igitur decretum illud Heterodoxi? ubi præclara illa regula declarandorum Tridentinæ synodi canonum de gratia ex Augustini auctoritate confecta? aut quis altercationum istarum exitus erit, si illam adhibeamus arbitram doctrinam, ad quam enucleandam, et explicandam, alius sit nobis quærendus arbiter, et interpres?

Nimis equidem velim, Heterodoxum, vel alium quempiam ejus similem, quales sunt novi dogmatistæ, cum Catholico aliquo disputantem videre; mediis inter utrumque positis Augustini commentariis. Quis, putas, litis, ac rixæ finis esset, si de uno aliquo controversorum capitum pugnantibus ambobus, vicissim uterque sua proferret ex illis libris testimonia, quibus causam suam potiorem esse monstraret? Legeret Heterodoxus quæ vellet illius loca, quæque suffragari sibi crederet: alter vero quæ a se facerent vicissim opponeret; et ab adversario prolata in suum commodum interpretando verteret. Idem et Heterodoxus in objectis sibi Augustini sententiis tentaret facere. Quid ageret, aut quem contentionis exitum suo illo præscripto expediret Heterodoxus? Non alium, opinor, quam quo insulse in *Apologia* nonnunquam utitur: ut rei evidentia convictus ad θεασμοὺς, et intempestivas exclamationes, ac vota precesque stylum conferat; quibus bonam mentem adversario suo comprecatur; quam cum pudore ipse funditus amisit.

IV. Nam quod ad eludendam dissertationis exceptionem istam de Augustinianæ doctrinæ non *confusione*, ut calumniatur, sed *ad intelligendum difficultate*, Scripturarum sacrarum exemplo se tuetur Heterodoxus[1]: nullum ad causæ suæ perniciem validius telum ministrare nobis potuit: quod merito quidem Anonymus in priore dissertatione jam objecerat[2]. Nam cum Hæretici hac ætate passim ad disceptandas fidei controversias unicam adhibeant regulam, Scripturam sacram; Catholici ex adverso præscribunt, ideo scriptum Dei Verbum ad dirimendas illas controversias, altercationesque pacandas minime sufficere, quod propter obscuritatem varios in sensus, interpretando trahitur: ut de illius certa, et liquida sententia multum disputari necesse sit, antequam hoc ipsum, quod intendimus, ex illo velut principio confici possit. Quod idem et de Augustiniana doctrina haud paulo justius usurpare licet adversus Heterodoxi commentum: neque propterea de Augustini dignitate detrahitur aliquid: uti nec Scripturarum auctoritatem in earum causanda difficultate minuunt Catholici; quam in epistolis Pauli, ut jam diximus, vertex Apostolici collegii Petrus agnovit.

CAPUT IV.

Disputatur de ea quæstione, an Deus omnes homines salvos fieri velit, et quo sensu: tum de Christi morte, an pro omnibus ea suscepta sit. 2. Constituitur status quæstionis, ac sensus enuntiationis utriusque. 3. Heterodoxi absurda de illis opinio. 4. Quæ ex Tridentini Concilii auctoritate convincitur. 6. Qua cum veteres consentire docetur. 7. Altera cavillatio Heterodoxi discutitur.

I. Atque ut de singulis modo capitibus Heterodoxi, quæ hæreticam indolem sapere dixi, sermonem instituam, ab eo, quod primum positum est initio capto, perspicuum faciam quanta in opinionis pernicie, ac doctrinæ catholicæ inscitia versetur. Est autem caput hoc bifariam partitum, nam et divinam in homines ad salutem adducendos voluntatem: et Christi propositum, ac consilium tolerandæ itidem pro omnibus mortis, ac

Quo sensu velit Deus omnes salvos fieri.

[1] *Apol.* cap. IX. — [2] Cap. II.

passionis continet. In utroque vero plurimum aberrat Heterodoxus, ac Tridentini decreti sententiam præpostera enarratione depravat: nec Augustini postremo, quo auctore nititur, sensum est assecutus. Quare deinceps ista tria complectar; ac primum de voluntate ipsa Dei, Christique per sese meritis, ac proposito loquar.

Duo hic enuntiata sunt; unum ex Apostolo sumptum in ea, quæ est *ad Timotheum* [1]: ubi *Deum* affirmat *omnes homines velle salvos fieri:* alterum ex eodem Paulo in epistola *ad Hebræos*, in qua *Christum* ait *pro omnibus gustasse mortem*. Has propositiones duas inter se nexas esse censet Heterodoxus [2]; cujus verba cumprimis animadvertenda sunt, « Tu sumis hoc (ait Dissertatorem alloquens) duas propositiones istas e Scriptura petitas, Deus vult omnes homines salvos fieri : et hanc, Jesus Christus mortuus est pro salute omnium hominum, eumdem habere sensum, et æque late patere. Et revera posterioris sensus pendet ex sensu prioris : hoc est, Deum velle salutem omnium hominum eodem sensu quo Jesus Christus pro omnium hominum salute mortuus est. »

Hoc vero posito quid sit consequens videamus : *Deum velle* cum dicimus *salutem omnium hominum*, id opinor, asserimus; divini esse consilii, et intentionis, ut omnes homines salvi fiant; et ad hoc, quod vult, exequendum, navet operam aliquam, adjuvetque quos benefica illa voluntate dignatur. Et quamvis de vocabulo *omnium* nonnulla quæstio sit; ut vel omnes intelligantur, ac singuli homines, vel certi duntaxat, qui *omnes* censentur quibusdam de causis, quas ex Augustino alii memoravimus : tamen utcumque vox ista sumatur, quæ ad illos omnes pertinet *volendi* dictio, uniusmodi est, et affectum voluntatis, ac destinationem, sive propositum, et intentionem aliquam ejus efficiendi significat, quod res voluntati subjecta continet.

Statu quæstionis constituitur

II. Nam cum omnis enuntiatio duplici termino constet, subjecto ac prædicato, propositio ista, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, hoc modo in utrumque resolvitur : *Salus omnium hominum est voluntati divinæ proposita :* vel, ut scholæ loquuntur, *est a Deo volita*. Ubi *subjecti* locum obtinet *omnium salus : prædicatum* vero est *voluntas*, aut *volitio Dei*. Quæ quidem voluntatis actio ea est, quam *intentionem* vocant Latini philosophi [3], Græci βούλησιν, quæ est *motio voluntatis in finem*, sive *finis appetitio*. Igitur in omnium hominum salutem, ac singulorum, quos collectivus ille terminus, *omnis*, continet, divinæ voluntatis actio distribuitur.

At posterior enuntiatio, si, ut Heteredoxo placet, *eumdem habet cum priore sensum, et non minus late porrigitur ;* prorsus ita concipi debet : *Omnium, ac singulorum hominum salutem morte sua procurare voluit Christus ;* ac perinde ut in altera, *subjecti* locum habent *omnes et singuli homines*, quos particula hæc, *omnis*, afficit : prædicati vero, *voluntas, et intentio Christi morientis*. Neque vero aliter propositio hæc intelligi potest, quam ut Christus in omnium salutem morte sua promerendam intentus fuerit, hoc est illius procurandæ *volitionem*, et *intentionem* habuerit; quod sane Catholicorum omnium communis habet opinio ; tam Deum ipsum, quantum in se fuit, voluisse salvos omnes facere, quam Christum, quod unicum, ac necessarium *medium* ad illum, quem destinarat, finem assequendum adhibuit Deus, eamdem omnium salutem repræsentare sua morte voluisse.

Heterodoxi absurda opinio.

III. His notatis, absurda Heterodoxi, minimeque cohærens, sed semetipsam evertens ratio convincitur. Hic enim, uti primo capite meminimus, Christum negat eo fine, ac consilio mortem suscepisse, ut quantum in se fuit, omnibus salutem procuraret æternam : nec eam intentionem habuisse dicit : imo vero qui id assererent, Semipelagianorum hæresi affines esse. Quod si quis universe pro omnibus et singulis omnino mortalibus Christum esse passum ac mortuum affirmet ; nec, ut Augustinus, aliique, enuntiatum hoc ad solos prædestinatos, vel ad omnium generum, ætatum, ac sexuum aliquos adstringere voluerit; hoc eo sensu duntaxat usurpari posse defendit, « quod Christi mors omnibus hominibus sufficeret redimendis, si mortis ejus fructus in omnes homines derivaretur : revera tamen non omnes homines ab eo redimi, quia beneficium, seu fructus mortis ejus in omnes homines minime derivatur. » Porro beneficium hoc, fructumque mortis Christi non ad salutem tantummodo sempiternam refert : sed universe quidquid ex mortis illius merito derivari posset, hoc est *fructum sufficientem* ipsius negat in omnes manasse ; ut ne eo quidem sensu applicatus, et communicatus

1 I *Tim.* II, 4. — 2 *Apol.* cap. X. — 3 S. Thom. I, II, qu, XII, art. 2.

Christi mortis ille fructus omnibus hominibus dicatur, quod conditionata voluntate, et intentione, ac quantum in ipso erat, iis prodesse voluerit, quibus reipsa non profuit. Ita Latinus libellus, quem pro sex propositionibus Heterodoxus tacito nomine vulgavit : et *Apologia* contra dissertationem primam ab auctore eodem edita. Utrobique ergo omnem ab Christo intentionem abjudicat consulendi morte sua omnibus Adami posteris; hoc unum remittit, quia sufficiens per se abstergendis omnium peccatis : et revocandis ad salutem universis mors ista fuit, eatenus dici posse pro salute omnium passum, et mortuum esse Christum.

Sed acutus homo non vidit, qualemcumque hanc interpretationem prius enuntiatum minime capere, in quo dicitur, *Deum velle omnes salvos fieri*. Non enim sine motu aliquo voluntatis, et intentione, quæ ad omnium salutem dirigatur intelligi potest. Quare nec alterum absque eodem nisu voluntatis Christi in salutem omnium commode poterit explicari : cum utriusque sit idem sensus, et ex æquo pateat amborum interpretatio; ut Heterodoxus affirmat. *Deum velle omnes homines salvos fieri*, nihil aliud est, quam omnium salvandorum, quantum in se est, intentionem ac voluntatem habere. Igitur et Christum necesse est, quantum in se erat intentionem ac voluntatem habuisse consulendi omnibus hominibus morte, ac passione sua : ne non verum sit, utrumque illud effatum eodem sensu, et eadem interpretandi amplitudine, ac varietate censeri.

Auctoritate concilii Tridentini convincitur

IV. Neque vero Tridentini concilii locus ille, cui Heterodoxus illusit, aliam sententiam admittit, si quis verba ipsa, et eorum nexum, et ἀκολουθίαν observet. Primum enim declarat[1], omnes homines «in prævaricatione Adæ innocentiam perdidisse : et usque adeo servos fuisse peccati, ac sub potestate diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ : sed ne Judæi quidem per ipsam litteram legis Moysi inde liberari, aut surgere non possent : tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, et inclinatum. » Quibus in sequenti capite ista subnectit : « Quo factum est, ut cœlestis Pater Christum Jesum filium suum, et ante legem, et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit ; ut et Judæos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent : hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris ; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. »

Cum his synodi verbis, totaque hac oratione pugnare dico Heterodoxi interpretationem illam, qua Christum pro omnibus, et singulis hominibus, hoc est Adami universa posteritate, nullo penitus excepto, ita demum recte passum esse, mortuumque asserit, si non liberandorum, ac salvandorum morte, ac passione hac omnium intentio, et voluntas fuisse sive in Christo, sive in Deo credatur : verum ita potius, quod mors illa et passio per se sufficiens sit ad mortales omnes a peccato, et æterna morte liberandos, si ad eos illius fructus applicaretur, cujus applicandi negat in Deo, vel Christo generalem exstitisse voluntatem. Postquam enim omne genus hominum in exitium, ac servitutem diaboli incidisse docuit, quod gentilium, ac Judæorum vocabulis complexus est, mox a Deo Patre destinatum esse Christum Jesum filium ipsius ait, ut eosdem illos omnes, hoc est Judæos, ac gentiles, sua morte liberaret, et ad filiorum adoptionem transferret. Quibus verbis significat, cœlestem Patrem intentionem hanc, et voluntatem suscepisse illius efficiendi per Christum, ejusque mortem, quod omnes isti qui *in Adæ prævaricatione* perierant, per arbitrium liberum, aut alia præsidia consequi non potuerant; ut ab tanta calamitate *liberari, ac surgere possent*.

V. Deus itaque voluit per Christi mortem, ac merita toti Adami posteritati opem, ac remedium afferre; quod insuper synodus verbis illis aperit : *Hunc proposuit Deus propitiatorem pro peccatis totius mundi* : volendo utique, et *propositum*, hoc est *intentionem* habendo, ut omnibus, citra ullius exceptionem, qui peccato primi parentis infecti erant, *propitiatio* ista prodesset : adeoque ut ad eos applicaretur, communicareturque cum ipsis, ac reipsa cum Deo reconciliarentur, et liberarentur, si oblato beneficio uti vellent, nec divinæ voluntati resisterent. Cum hoc Patris æterni proposito Christi voluntas, ac propo-

1 Trident. sess. VI, cap. I.

situm consensit : idque sequentia ejusdem synodi demonstrant : *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est :* ubi *pro omnibus* mortuus dicitur, non aliis, quam quorum proxime ante meminerat, universa videlicet Adami progenie scelere ipsius in perniciem acta, et ex Patris proposito liberanda. Pro his, inquam, omnibus *oblatus est*, et idcirco *est oblatus*, quia *voluit :* ac passus est, quia voluit : ac, perinde ut Pater, liberare, et ad recuperandam perditam in Adamo salutem, necessariis præsidiis opitulari voluit.

Refellitur Heterodoxi explicatio : *Deum velle omnes salvari quia pro omnibus sufficiens pretium solvit*

Non igitur ad id, ut Christus pro omnibus mortuus esse dicatur, satis illud est ex mente concilii, quod infiniti per sese meriti sit ac pretii mors ista, ac non tantum ad omnes illos, sed innumerabiles etiam alios recuperandos sufficiens et idonea fuerit : nisi intentio, et voluntas adjungatur, qua compotes illos, quantum in se erat, salutis illius ac benignitatis facere studuerit. Nihil enim alioqui prohiberet, quo minus pro dæmonibus mortuus diceretur esse Christus : quoniam quidem talia merita illius, ac tanta sunt, ut ad illos reconciliandos per se ipsa sufficiant. Nemo tamen nisi insanus, et vecors Christum pro dæmonibus passum, aut dæmonum esse salvatorem audebit dicere : nec ejus alia proferri causa potest, nisi quod, etsi ad eos redimendos idonea pretii magnitudo non defuerit ; defuit tamen impendendi in illorum utilitatem, ac salutem ejusmodi pretii voluntas : quam si Christus habuisset, licet eam culpa sua, et libero, sed obstinato in exitium suum arbitrio frustrati essent dæmones, pro iisdem nihilominus mortuus esse diceretur : multo vero magis, si illorum aliqui, repugnantibus, et in culpa perseverantibus aliis, ad illius gratiam, et salutem receptum habuissent.

VI. Quamobrem veteres illi, qui Christum pro omnibus esse passum sic intellexerunt, ut id *ob magnitudinem, et potentiam pretii*, vere usurpatum esse dicerent, omnino sic interpretandi sunt, ut communem, et conditionatam in salutem omnium voluntatem adjunxerit : ut inter alios Prosper : de quo vide quæ in libro XIII *de Incarnatione*, capite quinto fuse disputavimus. Hanc enim voluntatem quisquis detrahit, indecoram et absurdam facit illius enuntiati sententiam : cui nusquam sit locus, ubi simile aliquid profertur. Ut cum Apostolus ita scribit ; *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* [1] ; tum *ad Ephesios* capite quinto [2], *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea*. Et Christus ipse, *Sic Deus*, inquit [3], *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Quis in istiusmodi locutionibus solam cogitat meriti vim, et magnitudinem ; nec applicandi voluntatem cum ea conjungit? Sic in Symbolis, quæ *Christum propter nos homines, et propter nostram salutem descendisse, incarnatum esse, passumque* prædicant, num sola fingi pretii exhibitio sine applicandi voluntate potest? Denique Augustinus ipse, qui vocabulum *omnes* aliter, ac vulgo fit, in ejusmodi sententiis accepit, neutiquam tamen *traditionem*, sive *dationem pretii ;* neque *patiendi*, ac *moriendi* pro iis, quos subaudiebat, effectionem, aut meritum, sine intentione, ac proposito ad eosdem applicandi usurpavit unquam : neque sicubi ab aliquo veterum κατὰ τὸ ῥητὸν expressum non est, ideo κατὰ διάνοιαν subjiciendum, ac supplendum non erit.

Secundum verba. Secundum intellectum.

VII. Ad extremum non est omittenda Heterodoxi alia quædam explicatio propositionis ejusdem, qua Christus pro omnibus passus esse dicitur. Sic enim adstruit, posse sic intelligi, « ut ideo pro omnibus hominibus universe, infiniteque sit passus, quod omnes reipsa salute donaret, si in se crederent. » Verum « non ideo mortuus est, ait postea, ut fidem omnibus, atque in se credendi beneficium impetret. » Ludicra et sophistica cavillatio ; quæque sic ad illudendum composita est, ut quod affirmare videtur, neget funditus, et a seipsa dissideat. Nam si absque fide in Christum Dominum salvus esse nemo potest, qui non omnibus largiri vult fidem Christus ipse, profecto non omnibus salutem impertiri vult. At omnibus salutem velle docet Heterodoxus. Igitur tam velle, quam nolle fidem pariter, et salutem omnibus affirmat idem. Præterea redit illud ipsum, quod paulo ante posui consequens non absurdum solum, sed etiam impium : eodem modo, ac sensu illud usurpari posse, Christum velle dæmones salvos fieri : quoniam si, uti par est, crederent, non eis salutem intercluderet : quamvis velle nequeant ; quoniam Christus ut velint, credantque reipsa, non vult illis tribuere. Jocularia sunt ista, et frugi, ac serio theologo minime digna ; cujusmodi ad eludendam sacrarum litterarum auctoritatem haud pauca Heterodoxus in causam contulit.

1 *Galat.* II, 20. — 2 *Eph.* V, 25. — 3 *Apol.* cap. X.

CAPUT V.

Heterodoxi præstigiæ, quibus Tridentino concilio fucum facit. 1. Dum negat Christi intentionem pro omnibus patiendi. 2. Deinde cum ait non agere idem concilium de æterna salute. 3. Male restringit verba concilii. 4. Varia applicatio meritorum Christi. 5. Heterodoxi calumniæ. 6. Semipelagianorum hæresis perperam ab eodem intellecta, et per mendacium Catholicis objecta.

Præstigiæ Heterodoxi negantis Christi intentionem pro omnibus patiendi

I. Qui de Tridentinorum Patrum sententia, et benefica in omnes Christi voluntate illorum ex mente constituta legerit ea, quæ superiori capite sunt exposita, omnes Heterodoxi præstigias facile contemnet. Harum nonnullas hoc loco proferam, levique opera convincam, ac refellam; quod quidem eo nobis expeditius erit, quod jam illud ex synodicis capitibus primo, secundo, ac tertio, atque ex ipso contextu sermonis ostensum est, Christum pro omnibus sic illic dici esse passum, ut patiendi pro omnibus in eo fuerit intentio, ac voluntas.

Negavit hoc Heterodoxus, neque de *intentione* ista verbum a Patribus ullum esse factum credidit. Sed quanti sit ejus faciendum judicium ex antecedente disputatione puto constare : tum ex sequentibus plenius adhuc lector agnoscet. Volo enim præcipuas ἐνστάσεις illius contra germanum, ac legitimum sensum Tridentini ejus loci, de quo contendimus, proponere, ac diluere. Ἐνστάσεις dico, hoc est, ut scholæ nominant, *instantias*, et *objectiones* : non ἐπιστάσεις, quam vocem imperite cum superiori confudit Heterodoxus : dum Græca vocabula Latinæ orationi interspersa queritur ab anonymo Dissertatore.

Observationes.

Item asseverantis Concilium non agere de æterna salute.

II. Objicit itaque primum Heterodoxus [1], Tridentinam synodum illic non agere de sempiterna hominum salute; sed de eorum justificatione : porro Christum non pro solorum electorum; sed pro reproborum etiam aliquot justificatione esse passum. Ex quo colligit, nihil eorum officere sententiæ synodum illam, qui pro solis electis, hoc est pro eorum salute, asserunt passum esse Christum.

Sed ridicula est sophistica hæc argutia; et ejusmodi, ut si quis de bello cum hoste aliquo terminando agente republica, vel principe, de pace negaret agi, quia de finiendo bello tantum agatur. Justificatio hæc, quam Tridentina synodus describit, implicatam et annexam habet salutem : hoc est, qui illa donare vult homines, hanc etiam ex consequenti tribuere vult, nisi per eos steterit : *Quos enim justificavit, illos et glorificavit* [2], ut ait Apostolus, de divino consilio, et primaria intentione loquens. Eadem quoque synodus justificationis naturam explicans [3], *finalem ejus causam* constituit *gloriam Dei, et Christi, ac vitam æternam*. Deinde justitiam ipsam, a qua justificatio nominatur, *fidem* appellat ibidem vitam *æternam præstantem*. Non est ergo sejuncta justificatio illic ab synodo commemorata ab æterna vita, et salute : quam antecedente voluntate, non tamen absoluta, omnibus hominibus destinat Deus, ideoque proponenda est justificatis quibuscumque, dummodo usque in finem perseverent, ut eodem loco præscribit synodus. Quare generalem quamdam in omnium salutem Dei voluntatem agnovit Tridentinum concilium; cujus duplex est effectum, justitia, et salus : ad quod utrumque capessendum nemini non consultum esse voluit Deus, per *propitiatorem* totius a se mundi constitutum filium Jesum Christum. Cui si in morte subeunda salvandorum reproborum voluntas et intentio defuisset; nec eos salvos esse Deus vellet; et iis salutis impossibilis esset adeptio: perinde ac diabolo, et Angelis ejus; quod ab novo dogmatista proditum, quisquis adeo infeliciter sapit

Ἀσπὶς παρ' ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται.

Aspis a vipera pharmacum mutuatur.

III. At rursus insistit Heterodoxus [4], et concilii mentem præpostere ait ab illis accipi, qui non animadvertunt, « neutiquam ei propositum fuisse, horum verborum, *Jesus Christus mortuus est pro omnibus*, collatare sensum, sed restringere potius, et circumscribere : ut hoc doceret, etsi aliquo sensu dici possit Jesum Christum generatim pro omnibus mortuum esse; non sic tamen id intelligi debere, ut meritum, et fructus illius

1 *Apol.* cap. x. — 2 *Rom.* VIII, 30. — 3 Cap. VII. — 4 Heterod. *Apol.* cap. XVI.

mortis cum omnibus infinite communicetur.» Quippe concilii verba ista sunt[1]; «Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt : sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.»

Male restringit verba Concilii.

Atqui falsum istud est commentum subdolæ interpretationis. Nam restringere, ac limitare propositionem illam nihil attinebat eo circumscriptionis genere, quod hariolatur Heterodoxus : qui sic disputat : concilium Tridentinum[2], cum in fine capitis secundi sessionis sextæ asserit, « Deum *proposuisse* Christum *propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi,* » non hoc docere, pro omnibus, et singulis mortalibus, id est, ut omnibus *causa salutis esset*, pati voluisse Christum : sed pro iis duntaxat, quibus reipsa fructus mortis, ac meritum applicatur, hoc est, qui in ipsum credunt. Sed apprime ridicula est illa Heterodoxi limitatio. Siquidem cum in fine capitis secundi, «pro totius mundi salute propitiatorem fuisse propositum ait Christum;» *totius mundi* nomine genus hominum omne complectitur, ac totam Adami posteritatem; ut antecedens nostrum caput ostendit. Nam quos appellaverat *totum mundum*, mox sequentis capitis initio vocat synodus, *omnes*, cum sic loquitur: « Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, » etc. Vox autem, *omnes*, ibi totam Adami posteritatem significat, nempe eosdem omnes, quos primi parentis noxa comprehendit. Ac subinde generalem illam vocem duas in partes distribuit; ut altera sit, *quæ mortis ejus beneficium non recipit* : altera, quæ recipit, *et cui meritum passionis ejus communicatur*. Qua ex partitione sequitur, pro utrisque passum esse Christum, et pro eisdem *propositum a Patre esse propitiatorem*, quando pro *omnibus* id esse factum synodus affirmat, quibus partes illæ duæ continentur : extra quas nullus cuiquam est Adami posterorum locus.

Meritum Dominicæ mortis dupliciter dictum.

IV. In quo illud observari necesse est, cujus vel inscitia, vel callida dissimulatione multum se Heterodoxus involvit; applicari, communicarive fructum, ac meritum Dominicæ mortis dupliciter dici :vel cum offertur; vel cum reipsa confertur, et recipitur: ac totidem modis hominum Salvator appellari solet Christus. Nam et omnium salvator est; quoniam ad omnes liberandos, et ope gratiæ suæ adjuvandos ex sese paratus est, quam plerique detrectent. *Stat enim ad ostium, et pulsat: si quis autem audierit vocem ejus, et aperuerit illi januam, intrabit ad eum*[3], etc. Sed de compluribus queritur in libro *Sapientiæ*[4]: *Vocavi*, inquit, *et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.* Et salvator tum restrictiori notione dicitur, cum actu, et reipsa partes Salvatoris implet. Heterodoxus de hoc posteriore genere applicationis, Tridentinæ synodi verba intelligi putat oportere, ac pro solis illis, qui fructum passionis reipsa percipiunt, mortuum esse contendit Christum Dominum, hoc est intentionem, et voluntatem habuisse moriendi. In quo suffragatores numerat omnes Lutheros, omnes Calvinos, Dordracenos omnes; quorum capite primo mentionem fecimus. At Catholici utroque modo communicari meritum passionis, applicarique docent; vel destinatione, ac voluntate Dei Christi; vel re, et efficientia. Quemadmodum si quis in egenos omnes pecunias suas liberaliter erogare decrevit ; et in eos, qui oblatam stipem recipere voluerint, impendit : tametsi sint qui recusent: uti Macarianis temporibus in Africa Donatistæ fecerunt[5]: nihilominus ille largus in omnes, ac liberalis dicitur, quia quantum in se fuit, neminem indonatum abire voluit. Quod si idem ille Macarius, qui ab Constante imperatore pecunias in Africanas solas ecclesias dispensandas acceperat, tantam vim auri in eas insumpsisset, quanta ditandis etiam cæteris per Europam, et Asiam ecclesiis sufficeret : qui nisi mentito diceret, missum ab imperatore illum esse, ut in Asianas, et europæas, perinde ut in Africanas, ecclesias sumptus illos faceret? Profecto qui sic adversus veritatis fidem loqueretur, non tam mendax, quam stolide vecors haberetur. Ergo in eadem sunt causa qui Christum pro omnibus mortem suam impendisse negant : sed pro paucis duntaxat ex omnibus, si cum cæteris conferantur, mortuum esse prædicant: et tamen mortuum pro omnibus, omniumque Salvatorem esse fatentur eo ipso, quod mortis ejus pretium paucissimis expensum tale erat, ut liberandis omnibus, si vellet, posset sufficere.

V. Ex iis perspicuum est otiose nugari, tricarique fictitium Abbatem[6], qui Dissertatorem arguit[7], quod secum pugnantia in dissertatione scripserit; quippe alias negavit,

1 Trid. sess. VI, c. III.—2 *Apol.* c. XVI.—3 *Apoc.* III, 20.—4 *Sap.* I, 24.—5 Optat. lib. III.—6 *Apol.* c. XVI.—7 Diss. I, c. VIII.

inquit, ad omnes applicari mortem Christi: alias ad omnes ejus fructum pertinere voluit. Sed malitiose dissimulavit quod in eodem loco dissertator adnotaverat: Applicandæ Christi mortis ad usum, ac remedium omnium esse duplicem omnino rationem: absolutam unam, alteram conditionatam. Hæc ad omnes refertur; quatenus sufficientia omnibus auxilia destinantur: illa vero non ad omnes: sed eos solos, quos oblatis gratiæ præsidiis sic assentiri decernit eadem synodus, ut dissentire possint, si velint. Nam istis justitia et salus non solum offertur ex Christi merito; sed ex eodem etiam oblata confertur: at refractariis et resistentibus offertur illa quidem ex eodem fonte meriti Christi: sed illorum culpa et vitio delata respuitur. Hæc nisi malevolentia, et iracundia occæcatos oculos attulisset ad illius libri lectionem, vidisset Heterodoxus, et animum ac stylum ab ista calumnia continuisset.

Heterodoxi calumniæ.

Indidem et illud explicandum est, quod ex S. Thoma objicit[1]: « non orasse Dominum pro omnibus crucifixoribus; neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum; sed pro iis solum, qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam. » Atqui hic nodus ibidem a S. Thoma dissolvitur: qui in illius, ut vocat, articuli corpore declarat aliam esse voluntatem *absolutam*, aliam, *secundum quid:* ac priorem in Christo prorsus impletam fuisse, non posteriorem. Est autem posterioris hujus generis ea quæ dicitur, hypothetica voluntas: qualis est generalis illa, qua pro omnium, etiam reproborum, salute mortem perpeti voluit. Cæterum totidem, quot voluntatis, orationis, quæ hujus est interpres, esse genera, docet ibidem S. Thomas. Sane Christus imminente passione non ficte, nec sine aliqua voluntate, liberari a Patre orando petiit; quam quidem voluntatem significavit iis verbis: *Verumtamen non sicut ego volo: etc*[2]. *Non mea voluntas, sed tua fiat*[3]. Voluit ergo ex impendentibus cruciatibus, ac morte Christus eximi: ac vera in illo voluntas rei hujus exstitit. Nec enim mentiretur Veritas, cum se id velle diceret. Sed non absolute voluit: verum catenus, si non aliter Patri visum esset. Ideo *secundum quid* voluit; non absolute: hoc est quadamtenus voluit, et quadamtenus non voluit. Voluit, si per Patrem liceret; et *si fieri posset*; non voluit, si aliter ille statueret.

Hujusmodi proportione quadam est antecedens illa Dei, et Christi voluntas, qua omnes salvos uterque fieri voluit: hoc est perinde ut illa, conditione modificata, sed in eo dissimilis, quod in priori ex sola Dei voluntate penderet conditio: in utraque posteriori, ex humana duntaxat. Cui rei declarandæ, illustrandæque proderunt, quæ in decimo tertio de *Incarnatione* libro diximus[4]. Quo insuper in libro antecedentem illam et ὑποθετικὴν Dei, Christique voluntatem procurandæ salutis omnium, ex Augustini mente, ac sententia fuisse constitutam ab illius discipulis ostendimus, Prospero, Fulgentio, ac cæteris omnibus: ac quemadmodum cum ejus opinione, quam habuit de absoluta, citra præsensionem meritorum, destinatione gloriæ conciliari posset, latissime disputavimus. Quo minus hic necesse est pluribus cum Heterodoxo de hoc argumento confligere.

Hypotheticam.

VI. Atenim Semipelagianorum hæresim affingit Heterodoxus opinioni illi, « quæ Christum Dominum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse statuit. » Quam Semipelagianismi notam latius edisserit in Latino libro, quem *de sex Propositionibus a Parisiensibus theologis examinandis* in lucem edidit; ubi inter cætera, « Aiebant, inquit, sic Christum Dominun pro omnibus mortuum, ut penes omnes esset Dominicæ mortis beneficium vel repudiare, vel admittere, proxima scilicet, et immediata potentia; quod cum docebant, apertissime secundas gratiæ, humano arbitrio primas dabant, » etc. Verum misere hoc loco falsus est, et fallit. Semipelagianorum error non in eo positus erat, quod pro omnibus passum esse Christum assererent. Itaque pessimo exemplo propugnandum sibi hunc articulum sumpsit Heterodoxus: cum absolute conceptus, ut ab eodem ipso præscribitur, impius sit, et hæreticus, ac merito damnationi destinatus fuerit. Sed neque Pelagiana labe infamari per se meretur id, quod Heterodoxus addit, « penes homines esse Dominicæ mortis beneficium vel repudiare vel admittere. » Nisi forte Tridentina ipsa synodus tota Semipelagiana est, quæ idipsum auctoritate sua sancivit sessione sexta, capite quinto, et canone quarto. Sed nimirum Calvinianis, et Dordrechthanis dogmatibus innutritus, et assuefactus Heterodoxus, hoc pro catholico habuit, quod nos ex Tridentini concilii præscripto damnamus

Semipelagianismus falso Catholicis objectus.

1 Parte III, qu. XXI, art. 4 ad 2. — 2 *Matth.* XXVI. 39. — 3 *Luc.* XXII, 42. — Lib. XIII, cap. IV, § 2 et 3.

ut hæreticum : quod autem catholicum censemus, id illi hæreticum judicant, una cum Tridentinis decretis : præsertim quæ ad gratiam spectant ; quo nomine Pelagianismum ei synodo Calvinus, ac reliqui omnes Romanæ communionis hostes, et novissime Dordrechthani constanter objiciunt. Semipelagianorum labes propria hæc fuit, ut hominem dicerent naturæ viribus, ac citra Christi gratiam, initium aliquodd habere bonæ voluntatis ut credere vellet, cujus voluntatis merito gratiam impetraret. Hac erroris pestilentia contaminatus est Armacanus virulenti auctor libri, qui *Mars Gallicus* inscribitur ; ut in libro secundo de *Lege*, *et gratia* accurate demonstravimus ; longe autem abhorrent Catholici ; quos stolida ista natio *Molinistas* nominat cum Heterodoxis, et Semicatholicis.

CAPUT VI.

1. *Ex superioribus colligitur, Tridentinum concilium in decretis suis ad Augustini sententias accessionis aliquid adhibuisse : velut cum Christum pro omnibus passum decernit.* 2. *Item cum ad bona opera omnia gratiam Christi esse necessariam definit.* 4. *Ridicula Heterodoxi cavillatio de sufficiente gratia, quam negat a Tridentino concilio receptam.* 5. *Refellitur, et illustratur Concilii doctrina.* 6. *Nugæ Heterodoxi de eadem discussæ.*

I. Satis, opinor, intellectum est Tridentini concilii hanc fuisse sententiam ; Deum omnium servandorum propositum, ac voluntatem habuisse. Christum quoque, quantum in se erat, omnibus Adami posteris morte, ac passione sua voluisse consulere ; nec ea interpretatione contentum esse, quam Heterodoxus attulit, ut pro omnibus idcirco passus esse dicatur, quod sufficiens illius mors erat liberandis omnibus, quamvis ad omnes fructum ejus, ac meritum pertinere noluerit. Quod autem Augustinus haud adeo diserte expresseque declarasse illud idem videtur, imo potius alteram in partem quorumdam opinione cessisse; est hoc quidem minime verum, ut in libro decimo tertio *de Incarnatione* demonstravimus; verumtamen quod qualemcumque significationem contrarii sensus, et Catholicis exosi dedisse credi poterat Augustinus ; jure dissertationis auctor Tridentinam synodum dixit [1], in ea re decernenda, additis quibusdam, explicatius illud dogma fecisse. In quo stulte peregrinatur Heterodoxus [2] : et ad Augustinum adjecisse quippiam synodum dici non patitur. Verum ex superiori disputatione liquet ad Tridentini concilii mentem, ac sententiam explicandam non illa sufficere genera interpretamentorum, quæ ab Augustino sola commemorari Heterodoxus cum Armacanis, aliisque similibus existimat. Quod si verum est, etiam illud verum sit oportet, ab Tridentinis Patribus quædam addita fuisse, ac dilucidius exposita, quam quæ in Augustiniana doctrina obvia erant, et nec tam aperte, quam intererat, concepta. Pro omnibus mortuum esse Christum dixerat quidem Augustinus : sed ibi, ubi eam rem ex professo tractabat, nonnullas explicationes adhibuit, quæ in alia omnia lectorem abducere poterant, quam quæ synodus Tridentina decrevit. Quare ita temperari ab hac sermonem oportuit, et antecedentibus consequentia sic annecti, ut cum pro omnibus Adami posteris, et singulis, propitiatorem a Deo propositum Christum esse declararet, nemo dubitare posset, generalem in omnes liberandos utriusque voluntatem fuisse. Tridentina synodus aliquid doctrinæ Augustini addidit dicens Christum pro omnibus esse passum.

II. Neque vero in hoc tantum decreto ; sed in aliis quibusdam, Augustinianæ doctrinæ illustrandæ gratia, quam Hæretici ad errorum suorum patrocinium invitam trahebant, nonnulla inseruisse synodum, observavit merito dissertationis auctor ; quem improbe, odioseque ob id insectatur Heterodoxus, ac jejunis, et enectis cavillationibus, et argutiis frustra vellicando remoratur. Item ad omnia opera meritoria gratiam esse necessariam

Hujus generis illud est, quod Tridentina synodus canone secundo sessionis sextæ de bonis operibus statuit. Nam cum decernere vellet, quemadmodum ad recte, justeque operandum gratia Christi sit omnino necessaria, quod ex Augustino ita sentirent aliqui theologi, nullum plane bonum opus sine Christi gratia posse fieri ; alii solum illud opus, quod ad salutem prosit, necessario Christi postulare gratiam ex Augustino probarent ; nec alterutra pars ab fidei regula discreparet : illud ad Augustini doctrinam

1 Diss. I, cap. IV. — 2 *Apol.* cap. X.

addendum putavit synodus[1], in quod pars consentiret utraque; ut quod ab omnibus certa fide profitendum esset, canone suo comprobaret. Sic igitur decrevit; ad illa bona opera, quibus vitam æternam promeremur, non solum facilius, sed omnino exequenda, necessariam esse Christi gratiam. Certe insignes duo theologi SS. Bonaventura, et Thomas in illa disputanda quæstione, cum sine Christi gratia bonum aliquod posse fieri sentiant, quod ex Apostolo, et Augustino sibi objecerant, nihil boni per se hominem posse facere, id de *meritorio* respondent intelligi debere; quod profecto est interpretari. Quod idem Dominicus Soto, et Andreas Vega contra Gregorium Ariminensem, et Capreolum faciunt: qui Augustini auctoritate commoti secus existimabant. Putide ergo rixatur Heterodoxus adversus Dissertatorem: qui in altera dissertatione tumultuosam illius procacitatem responsione ista summoverat[1].

Inepta Heterodoxi argumentatio concilium Tridentium gratiam sufficientem non admisisse asserentis.

III. Sic in aliis Augustini sententiis, quæ offensionis aliquid habere videbantur, ac periculosos in sensus, et alienos ab mente illius, præsertim ab hæreticis flectebantur, idipsum Tridentina præstitit synodus, ut nonnullis accommodatis vocibus, iis etiam, quas ipsemet alibi Augustinus ediderat, male usurpatas ejusdem sententias, et ad erroris tutelam nefarie detortas in usum conformaret catholicæ professionis.

In quo illiberalis et impura Heterodoxi ridenda calumnia est, qui pro ingenti, et inexpiabili scelere Dissertatori illud objicit, quod Tridentinum concilium dixerit, Augustini doctrinam ab novis hæreticis corruptam, ac depravatam malis interpretationibus, quibusdam additis, *explicando fecisse catholicam*. Quæ loquendi formula in sacris profanisque scriptoribus usitatissima nihil aliud significat, nisi *ostendere esse catholicam*, non ex adversariorum usu, et instituto, fautricem impii dogmatis, et hæreticam.

IV. Jam in *sufficiente*, quæ *efficaci* solet in scholis opponi, oppugnanda gratia, sui similis, hoc est *Heterodoxus*, et hæreticarum partium emissarius haud obscure proditur. Tales enim, qui illam negant, habendos esse, incredibili consensu doctores omnes catholici pronuntiant: uti supra capite primo demonstravimus. At iste addit ad hæreticum errorem miram in argumentando contra catholicum decretum rationis inopiam, et inscitiam: dum ad opinionis suæ pravitatum Tridentini auctoritatem concilii conatur inflectere.

Est autem ratiocinationis illius hæc summa[2]: Tridentina synodus, ait, primam ex Christi meritis illam gratiam esse dicit in adultis, quam proxime peccati status antecedit: per hanc vero Deum primitus ad nos applicare merita Christi; quam quidem gratiam præveniententem et excitantem nominat. Tridentinorum Patrum verba ista sunt. « Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse[3], hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur. » Hinc itaque concludit sic Heterodoxus: quoniam tum primum applicantur nobis merita Christi, cum illa nobis excitans gratia donatur; ex eo constare nullam aliam præcedere gratiam, quæ sufficiens appellari possit. Hæc argumentationis est summa; quæ si vel scintillam habet communis sensus, et humani judicii, non recuso, quin ejus arbitratu controversia ista dirimatur.

V. Verum amabo te, homo acutissime, nonne hoc vides, insulsissime ex eo colligi, nullam esse sufficientem gratiam, quod excitans, ac præveniens gratia prima sit omnium? Nam hæc ipsa præveniens, excitansque gratia non semper re, et *actu* ipso voluntatem excitat: quamvis excitandi vim habeat, et ideo detur, ut excitet. Itaque sufficiens tantum est plerumque ista gratia, cum oblata respuitur. Porro Tridentini Patres capite illo quinto, cum propositum haberent docere viam, ac progressionem, qua ab statu peccati ad justitiam pervenirent homines, primam vocationis gratiam posuit, sive excitantem, ac prævenientem, quæ revera et *actu*, vel, ut loquuntur, *de facto*, consensum elicit. Id enim agebatur, ut quemadmodum reipsa justificaretur peccator, exponeret synodus. Ideo ab sola efficaci motione sumpsit initium; quæ ejusmodi est, ut qui ei consentiunt, possint dissentire si velint. Quod ex iis, quæ synodus incontinenti pertexit, et ex canone quarto indidem confecto poteras animadvertere, si minus properanter, et osci-

Illustratur concilii doctrina.

1 Diss. II, cap. III. — 2 *Apol.* cap. XVI. — 3 Trident. sess. VI, cap. V.

tanter ista commentarere. Sequuntur enim post illa, quæ descripsisti, statim hæc : « ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem : (hæc est præveniens, et excitans gratia) neque homo ipse nihil omnino agat, (per liberum suum arbitrium) inspirationem illam recipiens : quippe qui illam et abjicere potest : neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Eadem est et quarti, qui hinc efflorescit, canonis sententia : qui « liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum cooperari dicit assentiendo Deo excitanti, atque vocanti ; ita ut possit dissentire si velit. » Quare si hoc faciat, quod facere potest, ut docet synodus ; hoc est si dissentiat, irrita erit movens illa, excitansque gratia, et ut Apostolus ait [1], *in vacuum recepta* ; ac tum *sufficiens* tantummodo censebitur. Quocirca homo acutus et solers id egit argumentando, ut qua ratione probare voluit nullam in rerum esse natura sufficientem gratiam, ea ipsa dari aliquam ostenderet.

Nugæ Heterodoxi de eodem discussæ.

VI. Pergit vero deinceps Heterodoxus, et ex eodem concilio demonstrare conatur, nullam esse sufficientem gratiam: atque impetum in nos facit collectis acervatim minutis ratiunculis ; quarum strage ac ruina discet, quam nihili sophista sit, et malæ causæ futilis patronus. Primum argumentum est, Tridentinam synodum « nullam penitus in illis gratiam agnoscere, qui sub naturæ, aut Legis statu vixere. Ubi est ergo sufficiens gratia, quam ad salutem adipiscendam omnes habuerunt? » Secundum ejusdemmodi est : « quod Concilium doceat, liberum arbitrium sic attenuatum, et inclinatum fuisse in gentilibus, ac Judæis ; ut amare Deum, quemadmodum oportet, vel credere in Deum, vel ejus amore boni quippiam nequirent facere ; neque se ex diaboli servitute, peccative, aut mortis exsolvere. »

His duobus responsione una et eadem occurritur ; quam ille ipse Tridentini concilii porrigit locus, unde argumentatio proficiscitur. Gentiles dicit *per vim naturæ*, Judæositem *per ipsam litteram legis Moysi liberari, aut surgere non potuisse*[2]. Non hoc loquitur, quod Heterodoxus affingit, nullam omnino gratiam affuisse Judæis, ac gentibus : sed *per naturæ vim, ac litteram legis* non potuisse surgere; quod idem est ac si diceret ; non naturæ, vel legi imputandam esse gratiam, quæ in utroque statu nonnullos ad justitiam ac salutem perduxit : sed Christo, cujus benefica, et salutaris efficientia in omnia tempora dimanavit. Nihil igitur ex illa Tridentini concilii depravatione, nisi fumum, ac nebulam colligit, quam imperitorum oculis offundit. Sed latet sub ista fæce ratiocinationis ulcus ὕπουλον, cui subinde scalpellus adhibebitur.

Tertium exinde, quartum, ac sextum argumentum jam in superiori capitis hujus disputatione diluimus. Quintum ἀσυλλόγιστον est; quo sufficientem nullam esse gratiam probat, eo quod Concilium docet, aut sumit istud ; quando nos Deus « fideles facit, et in regnum transfert Filii sui, non ob id solum gratias illi agendas esse, quod potestatem nobis dedit facilius consequendæ, sed omnino consequendæ salutis : quam infideles adipisci nequeunt. » Inveniat in ista ratiocinatione qui poterit vestigium aliquod sani judicii. De infidelibus, et iis attributa gratia, mox dicam. Qui oblatam gratiam sua culpa reddunt irritam, gratias agere debent, quod ejusmodi acceperunt, qua, si voluissent, bene uti poterant : qui illi obsecuti sunt assentiendo, duplici nomine sunt obstricti : tum quod ut possent, per prævenientem gratiam datum ipsis est : tum etiam quod ut reipsa facerent, per *concomitantem* assecuti sunt gratiam. Esthii locus, quem in sexto argumento retulit, sufficientem aliquam esse gratiam confirmat: quod fidei esse dogma catholicæ, catholicorum theologorum consensus adstruit, ut in primo capite demonstravimus. Utrum autem singulis gratia ista repræsentetur, genus alterum inquisitionis est. Cæterum etsi gratia proprie dicta, quæ mentis illuminatione, et pia voluntatis motione constat, non omnibus affluere putetur ; negari tamen non potest, quin auxilia quædam remotiora gratiæ suppetant adultis omnibus, quibus bene uti possint, et si utantur, vera perfundantur inspiratione gratiæ, De qua re non est hic agendi locus. Legi interim possunt quæ alibi de ea disputavimus [3].

Male colligens.

Castiganda est ergo Heterodoxi temeritas : qui *idolum* appellat *sufficientem gratiam* [4]: eamdemque ab Tridentino concilio necessaria quadam doctrinæ consequentia damnatam, ac rejectam asserit. Quæ mendacissima vox digna Calvini, ac Lutheri assecla Heterodoxo, homine est indigna catholico ; et ab nullo non partium harum hæretica judicatur.

1 II *Cor.* II, 6. — 2 Trident. sess. VI, cap. I. — 3 Tom. I, lib. X, cap. XXVII. — 4 *Apol.* par. I, cap. XIX.

CAPUT VII.

Absurdum, et fanaticum Heterodoxi dogma proponitur, ac refutatur, quo in statu naturæ, ac scriptæ legis nullam affuisse gratiam fidei decernit. 2. Ex quo sufficientem gratiam improbat. 3. Ejus decreti absurditas.

Absurdum Heterodoxi commentum de statu gratiæ in lege naturæ ac scripta.

I. Ex argumentis illis sex, quibus sufficientem gratiam impugnat Heterodoxus, priora duo ex duplici petita sunt statu, qui tertium, ac postremum antecessit, novi Testamenti, cui ab gratia cognomen est inditum. Naturæ itaque statum, necnon qui proxime hunc excepit, Mosaicæ legis, omnis funditus expertem fuisse gratiæ, pro certo habet Heterodoxus[1], ut antecedenti capite meminimus. Quo constituto, consequens facit, omni illos sufficiente gratia destitutos fuisse. Idipsum et paginis ante aliquod exposuerat. Cum enim triplicem illum statum humani generis synodus Tridentina distinxerit, quorum tertius gratiæ, ut jam dixi, nominatur, «manifestum inde esse concludit, eos omnes, qui sub lege naturæ vixere, caruisse fidei gratia : tum eos quoque qui sub Mosaica lege fuerunt, nullam perinde copiam gratiæ istius habuisse.» Quo errore sane fœdo, et intolerabili occæcati sunt dogmatistæ novi, contra quos et in decimo libro tomi primi disputavimus, et peculiari hujus argumenti opere, cui *de lege et gratia* titulum fecimus. In utroque porro nihil prætermissum est, quod ad illos dedocendos, et in gratiam, ac concordiam cum Ecclesia catholica reducendos pertineret. Sed nescio an quantum cupiebam adhuc profecerim. Sunt enim tumultuosi, ac pervicaces nimis multi, per quos *sanatibus idem juris esse, quod fortibus* nondum licet. Verum experiamur hic rursus ecquid in Heterodoxo castigando aliis prodesse possimus.

II. Nihil iis, qui in statu naturæ, aut Mosaicæ legis exstiterant, affuisse gratiæ, dici dupliciter potest : primum ita, ut ex sese, ac suapte vi nullam gratiam protulerint, tametsi aliunde, hoc est ab Christo, et ex ejus meritis, tanquam ex fonte manaverit, quod si sic intelligerent, nihil inter nos controversiæ maneret, hoc enim etiam nos ultro confitemur. Sed eo non sunt contenti. Plus aliquid significant, et omni funditus gratia caruisse, qui sub utraque lege vixerunt, tam novi dogmatistæ statuunt, quam qui juxta atque illi sapere instituit Heterodoxus : qui, ut antea vidimus, eo argumento nititur, ut sufficientem nullam tunc suppetivisse gratiam demonstret. Verum quia nimis perspicue id absurdum est dictu, nihil omnino gratiæ non solum justificantis, et manentis, sed etiam transeuntis, hoc est luminosæ, et ardentis inspirationis per id tempus illuxisse, idque non exigua sanctorum multitudo refellit, quæ et utroque vixit in statu, nec sine auxilio gratiæ ad illam sanctitatem pervenit : idcirco duobus modis sub lege quempiam esse docent : altero, quod legis præceptis obligatus sit, ac ritibus, qui in alia præscribuntur, altero quod violatæ reus legis sancitam ab ea pœnam commiserit : horum priore modo etiam justos in Testamento veteri, fuisse sub lege fatentur, posteriore, solos peccatores. Nam justos, et sanctos existimant eo ipso, quod tales essent, sub lege esse desiisse, et in veram Ecclesiam ac statum gratiæ translatos fuisse, quæ illorum opinio exposita est a nobis in priore libro, quem de *lege*, et *gratia* ante triennium edidimus.

III. At hoc ipsum commentum, quod primo aspectu fallit incautos, et sub obtentu quarumdam sententiarum Augustini perperam intellectarum fucum facit, si diligenter introspiciatur, mirifice dissonum est et absurdum. Hoc enim scire ab illis imprimis velim, quid sit Judæum aliquem, velut Manassem, ex impio, et scelerato justum fieri, et cum Deo reconciliari. Respondebunt, si sani sunt, hoc esse, quod Tridentina synodus in ea disputatione, quam de justificatione edidit, uberrime decrevit. (Hanc enim Heterodoxus, ut Abbatis catholici personam ageret, propugnandam acriter sumpsit.) Hoc ergo modo justificatum esse Manassem, exempli causa sentiet : ut « per excitantem[2], atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, libere assentiendo et cooperando dispositus sit, tangente Deo cor illius per Spiritus sancti illuminationem, » ex quo deinceps[3] « per fidem libere motus in Deum, » per timorem, et spem veniæ, ad peccatorum detestationem, ac pœnitentiam; postremo, ad justitiam et perfectam charita-

1 In *Apol.* cap. xv. — 2 Trident, sess. vi, cap. v. — 3 Ibid. cap. vi.

tem perductus est. His gradibus a peccato, legisque servitute, ad statum gratiæ, ac novi Testamenti provectos homines adultos omni tempore fuisse, nemo Christianus dubitat. Quamobrem cum jacentem in peccato, et in eo statu adhuc hærentem, qui legis proprius dicitur, Manassem, et quemcumque alium peccatorem gratia deprehenderit : imo vero tot accessiones gratiæ paulatim elaborarint, et ad perfectam justitiam expoliverint : nonne falsissime dicitur, nullam hominibus sub lege degentibus gratiam affuisse, cum illos nisi sub lege positos prima illa, quæ justitiam antecessit (de hac enim loquor) afflarit?

IV. Nam quod argute sibi videntur occurrere, dum sic aiunt, eo ipso, quod tunc justificabatur aliquis, non amplius fuisse sub lege, nihil hoc est. Demus illis non modo tunc, cum vera, perfectaque justitia donatus est Manasses, et amicus esse cœpit ex inimico, hunc ab legis statu extricatum fuisse : sed jam tum quando primitus est conversus, necdum tamen perfectæ compos charitatis, et a peccato liberatus : certe prima illa qualiscumque gratia ei tunc affuit, cum sub legis statu adhuc esset, qua adveniente esse desiit. Non igitur verum est, iis, qui sub lege vixerunt, nullam penitus suppetivisse gratiam; quemadmodum falsum erit, de iis qui sub mundi occasum a mortuis revixerint, dicere, iis qui in statu mortis erant, vitam et animam neutiquam advenisse : quia statim atque hæc adfuit, mortui esse desierint. Est enim par utriusque ratio : quoniam uti vita non nisi in statu mortis positis adest, ut mortui amplius non sint : ita Christi gratia nonnisi in statu legis, ac peccati adhuc hærentibus affuit, ut hac illos ad statum alterum libere accepta transferret.

Hæc latius alibi disputata hoc loco perstringere necesse habui; ut tam crassam vanissimi nebulam erroris, Heterodoxi oculis obductam veritatis luce discuterem.

CAPUT VIII.

De falsa interpretatione Tridentini canonis ab Heterodoxo proposita. 3. Canones Tridentini qua ratione confecti. 4. Heterodoxi expositio ridicula, et inepta convincitur. 6. Alia ejusdem commenta.

Falsa Concilii expositio ab Heterodoxo proposita.

I. De canone Tridentino multum anhelat Heterodoxus[1], ut homine catholico dignum aliquid sensisse videatur. Sed nullis verborum præstigiis et captionibus efficiet, ut non pessimam illi sententiam affinxerit; « nec usque adeo de humanis sensibus desperandum est, ut metuamus ne hoc cuipiam persuadeat[2]. » Palam est, Concilium liberæ voluntatis assensum ex eo probare voluisse, *quod si velit dissentire possit*. Non pudet adversus simplicis, ac nativæ splendorem veritatis claudere oculos, ac per anfractus et ambages tenebricosas vim et majestatem decreti synodalis infringere? Tibi dico, falsa est interpretatio tua canonis istius, insulsa est, fautrix est Lutheranæ, et Calvinisticæ causæ, nec alio indicio certius odorari possumus quid sub Abbatis catholici titulo, ac prætextu insidiosæ fraudis occultes. Demonstravit hoc tibi liquido et valenter Anonymi dissertatio prior : cujus impetum cum sustinere non potueris, tergiversando, et ad alia omnia rem distrahendo conaris effugere. Sed frustra : nam te ita constrictum, et implicatum hodie tenebo, ut fauces præstringam vani et imperiti erroris, sed subdoli, ac periculosi.

Verba sunt canonis : « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, etc., neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit. » Heterodoxus contra Lutheri hæresim comparatum hunc esse canonem asserebat[3] : cujus erant duo ista capita : alterum, « hominem affici gratia sine ulla sua actione, ac tanquam inanimum quippiam : » alterum, « assentiri hominem excitanti gratiæ, etiamsi nolit. » Hoc vero posterius damnare synodum, cum anathema dicit

1 Sess. VI, can. 4. — 2 Aug. I *de peccat. mer.* cap. XVII. — 3 In ep. *ad episc.*

asseveranti *non posse hominem dissentire si velit*, hoc est, ut Heterodoxus exponit, « etiamsi velit dissentire : hanc enim propositionem idem cum ista significare, Liberum arbitrium consentit gratiæ Dei, etiamsi nolit ; » at prius caput notari cum addit Synodus, « sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere. »

Sic enim disputat Heterodoxus : Pelagianos duo quædam objicere solitos esse « Catholicis adversus invictam efficacitatem gratiæ Salvatoris : primum, ea posita, nos non velle : alterum, nihil nos agere ; sed a Deo moveri, tanquam inanima, ratione sensuque carentia ; » Lutherum vero Pelagianos imitatum duo illa, quæ supra docui, enuntiata libris intexuisse suis : eaque in Tridentina synodo examinata et damnata fuisse.

II. Jam vero, quemadmodum intelligendum sit quod Tridentinum concilium decernit, nos sic assentiri gratiæ, ut dissentire, eique resistere, si volumus, possimus, variis modis explicat Heterodoxus. Sed unus est præ cæteris animadversione dignus. Hoc enim invento tum mirifice gloriatur ipse : tum ab auctore præfationis in epistolam *ad Episcopum*, qui auctor sub eadem, qua Heterodoxus, cuticula vivit, magnis in cœlum laudibus effertur. Ita porro se habet. Concupiscentiam gratiæ adversantem dupliciter usurpari asserit : ac nonnunquam pro statu ipso, sive ἕξει, et habitu sumi, qui peccati fomes appellari solet : quæ sunt originarii peccati reliquiæ : alias vero significare cupiditates, quas *actuales* vocant, hoc est transeuntes motiones, et impressiones ab illo habitu profectas : quæ interdum validiores sunt, adeo ut gratiæ vim, vigoremque debilitent, interdum remissiores, imbecillioresque sunt, et vicissim ab gratia superantur. Hinc igitur Tridentini canonis explicandi ratio sic ab Heterodoxo conficitur : « Gratiam enim vel cum habitu concupiscentiæ, vel cum actuali ejus impulsione conferri : et pro alterutra comparatione posse nos, vel non posse gratiæ resistere, et eam abjicere : Ac resistere posse nos eatenus dici, quod concupiscentiæ habitus potuisset validiora in nobis excitare desideria, quam ea sunt, quæ aspirantur a gratia : non posse autem resistere, quatenus sanctum illud desiderium, quod nobis inspirat gratia, potentius est eo, quod concupiscentiæ ardor accendit. » Hanc utramque Tridentini interpretationem canonis, ac decreti oppido ineptam, et insulsam esse dissertatio prior ostendit[1]. Sed adeo frigidi illius amore commenti sui occæcatus est Heterodoxus, ut nihil de obstinatæ mentis contentione remiserit in *Apologia* : sed multis involucris ac tortuosis ambagibus, ut acuti lectoris notitiam frustrari et eludere posset, operam dederit.

III. Quamobrem ut ab homine isto manifesti, ac pudendi confessionem erroris exprimam, de Tridentini concilii canone quarto sessionis sextæ unum ante notatu necessarium est : canones fere istos ex antecedentium doctrina capitum efflorescere ; ut quod in his uberius explicatum est, id in illis summatim collectum, subscripto anathemate sanciatur. Itaque canonum ratio, et sententia plenius in capitibus diffunditur, indeque illustrari solet ab theologis. Ut in canone illo quarto, de quo hic agimus, certum est eum ex quinto capite sumptum esse. In hoc vero capite quod in canone ita conceptum est : « Sic nos cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, ut possimus dissentire, si velimus, » his verbis exponitur, quæ libere nos cooperari, et assentiri gratiæ eo argumento probant, quod *illam et abjicere possimus*. Sic enim loquitur : « Ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur ; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens : quippe qui illam et abjicere potest : neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » In his verbis nemo non videt, concilium probare velle, hominem libere assentiri pulsanti gratiæ, quia et cum assentitur potest dissentire, si hoc magis eligeret : quod quidem ad unum idemque tempus referri debet : ut copulativa particula, *et*, indicat.

Canones Tridentini qua ratione confecti.

IV. Hoc ergo constituto, totam illam Heterodoxi interpretationem paululum animum advertenti ridiculam et insulsam videri necesse est : præsertim si hoc adjungitur, quod in eodem loco epistolæ *ad Præsulem* scriptum est : « Eo sensu rejici posse gratiam, quatenus eam abjiceremus, si vellemus : non posse vero rejici, quoniam velle hoc non possumus. » Imprimis enim pugnant ista secum,

Heterodoxi expositio ridicula et inepta convincitur

[1] Cap. XI et XII.

non posse velle dissentire, et *posse dissentire*. Idem enim est, ac *non posse velle*, et *posse velle*. Siquidem « dissentire idem est quod velle dissentire, » ait Heterodoxus in eadem epistola. Igitur *non posse dissentire*, est *non posse velle dissentire*. Quinam ergo cum assentimur, *possumus velle dissentire*, *et non possumus velle dissentire ?* Quis Œdipus hoc ænigma dissolvat? aut quem potius istius ingenii non misereat, quod se inextricabilibus istis laqueis, odio simplicis ac catholicæ veritatis, irretiat ? Præterea, quod in dissertatione opponit Anonymus , eo nimium quantum Heterodoxus urgetur. Nam « dissentire velle *negat* posse cor hominis *tunc*[1], *cum* gratia tangitur, *ut Synodus loquitur :* quamvis postea ex indirecta et remota potestate fieri possit directa, et proxima resistendi potestas, si illam coercere ac reprimere desinat Deus ; » quod perinde est ac si diceret ; *etsi gratiam abjicere non possit*, *cum ab ea tangitur ; posse tamen abjicere*, *quia postmodum repudiatura sit*.

V. Atqui mire absurdum id ex eo consequitur, Tridentinam synodum contra Lutherum argumentari sic : Voluntatem hominis cum gratiam recipit, agere aliquid, quia postea est actura cum illam abjiciet, et tunc cum eam recipit alio tempore potest agere. Quid autem ab omni judicio, et usu rationis alienius, quam ita ratiocinari, hominem modo reipsa et *actu* currere, quia potest id alio tempore facere , et est postea facturus? Deinde non videt ex Lutheri sententia, quam ejus ὑπόθεσις tenet, non eamdem esse rationem voluntatis humanæ in admittenda, quæ est in abjicienda gratia; quippe cum gratiam recipit, eique assentitur, libere id eam negavit agere ; sed agi potius, et, ut interpretatur Heterodoxus, cogi, ac trunci et stipitis instar impelli ; at cum eam peccando respuit, voluntate hoc facere putat ; quam ad id solum valere censet ut male velit, ac peccet. *Hypothesis.*

Quare Tridentinorum Patrum argumentum facile contemneret, si sic instarent, quomodo vult Heterodoxus idcirco voluntarie agendo gratiam recipere hominem, quia voluntarie illam postea respuit : negaret, inquam, consequens id esse, et eo traheret exemplum illud, quod Anonymus in dissertatione attulit : non sequi hominem quempiam in foveam prolapsum, ac sponte ab ea se in altum recipientem, sponte itidem in illam corruisse ; quo nihil aptius ad convincendam Heterodoxi ἀλογιστίαν excogitari potuit : quantumvis tumultuetur iste in *Apologia*, neque quid dicat, neque qua de re disputet satis intelligens. Queritur enim[2], perperam reprehensum se, « quod ex eo probaret, voluntatem agere aliquid cum gratiam recipit, quoniam potest eam respuere ; » quod tamen optime sequi ait ; nimirum « voluntatem recipiendo gratiam, agere aliquid; quando in potestate habet eam abjicere. » *Ineptam argutationem.*

Atqui non illud reprehendit Anonymi dissertatio, si ex Tridentinæ synodi mente libere utrumvis fieri probetur ex altero, et opposito, ut ambo ad idem quo deliberatio fit, et electio, tempus pertineant ; sed male cohærere figmentum Heterodoxi demonstrat : qui cum Lutherum affirmet existimasse voluntatem hominis in recipienda gratia nihil prorsus agere ; Tridentinæ synodo pessimum et ineptum affingit argumenti genus ; quo illud Lutheranum refellat : siquidem argumentari ex eo synodum vult, agere quippiam voluntatem hominis in recipienda gratia, quoniam agit in rejicienda, quod non est consequens ex opinione Lutheri, aut etiam Calvini ; quippe quorum hæc est hæresis, neutiquam libera voluntate : imo nihil ipsa moliente, qua liberum est arbitrium, assentiri hominem gratiæ : dissentire vero gratiæ, et eam abjicere libera voluntatis actione. Itaque parum acutam, imo hebetem, et stupidam ratiocinationem magnæ illi synodo flagitiose tribuit Heterodoxus.

VI. Perinde est et illud ejusdem obtusum, ac puerile commentum, quod ex comparatione gratiæ cum *habitu*, vel *actu* concupiscentiæ magno apparatu instruit. Hoc vero Anonymi dissertatio tam plane aperteque convicit ; ut pudentem, ac sanum quamlibet ab eo propugnando absterrere debuerit. At Heterodoxus existimationis suæ, ac doctorum de se judicii securus contra torrentem obnititur : et in illo monstruoso ingenii sui fœtu vindicando luculentiorem etiam plagam accipit. In illo cupiditatis cum gratia conflictu voluntatem asserit actuosam esse, nec solam operari gratiam, quod verissimum est. Addit, « eodem, quo consentimus, tempore dissentiendi potestatem, quæ est cupiditas, non esse in nobis otiosam sed cum voluntate rixantem; ac rebellantem, uti consensum impediat, cum ea certare. Ita fieri, ut agat utra- *Alia ejusdem commenta.*

1 In *Apol.* par. II, cap. IV. — 2 *Apolog.* par. II, cap. IV.

que, nec sit actionis expers. » In quo primum illud non modo falsum, ac vel philosophiæ, nedum theologiæ tyrone penitus indignum : sed hæreticum, et Manichææ proximum amentiæ est, quod *dissentiendi potestatem* dicit esse *cupiditatem*, sive *concupiscentiam*. Itaque dissentire posse non ejusdem naturæ, ac facultatis est, cujus et consentire sit? aut cur non eodem jure consentire posse, gratiæ esse solius affirmat, quod dissentire vult illius esse quæ gratiæ est opposita, cupiditatis? Quisquamne sanus ac sobrius, ne dicam Catholicus, persuadere sibi patiatur non eamdem utriusque, consentiendi, ac dissentiendi, hoc est volendi, ac nolendi, potestatem esse in rationali voluntate constitutam? Apage istas non simplices nugas, sed impias, et Lutherano quovis dogmate detestabiliores blasphemias. Nam præter voluntatem hominis, rem aliquam dicere peccati effectricem esse, in nobisque peccantem, a Manichæo furore, nihil, aut parum admodum discrepat. Peccati porro, quod in repudianda gratia situm est, sola auctor est effectrixque facultas; quæ dissentire potest. Quæ ut peccare posse censetur eatenus, qua potest dissentire : sic *actu, et reipsa* dissentiens, *actu et reipsa* peccare dicitur.

Necnon et contradictio

VII. Verum ad illud prius avoco me; et Heterodoxum in eo laudare non possum, quod propositi, et interpretationis oblitus suæ, cum Tridentini canonis et decreti sensum hunc esse docuerit, ut ad Lutheri profligandam hæresim, ostenderet in recipienda gratia voluntatem navare aliquid et agere, hujusmodi, quo id probarent, argumentum eruditissimis illis Patribus assignat, quod omnino stolidum imperitumque sit : in quo videlicet principium petant, et quod Lutherus negabat eratque in thesi, et quæstione positum, assumant ad id contra ipsum quod volunt approbandum; quippe qui in consentiendo voluntatem aiunt cum cupiditate pugnare : quod utique non simpliciter est agere : sed libere agere.

Eadem perfusum est inscitia quod de Prosperi loco in dissertatione tractato et expenso purgare nititur in *Apologia* [1]. De quo nihil hic dicerem, nisi intolerabilem hominis cavillationem dissimulandam non putarem, qui in tam stupido, tamque manifesto errore deprehensus, venia, quam pudenti, et ingenua confessione mereri poterat, plane se indignum præbuit. In epistola *ad Præsulem*, post lepidam illam fabulam concupiscentiæ in *habitum actumque* divisæ, et cum gratia utroque isto cornu dimicantis ; novum quiddam, et inauditum ex ea colligit : Explicandum indidem esse quod ait Prosper; « eos qui stant, neque cadunt, standi meritum habere : quoniam in seipsis habent unde cadant; et caderent utique, nisi Deus illos a lapsu prohiberet; quandoquidem, ait, synonyma, hoc est idem significantia sunt ista duo ; habere aliquid in sua potestate ; et habere unde illud facias. » Prosperi autem locus, ex quo id affirmat, hujusmodi est : « Ut quamvis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant, unde caderent, ipsorum sit meritum, quod steterunt. » Hoc Heterodoxi argutum, ut putavit, solersque commentum irrisit Anonymus in priori dissertatione, et hac ratione coarguit, quod ex eo sequatur, hominem mereri aliquid ob id præcise quod facere potuit; etsi non modo non fecerit; sed ne de eo cogitarit quidem.

VIII. Negat hoc esse consequens Heterodoxus, *animosque a crimine sumens* prius erratum posteriore cumulat. Videamus an non tantum istud absurdi illo superiore posito statim oriatur. Meritum receptæ gratiæ, ut ibidem Heterodoxus agnoscit, ex eo voluntas habet, quod dissentire, si velit, possit, idque ante Tridentinum concilium Prosper, in eo quem descripsimus, loco significat. Atqui *dissentire posse si velit*, hominem, in eum sensum interpretatur Heterodoxus, ut etsi aspirante gratia non possit, tamen posset id, si *concupiscentiæ habitualis* vehementior impetus existeret, qui gratiæ vigorem obtunderet. Cum igitur meriti seges in eo, qui excitanti gratiæ consentit, ex dissentiendi potestate nascatur : hæc autem potestas meriti causa sit, non quod tunc, cum gratiam recipit, dissensum possit efficere, sed quod posset alias, si res ita ferret, profecto recte hoc quod dixi, concluditur : mereri hominem ob id, quod tum, cum meretur, facere non potest, ac ne de eo faciendo quidem cogitat, sed quod facere posset, si concupiscentiæ turbulentior ille motus erumperet. Nam sive de acriore impressione illa concupiscentiæ cogitet, sive non cogitet, posset nihilominus existere : adeoque meritum ex eo procederet, quod posset, et cum infinitæ possint eruptiones cupiditatis fieri meriti in infinitum magnitudinem exaggerari necesse est. Hujus vero tam absurdi inventi, et incre-

[1] Part. II, cap. VI.

dibilis offensionem tanto minus effugere potest Heterodoxus. quod, ut supra memini, *dissentiendi potestatem* docet *ipsam esse concupiscentiam*; cujus in immensum propagari furor, et assultus, nec ullis coerceri finibus possit.

Ad hæc, si cum necessario consentit, ideo dissentire potest voluntas, quia posset, si concupiscentia vehementiorem ardorem, quam gratiæ sit inspiratio, pareret : eodem jure non posse dissentire concludemus in illo ipso momento ac statu possibili, quo id quod posset faceret, quoniam non minus vis posset existere gratiæ, quæ ardentiorem illum concupiscentiæ motum hebetaret, ac reprimeret. Ac cum duæ illæ contrariæ invicem impressiones ex æquo possibiles sint, nulla nos cogit ratio, ut ob illam, quam concupiscentia posset excitare, dissentire nos posse ab gratia statuamus, potius quam ob alteram, quæ ab gratia exoriri posset, majorem vim ac vegetiorem impetum, dissentire negemus posse. Vides quam sophistice implicata, et tortuosa Heterodoxi sit interpretatio, neque vel stillam præ se ferat boni, ac sani judicii.

IX. Longius in hac Tridentini decreti, et canonis interpretatione, quam ex officina sua procudit Heterodoxus, convincenda, refutandaque progredi nostra poterat oratio, si illius aut sordes omnes persequi, aut loquacitatem imitari vellemus. Sed modum adhibebimus disputationi huic, ac de Tridentini concilii sensu pauca suggeremus, quæ nosse plurimum intersit Catholicorum omnium, et ad frangendam Heterodoxi proterviam non parum conferent.

Ex historia concilii Tridentini probatur male ab Heterodoxo intellectam ejus sententiam.

Exstat historia Tridentini concilii ab non laudato scriptore Italice conscripta, in qua nihilominus *aliquid* esse, *quod tollere possis* ex multis falsis, aut dubiis, catholici viri graves consentiunt. Hac historia multum Heterodoxus utitur[1]: ex eaque subsidium elicit ad minuendam novæ, ac falsæ interpretationis invidiam. Quod quam parum considerate fecerit, id maxime demonstrat, quod testimonio est illa eadem historia, bene a nobis, et ab Heterodoxo male intellectam esse synodalis decreti sententiam. Narrant acta illic edita[2], quo tempore de condendo, concipiendoque decreto illo deliberatum est a Patribus, quod capite quinto, et canone quarto sessionis sextæ continetur, magnam inter duos eruditos theologos altercationem exstitisse, Dominicum Sotum, et Ludovicum Cataneum ambos ex inclyta Dominicanorum familia. « Ex quibus ita Sotus asserebat, inspirationem omnem ex seipsa, solamque nihil nisi sufficientem esse : illam vero cui liberum assentitur arbitrium, ex assensu ipso efficacitatem acquirere. Quod si liberum arbitrium consensum illi suum deneget, efficacitate carituram esse, non ullo suo, sed hominis ipsius defectu. » Huic repugnabat Cataneus, ac nihilominus post longam duorum istorum pugilum controversiam vicisse refert opinionem Dominici Soti, et *communi applausu omnium exceptam fuisse :* cum quidem magna uterque concordia duplicem adstrueret gratiam, sufficientem et efficacem. Sic igitur in Dominici Soti sententiam itum est a Patribus, in eamque dogma constitutum. Tum postea refert eadem historia, non alio sensu, quam quo a nobis explicatum est, ab eo vero quem fingit Heterodoxus, diversissimo, idem decretum ab universis, qui plurimum de eo disputarunt, interpretatum, et acceptum fuisse.

Quid ad ista mutire poterit Heterodoxus? aut qua fronte Tridentinam historiam, et Ludovicum illum Cataneum intentare nobis ausus est, ac suæ inde causæ præsidium arcessere?

X. Sed huic homini usitatissimum illud est, in rem suam ea proferre ac conquirere, quæ vel maxime adversantur, et eos adjuvant, quos contra certamen instituerit. Sic Bellarminum tanquam fautorem opinionis suæ, ac testem excitat[3], quem liquido constat non aliter de libero arbitrio, deque gratia sensisse, quam Catholici reliqui docent, et novorum dogmatistarum flagitiis intercessisse. Nam et liberum arbitrium in indifferenti utriusvis eligendi potestate situm esse declarat[4], et a necessitate non solum cogente, sed etiam uno aliquo circumscribente, solutum esse, quod ex Tridentino concilio, iisdemque decreti illius verbis approbat, quæ sic exponit, ut nos intelligenda esse contendimus, atque interpretationem Heterodoxi, itidem ut hactenus fecimus, cum eodem pugnare concilio, nec non fide cum catholica decernit, quæ autem ab novis dogmatistis opponuntur Augustini testimonia, eadem nobiscum responsione iis occurrit.

XI. Sic ab eodem Heterodoxo impense laudatur Henriquez[5], quem unum habet adversantem maxime, ac prava ipsius dogmata,

1 In epist. *ad præf.*—2 Histor. tri. gall versa lib. II.—3 Epist. *ad episc.*—4 Bell. lib. III *de lib. arb.* c. III—5 In *Apol.* c. I.

pro eo ac frugi, et catholicum theologum decet, auctoritate sua damnantem. Hic in libro ultimo, qui est *de fine hominis*, capite XIV, auxilium gratiæ omnibus paratum esse dicit, neque quemquam excipi ab divino illo beneficio; tum vero Deum omnes velle salvos fieri, et ad omnes Christi merita pertinere. «Omnis, inquit[1], adultus in quacumque hora, aut momento temporis habet præparatum gratiæ auxilium, quantum est ex parte Dei, ut statim, et ante mortem, quamvis vicina sit, possit digne pœnitere, et converti, etc. Nec illi viatori, quantumvis obdurato, ut Pharaoni, et Antiocho, Deus unquam negavit auxilium sufficiens, sine cujus præventione nemo potest ita digne credere, sperare, diligere, aut pœnitere, ut ei gratia justificationis conferatur. Deus in eo quod de se semper adhibet eam primam motionem voluntatibus nostris, et eis assistit, non fatigatur, *et tota die expandit manus suas*, *Esaiæ* LXV, et Deus I *Timoth.* II, *vult omnes salvos fieri*, quia de se præbet omnia necessaria : sicut et Christus ut causa sufficiens, et universalis, offert omnibus, et semper virtutem suæ passionis et Sacramentorum, sine qua homo justificari non potest.»

CAPUT IX.

Heterodoxi falsa exagitatur opinio, qui Augustini de Prædestinatione sententiam fide catholica ratam esse defendit. 1. Prædestinationis acceptio varia. 2. Augustini de hac opinio haud passim recepta. 3. Heterodoxi ridicula cautio de rebus fidei. 4. Quæ confutatur. 5. Aliæ Augustini opiniones non receptæ, et quatenus ea, quæ de Prædestinatione docuit, fide sint tenenda. 7. Augustini de suis scriptis modesta testificatio.

Omnium ineptiarum Heterodoxi, quæ numerari vix possunt, nullam puto majorem esse, minusque tolerandam, quam quod catena quadam colligatam esse doctrinam omnem Augustini sic existimat, ut si partem ejus aliquam admiseris, reliquas omnes necesse sit amplecti. Ex quo istud consectarium facit; Augustinianam de prædestinatione, ac reprobatione sententiam, eadem catholicæ fidei professione contineri, qua cætera illius de gratia dogmata, quæ communis Ecclesiæ consensus, atque auctoritas ascivit. Sed hujus decreti vanitatem pluribus arguit Anonymi dissertatio, nec eam de sola prædestinatione reprehendit, sed de nonnullis aliis, quæ ab Augustino tradita, et defensa, posterior ætas partim respuit, partim nonnisi verisimilia, et opinabilia judicavit. Exarsit ad hujus cautionis verissimæ, ac prudentissimæ mentionem Heterodoxus, et quod semel animo imbibit, in eo, quamlibet absurdo, convictoque perseverare maluit, quam veritati, rationique concedere. Cum autem plurima in opinionis temere conceptæ patrocinium homo copiose loquax congesserit, adversus hanc colluviem unum quiddam præscribi, observarique proderit : Prædestinationis vocabulum duo quædam continere, quæ ἰσχναῖς ἐπινοίαις ut loquitur Alexandrinus Cyrillus, id est *subtili ratione* discernenda sunt ex Augustini sententia. Nam vel ad ultimum hominis finem refertur; quæ est æterna felicitas, et gloria, vel ad ea, quæ *media* nominantur, quæ sunt auxilia gratiæ, per quæ ad illud ultimum pervenitur. De hoc posteriore nulla inter theologos est controversia. Sciunt enim omnes, qui quidem catholice sapiunt, primam, et *initialem* gratiam, quæ a vocatione, ac fide incipit, omnino esse gratuitam, et anteriorem meritis omnibus, contra quam Pelagianis, et eorum reliquiis olim placuit. Quod igitur nemo, nisi gratuita misericordia excitatus a Deo, et adjutus a peccato resipiscit, atque ad æternam capessendam, ac promerendam felicitatem inducitur; hinc non modo conversæ in melius voluntatis initium, sed progressus etiam, ac tota subsequens series beneficiorum Dei, necnon finis ultimus, et felicitatis adeptio inter gratuita Dei dona censentur. Itaque « vita etiam æterna gratia nuncupatur, ait Augustinus[2], quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed ideo quia data sunt et ipsa merita, quibus datur, » de quo vide quæ alibi ex professo disputavimus[3]. Doctrina Augustini de prædestinatione ad fidem non attinet.

II. Quocirca Prædestinatio, si cum tota illa serie comparetur, non ex meritis antecedentibus constat : neque ut sola illa, quæ dicuntur, *media* complectitur, quæ est peculiaris interdum apud scholasticos theologos prædestinationis notio. Sin ad finem ipsum, et æternam gloriam significandam accommoda- Nec a pluribus admittitur.

1 Henr. lib. ult. cap. XIV, num. 6. — 2 Aug. ep. CV. — 3 Tom. I, lib. IX, cap. XIV.

tur, quo sensu proprie electio dicitur : tum vero quæstionis res est, utrum ex meritorum, quæ ab gratuita Dei liberalitate profecta sunt, prævisione destinata sit æterna salus, an ex electione ad gloriam nullis facta prævisis meritis, reliqua, quæ ad hanc adipiscendam necessaria sunt, a Deo desponsa sint, et parata præsidia. Hanc posteriorem sententiam amplexus Augustinus suffragatores habuit complures posteros, neque tamen aut illius auctoritas, aut istorum consensus, a priori, et illi contraria sequenda, tuendaque retardavit insignes aliquot pietate ac doctrina theologos, quorum tantum valuit exemplum, ut hoc tempore communiter ac promiscue adhibeatur in scholis et, ut initia se habent, paulatim obducta altera, rerum potitura videatur. Equidem in tomo primo theologicorum dogmatum postremis duobus libris sic utramque proposui, ut in priore, qui nonus est, alteram illam opinionem de gratuita electione Augustino vindicarem, contra quam persuasum habebant aliqui : ac quam potui validis rationibus defensam, ac munitam relinquerem : in posteriore vero libro ea quam honorificentissime dimissa anteponendam huic alteram decrevi. Quod meum factum et consilium jure nemo vituperare potest, nisi qui hoc ante constituerit, ambarum illarum alterutram in autoritatem evasisse catholicæ fidei; quod quidem nemo nisi iniquus, ac parum aut eruditus aut consideratus faciet, ac prorsus Heterodoxi similis : qui, ut referre cœperam, Augustinianam illam in fidei dogma falso, temereque transtulit.

Heterodoxi ridicula cautio de rebus fidei.

III. Obnuntiarat huic dissertationis auctor prioris Anonymus, et hominem vadatus, ad œcumenicarum synodorum tribunal, et ad doctorum theologorum subsellia provocarat : constanter id affirmans, nec ab illis ullum hactenus factum esse decretum, quo gratuita electio inter fidei capita sanciretur : et ab istis utramque pro arbitrio palam in scholis doceri, vel scriptis mandari sententiam. Hac sponsione lacessitus homo præfidens, cum nihil illorum præstare quiret, vide quo tandem evaserit. In *Apologiæ* capite decimo tertio[1], « Opinionem ait illam de gratuita prædestinatione, inter fidei capita censeri; quandoquidem Ecclesia ita nos docet; et impune tamen repudiari a theologis : quoniam nulla iis, qui secus sentiant, pœna constituta est. Cæterum neutiquam recte ex eo probari, non esse rem fidei, quod nulla pœna infligitur iis, qui illam oppugnant, nec nullum in eos anathema jacitur. Falso itaque crimini datum hoc sibi queritur[2], quod dixerit, tam illa certo tenenda, quæ de electione ad gloriam citra prævisa merita, deque reprobatione ex solo originali peccato docuit Augustinus; quam illa, quæ de gratia, ejusque cum libero arbitrio concordia disputavit. Etsi enim tenenda est omnino illa Augustini sententia, ut cum Ecclesiæ judicio consentiamus, quæ hanc ad fidem pertinere catholicam docet; non tamen ad eam profitendam obligari nos ullius Ecclesiasticæ censuræ metu : quando fidei contrarios errores plurimos ad tempus Ecclesia tolerare consuevit; » quemadmodum Stephanus Papa Cyprianum ab catholica regula dissidentem communione interdicere supersedit. Hæc Heterodoxus : quæ hic placuit exscribere, ut horrendam animi cæcitatem hoc in capite lector animadverteret.

Quæ confutatur.

IV. Quid enim par isti est, ac simile? Itane catholicæ fidei lege constitutum est, ut ea docerent, ac profiterentur Christiani, quæ de electione ad gloriam sine prævisione meritorum; aut reprobatione propter originalem noxam Augustinus affirmat? Nihil hic de pœna, vel anathemate quæratur, quo sanciri capita fidei solent in œcumenicis synodis. Illud volo respondeas, quæ synodus, quod Romani decretum pontificis opinionem illam, fidei catholicæ rem esse declaraverit. Potes vel ullam proferre litteram, quæ hujusmodi fidei dogma perstrinxerit? Cum tam multa de gratia, et justificatione contra Pelagianos, et recentiores hæreticos in conciliis, et pontificiis decretis definita præscriptaque sint, quis eam quæstionem in necessitatem catholicæ professionis inclusit? Nam quod de suppresso anathemate injicit Heterodoxus, ineptissimum est. Non enim ideo fidei negotium non est, quod nulla animadversione sancitur : nec hæreticus propterea non est aliquis, quod impune contrarium fidei tuetur errorem : cum hoc ipso, quod *Ecclesiam non audit, pro ethnico, et publicano* sit habendus[3].

Præterea quam multi, nec obscuri theologi electionis gratuitæ sententiam negant ab Augustino esse defensam? Illisne tu nihilominus hæretici erroris invidiam concitabis? Hæc enim te unica ratio ad illud flagitium

1 Par. 1. — 2 Anon. disser. I, cap. V. — 3 *Matth.* XVIII, 17.

malesanæ opinionis adduxit, quod ita persuasum habeas, Augustini doctrinam conciliorum generalium, et Romanorum pontificum auctoritate ratam esse factam; adeo ut qui ab ea dissidet, ab illorum judiciis ac decretis abhorreat. Quod quam falso et inepte abs te dictum sit, demonstravit Anonymi utraque dissertatio. Cujus rationes « apparet te propterea irrisisse, vel potius te irridere finxisse, ut his qui non intelligunt, videreris dicere aliquid, cum diceres nihil [1].»

Aliæ Augustini opiniones non receptæ

V. Sane qui Augustini opiniones omnes tuendas susceperit, is ubi ad rem ventum erit, vadimonium deserat necesse est. Ut in illa de Eucharistia parvulis ad salutem necessaria, quam aliorsum trahere frustra magni viri conantur. Non enim inficiari jure quisquam poterit, summum doctorem ita sensisse, quemadmodum dissertatio docuit. Quod præter Maldonatum, Severinus quoque Binius tomo primo conciliorum, tam de Augustino, quam de Innocentio Primo affirmare non dubitavit in notis ad epistolam Innocentii vicesimam quintam, ubi et alteram refellit opinionem, quam Heterodoxus adstruit.

Atque hoc de Eucharistiæ necessitate multo Augustinus disertius asseveravit, quam alterum gratuitæ dogma prædestinationis : quod plerique graves theologi, me tamen haud adstipulante, aliter accipiunt; qui quidem omnia Augustini loca, in quibus prædestinationem ex nulla præsensione meritorum, ac liberali sola Dei misericordia constare docet, ad gratiam referendum esse contendunt, non ad gloriam. Quis autem Catholicus dubitat, quin tota illa series auxiliorum gratiæ, quibus ad sempiternam salutem enitimur, ac provehimur, nulla ex meritorum vel causa, vel occasione pendeat : sed gratuitum sit Dei beneficium : uti capitis hujus initio meminimus?

Quamobrem seposita illa controversia de electione ad gloriam, vel prædestinatione, ut ad solam gloriam, velut meritorum bonorum præmium ac mercedem respicit : certissimum est, gratuitam illo, quem dixi, modo esse Prædestinationem; idque ipsum catholicæ esse fidei dogma, olim adversus Pelagianos synodalibus decretis, et novissime Tridentini concilii auctoritate constitutum. Nec alio sensu verum potest esse, quod Augustinus de prædestinatione a se tradita, et explicata his verbis asserit [2]: « Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus nisi errando disputare potuisse. » Et in ejusdem libri capite XXIII. « Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. » Hæc enim ad Pelagianos confutandos pertinent : *qui gratiam præcedi merito nostro* putabant, ut loquitur ibidem : ac nullam primam gratiam admittebant quæ merita omnia antecederet, atque ex sola liberali Dei voluntate daretur pariter, ac danda destinaretur. Et agit in capite illo vicesimo-tertio de conversione infidelium, quam a Deo precibus impetrandam esse, perpetuus christianæ usus Ecclesiæ confirmat. Est itaque prædestinatio in hunc modum intellecta catholica fide credenda : uti ab Augustino, aliisque defenditur.

VI. Nam quod ad reprobationem attinet, cujusmodi ab eodem Augustino est exposita, tantum abest ut in fidei auctoritatem assumpta sit, ut eam haud exiguæ sit contentionis, operæque cum reliqua omni Augustini doctrina conciliare. Etenim si propter originalem culpam in damnata, et sempiterno exitio devota massa hæret reprobus [3]; unde nemo, nisi per prædestinationem, vel electionem eximitur ; quamvis Baptismo initiatus fuerit; eo ipso tamen reatu damnationis implicatur, quod reprobus est. Itaque tam reatus in illo peccati manet originalis, quam actus, qui est concupiscentia ipsa, ut putat Augustinus. Nec reatu igitur, nec actu per Baptismum originalis noxa diluitur. Id quemadmodum ex Augustinianæ sententiæ principiis, cujusmodi ab Heterodoxo, novique dogmatis fautoribus exponitur, dissolvi queat viderint ipsi. Nos scimus aliter atque isti faciunt, a Prospero, aliisque primariis illius doctrinæ fautoribus, conformatam eam fuisse, ac rigorem ipsius commodiori quadam moderatione conditum; de qua re in libro XIII *de Incarnatione* copiose disputavimus.

VII. Hæc eo dixerim, ut Heterodoxi, ac similium sophistarum temeritatem comprimam; qui Augustini dogmata omnia sic deosculari se, ac tueri velle profitentur, ut pro hæretico habeant si quis ulla in re ab ejus opinione dissentiat. In quo nulli magis, quam Augustino ipsi repugnant : qui de

Augustini de suis scriptis modesta testificatio.

1 Aug. II *op. imper. cont. Jul.* — 2 Aug. *de Dono persev.* cap. XV. — 3 Vide quæ tom. I, lib. IX, cap. III, § diximus.

scriptis suis multo secus et existimavit ipse, et ab lectoribus, ac fautoribus suis existimari voluit. Notæ sunt pleræque illius sententiæ, quibus modum iis assentiendi, quæ scriptis tradidit, posteris præfixit; e quibus proponam hic aliquas. In libro de *dono Perseverantiæ*, capite XXI. «Neminem velim, inquit, sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit.» Et in epistola CXI ad *Fortunatianum*[1], « Neque enim quorumlibet, inquit, disputationes, quamvis catholicorum, et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserit quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.» Idipsum plerisque aliis in locis repetit; ex quibus intelligas, quam alienus ab importunitate illa fuerit Heterodoxi, et ejusdem genii hominum : qui quidquid ab Augustino litteris proditum est, pro fidei decreto id habendum esse statuunt.

Neque vero (quod jam antea sum professus, et iterum hoc loco dici necesse est) hujusmodi in Augustini legendis libris cautionem apposui; tanquam in iis, quæ ad gratiæ negotium spectant, ab communibus Catholicorum placitis dissentiat; aut Armacanorum turbulentæ novitati velificetur. Non est ita profecto, non est. Mentiuntur omnino qui impura illa dogmata tot synodalibus, et pontificiis confixa judiciis, nec aliis probata, quam Lutheris, Calvinis, et horum asseclis, Augustiniana esse defendunt. Non sunt : neque hactenus id efficere Armacani potuerunt, ut ea liquido et sincere, ac sine præposteris interpretationibus suis, et calumniis, tanto illa doctori probabiliter affingerent.

CAPUT X.

I. *Heterodoxi absurda sententia, qui Augustini dogmata omnia ad fidei auctoritatem refert ex Quintæ synodi decreto : et ridicula ejusdem cavillatio.* 2. *Quæ confutatur; quid sit error* positivus et negativus. 3. *Chrysostomi de originali noxa non probabilis opinio.* 4. *Explicatur locus ille synodi quintæ.* 5. *Heterodoxi levitas et inconstantia.*

I. Non prius ab hoc loco recedam, quam incredibilem Heterodoxi tum inscitiam, tum levitatem erudito lectori patefecero.

Qui hoc imprimis certum, et exploratum haberi pro sua auctoritate jussit, Augustini doctrinam omnem catholica fide complectendam esse[2] : idque hoc argumento probavit, quod non solum Romani pontifices, sed etiam œcumenicæ synodi ratam illam fecissent; velut quinta, quæ in omnibus sequi se Augustinum est professa. Verum monitus ab Anonymi dissertatione quantis incommodis, et molestiis argumentatio illa premeretur; quod ex ea consequens foret non solum Augustinum, sed etiam alios complures Patrum illic nominatos eadem auctoritatis prærogativa censeri : quos tamen manifesti in nonnullis erroris teneri constaret : hoc ille animadverso, cum revocare quod temere affirmaverat, alienum dignitate, et existimatione sua putaret, hærere maluit in dicti offensione, ac solitas artes et præstigias adhibuit, ut imperitis, ac minus acutis, vel accuratis talium inquisitoribus illuderet. **Heterodoxi hallucinatio de auctoritate Augustini a quinta synodo confirmata.**

Quapropter in *Apologiæ* præfatione, de Græcis ab quinta synodo laudatis[3], et approbatis Patribus mirifico quodam invento et arguto, quod dixerat tueri sic aggressus est : duplicem distinxit errorem ; unum *positivum* sive *affirmantem*; alterum *negativum*; quorum prior in eo consistit, ut non solum falsum aliquid, et ab fidei regula dissentiens in opinione habeatur ; sed etiam huic adversarium fidei dogma arguatur erroris. *Negativum* vero tunc errorem esse dicit, cum verum, et catholicum decretum tantummodo

1 August. ep. CXI. — 2 Epist. abb. ad Episc. — 3 Collat. III, IV tom. concil.

nescitur : nec ei opposita damnatur veritas.

Quo notato discrimine, ita respondet : « Græcos Patres qui de fidei gratia minus catholice senserunt, non *positivo*, sed *negativo* in errore esse versatos ; hoc est, errasse quidem negative, quod ignoraverint fidem verum esse donum Dei : non tamen positivo errore laborasse, tanquam errorem esse dixissent docuissentve, fidem esse Dei donum arbitrari. » Ad hunc modum excusari quod quinta synodus sanxit, aliquot Patres « sequi se (et videlicet ab Catholicis exemplo suo sequendos esse) per omnia, et suscipere omnia, quæ de recta fide, et condemnatione hæreticorum exposuerunt. » Quod synodi decretum sic interpretatur : « ut illos Patres positive minime errasse statuat ; ac tuto illos sequi nos posse in iis quæ fidei esse consentanea, vel dissentanea contra hæreticos asseverant. »

Quid sit error positivus et negativus.

II. Atqui supervacanea est, et ab usu aliena communi, sensuque, tum distinctio erroris illa, tum appellatio. Error, est judicii opinionisque falsitas veritati contraria : ut luci tenebræ ; ac potest alius alio gravior ac perniciosior esse : sed eadem utrobique ratio est erroris, ubi ab veritate deflexeris ; quemadmodum tenebræ densiores aliis aliæ sunt : sed quatenus cum luce pugnant, eadem specie continentur. Porro *negativus* error, et *positivus* ex contrariæ formæ conditione censendus est. *Negativa* veritas est, qua quod falsum est, negatur esse verum : ut si ita judicem : *Non est Filius Dei, creatura*. Affirmans, seu *positiva* veritas est, qua quod verum est, esse verum asseritur : ut, *Filius Dei ejusdem est cum Patre substantiæ*. His oppositus error est, neganti quidem veritati, *positivus* hoc modo, *Filius Dei est creatura :* affirmanti autem veritati, negans sic : *Filius Dei non est Patri consubstantialis*. Ubi nihil interesse perspicuum est, utrum explicate de opposito judicem, ac pronuntiem. Nec enim necesse est, ad id, ut cæcus in errore sit, qui meridie noctem esse putet ; cum dicere, errare illos qui lucere censeant ; quanquam alterum ex altero sequitur : et qui unum affirmat, vi enuntiationis et interpretatione negat alterum. Itaque qui gratiam Dei munus esse negat, negando utique fallitur : et qui naturæ solius viribus eamdem refert acceptam, affirmando errat id quod falsum est, ac *positivo* errore labitur : etsi aliter sentientes errare ne cogitet quidem. Imo si utramque ex æquo prohibitam sententiam arbitretur ; nihilominus *positivum* in errorem incidit. Errat enim profecto, qui catholicæ veritati contradicit : quæ quidem alteram duarum enuntiationum quæ naturæ viribus gratiam imputat, non certam sed vel probabilem censeri vetat.

Erravit Chrysostomus in doctrina peccati originalis.

III. Præterea quod Chrysostomum, quem inter alios nominavit Quinta synodus, *negativo* tantum errore lapsum esse dicit, non *positivo* ; id ex ipsiusmet assertione refellitur ; quippe *positivum* errorem hunc esse definit, cum veræ sententiæ contraria falsa non affirmatur solum : sed vera quoque, falsa esse defenditur. Fecit autem hoc Chrysostomus in ea re, quæ ad gratiæ dogma, et Pelagianorum hæresim præcipue pertinet. Etenim ex Adami peccato negat in posteros transfusam esse culpam : sed solam asserit mortis transisse pœnam : neque hoc simpliciter asseverat : verum alteram opinionem quæ propagatam quoque culpam esse docet, absurdam, ac dissonam appellat. Locus est in homilia x in epistolam *ad Romanos*, ubi Apostoli verba ista declarat : *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem justi constituuntur multi*. Ad hæc vero Chrysostomus quæstionem movet, quinam intelligendum sit, quod dicit Apostolus, *per inobedientiam unius peccatores factos esse multos*. « Nam ex eo, inquit, quod ille peccavit, et morti obnoxius factus est, eos quoque, qui ab illo propagati sunt tales exstitisse, nihil habet absurdi. At ex illius inobedientia alterum peccatorem esse factum qui tandem consentaneum est? Quid igitur sibi vult vox ista, peccatores ? Existimo nihil aliud significare nisi obnoxios pœnæ et morte damnatos[a]. » Vides ut originariam nullam peccati maculam ab Adamo derivatam in ejus posteros putet Chrysostomus : sed solam peccati pœnam, hoc est mortem. Cui

a Chrysost. hom. x in epist. *ad Rom.* Τὸ μὲν γὰρ ἁμαρτόντος ἐκείνου, καὶ γενομένου θνητοῦ, καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ τοιούτους εἶναι οὐδὲν ἀπεικός· τὸ δὲ ἐκ τῆς παρακοῆς ἐκείνου ἕτερον ἁμαρτωλὸν γενέσθαι, ποίαν ἀκολουθίαν σχοίη; etc. Τί οὖν ἐστιν ἐνταῦθα τὸ ἁμαρτωλοί; ἐμοὶ δοκεῖ τὸ ὑπεύθυνοι κολάσει, καὶ καταδεδικασμένοι θανάτῳ.

1 *Rom.* v, 19.

opinioni, interpretationique Pauli, Græci enarratores adstipulantur, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius.

Explicatur locus synodi quintæ et ab Heterodoxi cavillationibus vindicatur.

IV. Erravit igitur in eo Chrysostomus, et quidem *positive*, ut Heterodoxus loquitur; quippe contrariam hanc opinionem, falsam, ac dissentaneam judicavit. Et hunc tamen, ut et alios, sequi per omnia se synodus œcumenica profitetur. Nam quod opponit Heterodoxus, « Synodum quintam non absolute Patres illos approbare, sed in eo solum, quod irreprehensibiliter usque ad finem vitæ suæ prædicaverunt, hoc est, in quo minime reprehensi sunt aperte, vel tacite ab Ecclesia, aut cæteris Patribus majori auctoritate præditis : » primum illa decreti synodalis exceptio, quam affert Heterodoxus, non ad priores Patres, qui nominatim cum Chrysostomo recensentur, pertinet : sed ad alios, quos annectit illis. Cum enim universe, absoluteque dixisset, « super hæc sequimur per omnia sanctos Patres, et doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, etc. et suscipimus omnia, quæ de recta fide, et condemnatione hæreticorum exposuerunt : » mox de aliis Patribus universe loquitur sic : « Suscipimus autem et alios sanctos, et orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia irreprehensibiliter usque ad finem suæ vitæ prædicaverunt. »

Quamobrem parum cauta, circumspectaque est Heterodoxi de illo synodi quintæ decreto cavillatio; ac si sapiat, nullam ei interpretationem præferet, quam Anonymus dissertator accommodavit [1] : ut synodus non quidquid, aut quaecumque de re, Patrum illorum quilibet statuerit, id se amplecti dixerit : sed hoc solum quod omnes uno consensu, adversus errores superioribus damnatos synodis docuerint : adde et adversus illos, quorum damnandorum gratia synodus ab Imperatore convocata fuerat. Hoc enim decretum synodus edidit collatione tertia : imo ex Justiniani rescripto, quod in prima collatione lectum erat, excerpsit, ac probavit. In illo porro Imperatoris edicto, postquam synodos quatuor probare se professus est, et damnatas ab illis hæreses respuere : de tribus capitulis mentionem facit : deque iis judicium Patribus defert. Atque ut intelligerent, quanam ad illa disceptanda, statuendaque tum ipse usus esset regula; tum uti synodum oporteret : præter quatuor œcumenicas synodos, Patres illos enumerat, quos dixi; quos in omnibus sequi se dicit : et videlicet sequendos Patribus proponit. Quod ipsi plane ex Imperatoris præscripto fecerunt : ac sanctos illos Patres una cum synodis quatuor sequendos sibi proposuerunt in omnibus, nimirum de quibus subinde deliberaturi erant, præter illa, quæ jam ab superioribus conciliis constituta fuerant : quæ illa ipsa collatione, ac decreto rata esse jusserunt. Nam de tribus capitulis ampliandum esse pronuntiarunt : quod et de Origenis hæresi factum ab illis esse par est intelligi. Ad hunc modum Tridentina postea synodus [2], antequam ulla de re sententiam ferret, palam fecit « quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus esset usura. » Itaque principio sacrorum librorum catalogum edidit : tum unanimem Patrum consensum ad illos explicandos adhibendum sibi præfixit.

Castigatur Heterodoxi levitas et inconstantia

V. Hoc vero loco castiganda est Heterodoxi desultoria levitas in Augustini constituenda auctoritate : quam pro arbitrio modo extollit, modo demittit. In epistola, quam personatus Abbas ad episcopum scripsit, illa de Augustino grandia, et magnifica deprompsit, quæ hujus capitis initio attigi : ex duarum synodorum œcumenicarum decreto « sequendam esse in omnibus Augustini doctrinam : » quod sine ulla circumscriptione universe ibi pronuntiavit. Adjecit et Romanorum responsa pontificum, quæ summa illi omnia detulerunt. Rursus in *Apologiæ* parte prima, capite XIII. « Tridentinum concilium affirmat Augustinianam doctrinam in omnibus approbasse : quoniam adeo est arcta et indissolubilis colligatio partium omnium theologiæ Patris istius, ut si vel unam admittas, reliquæ omnes admittendæ sint : » de quo Augustinianorum nexu dogmatum, velut catena quadam consertorum inter se, acjunctorum, in illa *ad Præsulem* epistola copiose ac mirifice disputavit : Atque hoc insuper argumento usus est, ut ostenderet, electionis [3], sive prædestinationis ad æternam gloriam Augustinianum dogma fide esse catholica profitendum; etsi nulla aliter sentientibus pœna esset apposita ; « verum obligari revera omnes absolute ad illam amplectendam sententiam, ut se ad Ecclesiæ sensum accommodent, rem esse fidei docentis. » Quin Hadriani primi epistolam profert *ad Hispanos* scriptam : in

1 Diss. II, cap. V. — 2 Trid. sess. IV. — 3 In *Apolog.* par. I, cap. XIII.

qua statuit, « neminem divinæ prædestinationis participem fore, qui prædestinationem (nempe illam, de qua agit, Augustinianam) negasset. » Hæc si vera sunt, sequitur omnia doctrinæ Augustinianæ capita fidei esse catholicæ dogmata : non ea tantum quæ ad gratiam spectant : sed citra exceptionem universa. Non enim synodus quinta œcumenica, cum in omnibus sequi se Augustinum, cæterosque Patres professa est, de sola gratia, vel prædestinatione litteram ullam fecit; ac ne cogitavit quidem : sed indefinite, universeque pronuntiavit; omnia probari sibi, « quæ de recta fide, et condemnatione hæreticorum exposuerunt. »

Quæ cum ita se habeant, turpissima est Heterodoxi prævaricatio, qui « se scripsisse negat, omnia, quæ dixit Augustinus, ad fidem spectare : sed hoc velle ; id quod certum esse scripsit, esse certum ; et quod fide catholica credendum asseruit, ei tanquam fidei dogmati assentiendum. »

Rursus in eadem *Apologiæ* præfatione, negat id se dixisse, « quæcumque iis in libris, quos contra hæreses scripsit Augustinus, ab eo sunt dicta, pro catholicis dogmatibus habenda : sed hoc unum asseruisse, in iis, quæ ad gratiam, et prædestinationem attinent, quæcumque Augustinus fidei esse statuit, ea pro talibus asseverari oportere. » Atqui nihil ejusmodi synodus, ut jam docui, œcumenica Quinta significat, cujus auctoritate suum illud de Augustino decretum tuetur : et cum Augustinianæ partes omnes necessario inter se copulatas, et indissolubili quodam vinculo colligatas esse confirmet, adeo ut qui uni assentitur, omnibus eum assentiri oporteat ; nullam, si recte positum illud est, partem debet excipere.

CAPUT XI.

Heterodoxi cavillationes, et mendacia varia. 2. Quid sit apud Augustinum insuperabiliter agi gratia voluntatem. 4. Heterodoxum calumniari. 6. Ac falso negare dictum esse ab Armacano, quidquid voluntarium est, esse liberum. 7. Mendacium Heterodoxi de Molina damnato. 8. Aliud ejusdem mendacium, 9. Item aliud ejusdemmodi.

I. Hoc in caput opusculi hujus, ac sequens labes aliquot Heterodoxi conferam; præsertim calumnias, et imposturas, quibus scatent illius libri : nec in iis recensendis accurate ordinem tenebo : verum ut quæque sub stylum subibit, ita eam proferam, ac revincam.

Ex iis prima illa calumnia prodeat[1], qua Anonymum dissertatorem adversus Tridentinam sanctionem ait existimare necessitatem afferri libertati hominis, cum aspirantis gratiæ permotione tangitur ; quæ cum illius opinio sit, in hujus communionem invitum Dissertationis prioris trahit auctorem. Invitum dico : nam falso eam illi sententiam adscribit, a qua longe abhorret. Est vero sane lepidum, quod quibus verbis in dissertatione ista Heterodoxi, quam cum novis dogmatistis communem habet, exposita est opinio, ea sic accipit, tanquam dissertatoris mentem explicent, non illorum, quos ibidem, ut refelleret, loquentes inducit. Capite septimo dissertationis prioris novorum, ut dixi, dogmatistarum sententia proponitur, qui gratiam ab Augustino descriptam interpretantur sic ; ut « nunquam volendi actio a potestate divellatur : ita ut unius cum altero sit necessaria connexio. » Non igitur ex dissertatoris persona sensuque verba ista profecta sunt, sed novorum Dogmatistarum errorem continent; quod totius illic orationis contextus docere poterat Heterodoxum ; si sanos, et non odio, et invidia suffusos ad illa legenda oculos adjiceret.

Heterodoxi cavillationes et mendacia varia.

II. De hac porro necessitate homini per gratiam illata, quam contra Tridentini concilii auctoritatem recens inducit factio, nihil hic limatius accuratiusque disseram ; ne ultra

1 *Apol.* par. I, cap. XVII et par. II, cap. II.

Quid sit apud Augustinum insuperabiliter agi gratia voluntatem.

præscriptos ab Apostolica sede limites vel impudens efferar. Duo mihi tantummodo breviter explananda sunt, quæ ad Augustini declarandam sententiam, et Heterodoxi frenandam licentiam apprime utilia confido fore. Alterum est, nonnulla Augustini ab illo loca perperam usurpari ad illam libertatis peremptricem necessitatem adstruendam ; quæ nihil ejusmodi persuadent. Sunt autem hæc, in quibus asserit [1], « indeclinabiliter, et insuperabiliter agi gratia voluntatem hominis, » et id genus alia ; quæ sic ab illis intelliguntur [2], tanquam efficientiam gratiæ cum voluntate comparet Augustinus. Verum gratiæ cum voluntate sociatæ, sive voluntatis gratia roboratæ et armatæ fortem invictamque constantiam tormentorum immanitati, ac tentationum validissimis incursionibus opponit potius; adversus quas *insuperabiliter*, et *indeclinabiliter* perstare voluntatem ait omnipotentis gratiæ viribus adjutam, et refectam. Etenim, capite in illo duodecimo de *correptione*, *et gratia*, Adamo datam ad perseverandum gratiam cum illo contendit dono perseverantiæ, quod ex Christi merito prædestinatis, electisque tribuitur : ac longe potentiorem hanc illa gratiam esse demonstrat : quod Adamus cum ea, quam acceperat, gratia, levissimæ tentationis aura dejectus ac prostratus est ; et muliebribus blanditiis repente cessit : electi vero, Christi aspirante gratia, « donoque perseverantiæ muniti, atque firmati, adversus tot et tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, mundum cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincunt : quod sanctorum martyria docuerunt. »

III. Alterum, quod observandum esse docui, illud ipsum est, quod in utraque dissertatione notatum est [3], Augustinum illis in locis, ubi tantam gratiæ vim, ac fortitudinem prædicat, quæ nullius tentationis impetu dejici ac labefactari possit, de ea loqui gratia, quæ est propria prædestinatorum, quæ sic a Deo conceditur, ut nunquam fructu suo, effectoque careat, hoc est æterna felicitate : ad quam certo, et, ut loquuntur, *infallibiliter* illos gratia ista perducit. Hanc Augustini illis in locis, quæ Heterodoxus ad erroris sui tutelam adhibuit, mentem, ac sententiam esse, non est cognitu difficile, si quis ea ipsa loca non tumultuose, ut facit Heterodoxus, sed attente, ac meditate perlustret. Frivola sunt autem, et jejuna, quæ adversus observationem istam Heterodoxus more suo jactavit [4]: cum ex ipsis Augustini verbis, et sententiis evidentissime illud appareat.

Heterodoxi calumniæ.

IV. Altera est non minus inepta, et ridicula calumnia, quam in nos adornat. De qua priusquam agam, hoc unum lector admonendus est ; in primo *theologicorum Dogmatum*, cum de Prædestinatione disputarem, illud imprimis studuisse me, ut veram, ac germanam constituerem Augustini de illa quæstione sententiam : quam ab theologis quibusdam aliter, ac rem ipsam habere crederem, explicari videbam. Hoc igitur toto libro nono præstiti quantum potui. Sed cum, pro illa libertate, quam in suis tractandis libris, ac decretis summus ille vir permissam omnibus esse voluit, ab ejus opinione discederem, exposui decimo in libro, quibus de causis hac in re non idem cum eo sentiendum putarem. Ita porro contigit, ut in declaranda Augustini sententia, ejus omnia firmamenta conquirerem ; ac quidquid ad illam stabiliendam ab ratione, vel auctoritate conferri posset, hoc suis ponderibus expensum in medium adducerem : prorsus ita causam illius agens, tanquam unus essem earumdem partium. Quamobrem Apostoli loca omnia, quæ solent ab rigidæ illius, et Augustinianæ de absoluta prædestinatione patronis opinionis adhiberi, quæque vel peculiarem erga electos Dei voluntatem indicant, vel efficacitatem gratiæ, quæ illos ad perseverandi constantiam roborat : et alia ejusdemmodi sic enucleata, et enodata posui, ut contrariam, quæ mihi magis placebat, improbare viderer, ac respuere. Hinc obtrectandi ansam arripit Heterodoxus, et quoties aliquid ex mea, et ab Augustino diversa sententia de prædestinatione, cæterisque spectantibus eodem meis in libris reperit, ad id impugnandum prioribus illis meis, et contrariis utitur ; meque inconstantiæ, et levitatis accusat.

V. Hujus generis est [5], quod ex libro nono tomi primi *Dogmatum nostrorum* sæpius objicit ; ibi me locum hunc Apostoli [6], *Qui vult omnes homines salvos fieri*, etc. de voluntate quadam conditionata, quæque ad eam potius pertineret, quam *velleitatem* aliqui vocant, interpretari. Verum hoc me eo animo tunc scripsisse perspicuum est, ut

1 Aug. *de Correp. et grat.* cap. XII. — 2 Abb. Epist. *ad Episc.* et in *Apol.* — 3 Diss. I. cap. IX et II, cap. VIII. vide *Elench. Ther.* Vincen. len. cap. XXII. — 4 *Apol.* par. I, cap. XIV. — 5 Abb. in præf. epist. *ad Episc.* et in *Apol.* par. I, cap. XVI. — 6 Tom. I *Dogm. Theol.* l. IX, cap. VII, § 9.

veram Augustini sententiam quam poteram validissime ex eorum, qui illam propugnarent, persona institutoque defenderem; quod nisi facerem, non satis accurate partes illas agerem, quas mihi scilicet imposueram. Tametsi nihil a me tum est editum, quod cum veriore, quam paulo post exposui opinione pugnaret. Non enim absolutam utrobique Dei voluntatem erga reproborum salutem constitui, sed conditionatam; et quæ si cum certa comparetur et efficaci, atque omnino effectum habitura, qua electos complectitur, *velleitatis* rationem magis habeat, quam voluntatis: perinde ac si ita concipiatur: « Vellem istos reipsa, absoluteque salvare, nisi eos propter primi parentis culpam indignos judicarem efficacibus illis, ac certissimis auxiliis, quibus utique promoverentur ad æternam salutem. » Quippe, ut ait Augustinus in libro *de correptione, et gratia*, capite XI. « quibus deest tale adjutorium, jam peccati pœna est, » et quidem originalis: « quibus autem datur, secundum gratiam datur. » Atque hæc nostra loci Apostolici declaratio consentanea est Augustinianæ illi de reprobatione sententiæ; quam valde impeditam, ac difficilem esse supra demonstravi[1]: ideo a Prospero, aliisque illius doctrinæ studiosis commodiorem ad sensum revocatam; qui Dei erga reprobos salvandos nullam ejusmodi voluntatem fuisse fatentur, quæ absoluta sit: quamvis si ad necessaria, et idonea gratiæ præsidia subministranda respectum habeas, efficax sit, et actuosa, quantum est in Deo; quod in decimo-tertio libro *de Incarnatione* plenius explicatum est[2].

Eadem est responsio ad illum locum, quem ex capite XV ejusdem noni libri Heterodoxus affert[3], *de omnipotentissima Dei voluntate et gratia*; quæ non ex meo, sed aliorum sensu attuli, qui Augustinianam illam opinionem serio propugnant. Quemadmodum vero gratiæ resisti non posse, ita fas sit dicere, ut ab Tridentini decreti auctoritate non recedatur, neque ad Armacanos scopulos impingas, non est hujus loci, ac temporis expromere.

Falso negat dictum esse ab Armacano: *Quidquid est voluntarium esse liberum.*

VI. Tertia Heterodoxi impostura est, et calumnia; *Imposuisse me* scriptori ne nominando quidem *Martis Gallici*, furiosi, et pestilentis libri, « quod dixerit; quidquid est voluntarium, esse liberum. » Ain' tu vero, confidentissime hominum, hoc non Armacanum scripsisse, et qui hoc de illo asserat, impostorem, et calumniatorem audes dicere? Ut ne impune tantum mendacium habeas, audi quid ab illo proditum sit tomo tertio, capite quinto libri sexti. Ibi de eo agit, *quomodo omnis voluntas*, id est *volitio*, quæ est actio voluntatis, *sit libera*; ac respondet, « per nullam aliam rem, quam per seipsam, volitionem esse liberam. Nihil enim magis facimus, quando volumus, quam ipsam volitionem; et ideo nihil magis in potestate nostra, quam ipsa voluntas, id est volitio, constitutum est. Est enim ipsa radix totius libertatis, etc. Itaque libera est voluntas, hoc est volitio, ratione sui, quia est essentialiter libera. Implicat enim contradictionem, ut voluntas non sit libera, sicut implicat, ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc est, voluntas non sit voluntas, etc. Ita quidquid liberum et in potestate nostra est, per voluntatem id est volitionem, nobis liberum et in potestate est: sed ipsa volitio per se, quia per se ipsa fit, quando volumus. » Ac nonnullis interjectis: « Impossibile esse ait, ut volitio non sit in nostra potestate, vel non sit libera: quia impossibile est, ut cum volumus non velimus: impossibile: ut cum fit quod volumus, non sit in nostra potestate. » Audis *voluntatem*, id est *volitionem*, quæ est appetitus rationalis actio, *ratione* sui, sive qua volitio est, et *essentialiter esse liberam*. Satin' istud est ad hoc, quod parum pudenter inficiaris, probandum tibi, omnem voluntatis actionem esse liberam ex Armacani sententia? An est ulla *voluntas*, sive *volitio*, quæ libera non sit, si *implicat contradictionem*, esse aliquam voluntatem, quæ non sit voluntas: et tam absurdum est dictu, esse aliquam volitionem, quæ non sit libera, quam illud ipsum, esse voluntatem, quæ minime sit voluntas? Nam quod *improvisos motus voluntatis liberos esse* negat idem scriptor, non ad hoc valet, ut alterum illud isti contrarium non dixerit: sed ut contraria duo, secumque pugnantia sit locutus. Atque hoc ipsemet Heterodoxus in *Apologiæ* præfatione his verbis asserit: « Ostendere, ait, quempiam contraria docuisse, imbecilla ratio est ad eum purgandum, cui crimini datur quod sibi ipse contradicat. »

VII. Quarta calumnia est Heterodoxi, cujus intentandæ finem nullum facit; Ludovicum Molinam Romana censura notatum esse: et quidem decreto Pauli V Pontificis: a quo

1 Cap. IX, § 6. — 2 Cap. III et sep. — 3 In præf. *Apol.*

quinquaginta illius propositiones damnatas esse dicit. O impurum, et inverecundum mendacium! Mendacem enim nolo dicere, ne homo impotens vehementius stomachetur; qui quod agere non metuit, audire perhorrescit. Enimvero valde te tuæ existimationis securum oportet esse, qui quod tam aperte falsum, tam ad convincendum facile scis esse, si quid scis, toties exprobrare non dubitasti. Nam quo te teste potius refellam, quam illo ipso, quem profers, Romano Pontifice Paulo V. Is anno Christi 1606, altero ab eo, quo creatus Pontifex erat, gravem illam, « et molestam, ut Henricus Spondanus appellat[1], controversiam de divinæ gratiæ auxiliis, et libero arbitrio, quæ inter religiosos Prædicatores, et Societatem Jesu sub Clemente agitata fuerat; quibus ipse Paulus cum cæteris Cardinalibus illius Congregationis semper interfuerat, conticescere jussit: sanxitque postmodum, ut utrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam in scholis modeste tueri: sed sine damnatione alterius partis. » Hæc Spondanus. Quid te igitur fieri potest insulsius, qui ab eo Pontifice damnatam opinionem illam asseris, quam tueri, ac propugnare liberum esse decrevit? Sed de hac re frontem tuam pulsare desinam: cum plenissime de hoc argumento, luculentissimeque scripserit religiosissimus, ac doctissimus vir Petrus a S. Josepho ex Bernardinorum Foliantinorum inclita familia[2]; qui totam hanc damnati Molinæ fabulam ex actis ab auctore eodem, quo usus es, sed integra, non Armacana fide repræsentatis, accuratissime refellit; ac tibi, tuisque vanissimis famigeratoribus silentium indixit.

Alia Heterodoxi mendacia.

VIII. Quinta Heterodoxi calumnia est, quod me ita dixisse narrat: « In iis, quæ ad gratiæ, ac prædestinationis dogma spectant, tuto neminem Augustinum sequi posse. » Quod equidem nunquam a me dictum esse, sanctissime iterum affirmo. Nam et iste ipse, cui hoc dixisse me narrat Heterodoxus, in ea, quam descripsit, epistola, non hoc pro certo refert: sed dubia, et suspensa loquendi formula: « Credideram, inquit, me hoc audisse. Verum postea colloquio cum illo habito clarius de se ipse significavit: seque de gratia locutum esse præcise negavit. » Ac demum eo labitur, ut de sola reprobatione sermonem illum inter nos habitum fuisse mea fide confirmet. Ego vero de gratia et prædestinatione nihil a me profectum ejusmodi quale dissipavit Heterodoxus, et perpetuo sum professus, et nunc constanter assevero. Sed neque de reprobatione quidquam cum illo Patre collocutum me esse memini. Verumtamen si quis de hujusmodi argumento forsitan inter nos sermo sit exortus cujus equidem non recordor, hunc ad solam reprobationem pertinere dixi; et in eodem persevero modo. Siquidem reprobationis illa ratio, quæ ex Augustini sententia conficitur, mihi non satis expedita visa semper est, uti supra capite nono docui. De gratia vero ejusque cum arbitrio libero consensione quidquid summus ille vir scriptis edidit, huic neque me, neque Catholicum quemquam refragari posse, præ me semper habui. At prædestinationis dogma rem non esse fidei, nec ullo conciliorum, aut Romanorum pontificum edicto sancitam: sed in utramvis partem probabiliter disputari de ea fas esse, eadem ac perpetua constantia defendi.

Postremo de duabus aliis epistolis, quas in *Apologiæ* præfatione ab amicis totidem ad se scriptas edidit Heterodoxus, ita nobis percontantibus idem ille R. P. respondit; falsa, et commentitia esse, quæ in iis a se dicta referuntur: nec ea sibi unquam in mentem venisse. Addebat porro se cum illarum scriptoribus multum expostulasse de epistolis istis; et eo tandem adegisse, ut se apud Heterodoxum acturos reciperent, uti quatuor illa folia, quæ epistolas istas continerent, e libro suo eximi pateretur; quod ille pro insita sibi pervicacia, et calumniandi usu, ac dulcedine ferre non potuit. Hæc non a me fingi, sed eodem illo, cujus testimonium adhibuisti, auctore proferri, poteris ex eo ipso cognoscere.

IX. Sextum Heterodoxi idemque putidum, et illiberale mendacium est, quod scripsisse me aliquando refert, « pene omnes illos Patres, qui tribus primis vixere sæculis, in Arii hæresi versatos esse, qui Filii Dei divinitatem negabat. » Quid hoc homine facias, cui mentiri calumniarique ludus est? Ubi enim tale aliquid in meis libris reperisti? Cur non verba ipsa profers, quibus sanctis illorum temporum Patribus nota est turpissimi erroris inusta? Atqui tantum abfui ab illis in suspicionem istius hæresis vocandis, ut eos vel maxime dogmatis illius testes ac propugnato-

1 *Annal.* ad ann. 1606. — 2 In 1 par. *exam. primi Theologiæ hujus temp.*

res adhibuerim in Prolegomenis tomi secundi qui est *de Trinitate* [1]. Ac si quid a paucis catholicis, et sanctis minus accurate dictum est, id in solis verbis, ac loquendi modo consistere; in re ipsa sensuque nihil erroris inesse docui. In quo præeuntem habui[1], cujus ad id testimonio sum usus[2], Hieronymum: qui eosdem illos Patres excusat sic[3]: « Et quo modo, inquies, in libris eorum vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondero: non statim illos hæreticos judicabo. Fieri enim potest ut vel simpliciter erraverint: vel alio sensu scripserint; vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint. Vel certe antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, et minus caute locuti sunt, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare. » At ego ne *simpliciter errasse* quidem illos admittere volui, sed ab loquendi tantum more, modoque, qui posteà constitutus est, paululum discrepasse dixi.

CAPUT XII.

1. Vana et futilis Heterodoxi contra decreta Apostolicæ sedis exceptio. 2. Turpis ejusdem a seipso dissensio. 3. Quatenus rejectaneæ voces, locutionesve, ab Ecclesia postea receptæ sint.

Futilis Heterodoxi contra Apostolicæ sedis decreta, exceptio.

I. Septimum Heterodoxi mendacium est, quod « Apostolicæ sedis eximium se veneratorem profitetur, ejusque censuræ fidem suam, atque doctrinam, rationes, et interpretationes sese permittere[4]. » Quam id vero ex animo, ac sincere præ se ferat, facta ipsa verbis ad fidem potiora demonstrant. Omitto varias artes, ludificationesque, quibus synodicas sanctiones eludere conatus est Heterodoxus, ex ejus indole sectæ, cujus ad principatum capessendum, tanquam ad certissimum communis sensus pariter et fidei naufragium, blanda quædam illum gloriolæ, ac laudis aura provexit. Illud ipsum consideremus, quod in præsentiarum agitur, quemadmodum Romanæ sedis, cum suis gregalibus, in potestate sit, qui tot Romanorum pontificum edictis damnata, et proscripta dogmata perseverat defendere. Defendere autem? Imo vero pro sanctissimis catholicæ fidei decretis venditare imperitis, et obtrudere.

Paululum hunc audiamus de Apostolica contra *Martis Gallici*, fanatici videlicet operis, scriptorem, toties iterata sanctione nugas meras effutientem. Negat manifeste damnatos illic errores Armacani fuisse, cum ejus libro: in quo contineri summus Pontifex ait multas ex propositionibus a prædecessoribus suis olim damnatas, et magno cum Catholicorum scandalo et auctoritatis dictæ sedis contemptu contra præfatas damnationes, et prohibitiones defendi; quas quidem propositiones in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective, » idem illud a tribus pontificium sancitum diploma nominat.

Adversus hoc Heterodoxus excipit[5], non affirmare decretum istud, enuntiationes omnes, quæ ibi octoginta percensentur, hæreticas esse: quod si diceret, nihil recusandum fore; quin et Armacani liber hæreses aliquas contineret. Nunc cum in diplomate sit, multas ex damnatis illis propositionibus Armacani librum habere, hoc unum consequens esse, ut ibidem vel hæreticæ sint aliquæ, vel erroneæ, etc. « Quod si interim manifeste deprehensum fuerit, ait Heterodoxus, illas ipsas propositiones non minus Augustini esse, quam Iprensis Armacani; nonne singularis in admirabilem illum Patrem observantia totius Ecclesiæ eo nos compellere videtur, ut omnium lenissimam ad illas notam accommodemus, atque inter scandalosas, vel suspectas referamus? »

Turpis ejusdem a seipso dissensio.

II. Nihil ista ratiocinatione frigidius, ac futilius. Primum enim certissimis argumentis effectum est hac in dissertatione, aliisque libris, qui de hac re manarunt, complures in Armacani libro αὐτόχρημα hæreticas esse propositiones. Deinde quis hoc illi concedat, illas ipsas, quæ in Armacani scriptis notatæ, damnatæque sunt ab Apostolica sede, Augustini perinde, ut istius, fuisse? Non est ita profecto, non est, ut falso et importune illi garriunt. Quare non est quod in talibus quisquiliis everrendis, ne qua fiat Augustino injuria vereamur. Dixi hoc non semel, et propter oris istorum duritiem, sæpius quam

Omnino.

1 Cap. I præsertim § 2.—2 Lib. I *de Trinit.* c. III, § 1.—3 Hier. II *cont. Ruf.*— 4 *Apol.* par. I, c. I.— 5 Epist. Abb. *ad Episc.*

vellem habeo necesse repetere; in his, quæ ad liberum arbitrium, et ad gratiam spectant, ac cætera, de quibus adversus nuperæ theologiæ licentiam certamen suscipimus, frustra illos Augustino fautore gloriari, quo nullus ab iis alienior; nullus vel eo nomine infensior est, quod apprime sinceram, et catholicam a se traditam doctrinam, præposteris suis interpretationibus, et calumniis facere conantur hæreticam.

Hoc igitur remoto, quod verum si esset, pars illa censuræ mitior ex omnibus eligenda, et ad propositiones ab Armacano traditas applicanda videretur, ut affirmat Heterodoxus; nihil jam superest causæ, cur cæteræ majoris invidiæ notæ non ad illas accommodentur, saltem disjunctione hujusmodi suspensæ: ut vel *hæreticæ* sint, vel *erroneæ*, vel *suspectæ*, vel *temerariæ*, vel *scandalosæ, et in pias aures offensionem immittentes respective.* Ex quo illud apparet, quam male provisa, et consulta novæ sit factionis istius, et parum tuta ratio; quæ se tuendis, ac profitendis iis dogmatibus alligavit, quorum anceps, et incerta, adeoque periculosa, et ob id detestanda conditio est. Cum enim aut *hæretica*, aut *erronea*, aut *temeraria*, aut, ut, minimum, *suspecta*, *et scandalosa* pronuntientur ab tot Romanis pontificibus: quem non propriæ cura salutis admoneat, ut hæc tot vallata præcipitiis novæ opinionis abrupta perhorrescat? Etenim quod in peccatis dijudicandis, ac disciplina morum usuvenit, ut, qui id agit, quod utrum crimen sit lethale dubitet, eo ipso lethale crimen admittat; idipsum et in catholica fide accidit, ut qui pro certo id asseverat, quod an sit hæreticum, vereri, ac dubitare debeat, hoc se ipso peccato, et noxa hæresis obstringat.

III. Hic vero prudentis, et attenti lectoris, si unquam alias, operam, requiro: ut hoc mecum animadvertat, quantuli sit judicii pusillum istud Heterodoxi caput; quamque indignis modis tum ab eodem sit habitus Augustinus, tum Romanorum pontificum, ac synodorum, præsertim œcumenicarum, impie sit, ac sacrilege violata majestas. Quid enim? An non iste est, qui ex Augustini scriptis posteriorum ipso conciliorum omnium, maxime Tridentini decreta de gratia, cæterisque eo spectantibus interpretanda esse dixit? Nonne hujus dicti sui rationem hanc attulit, quod illa ipsa decreta ex Augustini non modo sententiis, sed etiam verbis, post superiores, synodus quoque Tridentina fecerit? Nonne Augustini doctrinam universam ita colligatam esse docuit, ut qui partem ejus aliquam amplectitur, reliquas omnes eumdem amplecti necesse sit: tum vero totidem esse fidei capita, quot sunt ejus de gratia, et prædestinatione placita defendit? Nonne præterea de Armacano passim ejus discipuli prædicant, nihil ipsum nisi Augustini meras expressisse sententias: quæ sive probentur, sive damnentur, non in illis Armacani, sed Augustini probari, damnarique doctrinam? Hoc vero posito et concesso, quid aliud sequitur, nisi Romanarum judicio pontificum Augustini doctrinam, tanquam aut hæreticam, aut erroneam, aut temerariam, aut, ut fatetur Heterodoxus, scandalosam, suspectamque, esse damnatam? deinde quæ ex iisdem Augustini verbis, et sententiis constant, synodorum, maxime Tridentinæ, scita pro hæreticis, et erroneis, aut saltem *scandalosis*, ac *suspectis* judicata fuisse?

O hominem *sui*, ut aiebat ille, *nominis*! hoc est Heterodoxum: adeoque non *vel hæreticum*, vel *erronem*, et hujus generis alia: sed prorsus *hæreticum*, *et erronem*, *et temerarium*, *et scandalosum*, *et merito suspectum!* Etenim sumamus hoc, quod ultro nobis ingerit, *suspecta* duntaxat, et *scandalosa* judicari ab Romanis pontificibus illa decreta: quanquam nihil illum habere causæ docuimus, cur gravioribus illis detractis notis leviores has secerneret: Verumtamen utamur eo quod nobis obtulit: ac *suspecta* solum, et *scandalosa* illa censeamus. Illud itaque ex editis ab Heterodoxo principiis necessario consequitur; *articulos*, ut vocant, *fidei*, hoc est enuntiata illa de gratia ab Augustino tradita, *scandalosa et suspecta*, et eo nomine ab Romanis damnata pontificibus fuisse; quamvis hactenus certa, et catholica fide tota illis Ecclesia esset assensa.

IV. Ad hæc illas ipsas propositiones, quas ex Augustino sumptas ab Armacano, et synodali auctoritate sancitas, ac pro *fidei articulis* habitas Heterodoxus asserit, quasque ut *scandalosas*, et *suspectas* saltem pontificiis edictis notatas fatetur: has, inquam, enuntiationes constat multis, et gravissimis controversiis esse jactatas, etiam antequam absoluta, terminataque esset Tridentina synodus. Quippe anno Christi 1560, hoc est quarto ante illius clausulam, cum theologorum de his quorumdam querelæ ad Parisiensem theologiæ Facultatem allatæ essent e Belgio; ut quid de illis sentiret, expromeret;

scimus easdem illas ab ea Facultate non solum *suspectas*, et *scandalosas*, sed plane *hæreticas* appellatas fuisse. Exstat censura ista Parisiensis primum in lucem a nobis edita in tomo tertio *Theologicorum dogmatum*[1]. Quinam ergo convenit, Tridentini concilii Patres, ac theologos, quos utique latere rixæ ac jurgia tanta minime poterant, *suspectis, et scandalosis*, ne dicam hæreticis, concepta verbis ac sententiis decreta illa promulgasse? Idem et Pium quartum, qui Tridentinam approbavit, confirmavitque synodum, non dubitasse facere? Insequentes vero pontifices quis credat enuntiata eadem damnare, tanquam scandalosa, et *suspecta*, quam emendare, interpretarique maluisse? Non hujus tam necessariæ cautionis in mentem venisse Pio V et Gregorio XIII, certe Urbano VIII, vel ei, qui nunc Ecclesiæ præest, Innocentio X, qui propositiones illas tanto intervallo revocatas non aliis, quam quibus decessores olim sui, censuris, et edictis proscribendas putarunt? nec eos Tridentini concilii, ac Romanorum, quibus successere, pontificum auctoritati, famæque pepercisse?

Pecudem aut stipitem, vel, quod hebetius ac stupidius est, Heterodoxum oportet esse, cui tam horrenda, tamque absurda commenta risum vel stomachum non exprimant.

Mucosi.

Quatenus rejectaneæ voces locutionesve, postea ab Ecclesia receptæ sint.

V. Quid cætera porro κορύζης, ac *veterni* ejusdem exequar? nam me jamdudum commemorandarum ineptiarum istarum, multo vero magis refellendarum tædium capit. Verum navemus his everrendis sordibus paululum adhuc operæ; et quam malus nugarum suarum patronus sit Heterodoxus compendio doceamus.

Idem illis enuntiatis evenisse dicit[2], quod aliis nonnullis, quæ per se vera, et catholica « nihilominus tanquam scandalosa notata sunt, » cujusmodi ista sunt, « Filius est Patris substantia similis : Virgo Maria mater est Jesu Christi : Unus ex Trinitate per carnem propriam passus est. » Verum quid habent hæ propositiones simile priorum, et Augustinianarum, ut putat, illarum? Numquid posteriores istas ab generali aliqua synodo, et sæculorum aliquot usu comprobatas, et sancitas, retractavit Apostolica sedes, et ut *suspectas, scandalosasque* damnavit, damnarique jussit, et cunctantes repetitis mandatis ad id agendum impulit? *Filium Patre esse similem* nulla unquam negavit synodus ; nisi eo sensu, quem Ariani subjiciebant, ut non nisi similis esset : consubstantialis non esset. Imo similem esse contra deterrimos Arianorum omnium Anomœos, Eunomianosque sancivit. Idem et de altera illa dicendum, qua B. *Virgo, Mater Jesu Christi nominatur*. Est enim revera : sed non ita, uti Nestorius asserebat : de qua re plura nostris in libris *de Incarnatione*, qui volet, inveniet. Atque ut universe de istiusmodi sententiis dicam, et Heterodoxum hunc absolvam ; fieri id quidem potuit, et vero nonnunquam accidit, uti voces aliquæ, ac locutiones sive ab hæreticis usurpatæ ; sive alioqui suspectæ; initio ab Catholicis repudiatæ fuerint; postea vero certis de causis, commoda notione subjecta, receptæ ab Ecclesia, et in regulam fidei sint adhibitæ. Ut autem acceptæ semel in Ecclesiæ catholicæ professionem, ac duodecim pene usu sæculorum inveteratæ, adeoque centum et nonaginta unius circiter Romanæ sedis Antistitum auctoritate comprobatæ (quot ab Innocentio primo ad Pium quintum numerantur) tum, quod caput est, omnium per illa tempora synodorum, ac novissimæ potissimum œcumenicæ decreto constitutæ : uti propositiones, inquam, vel voces hujusmodi tanto intervallo pro « scandalosis, et suspectis agnitæ, » ac sub anathematis pœna ab usu Christianorum extortæ, proscriptæque sint, id neque auditum est aliquando ; nec omnino potest accidere : quod de Augustinianis illis ab Armacano usurpatis impie ac temere affirmat Heterodoxus. Qui quidem (ut summatim quæ sunt uberius exposita tota hac dissertatione colligam) imprimis Augustini dogmata omnia, omnesque spectantes ad gratiam, ac prædestinationem sententias fide esse catholica credendas asserit : tum ejusdem ratas pontificum auctoritate Romanorum et conciliorum omnium, ac Tridentini cum primis œcumenici sanctione firmatas, sero tandem a Pio V, Gregorio XIII, Urbano VIII, et Innocentio X, tanquam scandalosas, et suspectas ait esse damnatas, atque rejectas.

1 Lib. V *de opificio*, sub fine. — 2 Epist. Abb. *ad Episc.*

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO

PETRO SEGUIERIO

FRANCIÆ CANCELLARIO

Vetus in Ecclesia mos fuit, Vir Illustrissime, ut episcoporum conciliis, tractandisque fidei rebus adhiberentur laici ordinis principes viri, non qui controversiæ disceptatores, sed qui pacis inter partes conciliatores essent, ne quid indecore, ac præter ordinem ageretur. Sic in prima omnium œcumenica synodo Constantinus M. imperator; in quarta, Marcianus, et Pulcheria; in sexta, Constantinus Pogonatus, Augusti omnes, ut recentiores alios taceam, in plerisque magistratus, et comites adfuisse leguntur. Ego vero in hac, quam institui, fidei disputatione, tibi civilis juris administrationisque principi, etiam judicis, arbitrique partes, nedum moderatoris, ac pacificatoris ultro defero. Quas equidem ambas non minus iis in altercationibus, quæ stylo privatim, quam quæ voce publice exercentur, necessarias judico. Nam et apud idoneum propositæ rei æstimatorem propugnanda causa veritatis est; et ad hoc ipsum auctoritate est opus, quæ iræ, pervicaciæque modum statuat, ne ab utili, ac modesta concertatione, res ad rixas, et contumelias vocetur. Ac quod universe dixit apud Sallustium[1] Cæsar : « Omneis homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, et odio vacuos esse debere ; » tum, « haud facile animum verum providere, ubi illa officiunt ; » id in illo genere disputationum, quod ad religionem pertinet, haud paulo , quam in cæteris, est verius : Declarat hoc præclara illa B. Hilarii sententia in decimo libro *de Trinitate,* ubi sic scribit : « Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia; et indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur, sed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, et iis, quæ studemus, doctrinam comparamus. Jamque nominis potius, quam naturæ erit doctrina, quæ fingitur ; et non jam veri manebit ratio, sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptavit. »

Quamobrem dum in hoc certamine nostro duas illas, quas dixi, opportunitates persequor, tu mihi ex omnibus occurristi, in quo totidem illa necessaria præsidia summe inesse videbantur. Primum dignitas, et auctoritas ea est in te, quæ impetum animi potest, et ardorem vel tacita continere. Accedit ad dijudicandi solertiam præstans divinarum rerum, ac theologiæ cognitio, quam ego fama prius acceptam, usu postea, et colloquio, quod tecum iis de rebus habui, majorem opinione mea comperi. Memini enim aliquando me privato in congressu sermoni cuidam tuo interesse, qui de abstrusissimis media ex theologia quæstionibus cum viris doctis habebatur ; ac tum ea te partim ponere in percontando, partim exponere, ac respondere, quæ nihil in iis novum esse tibi, nihil inauditum, aut ignotum ostenderent. Ac mihi sic in illa tota sermocinatione versari videbare, ut subtilitate disserendi, et acumine nihilo iis inferior esses, qui ætatem omnem his in doctrinis contriverant ; explicandi vero perspicuitate, ac facilitate longe omnibus antecelleres. Quocirca meliorem susceptæ hic a me controversiæ judicem , quatenus neque intelligentiorem, neque graviorem, quam tu es, optare potui neminem. Nam æquitati, quæ haud minus in judicando, quam superiora illa, locum habet, plane confido tuæ ; qui supremam hoc in regno, juris, æquique dispensationem non magis officio, quam animi integritate, probitateque sustines. Quæ jam olim nota, et

1 Sallust in *Bello Catilinæ.*

perspecta, antequam in summum illud dignitatis culmen ascenderes, multo, postquam eo provectus es, expressioribus documentis enituit.

Superest, ut et causa ipsa digna sit, quæ ad tuam cognitionem deducatur; (non enim parvis de rebus tanta interpellanda est auctoritas) et non injucundus ego in te adeundo, importunusque sim. Sed in alterutro cunctari, id esset prudentiæ tuæ, aut bonitati diffidere. Res primum agitatur hic omnium maxima, et gravissima; in qua non unum aliquod, et separatum fidei caput vertitur, sed tota ipsa, quanta est, Christiana pietas, ac religio, Christianum, inquam, nomen omne continetur. Non enim ambigi debet, quin, si verum illud est, quod ista, quam oppugnamus, dissertatio tuetur, hoc est, si sacerdotali fideles omnes, etiam profani, jure, ac consecrandi potestate sunt præditi, Christiana, et catholica prorsus Ecclesia labefactata concidat. Quæ cum humano corpori simillima sit, ut non uno Apostolus in loco prædicat[1], uti prius illud absque membrorum ac facultatum varietate, sic ista, sublata ordinum, functionumque distinctione, jam non solum deformis est, ac fœda, sed nulla. Siquidem *corpus non est unum membrum, sed multa,* ait Apostolus[2], et, *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* Missa hoc loco facio flagitia cætera dissertationis ejusdem, quæ te malo in nostra confutatione legere. In qua pressius fortasse, quam pro tanto argumenti merito, atque copia, de eo sermonem feci. Sed habenda ratio fuit tum occupationum tuarum, quæ ut *sacræ* justius, quam illæ Tiberii[3], appellari merentur; sic eas longiore distinere mora, contra sacra peccare est, adeoque pene esse sacrilegum; tum vero prudentiæ, ac præclaræ, ut supra memini, iis in studiis eruditionis tuæ, quæ non plura ad rem penitus intelligendam, ac ne ista quidem pauca desiderat. Jam quod alterum est, ac mea potissimum interest, quo sis animo meam hanc in appellando te fiduciam accepturus, tam verendum non est, quam nec mihi de tua in me, ac litterarum studiosos omnes humanitate; nec tibi de mea in te, cujus istud specimen exstare volui, observantia et voluntate dubitandum. Vale. Lutetiæ Parisiorum 10 cal. Jan. 1638.

Illustrissimæ Amplitudini T.

Addictissimus, devotissimusque,

Dionysius Petavius

e Societate Jesu.

1 *Rom.* XII et I *Cor.* VII. — 2 *Cor.* XII. — 3 Sueton. *in Tiber.* c. XXVII.

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU

DE POTESTATE CONSECRANDI ET SACRIFICANDI SACERDOTIBUS A DEO CONCESSA DEQUE COMMUNIONE USURPANDA

DIATRIBA

ADVERSUS NOVAM DISSERTATIONEM ANONYMI CUJUSDAM; QUI CHRISTIANI SACRIFICII CONSECRANDI OFFERENDIQUE POTESTATEM ETIAM LAICIS ATTRIBUIT.

CAPUT PRIMUM

Occasio disputationis ex loco quodam Tertulliani; qui Christianos omnes sacerdotes facere videtur. Præstruuntur nonnulla ad illam necessaria ; *quatenus oblatio sine consecratione facta est. De oblatione Laicorum.*

I. Proxime venit in manus meas dissertatio cujusdam Anonymi * *Amstelodami* hoc anno edita [1] ; cujus duplex erat caput. Prius *de cœnæ administratione ubi Pastores non sunt*, inscribitur. Posterius *an semper communicandum per Symbola.*

In illo propositum hoc sibi auctor habuit, consecrandi Dominici corporis potestatem ex æquo Christianis a Christo concessam omnibus fuisse ; nonnullorum vero opinione etiam feminis ; sed ita, ut laici extra necessitatem minime id usurpaverint. Ubi autem nullus esset Sacerdos, impune hoc non fecisse solum, sed etiam potuisse facere. Similiter atque in Baptismo usu venit, quem, ubi nulla presbyterorum, aut virorum copia sit, feminis administrare licet. De altero capite post agemus ; nunc a priore disputandi capiemus initium.

Occasio hujus disputationis.

Hujus itaque dogmatis, quod consecrandi, conficiendique Dominici Sacramenti promiscuam potestatem Christianis omnibus facit, testis ac vindex ante omnes Tertullianus adducitur. Hic enim in libro *de Exhortatione castitatis* [2], cum a secundis nuptiis non minus laicos, quam sacris addictos ministeriis absterrere vellet ; « Nonne, inquit, et laici sacerdotes sumus ? Scriptum est, *Regnum quoque nos, et sacerdotes Deo, et patri suo fecit*. Differentiam inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit, etc. Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis ubi necesse sit habere jus sacerdotis. Digamus tinguis ? Digamus offers : » etc. Ex hoc Tertulliani loco concludit Anonymus, laicos, sicubi necesse fuit, ac cum nulla copia sacerdotis esset, non minus εὐλογεῖν, et εὐχαριστεῖν, id est *consecrare*, quam baptismum impertiri potuisse. Quippe verbum *offerendi* apud Tertullianum *hoc sensu solere sumi, ubi conjungitur cum tingere, id est baptizare*. Adjungit et alios recentiores Tertulliano moris ejusdem, ac juris auctores, quos subinde proferam.

Ut in Tertulliano sistamus gradum, et universe de nova hac opinione, quod nostrum sit

* Anonymus hic Grotius est. Z.

1 Apud I Columnam an. 1638. — 2 Cap. VII.

judicium, explicemus, primum illud defendimus, *offerendi* verbum, neque apud Tertullianum, neque apud scriptores alios id semper valere, quod Anonymus affirmat, et vero debet affirmare, si quid disputatione ista promovere vult, hoc est *consecrare*, et *conficere* Dominicum sacramentum; quod solos aio non modo jure fecisse, sed etiam potuisse presbyteros; cæteros autem, tam inferioris gradus clericos, quam laicos, si id usurparint unquam, nihil prorsus egisse.

Totus igitur in eo cardo quæstionis vertitur; utrum, quoties *offerre* apud veteres illos legitur actionem eam significet, quæ consecratio dicitur, et εὐλογία, sive εὐχαριστία. Nam si ita res habet, non est cunctandum, quin consecrasse fateamur laicos, qui obtulisse dicuntur. Sin est, ut alia quæpiam functio, et a consecratione diversa eadem illa voce contineatur, non erit consequens, quod dissertationis auctor existimat.

Benedictio sive Eucharistia

Offerendi vocabulum apud veteres non semper consecrationem significat.

Atqui *offerendi* vocabulum, et *oblatio*, etiam cum de re ad sacrificium, ac λειτουργίαν pertinente apud antiquos accipitur, non semper consecrationem aut significat, aut inclusam, et comprehensam habet, sed aliquid aliud ab illa separatum, ac diversum.

Etenim oblatio proprie, ac præcise est rei alicujus repræsentatio, quæ Deo donatur; neque necessario mutationem ullam exprimit, quæ in oblata re fiat. Hebræi *oblationem* vocant קרבן, quod nomen generale est, ac tam de inanimis, vitaque carentibus, quam animatis dicitur. Quare illa etiam δῶρα complectitur, quæ ita, ut erant, consecrata Deo manebant, ut aurum, æs, et alia donaria, quæ in templo reservabantur; atque etiam frumentum, vinum, oleum, quod ad usus sacrorum, aut sacerdotum offerebatur; nec non pecuniam, quæ in gazophylacium mittebatur, ac thesaurum sacrum, qui proprie קרבנן Græce κορβανᾶν *Matth.* XXVII, 6, dicitur. Quæ omnia cum offeruntur, ac Deo dicantur, nullam mutationem patiuntur.

Sic in Christiana ecclesia vetere ad altare offerri varia munuscula consueverant, uti mel, lac, aves, et animalia quædam, ac legumina; quæ deinceps offerre prohibet canon tertius Apostolicus; ac novas duntaxat spicas permittit, necnon oleum, et thymiama. Quæ omnia non soli fideles offerebant, sed etiam episcopus, vel sacerdos ab illis accepta; quod verba canonis indicant. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ προσενέγκῃ ἕτερά τινα. Quæ Dionysius ita vertit: « Si quis episcopus, aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel, aut lac, aut pro vino siceram; et confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur. » Ac subinde, « Offerri non liceat aliquid ad altare, præter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thymiama, id est incensum, tempore, quo celebratur oblatio. » Hinc ergo constat, episcopum, aut sacerdotem, qui veram, et incruentam oblationem ac sacrificium offerebat, etiam alia, præter illud, obtulisse, in quibus nulla fiebat consecratio, eamque oblationem et ad altare factam, et eo tempore, quo divina mysteria peragebantur. Simul hoc obiter notandum, *offerendi* verbum latius patere, nec de solis usurpari symbolis Dominicæ Passionis, quæ non offeruntur solum, sed etiam consecratione mutantur. Sine qua mutatione non potest sacrificii ratio constare, ut accuratius in scholis theologi disputant.

Nonnullæ sine consecratione olim oblationes.

Addam et illud ex usu Judæorum, et sermonis consuetudine; cum haberent genus quoddam oblationis, in quo id, quod offerebatur Deo, ferro vel igne consumi, extingui, exterminarique deberet, quod Græce ἀνάθεμα, Hebraice חרם appellatum est; nihilominus hanc ipsam vocem חרם de iis interdum dici consuevisse, quæ integra, et intacta manebant, ut sunt agri, et prædia, ut ex *Levitici* XXVII liquet.

Anathema Cherem.

Itaque cum ejusmodi in oblatione duplex interveniret actio; altera qua cultui, honorique divino res illa dicabatur, et offerebatur: altera, qua res eadem perimebatur, qua ex actione nomen *Cherem* proprie est impositum; accidit, tamen, ut, hac posteriore dempta, sola prior communem appellationem obtineret. Ideo, quoties nominari anathema, vel *cherem*, audimus, non statim consequens est, aboleri, extinguique rem, de qua agitur, sed ex ejus natura, et conditione, quid factum sit, prudenter erit æstimandum.

Ad hunc modum et de Christiana oblatione, altarisque sacrificio judicare convenit. Est enim, ut in antiquæ legis sacrificiis, sic in novæ unico illo pars, sive actio duplex. Una est quæ proprie *oblatio*, Græce προσφορὰ dicitur, qui est ritus in verbis, aut actione aliqua consistens, quibus res, quæ hactenus profana erat, Deo traditur, et in ejus quasi mancipium transfertur; cujusmodi in Mosaicæ legis sacrificiis fuit impositio manuum super hostiam;

tum elevatio, et agitatio quarumdam ejus partium ad quatuor mundi partes, quam Hebræi תנופה vocant, de qua R. Salomoh ad caput XXVI *Exodi*, ubi Scriptura ritus istos indicat, nec non Levitici I et sequentibus.

Tenupha.

Altera pars erat hostiæ mactatio, et combustio. Sic in Christiano sacrificio tam προσφορὰ, sive oblatio, quam consecratio cernitur, qua panis, atque vini substantia deletur, et in Christi corpus, et sanguinem convertitur. Totum ipsum tamen sacrificium ab una, et priori actione nomine accepto, vocatur oblatio.

At fieri potest, ut ex duabus sola tantum usurpetur oblatio; quemadmodum in ea λειτουργίᾳ usuvenit, quæ ἐκ τῶν προηγιασμένων a Græcis appellatur, qualem in parasceve magna Latinæ ecclesiæ consuetudo retinet. Tum enim Dominicum corpus offertur sine consecratione, quæ pridie est facta. De hoc ergo λειτουργίας, sive oblationis genere, si qua vel scripto, vel sermone mentio fieret, erraret profecto, qui cum λειτουργίαν, oblationemque esse factam audiret, statim huic adjunctam fuisse consecrationem diceret.

Oblatione. *E præsanctificatis.*

Sciendum est præterea, dupliciter ab consecratione divelli oblationem potuisse. Primum illo modo, quem dixi, cum longe ante consecratus panis vivificus offertur. Secundo cum ante consecrationem ab laicis, etiam mulieribus offerebatur. Mos enim in Ecclesia veteri fuit, ut qui communicandi jus haberent, iidem panem et vinum in Ecclesiam portarent, et ibidem offerrent; quod etiam *sacrificium* vocat Cyprianus in libro *de opere et eleemosyna* : « Locuples et dives es, inquit, et dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in dominicum sine sacrificio venis; quæ in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. » Augustinus sermone CCXV *de Tempore*. « Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. » Hanc Græci canones προσφορὰν vocant; cujus soli fideles jus habebant, qui neque abstenti, neque pœnitentes erant, sed integram dignitatem habebant. Atque hæc erat perfecta communio, ad quam pœnitentes, et a sacris extorres aspirabant, ac per longissimi cruciatum temporis, squalloremque perveniebant, ubi jus haberent oblationis, quam κοινωνίαν vocant μετὰ προσφορᾶς. Itaque postremus, qui et quartus pœnitentium gradus, quam σύστασιν vocabant, in quo divinis mysteriis, sine corporis Christi participatione interesse poterant, neque sub Missam catechumenorum una cum aliis excludebantur, appellari solet κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς, ut in Nicæno canone II, quæ Dionysius Latine sic concipit. « Duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent[b]. » Et in Ancyrano canone XVI simpliciter nominatur προσφορά : τυγχανέτωσαν τῆς προσφορᾶς, *oblationem*, vel *communionem assequantur*.

Duplici modo oblatio a consecratione divulsa.

Communionem cum oblatione.

Consistentium.

Communio sine oblatione.

Ilerdense concilium canone IX. « Fidelibus in oblatione Eucharistiæ communicent, » vel, ut alia lectio, et quidem melior, exhibet, *in oblatione, et Eucharistia*. Nam ex XI canone Nicæno expressum illud est, quod habet, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς. Ac ne quis existimet, προσφορὰν in istis canonibus ipsam esse Eucharistiam, sive Christi corpus, quod a sacerdote est oblatum, non autem id, quod a laicis fidelibus offertur; primum expendat locutiones illas, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς, quod non potest idem esse, ac participem esse, corporis Christi, vel oblationis a sacerdote consecratæ. Nemo enim dixerit, κοινωνῆσαι μετὰ σώματος Χριστοῦ, pro eo, quod est, *corporis Christi esse participem*; sed sine dubio idem illud est, ac *communicare cum oblatione*, hoc est *jus habere offerendi*. Deinde concilium Vasense I, can. II, statuit, ut si pœnitentes « absque communione in ipso cursu satisfactionis præventi fuerint, eorum oblatio recipiatur. » Ubi non alia intelligi potest oblatio, quam quæ ab ipsis offertur, Sic etiam Arelatense II, can. XII decrevit de eo, qui in pœnitentia positus vita excesserit, ut pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur. Eodem et Eliberitanus canon XXVIII meo quidem judicio spectat : « Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere. » Nam τὴν προσφορὰν, hoc est *oblationem* interdicit, quæ solis permissa communionis jure præditis. Sic et canone sequenti, energumeni nomen cum oblatione recitari prohibet ad altare. Sed hæc satis sunt. Non enim pluribus opus est, ut, quod canonum, ac disciplinæ veteris periti satis intelligunt, probemus, laicos offerendi jus habuisse. Neque vero tam hebes erit quispiam, ut eosdem consecrasse putet. Nam qui hoc illis concessum fuisse vult dissertationis auctor, non passim, et ubique, sed in summa necessitate, ac penuria sacerdotum licuisse confirmat. Atqui oblationes illæ quas laicis

Communicare cum oblatione.

Communicare cum oblatione.

Communicare cum corpore Christi.

[a] NICÆNUS canon II. Δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ προσευχῶν.

canones attribuunt, media in Ecclesia, summaque in pace Christiani populi, coram episcopis, ac presbyteris fiebant. Non igitur consecratio perpetua comes erat oblationis. Certe Tertullianus ipse in libro *de Monogamia*, cap. x de fideli vidua loquens, ait eam « offerre annuis diebus dormitionis » viri vita jam functi, hoc est oblationem *pro anima ejus* ad altare facere; quam nemo consecrasse dixerit Eucharistiam. Non est igitur idem

Offerre. semper προσφέρειν, quod εὐλογεῖν, aut εὐχαριστεῖν, hoc est *consecrare*, et ex pane, ac vino Christi corpus facere.

CAPUT II.

Tertulliani locus explicatur adversus Anonymum : quomodo Laici obtulerint citra consecrationem; exponitur institutio sacerdotum ex Evangelistis petita.

His præmuniti, ad Tertulliani locum accedamus, quod præcipuum firmamentum dissertationis habet auctor. Illius verba sic interpretatur, ut cum laici sine sacerdote alicubi fuerint, non minus consecrare, et offerre Christi corpus possint, quam tingere, hoc est baptizare. Ac si id solus Tertullianus affirmaret ex tuo sensu, nihil hoc magnopere curandum esset. Responderi enim facile posset, quod et Hieronymus ait, *hominem Ecclesiæ non fuisse;* vel ut Hilarius scribit, canone v *in Matthæum*, « consequentem errorem hominis detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem. » Quo ex genere *probabilium scriptorum* constat non esse librum *de Exhortatione ad Castitatem*, quem Montani implicatus erroribus contra catholicam scripsit Ecclesiam. Verum quia Tertullianus hujus instituti, ac moris sic meminit, ut eum passim apud omnes usitatum fuisse demonstret. Alioqui « ex re non ab aliis credita, cum aliis agens, argumentum non nisi stulte duxisset, » ut ait Anonymus. Probat enim omnes Christianos, etiam laicos, sacerdotali lege teneri, quæ secundas nuptias prohibet; quoniam omnes sacerdotes sunt, et quæ sacerdotum propria sunt, usurpant, si necessitas ferat, cujusmodi sunt offerre, ac tingere. Ideo non utar hac præscriptione ; et hoc ultro concedam, de eo loqui Tertullianum, quod in parte Catholica fiebat : ac proinde laicos, cum sacerdotum deerat copia, oblationem, ac baptismum administrasse. Verum, quod ejusmodi laicorum oblationem talem fuisse putat, qualis fuit sacerdotum, ut consecrationem annexam haberet, ac verum esset sacrificium, id vero falsum esse defendo. Neque hoc ex Tertulliani verbis fateri cogimur. Si quidem oblationem plerumque ab consecrandi actione sejunctam fuisse supra demonstravimus. Mos ille vetere in Ecclesia fuit, ut in synaxibus, ac legitimis conventibus, qui Dominicis præsertim diebus habebantur, ut ex Plinio [1], et Justino martyre colligitur [2], Eucharistiam, id est corpus Dominicum, sive panem consecratum unusquisque fidelium acciperet, eoque pro eo ac vellet uteretur, hoc est vel statim absumeret, vel reservaret, ac domum referret. Docet hoc Tertullianus in extremo libro *de Oratione :* « Accepto, inquit, corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. » Suadet enim, ut qui stationum jejunia celebrant, a sacrificiis non absint; quod fieri quidam oportere putabant, eo quod statio * solvenda sit, hoc est jejunium, *accepto corpore Domini* **. Verum ita moderandam esse rem decernit, ut et sacrificio intersint, et Christi

* De stationibus confer Petavium *in Animadversionibus ad S. Epiphanium*, Cotelerium *in notis* ad Herman. Albaspinæum Lib. I, Observat. xvi, et Panvinium, in libello, de *stationibus urbis Romæ*, in quo tamen libello miror illud excidisse Viro Doctissimo « stationis voce significasse antiquos Christianos actum quemdam corporis, quo in sacris conventibus orantes stabant. . . . quod præcipue fiebat Dominico die. » Quid enim exploratius ex veteribus monumentis stationibus Dominicum diem prioribus Ecclesiæ sæculis vacasse, non tamen conventibus? Ipsum (quod magis miror) Tertulliani, quem Panvinius continenter post sua illa verba citat, locum satis sit in medium adferre ex libro *de Corona militis*, ubi de milite Christiano loquens « Jam, inquit, et stationes, aut alii magis faceret, quam Christo, aut et Dominico die, *quando nec* Christo ? » Non igitur stationes Dominicis diebus erant, quum tamen celebrarentur a Christianis sacri conventus. Indiculos stationum, quæ paulatim in Ecclesia obtinuerunt, ne Allatii, Frontonis, Martinii, ac Thomasii Capitularia, ex quibus facile possunt hic commemorem, ex antiquis codicibus duos habemus alterum a Mabillonio divulgatum tom. II. Mus. Italici, alterum a Crescimbenio in *hist. Ecclesiæ S. Johan, ante Portam Latinam*, lib. II, cap. vi.

Z.

** Confer Albaspinæum. *Observat.* lib. I Observ. v.

Z.

1 Plin. lib. X, cap. xxvii.— 2 Justin. *Apol.* ii.

corpus, ac quod ibi distributum acceperint, reservent, ne jejunium solvant*. Quinetiam Basilius M. in epistola ccxxxix *ad Cæsariam Patriciam*, eamdem consuetudinem ætate sua servatam esse confirmat in Ægypto, et Alexandria, cujus verba paulo post referam.

Cum igitur Christiani persecutionis metu in cryptis, ac latebris delitescerent, credo assensuros facile omnes, interdum usuvenisse, ut Christi corpus secum eo portarent; ac si nullus esset sacerdos, delectus aliquis e laicorum numero illud ipsum offerret Deo, certis ad id precibus adhibitis, quas in synaxibus audire consueverant, atque in omnes distribueret. Ita enim sacrificii, ac publicæ et legitimæ λειτουργίας speciem quamdam usurpabant, quæ magno ipsis esset solatio. Hoc tum illi faciebant, cum sacerdotum nullam omnino copiam habere poterant. Nam si commode id posset fieri, ad illos sacerdos aliquis aspirabat; præsertim ad eos, qui propter Christi confessionem in carcere, ac custodia vincti detinebantur, quos confessores nominabant. Hujus rei locupletem dabo testem Cyprianum in epistola v, ubi in adeundis, visitandisque confessoribus cautione ac prudentia uti præcipit, ut ne « glomeratim, ac per multitudinem simul junctam, ad eos accedatur, ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur. » Tum ut « Presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent : quia et mutatio personarum, et vicissitudo convenientium minuit invidiam. »

Oblationis.

Hic Cypriani locus ad propositum nostrum, et hoc, quod instituimus, probandum aptissimus est. Nam si laici, imo etiam, ut apud dissertationis auctorem quidam significant, mulieres, absente sacerdote, offerre, et consecrare poterant; quid attinebat ad illos confessores, qui in carcere, et ergastulis vincti erant, tanto cum capitis periculo ventitare sacerdotes, et diaconos, ut pro illis offerrent? Nimirum expedita res erat, et facilis mandare illis, ut ipsimet sibi sacrificium celebrarent, hoc est consecrarent, et offerrent Christi corpus, ut ne presbyteri minime necessarium se in vitæ discrimen committerent, quo id illis præstarent, quod per se obire ipsi poterant. Non igitur prorsus omni sacerdotali potestate, ac functione laicos Tertullianus instruxit; neque consecrare, aut corpus Christi ore conficere, ut Hieronymus loquitur, posse illos credidit, sed offerre tantum; quod quia soli feré, ac publice, et ordinario usu sacerdotes faciebant; ideo laicos, qui idem interdum, et in necessitate agerent, sacerdotes esse dixit, non præcisa, et exacta ratione, sed similitudine quadam, et declamatoria hyperbole**.

Nunc argumenta, quibus novum illud commentum suadetur, expendamus. Horum illud est primum. Lucas Evangelista, cum de institutione agit Dominici corporis, c. xxi, 19, refert, Christum ita jussisse, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quod Paulus, I *Cor*. xi, 24, 25, 26, etc., ad omnes fideles, etiam laicos, pertinere significat. Nam commate 26, ex illo Christi mandato concludit sic : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, etc. Quasi commemoratio illa, quam fieri Christus præcipit, ipsi etiam laicis injuncta sit, a quibus eam fieri testatur Apostolus.

Expenduntur verba: Hoc facite in meam commemorationem.

Hic longior, et perplexior, quam pro instituta brevitate, quæstio commovebitur, si de Lucæ, ac Pauli verborum sensu disputare voluero, ac docere, quemadmodum Christus illis ipsis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos sacerdotes instituerit, et offerre corpus suum, ac sanguinem, hoc est sacrificare jusserit; quod Tridentinum concilium decrevit sess. xxii, canone secundo, et longe ante Gaudentius Brixianus docuerat serm. xi *ad Neophytos;* qui verba illa Christi declarans, « Ideo, inquit, discipulis fidelibus mandat, quos primos et Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinen-

* Varia circa jejunium disciplina Ecclesiæ fuit. Qua de re, ut id obiter notem, nonnulla habet Muratorius in disquisitione de IV, temporum jejunio cap. iii. tom. II. *Anecdot*. Consule autem cum primis Thomassinum in Tract. de *jejunio*, et Benedictinum Gallum, qui nuper de eodem argumento singularem commentarium perscripsit. Z.

** Vide quæ de ipso hoc Tertulliani loco disputat Petavius *Hier. Eccles*. Lib. III, c. iii. Harduinus in singulari dissertatione, quæ *selectis* ejus *operibus* addita est, *De Potestate Consecrandi* cap. ii. Tertullianum contendit laicis non aliud nisi spiritale et mysticum sacerdotium tribuere. Rigaltium inter, et Albaspinæum de ipso hoc Tertulliani testimonio non levis est orta contentio, de qua Georgius Matthæus Leopoldus Durckeium in dissertatione Jenæ edita 1747, *de Sacra cœna a Laicis administranda* Confer etiam Zornium Opuc. Sacr. tom. I Z.

ter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per cunctas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de cœlis adveniat. » Quare missum illud hoc loco faciam; et hoc unum afferam, quod ad infringendam vim illius argumentationis satis esse possit. Christus Dominus, cum sacramentum, et sacrificium corporis, et sanguinis sui nocte institueret, ac traderet, duo quædam egit; alterum per sese, ac directe : alterum oblique, ac velut ex consequenti. Horum primum in eo situm erat, ut Apostolis, ac sacerdotibus mandaret, ipsum ut sacramentum, et sacrificium conficerent et offerrent, adeoque consecrarent. Hoc enim proprie ac directe verbis istis exprimitur : *Hoc facite in meam commemorationem;* quod ad eos, qui actioni illi interant, Apostolos refertur. Alterum ad omnes fideles, etiam laicos sexus utriusque pertinebat, ut et ipsi in sumenda, participandaque Eucharistia, pro suo modulo, ac statu, passionis Christi memoriam adumbrarent. Quod et Gaudentius in secundo illo, quem laudavimus, sermone meminit, cujus verba, quia præsentem ad rem valde pertinent, hic necessario describam. Nam post illa verba, quæ proxime ante posui, in quibus Apostolos a Christo sacerdotes illa nocte, qua sacramentum corporis sui, et sanguinis condidit, institutos ait, incontinenti ista subjicit : « Quo et ipsi sacerdotes, et omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis nostræ indelebili memoria teneamus.» Sed et Augustinus in tertio *de Doctrina Christiana*, cap. XVI, Christum ait, iis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc., præcepisse passioni Domini esse communicandum, et suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit. » Utrique igitur, et sacerdotes, et laici quod faciunt, in Christi memoriam faciunt, ejusque passionis; sed hi sumendo duntaxat, illi consecrando, ac sumendo. Neque necesse est, ut quod in commune obeunt utrique, eodem ab singulis modo transigatur. Fingamus enim illa ipsa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad fideles omnes tam sacerdotes, quam laicos a Christo esse dicta; an ideo consequens erit, eadem omnes ratione, quod præceptum est, exequi? Non opinor. Etenim iis etiam in mandatis, quæ universe, infiniteque omnibus edita videntur, cautione est opus, ut ratio habeatur, quid cuique generi hominum, et conditioni, ac personæ congruat. Quod prudenter animadversum est ab Augustino eodem illo in libro, capite decimoseptimo : « Erit igitur etiam hoc, inquit, in observationibus intelligendarum Scripturarum, ut sciamus, alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum. » Idque adeo quotidiano usu contritum est. Nam cum dicimus Cæsarem, exempli causa, cum copiis suis in Pharsalicis campis adversus Pompeium certasse, atque hostium multa millia occidisse, aliter hoc ab imperatore ipso, aliter a militibus gestum intelligunt omnes, qui aliquid intelligunt. Aut cum Samuel Dei jussu Sauli præcepit ita[1]: *Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus*, etc., *sed interfice a viro usque ad mulierem*, etc., quamvis hoc præceptum, et ejus executio ad omnem exercitum non minus, quam ad regem spectaret, nemo tamen adeo desipiat, ut eodem modo putet, quod injunctum erat, ab utrisque præstari debuisse, ut suapte manu, quod miles fecit, Rex ipse hostes jugularet, urbes ac domos everteret, bobus et asinis necem inferret. Quippe sic illi præcepto obtemperari voluit Propheta, ut quæ cujusque partes erant in agendo, eas quisque servaret, dux et imperator præcipiendo ac regendo, miles manum admovendo. Quod igitur communis hominum in vita sensus habet, id in illo Domini præcepto de repræsentanda passionis suæ memoriæ valere necesse est : ut aliter id sacerdotes, aliter laicos agere ac tractare voluerit, non promiscue omnia omnes exequi. Sane cum in veteris Testamenti libris legimus profanos homines obtulisse sacrificia, et immolasse victimas, velut II, *Paralip.* VII, 4. *Rex autem*, inquit, *et omnis populus, immolabant victimas coram Domino;* non potest eodem modo, ac sensu accipi, atque cum dicitur idem ab Aarone, ejusve posteris esse factum, quibus solis constat sacrificare, hoc est victimas immolare licuisse. Pro eorum itaque, de quibus agitur, statu, et conditione edictorum moderanda sententia est. Quare idem et de verbis illis judicium esse debet, quibus in novo Testamento offerendi, vel sacrificandi usus, atque functio

1 I *Reg.* XV.

etiam laicis accommodari videtur, ut non eodem modo, quo sacerdotes, id intelligantur facere.

Expenditur Tertulliani locus ex quo male colligitur laicis inesse consecrandi potestatem

Sequitur Tertulliani locus ex libro *de Corona militis*, ex quo dissertationis auctor effici putat, ex instituto Christi promiscuam omnibus fidelibus potestatem esse factam consecrandi corporis Christi. Sic enim Tertullianus capite tertio : « Eucharistiæ sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. » Ubi ex Tertulliani mente sic institutum existimat Eucharistiæ sacramentum, ut omnibus passim illius consecrandi potestas facta sit, nisi quod ea jure Ecclesiastico, ac traditione restricta est, et solis permissa *præsidentibus*, hoc est sacerdotibus. Quod etiam et in baptismo valere, ex ejusdem sententia Tertulliani putat, qui in libro *de Baptismo* cap. XVII, dandi jus baptismi etiam laicis esse dicit, sed ita ut in necessitatibus duntaxat eo jure utantur, cæteris temporibus id episcopo, aut clericis relinquant, ut pax Ecclesiæ servetur. Hinc dissertatio colligit, « morem etiam receptum a Christianis illius ætatis fuisse, ubi talis occasio se obtulerat, » non minus offerendi, id est sacrificandi consecrandique, quod ad laicos attinet, quam baptizandi.

Verum falsa est, ne quid acerbius dicam, ista ratiocinatio. Primum enim, demus hoc, quod Tertullianus ait, « Eucharistiæ sacramentum mandatum omnibus a Domino, » sic intelligendum, nihil ut de ejus consecratione, confectioneque sit expresse cautum, et institutum, sed infinite, universeque mandaverit omnibus, *Accipite*, et, *Hoc facite in meam commemorationem;* non tamen sequetur hoc, quod Dissertatio docet, laicis, aut mulieribus a Christo permissum esse, ut consecrare, vel offerre, hoc est sacrificare possint, sed hoc solum, quod non gravate concedam; ejus, quod confuse, ac minus expresse Christus mandaverat, traditionem interpretem fuisse, quæ nos docuit, neminem consecrare posse Christi corpus, nisi qui *sacramentum ordinationis* habet, ut appellat Augustinus libro *de bono conjugali* cap. XXIV, quod et non minus esse sacramentum, quam est baptismus alibi dicit, in secundo *contra Parmen.* capite XIII, et utrobique neutrum iterari posse confirmat. Unde et Hieronymus in dialago *contra Luciferianos*, Hilarium schismaticum ait, cum ab Ecclesia recessisset, ac non nisi diaconus esset, « Eucharistiam conficere non potuisse, episcopos, et presbyteros non habentem. »

Cæterum potest et alio sensu Tertulliani locus ille accipi, ut de consecratione Eucharistiæ non loquatur, sed sumptione. Cum enim Christus *accipere* simpliciter jusserit, neque quo tradente, consecrata jam utique et confecta sit accipienda dixerit, videbatur laicis permissum, ut undecumque, et ubicumque positam ipsi sibi caperent sic, ut in conviviis fieri assolet. Nam appositas ex mensa dapes unusquisque accipit, nec de manu invitatoris, ac domini necessario illas expectat. Hoc igitur et in sacrosancto illo epulo concessum videri poterat a Christo, ut consecratam Eucharistiam, et in altari, mensave propositam, sibi quisque fidelium tolleret, non autem ut de manu præsidentis acciperet; quod traditione sola auctore institutum, atque usu receptum Tertullianus admonet, et Justinus martyr in dialogo *cum Tryphone* morem hunc Ecclesiæ veteris indicat fuisse in sacris synaxibus, et sacrificiis celebrandis, ut benedictione consecratam a præsule Eucharistiam diaconi acciperent, et in populum distribuerent. Basilius in epistola CCXXXIX, sciscitanti, ut apparet, Patriciæ Cæsariæ, an suapte manu laico liceret communionem capere; quatenus id facere moris esset ætate sua, demonstrat. Cujus verba, quoniam ad id, de quo agimus, opportunissima sunt, non erit otiosum hic describere. « Quod autem per tempora persecutionis cogebatur aliquis, ait, absente sacerdote, vel ministro, communionem suapte manu capere, non iniquo animo ferendum esse, supervacaneum est ostendere, eo quod inveterata consuetudo id rebus ipsis affirmaverit. Etenim omnes, qui per solitudinem monasticam vitam instituunt, ubi non est sacerdotis copia, communionem domi habentes, de suis manibus accipiunt. Alexandriæ autem, et per Ægyptum, unusquisque, etiam laicus, ut plurimum habet domi suæ communionem. Nam cum semel sacerdos sacrificium peregit, ac distribuit, qui illam integram simul accepit, dum quotidie de ipsa capit, merito credere debet, se ab illo, qui dedit, participare et accipere. Etenim etiam in Ecclesia sacerdos particulam porrigit, eamque retinet is, qui accipit plena cum facultate, atque ita manu sua ad os admovet. Quamobrem vim eamdem habet sive particulam unam a sacerdote quis accipiat, sive plures

simul particulas[a]. » Hæc Basilius. Unde constat mos ille, quem Tertullianus ex traditione manasse vult, ut de manu sacerdotis, aut præsidentis Eucharistia capiatur, cum primum accipitur; minime vero, quod dissertatio pugnat, ut sibi quisque conficere hoc sacramentum, et sacrificium ullo loco, vel tempore profanus homo potuerit.

CAPUT III.

Cætera Dissertationis argumenta, ac loca veterum explicantur. De historia Frumentii, in qua multum lapsa Dissertatio est. Neque Feminas, neque inferiores sacerdote Clericos, consecrasse unquam. Nicænus, Laodicenus, et Ancyranus Canones expositi.

Aliud hic argumentum subjicit dissertationis auctor ex historia Frumentii, quam refert Theodoretus lib. I *Histor. Eccles.* cap. XXIII. Sed dissertationis verba ipsa præstat audire, ut quam insincere locus ille pertractatus sit, quod subinde planum faciam, melius Lector intelligat. « Cum, inquit, ad Indos, id est, ut interpretor, ad Æthiopas, qui ex eo semper Alexandrinum Patriarcham suspexerant, venisset ab Alexandria laicus Frumentius, auctor fuit his, quos ad Christum converterat, et paucis qui cum ipso erant, ut Theodoreti utar verbis, κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας, id est *eo more, quo sub Romano imperio fieri solebat, et convenire, et sacra celebrare*. At nemo ibi tunc episcopus erat, nemo presbyter; imo primus cum episcopi dignitate, qui postea presbyteros ordinavit, eo missus est post reditum suum Alexandriam, et rem renuntiatam, ipse ille Frumentius ab Athanasio. » Hæc dissertatio, in quibus partim de suo multa, præter mentem historici, partim etiam contra illam adtexuit, ut causæ suæ serviret. Hujusmodi hoc est falsum, et contra Theodoreti mentem istud est, Frumentium *eos*, *quos ad Christum converterat*, *et qui cum ipso erant*, ad id hortatum fuisse, ut sacra celebrarent. Nam Theodoretus non Indos ipsos, aut Æthiopas, sed Romanos negotiatores, qui mercaturæ gratia illud appellebant, de ea re monitos refert a Frumentio. Theodoreti verba sunt ista, quæ ab Dissertationis auctore mutilari non debuerant. : « Cum autem in pietate essent educati, negotiatores, qui eo navigabant, Romanorum more conventus facere hortabatur, ac sacros ritus celebrare[b]. » Camerarius Theodoreti interpres verba illa κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος, non ad sequentia retulit, sed ad præcedentia. Vertit enim, *mercatores*, *si qui*, *quemadmodum mos fert Romanorum*, *advenissent*. Sed præstat de sacris conventibus, et ritibus intelligere, uti Ruffinus facit; a quo historiam illam hausit Theodoretus, ut et Socrates, qui ante Theodoretum historiam scripsit, et Ruffini verba propius assecutus, nullam λειτουργίας, mentionem facit, sed precum duntaxat; παρακάλει, inquit, τόπους καταλαμβάνειν ἰδιάζοντας ἐπὶ τῷ τὰς Χριστιανικὰς ἐκτελεῖν εὐχάς. « Hortabatur; ut propria quædam occuparent loca, ut in his Christianas preces obirent. » Quocirca, ut ex Ruffini narratione constat, nec non Socratis, ac Theodoreti, quem unum dissertationis auctor adhibet, falsum est primum, Frumentium Indis illis, quos ad Christi fidem adduxerat, suasisse, ut synaxes, ac sacros ritus Romanorum peragerent. Hoc enim Romanis ipsis negotiatoribus consilium dedit, quibuscum nullos fuisse sacerdotes magis suspicari, quam liquido affirmare potest Anonymus scriptor. Imo vero credibilius est aliquos secum advexisse presbyteros, longinquæ comites navigationis, uti mos est hodieque Christianis. Ita

Oblationis.

a Basil. epist. CCXXXIX. Τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς ἐναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως, ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρὺ, περιττόν ἐστιν ἀποδεικνῦναι, διὰ τὸ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. πάντες γὰρ, οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μή ἐστιν ἱερεύς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ· ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος, καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ὁμοῦ, καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, παρὰ τοῦ δεδωκότος εἰκότως μεταλαμβάνειν, καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. καὶ γὰρ καὶ ἐν Ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ.

b Theodoretus lib. I *Hist. eccles.* Εὐσεβείᾳ δὲ συντεθραμμένοι τοὺς αὐτόσε τῶν ἐμπόρων ἀφικουμένους κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας προέτρεπον.

necesse non erit, laicis neophytis sacerdotum mandare partes; quod dissertationis commentum plenius, ac validius ex Ruffino refellitur, quem illius historiæ fundum esse dixi, a quo cæteri omnes acceperunt; sic enim rem ille narrat, libro historiæ suæ primo, capite IX. « Idque dum agerent, et regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus et animos instigante, requirere sollicitius cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent; et ipsis potestatem maximam dare, ac monere, ut conventicula facerent ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent. » Perspicuum est non Indos ipsos novos Christianos ad illos conventus celebrandos instigasse Frumentium, sed Romanos negotiatores.

Præterea istud etiam ex Ruffino colligitur, non illis auctorem fuisse Frumentium, ut sacrificia celebrarent, ac sacramenta conficerent, sed tantummodo ut *orationis causa* convenirent. Theodoretus vero, aut alius potius interpres, qui in Græcum Ruffini Latina convertit, unde postea Theodoretus accepit, hæc verba *orationis causa confluere*, ita reddidit, τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας. Nam λειτουργίας nomen, ut et συνάξεως, universe significat conventus publicos sacrosque Christianorum, qui vel sacramentorum participandorum, ac divini sacrificii obeundi causa celebrabantur, vel orationum duntaxat gratia, et divini audiendi verbi. Auctor enim est Socrates libro X, capite XXII, Alexandriæ certis diebus, ut feria IV et VI, synaxes fieri solitas, in quibus Scripturæ legebantur, et ad populum conciones habebantur, δίχα τῆς τῶν μυστήριων τελετῆς *sine ulla sacrificii, ac mysteriorum celebratione.* Quod ipsum aliis scriptorum testimoniis comprobare possem, nisi aut longior esse nollem, aut id modo ageretur, aut non alii denique hoc jampridem argumentum occupassent. Ad summam negari potest, et quidem Ruffino, ac rei veritate suffragante, sacras illas λειτουργίας, quas Frumentius negotiatoribus mandavit, adjunctam habuisse τὴν τῶν μυστηρίων τελετὴν, quas *orationis causa* tantum institutas fuisse Ruffinus ostendit.

Perficere sacras liturgias. Liturgiæ. Synaxeos.

Mysteriorum celebrationem.

Pergit dissertationis auctor, et mulieres interdum Eucharistiam consecrasse videri nonnullis ait ex actis S. Petronillæ, quam vetus martyrologium refert, a. d. pridie Cal. Jun., « Celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, spiritum emisisse. » Verum non dicit martyrologium ab ipsa S. Petronilla celebrata fuisse; estque multo probabilius ab sacerdote aliquo, qui pro illorum consuetudine temporum, quam ex Cypriano supra demonstravimus, ad eam venerat, ea fuisse peracta. Quare αὕτη ἡ μήριν-θος οὐδὲν ἔσπασε *. Clericos deinde ordinis inferioris, ut subdiaconos, et diaconos interdum obtulisse, consecrasseque astruit ex canonibus antiquis conciliorum Laodiceni, Ancyrani, Arelatensis primi.

Nam in Laodiceno, canone XXV decretum est, « non oportere ministrum panem dare, neque calicem benedicere[a]. » Ubi ὑπηρέται sunt subdiaconi, ut Zonaras, et Balsamo docent, qui et ἄρτον διδόναι interpretantur distribuere Christi corpus in fideles, quod solis diaconis concessum. Iidem et calici benedixisse videntur, hoc est consecrationis verba protulisse. Quanquam nihil necesse est εὐλογίαν istam consecrationem esse putare. Licet enim aliud genus benedictionis intelligere, velut crucis signum, quod super calicem ducerent, id est vas sacrum, cum hoc diacono traderent; tamen ne conjecturæ nostræ indulgere videamur, demus alicubi per illa tempora consecrare ansos esse subdiaconos, aut etiam diaconos, quos offerre ultra prohibet Arelatensis primæ synodi canon decimus-quintus; non potest ex eo deduci id, quod dissertatio studet, vere ac reipsa consecrasse; quin potius contrarium inde colligitur, consecrandi potestate caruisse, quia id facere prohibiti sunt.

Atenim idcirco jure illo, et potestate, quam alioquin habebant, uti prohibentur, quia non temere, ac quovis tempore id illis permissum erat facere, *ob pacis, et constituti regiminis reverentiam;* sed *in necessitatibus*, ut Tertullianus loquitur, et ubi deerat sacerdotum copia. Sed hoc gratis, nulloque idoneo argumento dissertationis auctor asserit.

Non enim ex eo quod canones illi sacerdotum munia ab iis, qui sacerdotes non erant, usurpata fuisse demonstrant, consequens est, illos si non jure, certe reipsa consecrasse, panemque in Dominicum vertisse corpus;

a. Canon Laod. Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτην ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν.

* Quæ de Petronilla hic narrantur, fabulosa esse ostendit Henricus Dodwellus in dissert. de jure laicorum sacerdotali et sententia Tertulliani cap. V.

Panis in corpus Verbi transmutatus.

Transubstantiari.

(ut Gregorius Nyssenus ait capite XXXVIII libri *Catechetici*, ἄρτος, inquit, πρὸς τὸ σῶμα τοῦ λόγου, μεταποιούμενος, ad quod etiam, verbum μεταστοιχειῶσαι ibidem accommodat, quod est *transmutare*, ut cum Cyrillus libro II *Glaphyrorum* partis secundæ, pag. 219, editionis prioris, aquas in Ægypto μετεστοιχειῶσθαι dicit in sanguinem, Mosis virga percussas. Hanc ergo transmutationem, quam nos Catholici *transubstantiationem* vocamus, nego alios unquam effecisse, adeoque sacrificasse, quam sacerdotes; tentasse præter morem, præterque fas, imo contra jus divinum, ac non sine atroci scelere, diaconos, aut inferiores ministros aliquando, non nego; neque vero ad rem, ut dixi, pertinet. Nam ex juris ac disciplinæ corruptela, et exempli pessimi facto, quod præsertim Ecclesiastica auctoritate damnatum sit, non potest certa potestatis illorum fides, et auctoritas assumi.

Adde diaconis quidem exstat Nicæni concilii canon decimus-octavus, qui offerendi, hoc est sacrificandi jus et potestatem negat penes diaconos fuisse. Itaque hac de causa nefas esse judicat, quod in quibusdam locis fiebat, ut Eucharistiam darent presbyteris diaconi. Verba canonis, quatenus ad rem faciunt, hic legi debent; sic Dionysius Exiguus Latine reddidit, « Pervenit ad sanctum, magnumque concilium, quod in quibusdam locis, et civitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant[a].»

Quo ex canone licet, quantopere hallucinatus sit auctor dissertationis, idque dupliciter. Nam et subdiaconos existimat « ob multitudinem communicantium crescentem in dies (verba sunt illius) non tantum porrexisse panem, sed et pronuntiasse verba illa, quibus calix benedicitur, sive consecratur, et deinde in posterum id nondum diaconis, sed subdiaconis tantum interdictum; » videlicet Laodiceno illo canone. Quæ posteriora cum adjicit, illud significat, subdiaconis, antequam canone isto prohiberetur, perinde licuisse, ac diaconis, offerre; diaconis vero deinceps etiam id esse concessum, postquam subdiaconis interdictum est. Atqui huic assertioni e diametro contrarius est canon ille Nicænus, qui diaconos, (quod de subdiaconis multo magis intelligi par est,) nullo neque jure, neque consuetudine offerre potuisse confirmat, ideoque nec presbyteris Eucharistiam dare. Nam si jure aliquo, vel consuetudine unquam obtulissent, etiam id, quod obtulerant, hoc est Christi corpus, sacerdotibus impertiri potuissent; quòs eo solo nomine iis, qui offerendi jus habebant, sacerdotibus dare negat posse, quia offerendi potestate carebant. Porro si, ut ex tanti auctoritate concilii constat, neque jure, neque consuetudine subdiaconi, aut diaconi offerre, ac consecrare potuerunt; non solum perperam dissertationis auctor ex Laodiceno concilio, sed etiam ex Ancyrano contrarium infert. Quæ duo concilia non longe absunt a Nicæni tempore; fuit ergo παράχρησις mera, non legitima consuetudo, ac recepta, quod utrique ministri sacerdotales alicubi partes attigerunt. *Abusus.*

Verum quod ad diaconos attinet, majus in Ancyrani concilii canone firmamentum novæ suæ opinionis habere se putat dissertatio. Nam ibi decernitur, ut « Diaconi, qui sacrificarunt (in persecutione) ac postea resipuerunt, et denuo certarunt, reliquum quidem honorem habeant; cessent autem ab omni sacro ministerio panem vel calicem offerendi, aut prædicandi[b]. » Duo sunt in hoc canone, quæ dissertationi favere videntur : alterum, quod diaconos vetat ultra sacerdotali munere fungi, quam ἱερατικὴν λειτουργίαν vocat; Dionysius enim *sacerdotale ministerium* vertit : alterum quod offerre panem et calicem prohibet; id autem est sacrificare. Porro si illius ordinis solos eos, qui ob culpam plectuntur, ab sacerdotalibus ministeriis excludit, ergo tam ipsi, antequam peccarent, quam cæteri, qui non peccarant, integrum jus idem retinuerunt, adeoque sacerdotum partes expleverunt.

Atqui cassa ista sunt et inania. Imprimis quod offerendi verbum eadem notione sumit, quacum de sacerdotibus agitur, ut sit idem, ac sacrificium offerre, multum fallitur. Nihil

a Canon Nicænus. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν, καὶ μεγάλην σύνοδον ὅτι ἔν τισι τόποις, καὶ πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν. ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ.

b Canon Ancyranus. Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας, τῆς τε τοῦ ἄρτον, ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν.

enim hic aliud significat, quam repræsentare, ac porrigere panem, et calicem ; idque dupliciter : aut sacerdoti sacrificaturo : aut populo, post utriusque consecrationem. Nam utrumque diaconi fuit officium. Justinus martyr in *Apologia* secunda, veteris Ecclesiæ morem fuisse testatur, ut consecratam a sacerdote, vel, ut Tertullianus post illum loquitur, a *præsidente*, Eucharistiam, diaconi dent singulis, qui illic assistunt. « Postquam benedictione consecravit præsidens, et universus populus fausta precatione acclamavit, tum qui vocantur diaconi apud nos, dant cuilibet adstantium participare panem et vinum cum aqua, quæ benedictione consecrata sunt, et ad absentes deferunt [a]. » Cyprianus in libro *de lapsis*, *offerendi* verbo usus est in illa diaconorum significanda functione, qua Eucharistiam populo exhibent. « Ubi vero solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, » etc. Itaque *offerre calicem* non semper idem est, ac mysticam oblationem repræsentare Deo ; sed, cum de is, qui sacerdotes non sunt, dicitur, est præbere populo, et propinare. Nam quod ἱερατικὴ λειτουργία in Ancyrano eodem canone vocatur, tantumdem est atque ἱερὰ, hoc est *sacra :* quæ vox in quibusdam codicibus occurrit, eamque dissertationis ipse auctor expressit. Denique adversus omnia illa dissertationis argumenta, interpretationesque canonum, unum illud objicimus Nicæni concilii testimonium, tanquam validum, impenetrabilem clypeum, quo istud definitum est, nunquam in Ecclesia jus, aut usum habuisse diaconos, nedum aut inferioris gradus clericos, aut laicos, et quod etiam abominamur, feminas, consecrandi, ac sacrificandi.

Sacerdotalis oblatio.

Sequitur Trullanæ synodi canon octavus et quinquagesimus, ex quo Dissertatio colligi putat, non primis tantum Ecclesiæ temporibus, sed recentioribus etiam, observatum fuisse, ut laici, ubi presbyteri non erant, sacra mysteria per se ipsi perciperent, et videlicet consecrarent, offerrentque Deo. Hoc enim agitur ; et in eo sita est nova illa conjectura, opinioque dissertationis, non in sola sumptione, et admotione jam consecratæ Eucharistiæ ; quam nemo nescit, id quod ex Basilio supra demonstravimus, acceptam a diaconis, et reservatam, si vellent, usurpasse pro arbitrio laicos, et suis sibi manibus admovisse. Atqui Trullanus iste canon neutiquam de consecratione, ac sacrificatione loquitur, sed de sola sumptione. Verba canonis : « Nemo eorum, qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiat, præsente episcopo, vel presbytero, vel diacono [b]. » Vetat, inquam, hoc solum, ne laici corpus Christi per se ipsi capiant, uti sacerdotes faciunt, sed ut ab iis, aut diaconis accipiant ; de consecratione, ac sacrificio nulla mentio.

Addit postremo dissertatio quædam exempla moris illius, quo laicos, cum deesset sacerdos, consecrasse, et sacrificium celebrasse putat. Sed quæ affert, nihil prorsus ad rem attinent ; sunt enim monimenta duntaxat adumbratæ ad veræ Eucharistiæ speciem, et imitationem, cæremoniæ cujusdam ludicræ, et ab imperitis hominibus ascitæ, non Ecclesiæ auctoritate constitutæ. Ut cum in vitæ periculo, et in procinctu, milites, quibus communicare non licebat, panis, quo ad jentaculum utebantur, particulam ad similitudinem Dominici corporis religiosius assumebant ; quemadmodum et eulogiæ, seu benedicti panis frustula ab iis, qui non communicant, in parœciis manducari solent per Dominicos dies. Sed quid hoc commune habet cum vera consecratione corporis, et sanguinis Christi, et oblatione, vel sacrificio, quod in necessitate laicos obtulisse dissertationis auctor affirmat ? Tantumdem, hoc est nihil hanc conjecturam adjuvat, quod ex Erasmi epistola refert, quam ad Cutbertum Tonstallum scripsit libro *Epistolarum* XXVI. Ibi enim Erasmus synaxim quamdam a laicis Apostolorum tempore celebrari solitam ait, adhibita precatione, et benedictione, et quem ibi panem sumebant, appellatum ab iis esse Christi corpus. Sed ibidem Erasmus hanc qualemcumque benedictionem secernit *a consecratione sacerdotali*, quam et *veram* nominat. Quare longe ab isto commento dissertationis Erasmus abfuit ; quæ privatim, ubi necessitas ferret, veram, et sacerdotalem consecrationem laicos usurpasse confirmat *.

a JUSTINUS *Apol. secunda*. Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν Διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι.

b Canon Trullanus. Μηδεὶς τῶν ἐν λαϊκοῖς τεταγμένων ἑαυτῷ τῶν θείων μυστηρίων μεταδιδότω, παρόντος ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου.

* Ad hanc quæstionem spectat Arelatensis I Concilii canon XV. *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis*

CAPUT IV.

De altera quæstione, quam dissertatio continet: An semper communicandum per symbola: ubi de communione, et usu Sacramentorum agitur. Non licere cuiquam ab Ecclesiæ communione discedere. Expenduntur causæ, propter quas interdum fas illud esse dissertationis auctor existimat.

Capite in altero dissertationis haud minoris offensionis, ac periculi quæstio disceptatur, sed in ea pertractanda breviores erimus, quam pro rei magnitudine; quod utique nobis per auctorem illius licet, qui in eo, quod probandum, definiendumque sumpserat, verborum satis, rerum, et argumentorum abhibuit omnino nihil *. Est autem illius capitis inscriptio, *An semper communicandum per symbola;* cujus quæstionis hæc sententia est, an sacramentorum, quæ in vera Ecclesia sunt, participatio usurpari necessario debeat ita, ut nemo salutem consequi possit, qui non reipsa externis sacramentorum ritibus initietur; an certis de causis abstinere fas sit interdum a communione reliquorum fidelium, ut, cum in Ecclesia schismata sunt, et dissidia, nulli se parti quispiam addicat, sed privatim res agat suas, ac sine ullo sacramentorum usu permaneat.

Posterius hoc dissertationis asseverat auctor, et Joannis Chrysostomi exemplo, et auctoritate comprobat, quam refert Socrates in libro sexto, capite tertio, cum a Meletio Antiochiæ episcopo ordinatus esset diaconus, eo Constantinopoli mortuo, ab Meletianis pariter, et Paulini parte segregasse se, quamvis utrique essent catholici; ac triennio toto ab utriusque commercio partis abstinuisse. « Cujus, ait, exemplum secuti sunt, manente post synodum Chalcedonensem gravi per Ægyptum, Orientemque dissidio, multi, qui ob id nomen sibi διακρινομένων dedere, » Latini *hæsitantes vocabant.*

Atque ut illud recte ac prudenter agi nonnunquam persuadeat, docere contendit, nec in veteri lege, nec in nova, symbolorum, quibus sacramenta constant, usum præcepti necessitate constrictum fuisse. Nam et omissa circumcisio est annis fere quadraginta [1], quibus in deserto circumducti sunt Hebræi; et æneus serpens, quem ad populi salutem Moses erexerat, ab Ezechia rege confractus est [2]. Tum in Christiana lege causæ incidunt aliquæ propter quas intermitti communio potest; eæque sunt præcipuæ tres. Prima, « si qui præpositi sunt Ecclesiis aut expresse, aut tacite professiones exigunt quarumdam assertionum, quibus alterius conscientia non adsentit. » Secunda, « si communio symbolica non modo usum, ad quem nata est, non habeat, fovendæ ac testandæ communionis cum omnibus pie Christianis; verum insuper tendat ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus pie, ac Christiane viventium, et ad salutem necessaria, quæ non ita sunt multa, credentium. » Tertia, cum putat is, « qui a communione partium abstinet, liberius solutiusque exercere posse Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes, » quod postremum spectasse Chrysostomus videtur. His igitur de causis abstinere ab communione fas est, et illud Augustini usurpare : *Crede, et manducasti.* Hactenus dissertationis auctor.

Causæ abstinendi a communione juxtæ Grotium.

Equidem de proposita ab illo quæstione sic statuo, quod et Catholici omnes profitentur, incidere nonnunquam ea posse tempora, ut in publicis de fide controversiis, scissa concordia, et in partes divisa duas, pluresve Christianorum multitudine, tamdiu se privatus quispiam ab omnium communione suspendere debeat, donec liquido constet, penes

offerre, placuit minime fieri debere. P. Sbaralea quæst. II, quam disputationi de *sacris Pravorum ordinationibus* adjecit, ita hunc canonem explicat, ut Grotianæ dissertationi plurimum faveat. Diaconis enim vetari hoc canone existimat Eucharistiæ consecrationem. At eruditi theologi sententiam strenue confutatam habes in Diario Litteratorum hominum, quod Florentiæ editur, tom. VI par. II. Enimvero Petavii nostri sententia, quam Tournelius quoque amplectitur, etiam huic canoni aptari commode potest, nisi malis cum Haberto in adnotationibus ad Pontificale Græcorum, Part. IX. obser. II, vetitum diaconis offerre scilicet vel calicem *Sacerdoti consecratum repræsentare*, Confer etiam Cotelerium in not. ad lib. VII *constit. Apostolic.* cap. XIII. Z.

* Posteriorem hanc Grotianæ dissertationis partem confutarunt Protestantes duo. Andreas Rivetus in *Apologet. pro vera pace Ecclesiatica* num. 95 et Joh. Eloppenburgius selectarum disputationum Theologicarum quarta, quam Bodwellus suæ illi de *jure Laicorum sacerdotali* addidit. Z.

1 Josue v. — 2 *Reg.* XVIII, 4.

quos catholicæ sit veritatis, Ecclesiæque possessio; quod ipsum neque diu, nec ubique terrarum dubium et obscurum esse potest. Ut si quis Romanæ, et veræ particeps Ecclesiæ in ignota, et longinqua urbe peregrinetur, in qua hæreticorum plura conventicula, et oratoria sint, nec uspiam catholici cœtus copia sit, potest, debetque privatim illic religioni servire suæ, ac sine ulla communione manere, Interim tamen danda illi opera est, ut sciat, ecquid alicubi vel conveniendi cum Catholicis, vel sacramentorum adhibendorum facultas detur. De quo aurea est illa Cyrilli Hierosolymitani sententia catechesi XVIII. « Propterea nunc tibi summa hoc cautione fides tradidit : et in unam sanctam catholicam Ecclesiam, ut illorum quidem (hæreticorum) detestandos cœtus fugias, maneas autem perpetuo in Ecclesia catholica, in qua et regeneratus es. Ac si quando peregrineris in urbibus, ne simpliciter inquirito, ubi est Dominicum. Nam et cæteræ impiorum hæreses Dominica vocare speluncas suas audent; neque ubi est simpliciter Ecclesia, sed ubi est catholica Ecclesia. Hoc enim proprium est nomen sanctæ hujus, et matris omnium nostrum[a]. »

Sic Hieronymus, cum in Syria degeret, et in Antiochena diœcesi, quæ tum varias in factiones divisa erat, non modo Catholicis et hæreticis, sed etiam illis inter se discordantibus, ab omnium communione se continuit. Erant autem Antiochiæ tum episcopi, præter Arianum, tres, Meletius catholicus, sed ab Arianis primum ordinatus; Paulinus, et ipse catholicus, et Romanæ sedis communionem habens; (fallitur enim Marianus Victorius, qui in scholiis ad epistolam Hieronymi LVII, hæreticum hunc fuisse scribit) et Vitalis ex Apollinarii secta. Cum igitur ab illis sollicitaretur Hieronymus, uti tres hypostases in sacrosancta Trinitate profiteretur, et ad se quisque illum conaretur allicere, nemini est obsecutus : Sed « Cathedram Petri, et fidem Apostolico ore commendatam censuit consulendam. Inde animæ suæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta susceperat. » Sic enim ad Damasum Romanum pontificem scripsit. Tum addit ista : « Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior; super illam ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Postremo in fine epistolæ rogat, ut significet, quicum apud Antiochiam communicare debeat. Itaque tanti viri exemplum documento esse potest, quid in simili causa catholicus homo facere debeat.

Idem et de Chrysostomi facto judicium est, qui post Meletii obitum, quocum communicarat, adeo ut diaconus ab illo etiam ordinaretur; ab ejus successore Flaviano se subtraxit, multorum in eo pontificum auctoritatem secutus, velut Gregorii Nazianzeni, et, quod caput est, ipsius Romani pontificis, qui omnes Flaviani communionem abdicarunt, quem constabat, præter fas, et datæ fidei religionem, Antiochenam ad cathedram pervenisse. Ita enim Meletium inter, et Paulinum convenerat, ut simul alterutrum mors occupasset, ne altero superstite secundus ordinaretur antistes. Tandem opera Theophili Flavianus Romano pontifici reconciliatus est, ut refert Socrates lib. V, cap. XV. Meminit et Ambrosius epistola nona. Non est itaque mirandum, si Chrysostomus, qui Meletii partes hactenus fovebat, post ejus obitum, neque cum ejus successore, quod per nefas sedem illam obtineret, communicare voluerit, neque cum Paulino, cui nunquam adhæserat. Quod non eo consilio fecit, ut dissertatio putat, quod magni momenti esse non crederet externam, ac symbolicam communionem, sed quod temere alterutri se parti nollet addicere. Pessime autem et impie *Hæsitantes* illi, quos Chrysostomi secutos exemplum haud recte dissertationis auctor existimat, qui cum de vera, et sola catholica Ecclesia facile constaret, tam ab ea, quam ab hæresi Eutychianorum divulsi, novam sectam, vel monstrum potius instituerunt; Zenonis Henoticon amplexi; quorum ex grege fuit Anastasius imperator, homo illaudatus; quem nemo sanus, et salutis amans suæ, sibi in exemplum debet assumere. Nam quemadmodum Chalcedonensis concilii auctoritas apud pios omnes et catholicos nunquam in controversiam vocata

a CYRILL. *Cath.* XVIII. Διὰ τοῦτό σοι νῦν ἠσφαλισμένως παρέδωκεν ἡ πίστις τὸ, καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· ἵνα ἐκείνων μὲν τὰ μιαρὰ συστήματα φεύγῃς, παραμένῃς δὲ τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ διὰ παντὸς, ἐν ᾗ καὶ ἀνεγεννήθης. κἂν ποτε ἐπιδημῇς ἐν πόλεσι, μὴ ἁπλῶς ἐξέταζε ποῦ τὸ κυριακόν ἐστι. τὸ γὰρ αἱ λοιπαὶ τῶν ἀσεβῶν αἱρέσεις κυριάκα τὰ ἑαυτῶν σπήλαια καλεῖν ἐπιχειροῦσιν, μηδὲ ποῦ ἐστὶν ἁπλῶς ἡ ἐκκλησία· ἀλλὰ ποῦ ἐστὶν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. τοῦτο γὰρ ἴδικὸν ὄνομα τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μητρὸς ἡμῶν ἁπάντων.

est; sic damnata ab illo Eutychianorum factio pro execranda hæresi omnium est habita judicio; adeoque portio hujus, quæ fuit, ἡ τῶν διακρινομένων secta; quæ alias omnes a quibus dissidebat, impietate superabat.

Hæsitantium.

Non potest igitur facile dubitari, qua sit in parte vera, et catholica Ecclesia, ut ab omni se omnium communione jure aliquis posse putet abstrahere. Est enim sole ipso clarior, et manifestior, atque in propatulo posita, neminem ut latere diu possit, si quis ad eam suis notis agnoscendam, ac discernendam paululum operæ, et candoris adhibeat. Quod adversus Donatistas omnibus fere paginis, quas contra illos elucubravit, occinit Augustinus. Insignis est inter alia locus ille ex epistola XLVIII. « Quomodo autem, inquit, confidimus, ex divinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas, vel uncos adversus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut anathema erit, qui annuntiaverit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniam in veritate Evangelica accepimus. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die;* sic erit anathema quisquis annuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium : » ac cætera deinceps, in quibus eam esse veram, cognituque haud difficilem Ecclesiam docet, quæ per totum orbem diffusa est, quæque, ut ait Boetius in libro *de Trinitate*, « quod ejus cultus per omnes pene mundi terminos emanavit, catholica, vel universalis vocatur. » Quo *catholicæ* vocabulo ab cæteris conventiculis, quæ falso sibi ecclesiæ nomen assumunt, vera Christi Ecclesia distinguitur, ut Pacianus epistola I, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi jam citata XVIII, Boetius, et Augustinus, libro *de vera Religione*, cap. VI, et VII, et libro *contra Epist. Fundam.* cap. IV, aliique complures asserunt. Quemadmodum et *Romanæ* vox eamdem discernit ab reliquis, ut tantumdem sit dicere *Romanum*, quod Catholicum. Itaque Gregorius Turonensis testis est in libro *de gloria Martyrum*, cap. XXX, XXXV et LXXIX. *Romanos* ab hæreticis appellari consuevisse *homines nostræ*, ut ille loquitur, hoc est catholicæ *Religionis*, quoniam cathedra illic est Petri, *Ecclesiæ catholicæ matrix, et radix*, ut Cyprianus ait epistola XLV. Cyrillus vero Alexandrinus *Pontificatus arcem* vocat, ut testatur Arnobius in disputatione *contra Serapionem*. Nec omittere possum pulcherrimum de eadem elogium Gregorii Nazianzeni, quo et fidei, quæ in ea tempore suo prædicabatur, integritatem, et ejusdem principatum illustri præconio commendat; cum e contrario altera et nova Roma, cui quondam præfuerat, ab catholica defecisset fide. Sic igitur ille cecinit in carmine *de vita sua*.

« Harum vero fides, ista quidem jampri-
[dem,
Et nunc adhuc prospero cursu progreditur,
[Occidentem.
Totum adstringens salutari doctrina :
Uti par est eam facere, quæ universis præ-
[sidet,
Totum colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat antea;
[nunc vero non item.
Hanc dico, quæ mea quondam erat; nunc
[non est mea[a]. »

Sed et Augustinus epistola CV. affirmat, eamdem ætate sua fidem Romana in ecclesia perseverasse, cui Paulus testimonium præbet. Merito igitur Optatus Milevitanus adversus Donatistas veram sibi vindicantes Ecclesiam in secundo libro disputans, cum alias notas verioris affert Ecclesiæ, quæ in nullam aliam hodie, nisi Romanam competunt; tum eam, quæ ex Petri cathedra, et Romanorum successione pontificum ducitur; quod et Irenæus tanto ante fecit in tertio libro, capite tertio. Sed hæc obiter; quæ eo spectant, ut hoc ostenderem, quod paulo ante posui, perfacile esse suis notis veram ecclesiam dignoscere; nec eam latere posse, quæ, ut ex Cypriano, libro *de simplicitate Prælatorum*, refert Augustinus lib. XI *contra Gaudentium*, cap. XI. « Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit. »

Notæ et auctoritas veræ Ecclesiæ quæ non aliæ quam Romanæ competunt.

Jam si et ubique diffusa, et palam omnibus cognita vera et catholica est Ecclesia; (quod toties prædicat Augustinus in libris *contra Donatistas*) nunquam deest fidelibus, qui cum

[a] GREG. NAZ. *carm.*
Τούτων δὲ πίστις ἡ μὲν ἦν ἐκ πλείονος,
Καὶ νῦν ἔτ' ἔστιν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ,
Καθὼς δίκαιον τὴν προέδρον τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν Θεοῦ συμφωνίαν.
Ἡ δ' ἦν τὸ πρόσθεν ὀρθόπους, νῦν δὲ οὐκέτι.
Ταύτην λέγω δὴ τὴν ἐμήν, εἶτ' οὐκ ἐμήν.

sacramentorum, ac rituum communione jungantur; neque porro causam ullam potest habere quisquam, propter quam ab illa sese, quam solam esse veram, et catholicam ignorare non potest, societate distrahat. Hoc enim nihil aliud est, quam sibi viam salutis omnem intercludere. Siquidem extra Ecclesiam, et Ecclesiæ communionem salus est nulla. « Quisquis enim, ait Augustinus epistola CLIII, ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum. » Et Gregorius Papa lib. XIV *Moral.* capit. XI. « Sancta, inquit, universalis ecclesia prædicat, salvari veraciter nisi intra se non posse, asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime salvabuntur. » Quocirca « nihil sic debet formidare Christianus, ut verbis utar Augustini tract. XXVII *in Joannem*, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus. Si non est membrum, non vegetatur spiritu ejus. »

Frustra ergo dissertationis auctor « justissimas quasdam causas intermittendæ communionis esse dicit; maxime tertiam, ut a partium communione abstinens liberius, solutiusque exercere possit Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes. » Nam cum de vera et catholica Ecclesia sermo est, (de qua sola hic a nobis agitur) ejus sic amplectenda, ac retinenda communio est, ut ab reliquis omnibus, quæ illi adversantur, penitus abhorreamus, neque commune cum istis habeamus quippiam. Quocirca neque sacramentorum, ac symbolorum omittenda participatio est; quoniam obtineri aliter communio non potest. Quippe, ut Augustinus scribit libro XIV *contra Faustum* cap. XI. « In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. » Potest quidem interdum fieri, ut ab usu sacramentorum, et communione Ecclesiæ homo catholicus abstineat; velut persecutionis tempore, si in cryptis ac latebris delitescat, aut alioqui sine periculo capitis ad Ecclesiam adire nequeat. Sed quas causas dissertationis affert auctor, eæ sunt nullæ. Quod enim ad primam pertinet, quam ejusmodi fingit; « Si qui præpositi sunt ecclesiis, professiones exigant quarumdam assertionum, quibus alterius conscientia non assentitur; » si hæc legitima est, hæretici omnes extra culpam erunt, qui se ideo ab Ecclesiæ unitate sciderunt, quod *earum assertionum professiones exigerentur*, quibus ipsorum conscientia refragabatur. Sic Ariani, sic Nestoriani, sic Eutychiani, et nostro tempore Lutherani, Calvinianique omnes justissime fecisse putandi sunt, qui solam (ut vocant) *conscientiæ libertatem* discessioni suæ, ac schismati prætendunt. De assertionum itaque genere isto clarius, ac liquidius Dissertatio loqueretur. Nam si falsæ sunt, et Scripturis conciliorumque contrariæ decretis, non possunt ab Ecclesia probari, nec earum extorqueri professio, siquidem vera est Ecclesia illa, et catholica, *quæ fundata supra petram*[1], *columna est, et firmamentum veritatis*[2]. Quanto ergo justius conscientia ipsa corrigeretur, ut assertionibus istis ab Ecclesia sibi propositis assentiri auderet, « etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostenderet. » Quod Augustinus libro *contra Epistolam Fundamenti*, capite IV, præcipit. Nam de horum, quæ sibi proponerentur, æquitate, ac veritate, etsi nondum intelligeret, merito dubitare non posset, si, quod gravis auctor scribit Epiphanius in *Alogorum* hæresi, quæ est LI, recordari vellet, catholicam Ecclesiam; « habere vim bitumini similem, quæ mala et perniciosa, serpentinaque dogmata, doctrinasque propulsat[a]. » Sed enim præclare S. Hilarius in octavo libro, « Multi sunt, inquit, qui simulantes fidem, non sunt subditi fidei; sibique fidem ipsi potius constituunt, dum, quæ volunt, sapiunt, et nolunt sapere, quæ vera sunt; cum sapientiæ hæc veritas sit, ea interdum sapere quæ nolis. »

Sic altera illa causa *communionis intermittendæ* subdole, parumque sincere concipitur ita; cum symbolica communio « tendit ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus pie, ac Christiane viventium, et ad salutem

a EPIPH. hæres. *Alogorum.* Ἔχειν τῆς ἀσφάλτου τὴν δύναμιν, τὴν ἀποδιώκουσαν τὰ δεινὰ, καὶ ὀλετήρια ἑρπετώδη διδάγματα.

1 *Matth.* XVI, 18. — 2 I *Timoth.* III, 15.

necessaria credentium. »Etenim vera ecclesia, quæ, ut dixi, sola hic agitur, et a dissertationis auctore debet intelligi, uti catholica est, id est universalis, sic universos amplectitur, ac neminem respuit, qui pie christianeque vivat, hoc est fidelis qui sit, et fidem integram præstet, quæ fundamentum est pietatis. Nam quod satis esse putat homini Christiano quæ sunt ad salutem necessaria credere, captiose, et ambigue loquitur. Si enim id eatenus interpretatur, ut ea scire, et explicate ac distincte nosse sufficiat, quæ ad salutem sunt necessaria; vere istud dicitur, si quidem de idiota, et imperito homine sermo sit. (Nam plerisque ipsa gradus ordinisque conditio notitiæ cujusdam exquisitioris affert necessitatem). Sin illud intelligit sic, ut in iis tantummodo, quæ ad salutem sunt necessaria, Ecclesiæ auctoritatem sequi oporteat, in cæteris etiam contra illam sentire, eique adversari liceat; vehementer errat. Perinde enim est, ac si quis dicat, in iis, quæ ad salutem pertinent, Scripturæ adhibendam esse fidem, in aliis dissentire fas esse. Velut in præteritarum rerum narrationibus, et historiis, quæ nostra nihil interest, hoc modo, an secus evenerint. Quod falsum et impium esse dictu, Christianus nemo dubitat. Quamobrem multa, quæ in Scriptura, vel in Ecclesiasticis dogmatibus continentur, ignorare salva pietate et catholica communione possumus. Quippe, ut recte Prosper *adversus ingratos* capite xxxv, cecinit.

« Multa etenim bene tecta latent, nescitaque [prosunt,
Dum mansueta fides quædam dilata mo- [deste
Sustinet, et nullo ignorat non edita damno. »

Verum contradicere, ac pro falsis habere quæ utrobique traduntur, sine grandi scelere, ac fidei salutisque jactura non possumus, « Cum enim principium verborum Dei veritas sit, (ait Ambrosius in *Psalmum* cxviii, octon. 21,) veritas utique fidei firmamentum est. Primum etenim oportet, ut credamus, vera esse Dei summi, quæ in Divinis scripturis legimus oracula. » Nec minus vera sunt, et ab iis credenda, qui doceri ab Ecclesia norunt, quæcumque illa prædicat, cujus auctoritate, ut Evangelio, Scripturisque adeo crederet omnibus, commoveri se fatetur Augustinus in libro *contra Epistolam Fundamenti* capite v.

Tertia denique causa, cur ab communione partium, si quando dissidia nata sunt, abstinere aliquis possit; uti dissidentibus charitatis officia præstet; absurda est, si partium illarum una sit vera et catholica Ecclesia, cujusmodi ab auctore dissertationis intelligi par est, nisi frustra conflictari tota illa Disputatione velit. Quis enim, nisi demens, aut atheus, studio commodandi alienatis ab Ecclesia catholica, vel hæreticis vel schismaticis, licere sibi putet ab illius communione recedere; et quo nihil formidandum magis esse dicit Augustinus tractatu *in Joannem* xxvii, id sibi sponte voluntateque arcessere, ut se ab Christi corpore sejungat? Quis aut Petro Apostolo sapientior, aut majoris spe utilitatis induci potest quam præ se ferebat ille, dum tantisper non ab Ecclesiæ catholicæ, sed ejus partis cujuspiam communione, hoc est ab gentibus Christianis *subtrahebat, et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant*[1]? At is ob eam simulationem merito est a Paulo reprehensus; qui se illi *in faciem restitisse* ait *ad Galatas* scribens, cap. xi, *quia reprehensibilis erat*. Si reprehensione dignus est, qui ab alicujus partis ecclesiæ communione abstinet, ut alteri ejusdem ecclesiæ parti consulat; credo, reprehensionem is effugiet, qui ut adversariis Ecclesiæ commodet, ab totius se hujus communione divellit. Non erit opinor; neque sub illa specie quisquam ab communione sacramentorum, ac symbolorum abstinens, sola interiori, et occulta fide potest Catholicus esse contentus. Quoniam et « *qui meeum non est,* ait Christus[2], *contra me est*; et, ut Apostolus dicit[3], *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, etc, *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est*[4]. Quibus locis, aliisque sexcentis externæ fidei professionis necessitas imponitur, quæ in usu sacramentorum majori ex parte; in externa autem cum Ecclesia catholica communione tota consistit.

1 *Gal.* ii, 12. — 2 *Luc.* xxii, 23. — 3 *Rom.* x, 10. — 4 *Matth.* x, 33.

CAPUT V.

De duplici Scripturæ loco : altero Joannis sexto, in quo usus Eucharistiæ præcipitur : altero Joannis tertio, ex quo Baptismi necessitas adstruitur. Uterque falso ab Dissertationis auctore acceptus. Sine baptismo parvulos in æternum perire.

Duo sunt ex tota dissertatione Scripturæ loca reliqua, quibus, quoniam externa illa, quam dixi, professio communioque sacramentorum, tanquam necessaria, præscribitur; ideo dissertationis hæc auctor ab vero, et germano sensu detorquere conatus est.

Primus est *Joannis* VI, 53 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quibus verbis præceptum dedit fidelibus vescendi corpore suo, ac bibendi sanguinis sui. Ita veteres omnes hunc locum interpretati sunt, et Catholici recentiores, paucissimis exceptis. Porro Lutherus ; deinde Calvinus ex hæreticorum grege ab communi, et antiqua; et verissima illa sententia deflexere, ut de fide, ac spirituali alimonia potius intelligerent, quam tum consequimur, cum in Christum, ejusque passionem, ac resurrectionem credimus. Plerique tamen ex amborum discipulis, qua scientes, qua imprudentes in communem incidunt, dum ex hoc eodem loco Catholicos urgere se putant ad usum calicis promiscue omnibus permittendum. Neque enim locus alius est, ex quo illius necessitas tam perspicue suaderi possit.

Non ero longior in hac re disputanda, quæ alterius et otii est, et instituti. Complures eam tractavere cum Interpretes, tum propriis scriptis theologi, interque cæteros Maldonatus erudite in hoc argumento versatus est in commentariis ad illum locum. Nec dissentit Augustinus ; quod dissertatio putat. Sed in hujus, aliorumque Patrum explicandis locis immorari piget ; quod illi, in quos digitum intendi, plenis commentariis occuparunt.

Nam quod dissertationis objicit scriptor, ex illo loco antiquos perperam colligere solitos, usum Eucharistiæ etiam infantibus esse necessarium, primum in eo ipso pugnantia loquitur. Non enim ita concluderent veteres ; nisi de *symbolorum Eucharisticorum*, ut ipse vocat, usu, ac *reali* manducatione Christi verba illa caperent. Atqui Augustinum auctorem allegat idem contrariæ interpretationis quæ de sola fide istic agi censet, cum tamen ejus opinionis, quæ parvulis necessariam esse Eucharistiam constituit, acerrimus contra Pelagianos patronus ille fuerit, ut in libro *de Peccat. mer. et remiss.* cap. XX, et epistola CVII, et aliis in locis. Deinde vel iste ipse conflictus antiquorum arguit, quam non cujusvis sit Scripturarum interpretari sensum, ac fidei illius ex verbis dogma concludere ; ac si τὸ ῥητὸν præcise spectemus, neque in ejus pronuntianda sententia ex Ecclesiæ auctoritate pendeamus, quam proclivis in errorum præcipitia sit lapsus. Uno verbo ; neque nos illis Christi verbis præceptum putamus editum fuisse dandæ parvulis Eucharistiæ ; non magis, quam amentibus, ac furiosis ; et tamen de *reali* sacramenti (ut vocant) usu illa eadem interpretamur ; qui usus ex Ecclesiæ more, ac judicio, non pro cujusque arbitrio, ac libidine moderandus est. Neque enim si nihil expresse Christus de tempore participandæ Eucharistiæ, ac modo præcepit, ideo cuilibet fas est sibi, quam velit, illius usurpandæ regulam præscribere. Imo vero communis omnium matris Ecclesiæ pro lege amplectenda est auctoritas, uti censet Augustinus in epistola LXXXVI. « In his, inquit, rebus, de quibus nihil certi statuit Divina scriptura, mos populi Dei, et instituta majorum pro lege tenenda sunt ; » ac tantum abest ab eo, ut ecclesiasticas sanctiones, ac scita majorum inter ἀδιάφορα referri sinat, quæ cuivis observare, aut omittere pro libito fas sit, ut « sicut prævaricatores divinarum legum , ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendos esse sentiat. » Cui et Basilius adstipulatur in epistola *ad Amphilochium*. Et in libro *de Spiritu S.* capite XXVII, ubi pleraque dogmata Ecclesiæ, sine scripto , traditione sola constare dicit, maxime illa, quæ ad usum sacramentorum attinent, quæ majores nostri minus litteris commendarunt. « Recte, inquit, edocti, religiosa sacramentorum arcana silentio conservari. Nam quæ ne aspicere quidem nondum initiatis licet, qui tandem consentaneum erat eorum disciplinam litteris publice traducere [a]? » Egregius omnino locus,

Verba.

Indifferentia.

Secretum mysteriorum olim servatum.

[a] Καλῶς δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι, ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς

et ad dissertationis confutandam rationem aptissimus, quæ pro eo quod de usu symbolorum eucharisticorum nihil expresse Christus edixerit, aut in Scripturis proditum extet, Christianos ad simplicem illam, rudemque disciplinæ formam revocat, et pro cujusque arbitrio ab communione totius Ecclesiæ, communionisque tessera, hoc est participatione Sacramentorum abstinere permittit. Quid enim aliud facit, cum jutissimam esse causam hanc intermittendæ communionis cum Ecclesia catholica demonstrat, ut «liberius exerceri possint Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes,» utique enim nunquam *justissima* illa causa deerit, quia perpetuo qui ab Ecclesia dissideant, futuri sunt hæretici ac schismatici, quorum salus et conciliatio tanti esse debeat, auctore Dissertatione, ut communionis cum Ecclesia, ac salutis adeo propriæ jactura recuperanda sit. Sic non optare solum cum Apostolo Paulo, *si fieri posset*, εἰ ἐνεχώρει, εἰ ἐνεδέχετο, ut Photius, aliique Græci interpretes exponunt, sed reipsa se anathema facere, et ab Christo, ejusque corpore sejungi non *pro fratribus*, sed pro extraneis, et hostibus, *justissimum* esse Dissertationi videtur; pro iis, inquam, quos idem Apostolus αὐτοκατακρίτους *proprio judicio condemnatos* appellat in ea, quæ est *ad Titum* III, 2, quosque *post unam et secundam correptionem devitandos* admonet. Quanto tutius est in illa ipsa manere, si in ea est adhuc, Ecclesia; si non est, ad eam adjungere sese; ab illius communione ne punctum quidem temporis recedere; illam denique magistram, et Scripturarum, et traditionum custodem, et interpretem auscultare; cui condendarum legum, et ut iis obtemperent, cogendorum fidelium potestas divinitus est facta? Nisi forte illud nobis excidit, quod Apostolus *ad Romanos* scribit cap. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Neque enim adeo quemquam insanire puto, ut quod Apostolus de observandis gentilium principum legibus et edictis, velut Neronum, ac cæterorum Christiani populi carnificum, sanxit, quibus non metu solum, sed etiam *propter conscientiam* parendum esse decernit; idipsum non ad spirituales, ecclesiasticasque potestates multo magis accommodandum censeat, quæ et potestates sunt, et ex eodem divinæ auctoritatis fonte manarunt. Nam, *Qui vos audit, me audit* ait Christus *Lucæ* X, 16, *et qui vos spernit, me spernit.* Et, *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Matth.* XVIII, 17.

In Ecclesia manendum.

Habet autem vim legis præscriptique fidei, non expressa tantum imperantis Ecclesiæ auctoritas, sed usu, ac voluntate illius corroborata consuetudo, ac traditio, ut iidem paulo a me ante citati Patres asserunt, Basilius, et Augustinus, tum Eusebius Cæsariensis lib. I *de Demonstratione* pag. 20. Gregorius Nyssenus libro III, cap. IV. Porro in eo, de quo modo agitur, usu sacramentorum, et communione, nec non in Christi verborum apud Joannem interpretatione, utrumque convenit, et traditio consuetudoque, et viva Ecclesiæ vox, conciliorumque decreta, «quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas ait Augustinus epistola CXVIII, quibus quidem qui resistit, Dei ordinationi resistit;» tantum abest, ut injussu Ecclesiæ, imo renitente, ac vetante illa, κατ' οἰκονομίαν, καὶ συγκατάβασιν, aut cujuscumque spe lucri, atque commodi ejusmodi aliquid usurpare liceat. Quid enim absurdius est, quam istud ipsum, quod pœnæ loco adversus delinquentes, Ecclesiæ conciliorumque decreta constituunt, ut aliquanto tempore a communione fidelium, et participatione sacramentorum abstineant, sibi hoc quemque sponte sua, ac citra ullum crimen imponere? Sed de hac re plus satis.

Secundum œconomiam et condescensionem.

Superest locus alter ex *Joannis* capite III, 5, ex quo baptismi necessitas ostenditur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quem locum de Baptismi sacramento Catholici omnes accipiunt, ut et veteres omnes, præsertim qui adversus Pelagianos scripserunt, qui, quod isti negabant, cum originali peccato nasci parvulos, et, nisi gratia Mediatoris per Baptismi sacramentum reipsa susceptum succurreret, ituros in æternam damnationem, iisdem ex illis verbis docuerunt. Quod in omnibus libris accuratissime testatur Augustinus, quibus illam oppugnavit hæresim. Idem et Prosper, et Fulgentius aliique tradunt, quos commemorare longius sit, et, quod caput est, plenaria concilia, ac tota deinceps Ecclesia constantissime hactenus tenuit. At dissertatio

Expenditur locus Joannis: Nisi quis renatus fuerit ex.

ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασι.

errorem hunc vocat, putare vel in illo Joannis loco agi de Baptismi sacramento, quod in aqua confertur, vel parvulos sine eo æternis pœnis obnoxios esse. Quasi Christianus ullus ab Augustini præsertim sæculo, ac post auditum Pelagianæ nomen hæresis, aliter senserit, aut scripserit, aut de eo vel levissimam dubitationem habuerit.

Quinetiam longe ante Augustinum, ac Pelagiana tempora, idem tradidit Cyprianus, quem contra Pelagianos testem citat Augustinus libro tertio *de Peccat. merit. et remis.* cap. v. Sic enim ille in epistola *ad Fidum,* quæ est LIX, interrogatus, utrum Baptismus parvulis ante octavum diem dandus esset, minime differri oportere respondet, ne illorum anima pereat. « Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare*; quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est. » Perituræ igitur infantium animæ sunt, nisi baptismi illis unda succurrerit. Unde vero pernicies animis hæc incidat, postea declarat, et originalis peccati labem detegit his verbis: « Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a Baptismo, atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? » Idem et in plenario totius Africæ concilio sancitum est canone II, ex iis, qui Milevitanæ secundæ synodo perperam inscribuntur, cum sint Carthaginensis, ut ex Cœlestini Papæ epistola ad episcopos Galliæ constat. Et ante hoc concilium, duo alia provincialia istud ipsum decreverant; Carthaginense, cujus exstat synodica, quæ in Augustini epistolis est XCI, ubi inter cætera Patres, « Parvulos etiam, inquiunt, propter salutem, quæ per salvatorem Christum datur, baptizandos negant: ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam. » Et Milevitanum: cujus item synodica, quæ apud Augustinum est XCII, sic habet: « Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt. » Nec illustre cum primis ejusdem Augustini testimonium ex infinitis, ut constat, omiserim; qui in sermone XXXIII *de diversis*, miraculum insigne refert infantis nondum baptizati, sed adhuc catechumeni, sancti Stephani meritis ad vitam excitati; itaque scribit: « Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium Catechumenum infantem lactentem. Quæ cum vidisset amissum, et irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quam mater. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro sæculo; et hanc sibi ablatam, et periisse plangebat, » etc. Vides ut infantem nulla sua culpa irretitum, atque etiam parentum fide, ac pietate, si quid ea, sine Baptismo posset, adjuvandum utique, hoc est cathechumenum, quia Baptismo carebat, *amissum et irreparabiliter perditum* affirmat Augustinus. Unde autem hæc Baptismi necessitas ad parvulorum salutem, nisi ex illo Joannis loco, de quo agimus, ab illis colligitur? Declarat id Augustinus idem cum aliis in locis, tum in epistola CV, sub finem: « Sicut ergo audiunt Dominum dicentem. *Qui non renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*; propter quod eos baptizandos esse concedunt, » etc. Tum libro I *de Peccat. mer. et remiss.* capite XX. Eadem est et cæterorum Patrum, consentiensque doctrina. Itaque Molinæi ministri notanda hoc loco est inscitia, qui in *Clypeo Fidei*, Parte II, sect. XIX, pro magno absurdo catholicis Romanis hoc objicit; quod ita doceant, absque Baptismi remedio, in æternum perituros esse parvulos. Quod profecto nunquam exprobaret, neque in tam trita, et usitata re peregrinaretur, si quid Augustinus, quid ecclesiastica antiquitas, et historia, quid theologia denique sit, vel minima ex parte cognosceret. Sed de hac re plenius alias: quam hic obiter, et ut dissertationis auctori satisfieret, paucis perstringendam habuimus.

EMINENTISSIMO S. R. E. PRINCIPI

ARM.-JOANN. DE RICHELIEU

CARDINALI DUCI FRANCIÆ PARI.

Dum tu regni totius administrandis negotiis; ac tum bello perdomandis hostibus; tum proferendis imperii finibus, Christianissimo Regi, Gallicoque nomini necessariam, et gloriosam navas operam, Eminentissime Cardinalis, erunt forte, quibus ego te alienô tempore, ac nimis parva de re interpellare videar. Sed illi solum ita suspicabuntur, qui te nondum perspectum satis habent: aut hujus, quod a me tibi offertur, æstimatores boni propter inscitiam esse nequeunt. Nam imprimis quibus usu aliquo cognitus es, cum cætera, quæ in te rara vident, et eximia, mirantur: tum illam vero incredibilem, ac per omnia pertinentem ingenii vim: quam nulla quantacumque vel rerum magnitudo superat, vel multitudo confundit: sed sic infra se, et in potestate habet universas, uti singulis sufficiat, quamlibet minutis: neque majorum procuratio, minorum, curam, cogitationemque restinguat.

Laus est ista magnarum mentium, ac virorum propria principum, quos hominibus regendis, imperiisque moderandis divina ex æterno sapientia destinavit, quorum in animis imitationem illam sui, ac similitudinem expressit, « Omnes enim (ut in primo de Providentia recte dictum est a Salviano) etiam religionis expertes, et quadam necessitate compulsi, et sentiri omnia a Deo, et moveri, et regi dixerunt; qui et sentiat omnia per subtilitatem, et moveat per fortitudinem, et regat per potestatem, et custodiat per benignitatem. » Hæc quanta sit in te omnium capacis, ac per cuncta diffusi virtus animi, tot illa, tantaque per te publice ac privatim et solerter excogitata, et sapienter provisa, et consilio explicata, et feliciter confecta testantur. Quæ quidem nos dum quotidie cernimus, facile oculis ipsis fidem habemus: posteri autem cum in annalibus legent, multorum opera, et industria integro sæculo geri potuisse, vix: ab uno vero paucis annis designata perfectaque esse, profecto non credent. Quamobrem nihil est, quod eo nomine cunctari me oporteat, aut cujusquam reprehensionem vereri, tanquam hæc mea compellatio publicis ab negotiis, et cogitatis te tuis avocarit.

Illud porro alterum, ne adeundi tui causa sit leviôr, minimeque te digna, multo etiam formidandum est minus: nec nisi ab imperitis, ut dixi, judicari sic potest. Etenim vel hoc ipsum conciliandæ bonitati tuæ fuerat satis, quod universe de litteris, ac doctrinis tecum ageretur; quarum ad singularem usum, ac scientiam, incredibilem etiam amorem adjunxisti, adeoque constantem, ut in assiduis gravissimisque tuis occupationibus illarum interponas studia. Nunc illud præterea versatur in medio disciplinarum genus, cui tu præ cæteris addictus es, divinarum et sacrarum: quas nemo indignas excellenti tua amplitudine, nisi ejus ipsius odio dignissimus, putet. Plura de hoc, disputando prosequi, ac meam adeo causam perorare vehementius licebat; si id necesse foret, aut non ejus, quem nomini inscripsi tuo, brevitas libri, longiore uti præfatione prohiberet.

Quod igitur summatim, ac paucis de hoc argumento complecti possum, id sic est. Mihi dum tu, Cardinalis Eminentissime, contra regni hujus hostes fortiter bellum geris, adversus

hostem Catholici oppugnatoremque nominis certamen isto in libro suscipitur. In quo primum episcoporum tuenda potestas, ac dignitas fuit; quam ille scripto pestilente, ac novo, et inaudito commento violavit. Tum varia Ecclesiæ propugnanda dogmata, quorum elevare fidem, ac labefactare calumniis suis idem est ille conatus. Hujus itaque te mei communem in causam officii, operæque fautorem, ac controversiæ arbitrum delegi. Non enim digniorem, aut idoneum magis optare potui. Primum qui et episcopus ipse sis, et hujus ordinis princeps; deinde qui ejus, unde lis ista nascitur, hoc est theologicarum, catholicarumque rerum apprime sis peritus; ac demum is hodie vivas, cujus in tutela et auctoritate tum ille ipse amplissimorum ordo præsulum, tum Ecclesiæ hoc in regno catholicæ salus, ac splendor acquiescit.

Quocirca spero equidem, quæ mihi nuncupandi tibi hujus operis causæ justissimæ, ac necessariæ fuerunt, easdem ad hoc apud te valituras esse, ut et audaciæ ignoscas meæ, et illud delatum tibi patrocinium non æquo solum, sed etiam prolixo, ac benevolo animo recipias.

Emin. A. T.

Deditissimus Dionysius Petavius

Societatis Jesu.

AD CATHOLICUM ET ERUDITUM LECTOREM

PROŒMIUM

Superiore anno, cum priorem *ad Timotheum* Pauli epistolam auditoribus enarrarem meis, ac de episcopis, et presbyteris nescio quid commentarer; cujus inde pertractandæ quæstionis occasio esse solet, allata est in hanc urbem Lugduni edita Batavorum *Dissertatio de fenore Trapezitico* comprehensa libris tribus. Hanc cum in manus sumpsissem, reperiebam, μεῖζον illic ἔργου esse τὸ πάρεργον : ac plurima interspersa rerum ecclesiasticarum, ac divinarum capita, quæ passim alieno tum loco, tum instituto, operis illius auctor inferserat. Inter hæc vero mihi in oculos incurrit de eodem illo, quod meditabar, argumento satis longa disputatio, qua id probare satagit, nullum ab origine prima, vetustisque, et Apostolicis ecclesiæ temporibus, ac deinceps diu fuisse discrimen episcopos inter et presbyteros. Accedunt et alia ejusdemmodi complura, quæ partim ad minuendam, et labefactandam amplissimi illius Ordinis dignitatem, auctoritatemque spectant; partim adversus alia comparantur catholicæ religionis, ac fidei dogmata. Non enim tecte, ac dissimulanter scriptor iste grassari, et Catholico nomini bellum instituit facere, sed palam et aperte se Romanæ communionis inimicum professus, multa et in summum pontificem, et in ordines cæteros impie jactat, ac nefarie. Hujus adeo (ut, quocum mihi suscepta dimicatio est, specimen aliquod hic exstet) verba sunt ista in præfatione operis : « Hoc restabat scilicet (inquit contra theologum nescio quem ex eodem genere disputans) ut etiam fermentum hic Papisticum mihi objiceretur ab illo, qui scire potuit, ac debuit, me longissime abesse ab ista ζύμη. » Et alibi : « At Romani pontifices, ubi contempta, ac spreta paupertate, et humilitate Apostolica, non solum supra collegas suos ambitiosum caput extulerunt, sed etiam supra ipsa concilia auctoritatem, ac potestatem suam evexerunt. » Item illud : « Pontifices Romani imperio Occidenti potiti, τὸ βαρὺ illud φορτίον injecerunt humeris miserorum Christianorum, pietatis ac sanctitatis prætextu; sed cui vera causa fuit, potentiæ suæ promovendæ cupido, et jurisdictionis civilis usurpandæ. » Mitto alia contra eumdem Romanum pontificem, et episcopos, ac minores clericos dicta eodem veneno, ac felle oblita : quæ non modo alienum ab catholicis castris hominem demonstrant, sed hostem etiam illorum acerrimum et quoquomodo vexare illa, et oppugnare gestientem. Sed nihil peræque ejus animum, et sectæ institutum detegit, ac dispersa illa, uti jam dixi, per totum opus dogmata, ut catholicis contraria decretis, ita Calvinianæ hæresi, ac sectæ consentanea.

Majorem operis partem esse quod præter opus.

Fermento.

Grave illud onus.

Quæ me res adduxit, ut contra novum hunc dogmatisten, sed theologicarum, ecclesiasticarumque rerum haud satis peritum, ejus, cui obtrectabat ille, patrocinium causæ caperem; ac selectas ex istius libro quæstiones aliquot mandarem huic lucubratiunculæ; præsertim vero illam ipsam, cujus in meditatione commodum hærenti mihi *Trapeziticum* illud opus oblatum esse dixi.

Ab hac igitur de episcopis et presbyteris inquisitione disputandi sumam initium. Et primum, quid de illa privatim ipse sentiam, exponam; tum contra Trapezitici fenoris patronum (appelletur enim deinceps a nobis hoc nomine, ab eo titulo, quod in fronte operis inscripsit) stylum, et orationem convertam. Hujus porro mihi operæ, ac studii, si nullus erit alius, certe ille constabit fructus, ut tam iste, quam similes alii scriptores, qui de quaque re quidvis eloqui, et in lucem proferre fas esse sibi putant, id non semper impune haberi sentiant; sed ad scribendum ita parati, ac meditati esse meminerint, tanquam qui sciant de iis, quæ scripserint, ac de πολυλογίᾳ sua, vicissim ἀειλογίαν, hoc est *perpetuum reddendæ rationis onus* a se esse susceptum.

Multiloquio.

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU

DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBRI DUO

IN QUIBUS DE EPISCOPORUM DIGNITATE, AC POTESTATE; DEQUE ALIIS ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS DISPUTATUR.

LIBER PRIMUS.

QUI EST DE EPISCOPIS, ET EORUM JURISDICTIONE, AC DIGNITATE

CAPUT PRIMUM.

In quo status quæstionis exponitur. Pauli Apostoli loca quædam, ex quibus inter episcopos et presbyteros nullum fuisse discrimen videtur. Variæ antiquorum in illis interpretandis sententiæ, Chrysostomi, Theodoreti, Epiphanii expenduntur : ac præsertim Hieronymi, qui omnium difficillimam habet rationem.

Fueritne temporibus Apostolorum distinctus ab episcopo presbyter, cum antiquissima est, tum non omni ex parte hactenus explicata quæstio. Difficultatem arguit opinionum de ea conflictus, nec non hominum alioqui doctissimorum, etiam veterum, parum secum, et cum rei veritate congruens assertio; ut in integro propemodum adhuc posita res, locum ingeniorum exercitationi, et industriæ reliquerit. De hac controversia visum hic nobis est agere; quod idem confido fore, atque et illorum, qui in divinas artes incumbunt, prodesse studiis, et catholicæ causæ, pro virili parte, opis aliquid, ac lucis afferre. In quo primum omnium disputationis totius, quod caput sit, et quod Græci τὸ κρινόμενον, vocant, exponendum videtur.

Loca Scripturæ quæ nullum episcopos inter et presbyteros discrimen admittere videntur.

Præcipuam dubitandi causam continent Apostolica scripta, quæ ita de episcopis, ac presbyteris loquuntur, ut utrosque eodem habere loco, ac nihil inter illos discriminis statuere videantur. In *Actis Apostolorum*, capite xx, 17, Paulus *a Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ, Presbyteros Ecclesiæ*[a]; primum numero plures in unius civitatis ecclesia; deinde eosdem episcopos. Nam commate 28 sic eos appellat. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei*[b]. Rursus in priore *ad Timotheum*, capite iv, 14. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Atqui, ut argumentatur Theodoretus, presbyteri simplices manus non imponebant. Itaque hic episcopi cum hoc et Chrisostomo intelligendi sunt. Ad hæc Paulus idem epistolam *ad Philippenses*, episcopis, et diaconis inscribit, nullo inter ambos interposito ordine. Item in priore *ad Timotheum*, capite tertio, postquam episcopis præcepta dedit a commate 2

a *Acta Apost.* cap. xv, v, 17. Μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας.

b Ibid. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ.

ad 8, deinceps diaconis officium præscribit, nulla interjecti gradus mentione facta.

Theodoreti explicatio oppugnatur

II. His de causis Theodoretus in caput secundum epistolæ *ad Philippenses*, et in caput tertium prioris *ad Timotheum* existimat, Paulum appellasse presbyterum eum, qui episcopus esset. « Verum, quod jam dixi, ait in commentariis in epist. II *ad Timotheum*, eosdem olim presbyteros appellabant, et episcopos. Quos autem episcopos hodie nominant, Apostolos vocabant. Procedente deinde tempore, Apostolatus nomen iis, qui vere Apostoli dicti sunt, reliquerunt; episcopatus autem appellationem iis imposuerunt, qui quondam Apostoli nominabantur[a]. » In hac Theodoreti oratione nonnulla sunt parum scripta probabiliter, et quæ secum ipsa manifeste repugnant. Olim, inquit, iidem vocati sunt episcopi et presbyteri; qui autem nunc dicuntur episcopi, eos nominabant Apostolos, etc. Hæc vox, *olim*, tempus illud indicat, quo Apostoli Christi, et eorum unus vivebat, atque ista scribebat Apostolus Paulus. Quæro igitur, cum ita Theodoretus ait, eosdem tunc appellatos esse episcopos, et presbyteros, quæ sit utrique nomini, *episcopi*, ac *presbyteri* subjecta notio; hoc est, an episcopum intelligi oporteat, qui hanc ipsam, quæ sic hodie nominatur in Ecclesia, dignitatem tenuerit, ut idem et presbyter vocatus sit; an duo ista vocabula, episcopus et presbyter, unius illius appellationes fuerint, qui *Antistes erat ordine in secundo*, ut loquitur Sidonius : id est sacerdotis simplicis, ac presbyteri, qui secundas post episcopum obtinet. Horum alterutrum existimasse Theodoretum necesse est; et tamen neutrum sibi ad respondendum integrum reliquit. Fac enim respondeat, quod primum posui : episcopos, et presbyteros appellatos esse, qui nunc episcopi sunt, omnium ordinum primates; quid Apostolis faciet, quos eosdem fuisse vult cum hodiernis episcopis? An iidem et Apostoli, et episcopi, et presbyteri fuerunt? Id quidem consequens est, si primum istud dixerit, hoc est si presbyteri et nomine et re iidem erant cum episcopis, quos proprie nominamus. Sed eo jam erit sibi ipse contrarius, qui ab episcopis Apostolos disjunxit; tum isto ipso, quod attulit, testimonio refelletur. Nam *Actorum* XV, 25, scribunt ex Hierosolymitano concilio οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι. Non iidem ergo erant Apostoli, quos tunc episcopos fuisse putat, et presbyteri. Sin quod est posterius, eligat, ut Apostolos episcopali gradu fuisse præditos affirmat; episcopos vero, et, quod idem erat, presbyteros pro sacerdotibus secundi ordinis habitos; non minus ipse secum, et cum Apostolo pugnabit. Hic enim episcopi nomen, et episcopatus, in capite tertio prioris *ad Timotheum*, pro summo gradu posuit; idque ipse Theodoretus agnoscit. Atqui non episcopi, vel episcopatus nomina, sed Apostoli, et apostolatus adhiberet, si nondum episcopi summæ dignitatis antistites vocati erant, sed Apostoli.

Apostoli et presbyteri.

Quid quod *Actorum* XX, 17. Paulus convocasse legitur τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας; quos eosdem commate 27 ἐπισκόπους vocat, et pastores a Deo constitutos? Non alios ergo fuisse consentaneum est, quam primi ordinis; adeoque quos tum Apostolos appellari solitos existimat.

Presbyteros ecclesiæ. Episcopos.

Prorsus itaque inextricabilis illa est Theodoreti sententia; qui sic verius dicere potuit, episcopos et presbyteros summæ dignitatis, hoc est episcopalis, nomina fuisse; Apostolos autem non omnes episcopos esse dictos, sed eos tantum, qui aut veri erant Apostoli, et episcopatu majorem, et ampliorem potestatem habebant; aut qui prædicandi ubique Evangelii functione veros imitabantur, qualis Epaphroditus, et si quis alius, fuisse putandus est; falsum est autem Apostolorum nomen episcopis omnibus fuisse commune.

Explicatio Chrysostomi

III. Chrysostomus homilia prima in epistolam *ad Philippenses* rationem reddit, cur Paulus *ad Philippenses* scribens, epistolam suam inscribit συνεπισκόποις, καὶ διακόνοις, omisso interjecto presbyterorum ordine. « Quid hoc, inquit, rei est? An unius civitatis plures erant episcopi? » « Nullo modo, inquit, Verum presbyteros vocavit sic. Tunc enim nomina invicem communicabant, et diaconus dicebatur episcopus[b]. » Negat plures ejusdem episcopos urbis fuisse; ac dicit episcopos

Coepiscopis et diaconis.

a THEODORETUS. Ἀλλ' ὅπερ ἔφην, τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ πρεσβυτέρους, καὶ ἐπισκόπους. τοὺς δὲ νῦν καλουμένους ἐπισκόπους, Ἀποστόλους ὠνόμαζον. τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, τὸ μὲν τῆς ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς ἀποστόλοις κατέλιπον· τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν.

b CHRYS. Τί τοῦτο; μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; Mox respondet : Οὐδαμῶς. ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι· καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο.

nominatos fuisse presbyteros; imo etiam diaconos. Quare videtur existimasse Chrysostomus, συνεπισκόπους non esse episcopos proprie dictos, sed simplices presbyteros, quos tunc episcopos appellare mos fuit. Ideo paulo post concludit ita. « Quod igitur jam dixi, etiam presbyteri olim appellabantur episcopi, et diaconi Christi, et episcopi presbyteri. Unde nunc etiam multi compresbytero, et condiacono scribunt episcopi[a]. » Eadem fere Œcumenius, et Theophylactus in commentariis expresserunt; quorum summa fit : episcopos ibi vocari simplices presbyteros, quod tunc promiscua, et utrisque communia essent nomina, ut et episcopi vocarentur presbyteri, et diaconi episcopi. Atque iis suffragatur commentarius, qui vulgo inscribitur Hieronymo, in epistolam *ad Philippenses*. Hic enim sic ad illum locum epistolæ istius adnotat : « Hic episcopos, presbyteros intelligimus. Non enim in una urbe plures episcopi esse potuissent. » Et ad caput III epistolæ prioris *ad Thimotheum*, cur post episcopos non meminit presbyterorum, causam hanc affert : « eos in episcoporum nomine comprehendit, quia secundus; imo pene unus est gradus; » quæ totidem verbis in Primasii commentario leguntur.

Coepiscopos

IV. Atque idem Chrysostomus homilia XI in priorem *ad Timotheum* quærit, cur post episcopis data præcepta, Paulus, nulla mentione facta presbyterorum, statim ad diaconos transeat : ac respondet, presbyteros idcirco præteriri, quod eadem fere sit horum, atque episcoporum ratio. « Sola, inquit, impositione manuum superant, et hoc uno videntur excellere presbyteros[b]. » Quem et more suo Œcumenius, ac Theophylactus assectantur. Horum itaque consensus omnium est, episcoporum, ac presbyterorum distinctos in Ecclesia fuisse ordines; et qui a Paulo presbyteri nominantur, eos revera sacerdotes fuisse simplices, qui et episcopi vocabantur. Chrysostomo ita sentiendi, interpretandique causam dedit vetus Ecclesiæ mos, ac disciplina canonum sancita decretis, quæ unicum in quaque civitate constitui episcopum jubebant, ut est in canone octavo Nicæni concilii.

Cur Paulus omittat presbyteros.

Verum huic sententiæ obstat ille *Actorum* vicesimi capitis locus, ex quo efficitur, in Ephesina ecclesia plures fuisse episcopos. Nam Miletum cum pervenisset, mittens Ephesum μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Atqui presbyteri illi vere erant episcopi, ut eos vocat commate 28, tum inde patet, quod si meri sacerdotes fuissent, summi antistitis, hoc est, episcopi inter ipsos utique meminisset, eique potissimum commendasset Ecclesiam. Ad hæc in epistola *ad Titum*, capite I, 5, ait, se Titum in Creta reliquisse, ut constituat per civitatem quamque presbyteros, quos quidem commate 7 vocat episcopos, et 9 sane proprie dictos; ut ex eo colligas, quod ejusdem plane sunt generis, cujus illi, de quibus capite tertio prioris *ad Timotheum* meminit. Siquidem eadem formula, et iisdem propemodum verbis de illorum institutione præcipit. Igitur presbyteri nonnunquam episcopi veri dicti sunt, et in eadem civitate plures exstiterunt.

Convocavit presbyteros Ecclesiæ.

V. Epiphanius in hæresi LXXV quæ est *Arianorum*, N. V. nodum illum, qui ex Apostoli locis oritur, ita dissolvit : Cum adhuc recens esset, inquit, Christiani dogmatis prædicatio, non ubique presbyteri simul, et episcopi creabantur; sed alibi soli presbyteri, alibi episcopus duntaxat. Ubi enim nemo dignus episcopatu reperiebatur, presbyteri constituebantur, per quos et diaconos ecclesiæ regerentur, quæ sine duplici hoc ordine constare nequeunt. At ubi unus tantummodo ad episcopatum idoneus occurrebat, neque plurium erat copia, quibus presbyteratus mandaretur; tum solus adhibebatur episcopus. Quare Apostolus, pro re nata, et ut status erat earum civitatum et ecclesiarum, ad quas scribebat, ita loquebatur : Νέου ὄντος τοῦ κηρύγματος, πρὸς τὰ ὑποπίπτοντα ἔγραφεν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος. ὅπου μὲν ἦσαν ἐπίσκοποι ἤδη κατασταθέντες, ἔγραφεν ἐπισκόποις, καὶ διακόνοις. οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ ἀπόστολοι καταστῆσαι. πρεσβυτέρων γὰρ ἐγίνετο χρεία, καὶ διακόνων. διὰ γὰρ τῶν δύο τούτων τὰ ἐκκλησιαστικὰ δύναται πληροῦσθαι. ὅπου δὲ οὐκ εὑρέθη τις ἄξιος ἐπισκοπῆς, ἔμεινεν ὁ τόπος χωρὶς ἐπισκόπου. ὅπου δὲ γέγονε χρεία, καὶ ἦσαν ἄξιοι ἐπισκοπῆς, κατεστάθησαν ἐπίσκοποι. πλήθους δὲ μὴ ὄντος, οὐκ εὑρέθησαν ἐν αὐτοῖς πρεσβύτεροι κατασταθῆναι, καὶ ἠρκέσθησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ ἐπισκόπῳ*. Hæc Epiphanii

Item Epiphanii expositio.

b Chrys. Ὅπερ οὖν ἔφην, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιόν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ χριστοῦ, καὶ οἱ ἐπίσκοποι πρεσβύτεροι. ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ ἐπίσκοποι γράφουσι, καὶ συνδιακόνῳ.

c Idem. Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνῳ δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.

* Hunc Epiphanii locum Græce tantummodo exhibuit auctor : Latinam hic versionem adtexemus.

« Cum adhuc recens esset prædicatio, pro circumstantiis scribebat sanctus Apostolus, ubi erant episcopi jam consti-

narratio vera est ipsa quidem; (Credo enim, pro multitudine populi plures, pauciores ve sacrorum institutos ministros, ac nonnunquam solum impositum episcopum ibi, ubi grex pusillus erat; atque aucto numero, præter episcopum, complures adjunctos esse presbyteros) sed loca illa, quæ adduximus, Pauli nobis aliud persuadent. Etenim in clarissimis et frequentissimis Asiæ civitatibus, in quibus Christianorum erat maxima multitudo, non est verisimile, tantam eorum fuisse penuriam, qui vel episcopatum gerere, vel presbyteri fieri possent. Tum si quis accurate verba ipsa perpendat, cognoscet aliam facti illius et instituti rationem esse quærendam.

Locus difficilis Hieronymi.

VI. Sed præcipuum quæstionis momentum, ac disputationis totius facit Hieronymus; qui imprimis epistola LXXXV *ad Evagrium* cujusdam vecordiam arguens, qui diaconos presbyteris auderet anteferre, multa de presbyterorum dignitate disserit, ac pares illos, et eosdem facit cum episcopis; idque iisdem, quibus nos usi sumus, testimoniis confirmat, adjuncto quoque Petri loco primæ epistolæ capite v, ubi et se presbyterum appellat, et quos alloquitur, presbyteros primi ordinis esse demonstrat. Tum ista subjicit Hieronymus : « Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » Hoc loco S. Hieronymus, episcopos pari esse dignitate ac presbyteros affirmat, nisi quod communi consensu unus aliquis e numero presbyterorum electus est, qui majori in gradu collocaretur. Tribuit tamen episcopo ordinandi facultatem, quam presbyteris adimit. Quinctiam quod Paulus in epistolis *ad Timotheum, et Titum*, postquam de episcopis egit, statim ad diaconos labitur, omissis presbyteris : id eodem modo explicat Hieronymus, ac Chrysostomus fecit : « Presbyter, inquit, et episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Unde ad Titum, et Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi dicitur, de presbyteris omnino reticetur; quia in episcopo et presbyter continetur. » Quare eadem, quæ supra objecimus, contra Hieronymi interpretationem valent, quominus ad Apostoli mentem faciant.

VII. Idem in commentariis ad primum caput epistolæ *ad Titum*, etiam disertius sententiam suam aperit, verba illa declarans : *Hujus gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deerant, corrigas : et constituas per civitates presbyteros.* Idem est ergo presbyter, ait, qui et episcopus. Et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis : *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Mox probat episcopum et presbyterum unum esse; et aliud ætatis, aliud esse nomen officii, ex epistola Pauli *ad Philippenses*, ubi Apostolus scribit ad episcopos et diaconos. « Philippi una est urbs, ait, Macedoniæ; et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis, quasi de presbyteris est locutus. » Addit et locum alium ex *Actorum* capite xx ubi Apostolus convocasse legitur presbyteros Ephesinæ ecclesiæ, quos statim vocat episcopos. Tum quod Petrus epistolæ canonicæ primæ capite v, 1, vocat se *compresbyterum presbyterorum;* tum *Pascite*, inquit, *eum, qui in vobis est, gregem Domini*, etc. « Hæc propterea, ait Hieronymus, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos et episcopos : paulatim vero, ut dissensionum semina evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus

tuti, scribebat episcopis et diaconis. Non enim omnia cito potuerunt Apostoli constituere. Presbyteris enim opus erat et diaconis. Per hos enim ambos ecclesiastica possunt munia impleri. Ubi non inveniebatur quis episcopatu dignus, manebat locus absque episcopo. Ubi autem opus erat, et digni inveniebantur episcopatu, episcopi constituebantur. Cum autem multi non essent, non inveniebantur in illis qui presbyteri constituerentur, et satis habebatur ut per loca unus esset episcopus. » J. B. F.

fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores. » Denique in epistola LXXXIII *ad Oceanum*, « Apud veteres, ait, iidem episcopi, et presbyteri fuerunt; quia illud nomen dignitatis est, hoc honoris. »

VIII. Hieronymo suffragari videtur Ambrosius, sive quis alius auctor commentariorum in epistolam *ad Ephesios*, qui Ambrosii temporum æqualis fuit. Nam et Timotheum, ait ad caput IV, 2, Presbyterum a se creatum, episcopum vocat; quia primum presbyteri episcopi appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, et esset multis scandalum. »

Hactenus igitur ex antiquorum auctoritate conficitur, primis temporibus presbyterorum, et episcoporum non tantum appellationes, sed etiam ordines, in easdem concurrisse personas; iidem ut essent utrique; postea vero nomine tenus idem fuisse; ut etsi promiscua episcoporum, ac presbyterorum interdum essent nomina, aliquis tamen ex ordine illo, ac numero deligeretur, qui dignitate antecelleret omnes, iisque præesset, et episcopus proprie diceretur. Quod autem ex eo concludunt aliqui, nullum ergo vel esse discrimen inter ordines amborum, vel apostoli saltem fuisse tempore; id falsum esse, tum intelligi poterit, cum Apostoli sententiam exposuero, et alia quædam eodem spectantia, quibus error iste redarguetur. De Apostolo itaque, unde fons quæstionis oritur, primo loco disputemus.

CAPUT II.

Explicantur loca illa antecedenti proposita capite. Presbyteros initio eosdem episcopali dignitate præditos fuisse; sed perbrevi tempore; idque cur factum sit. Episcopos eodem intervallo, itidem ut deinceps in singulis civitatibus singulos præfuisse.

I. Si quis omnia illa Scripturæ loca diligenter expendat, quæ superiori capite proposita sunt, id necessario consequens ex illis esse statuet, eos ipsos, qui ibi presbyteri vocantur, plus aliquid, quam simplices fuisse presbyteros, cujusmodi hodieque sunt; nec dubitabit, quin episcopi fuerint iidem, non vocabulo tantum, sed re etiam, ac potestate. Hoc vero qua ratione contigerit, potest hunc, nisi fallor, in modum probabiliter explicari.

Igitur primis illis Ecclesiæ temporibus, quæ, quod ad formam et disciplinam attinet, quædam illius infantia dici queunt, existimo, presbyteros vel omnes, vel eorum plerosque, sic ordinatos esse, ut episcopi pariter, ac presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, quod, cum religio Christiana progressionem in dies faceret, perque civitates, et populos propagaretur, increbrescente multitudine, opus fuit, paratam esse copiam episcoporum, qui ad urbes et provincias Christiano partas nomini cum potestate mitterentur, ut ea, quæ ab solis episcopis administrabantur, præstare possent; cujusmodi sunt clericorum ordinatio per manuum impositionem, Confirmationis sacramentum, et alia quædam, quæ simplices presbyteri non attingebant. Hac de causa videntur plures in eadem ecclesia, velut Ephesina, episcopi fuisse, qui Apostolis, tanquam majoris gradus Pontificibus, adeoque summis, obsequebantur. Hoc tum simplices recens ortæ mores Ecclesiæ ferebant: nondum ambitione, et honorum cupiditate, malisque cæteris artibus, depravatis Christianorum animis. Posteaquam vero pristina illa charitas, et imitandi Christi, amplectendæque modestiæ, et humilitatis refrixit amor; tum, quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et *in schismatis remedium*, unum aliquem e turba presbyterorum eligi placuit, qui præesset reliquis; atque ita

desiere pari non solum dignitate, sed etiam ordine, ac potestate plures creari, translata in unum tam honoris, quam functionis prærogativa. Quocirca nunquam non fuit in Ecclesia potestatum, graduumque discrimen, hoc est episcopatus, et presbyteratus simplicis, sed in eadem capita passim ambo conferebantur *.

II. Hæc nostra de gravi, ac perdifficili quæstione sententia eo plausibilior esse debet, quod et dubitationem, ac controversiam præcidit omnem; et ab ipsamet Scriptura, illisque testimoniis, quæ ansam nobis disputandi præbuerunt, pene in manus, atque ob oculos injici videtur. Etenim presbyteros appellatos eosdem et episcopos fuisse ab Apostolis Petro, atque Paulo, illorum ex verbis efficitur; nec minus etiam istud, quos presbyteros vocant, iis episcoporum quæ sunt propria, convenire; imprimis autem ordinationem per impositionem manuum, et Ecclesiæ gubernationem, quæ est principum, pastorumque præcipua, quos episcopos dici omnes intelligunt. Hoc si est ita, quid aliud restat, nisi ut penes eosdem (nam plures una in ecclesia fuisse tales, iisdem ex locis argumentum ducitur) tam nomen illud duplex, quam conveniens nomini potestas et auctoritas utraque fuisse dicatur? Quo constituto, jam illa vacant omnia, quæ et nobis ipsis, et adversus quorumdam interpretationes Pauli locorum illorum, objiciebamus antecedenti capite. Neque, qui præcipuus debet esse fructus disputationis hujus, perturbatio illa sequitur amborum in Ecclesia ordinum, quæ πολυαρχίαν, imo ἀναρχίαν illam peperit, quam Calvinianorum, ac Puritanorum factio jampridem ascivit, et invehere porro eo, ubi non est, omni arte, ac contentione molitur.

Polyarchiam. *Anarchiam.*

III. Atque, ut ejusmodi prima administrationis ecclesiasticæ rudimenta fuisse, planum est ex iis, quæ dixi: ita neque perpetua, neque diuturna fuerunt, sed subinde ad eam, quæ deinceps obtinuit, translata formam, ut unus in quaque civitatis ecclesia esset episcopus, qui et presbyter interdum appellabatur, presbyteri vero sub uno illo complures, qui nominari episcopi desiissent. Quod ut certissimum est, paulo post Apostolorum Petri, ac Pauli obitum, ubique per totum Christianum orbem usu esse receptum; ita illis ipsis superstitibus, adeoque non multo post Christi ascensionem, observari cœpisse quibusdam in Ecclesiis, haud vanis documentis colligitur. Utriusque, sed prioris maxime, fidem faciunt tam Scriptura ipsa, quam vetustissimorum Patrum, qui Apostolorum sæculo vixerunt, aut non multo post exstiterunt, præclara testimonia.

Joannes Apostolus in *Apocalypsi*, capite secundo, jussu Domini ad episcopos septem totidem ecclesiarum, ac civitatum in Asia scribit sub Angelorum nomine, ut vulgo interpretes consentiunt; nempe Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatirorum, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ. Ergo episcopi tunc erant in ecclesiis singuli. Hoc ipsum testantur perpetuæ successiones episcoporum in plerisque civitatibus, memoriæ ab antiquis, et fide dignissimis auctoribus proditæ, quarum exordium ab ipso Christianæ religionis initio deducitur. Egesippus apud Eusebium lib. II, *Historiæ,* capite XXIII, ex eoque Hieronymus in lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, capite IV, referunt, Jacobum fratrem Domini, statim post passionem Christi, ab Apostolis ordinatum fuisse Hierosolymorum episcopum. Marcus item Alexandriæ episcopus fuisse perhibetur, eique Neronis octavo anno mortuo successit Arianus, ut iidem Eusebius, et Hieronymus affirmant. In eorumdem Chronico et in illius historiæ ecclesiasticæ libro præcipue tertio, quarto, et quinto, episcoporum catalogus descriptus legitur, qui inde ab Apostolicis temporibus, diversis in ecclesiis propagatus est. Velut Antiochiæ post Petrum Evodius, post hunc Ignatius, qui et ipse passim in epistolis suum cuique civitati episcopum præfuisse demonstrat; ac totus in id incumbit, ut presbyteros, diaconos, cæterosque clericos, et laicos hortetur, uti episcopum suum ament, et observent, eique tanquam Christo pareant, ac nihil illius injussu faciant. De quo rursus agemus postea. Est apud Eusebium libro tertio, capite XXIII, memorabilis historia, ex Clemente Alexandrino petita, de Joanne Evangelista; qui ad urbem quamdam Asiæ veniens ejus episcopo commendavit adolescentem illum, qui depravatis postea moribus grassatorum dux factus, ab eodem Apostolo non sine admirabili charitatis exemplo recuperatus est.

* Probat hoc Petavii systema P. Mamachius t. IV. *Origin. et Antiquit. Christian.* monetque hos secundo, tertioque sæculo *Episcopos nationum* fuisse appellatos, qua de re Photius cod. XLVIII. Vide Thomasinum *de nov. et Vet. Eccles. discipl.* t. I, lib. I, cap. LIV. Z.

IV. Quid quod Hieronymus ipse, qui presbyteros cum episcopis exæquare maxime videtur, in illis ipsis, quæ supra posui, verbis ostendit, institutum illud unius per singulas ecclesias creandi episcopi Apostolorum ætate cœpisse? Tunc enim susceptum id esse scribit, cum per populos audiri cœptum est, *Ego sum Pauli, Ego Apollo*, etc., quod *ad Corinthios* scribens Apostolus, per id tempus apud illos jactatum fuisse queritur. Addit etiam Alexandriæ deinceps ab Marco Evangelista unum post alterum episcopos Ecclesiam illam administrasse. Quamobrem non est dubium, quin presbyterorum illa multitudo, quæ pro episcopo se gessit, et, ut res ipsa docet, episcopalem ordinem, ac potestatem habuit, brevi postea in simplicis sacerdotii gradum, ac dignitatem, et functionem redacta, uni per singulas civitates episcopo locum dederit. Ac verisimile est, non ubique, sed certis duntaxat in locis, pro eo atque opportunum erat, plures illos esse collocatos episcopos. Nec minus tamen eosdem singulares, ac cæterorum principes episcopos, presbyteros appellatos fuisse, ex antiquis patet; velut ex Irenæo, cujus fragmentum citat Eusebius libro *Historiæ* V, capite XXV, ubi Romanos pontifices presbyteros nominat. Omnino ad id, de quo agimus, in promptu est habendum, quod prudenter animadvertit Epiphanius in eo loco, quem superiori capite commemoravimus, ex hæresi LXXV, num. 5. Non omnia, prout cupiebant, per hæc tempora Apostolos ordinare potuisse; neque ritus omnes Ecclesiasticos, et administrationis legitimæ modum explicare; quod brevi postea præstiterunt.

CAPUT III.

Conciliatur Hieronymi sententia cum catholico dogmate. Multum ab Aerianis, et hæreticis aliis illum abfuisse. Michaelis Medinæ falsa opinio tam ipsum, quam plerosque alios veteres fœdissimi erroris insimulantis.

I. Ex hac, quam caput antecedens exposuit, interpretatione locorum Apostolicorum, conciliari cum vera et catholica professione potest Hieronymi sententia, quæ omnium impeditissima videtur. Jam enim intelligimus, presbyteros illos antiquiores nihilo fuisse inferiores episcopis, atque ex suo corpore unum aliquem elegisse, qui præesset omnibus, ut schismati obviam iretur. Porro inter utrumque ordinem, presbyterii, et episcopatus, multum interesse, non ignoravit Hieronymus; sed palam asseruit, dum *ordinationem*, id est ordinandorum jus clericorum, solis assignavit episcopis, « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, inquit, quod presbyter non faciat? » Ubi verbum, *faciat*, δυνητικῶς accipiendum est, ut sit idem atque, *quod facere non possit*. Nam alioqui multa erant alia, quæ soli faciebant episcopi, presbyteris vero jure ordinario erant interdicta, cum extra ordinem interdum ea facerent, neque, quominus facere possent, si ita necessitas ferret, præsertim ex episcopi mandato, prohiberentur. E quibus unum illud referam, quod notissimum fuit Hieronymo, Confirmationis sacramentum. Hoc enim ab solis episcopis administratum fuisse demonstrat in libro *contra Luciferianos*: « Non quidem abnuo, inquit, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat. » Item : « Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, » etc.

II. Atqui ignorare non potuit Hieronymus, quibusdam in locis, absente episcopo, presbyteros idem illud sacramentum Confirmationis dedisse; quod de Ægypto testatur commentarius, qui Ambrosio tribuitur, in epistolam, Longe abest Hieronymus ab hæresi Aerii

ad Ephesios, cujus ante meminimus *. Quin-etiam constat, olim solos episcopos ordinario jure tam baptismum, quam pœnitentium reconciliationem administrasse; quod utrumque tamen episcopi jussu presbyteri, imo et quod ad baptismum attinet, diaconi faciebant **. Sed et Hieronymus ibidem, « Inde venit, inquit, ut sine chrismate, et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. » Cum igitur solam Hieronymus ordinationem, id est χειροθεσίαν excipit, cujus episcopi duntaxat jus habeant, cum cætera communia iis sint cum presbyteris; de eo jure loquitur, quod ne extra ordinem quidem usurpare possint presbyteri. Alioqui si de eo, quod ordinarie tantum geritur, loqui vellet, non solam ordinationem attribueret episcopo, sed alias multas functiones, quas, extra necessitatem, et ordinario jure presbyteri nunquam attingerent. Quocirca sensit Hieronymus, ab solis episcopis ordinationes fieri, adeoque latum inter ambos ordines discrimen agnovit; nec aliud, quam quod Epiphanius hæresim illam, quæ istos confundebat, oppugnans, in medium attulit. Fuit iste Aerius hæreticus, qui episcopum nihilo pluris esse, quam presbyterum, asserebat. Cujus *amentiam* (ita enim loquitur) redarguens Epiphanius non alio utitur argumento, quam quod ex Hieronymo retuli. Hoc est: « Esse vero plenum istud amentiæ, prudens quisque cognoscit, quod nimirum ait, eumdem esse episcopum cum presbytero, et æqualem utrumque. Verum quinam id fieri poterit? Siquidem episcopatus ordo est, qui patres gignit: quippe patres Ecclesia generat: ac presbyter, cum patres non possit gignere, filios generat, per lavacrum regenerationis, non tamen patres, aut magistros. Quomodo ergo fieri posset, ut is presbyterum ordinaret, qui manus impositione careat, qua possit ordinare [a]?» Quæ Epiphanii verba Hieronymi locum illum explicant; multumque præterea ad id conferunt, ut ab nefariæ suspicione hæresis tantus vir eximatur, qua nonnullorum judicio laboravit ***.

Ab accusatione Medinæ vindicatur.

III. Etenim Michael Medina in libro primo *de sacrorum hominum origine, et eorum continentia*, capite v, Hieronymum, nec non Theodoretum, imo Ambrosium, et Augustinum, Chrysostomum etiam, Primasium, ac Sedulium, in Aerii, et Waldensium hæresim, ac damnationem includit. Nam postquam illos citavit, loquitur sic: « Atque ita isti viri alioqui sanctissimi, et sanctarum Scripturarum consultissimi. Quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo Joanne Wiclefo damnavit Ecclesia.» Tum eos irridet, « qui inter horum hæreticorum et veterum illorum Patrum sententiam in hac parte ullum esse discrimen putant. »

Sed hæc mera calumnia est ac temerarium præcepsque de re haud illi satis percepta, comprehensaque judicium ****. Nam illorum omnium Patrum longe ab Aerio, ac recentioribus aliis hæreticis causa secernitur. Ac Chrysostomus quidem, et Theodoretus, et qui Chrysostomum sequuti sunt, Œcumenius et Theophylactus, solum commune fuisse vocabulum utrisque statuunt, reipsa vero discrepasse. Et Chrysostomus nominatim idem, quod Epiphanius, et Hieronymus, tradidit, τῇ χειροτονίᾳ, id est *ordinandi jure, ac potestate* differre a presbyteris episcopos. Reliquorum verba vel ad eamdem nominis communitatem accommodari possunt, accedente nonnulla, ut assolet, superjectione, et hyperbole; vel interpretatione illa, quam supra proposui,

[a] Epiphanius. Ὅτι μὲν ἀπροσύνης ἐστὶ τὸ πᾶν ἔμπλεον, τοῖς συνέσιν κεκτημένοις τοῦτο δῆλον τὸ λέγειν αὐτὸν ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβύτερον ἶσον εἶναι. καὶ πῶς ἔσται τοῦτο δυνατόν; ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις· πατέρας γὰρ γεννᾷ ἡ ἐκκλησία· ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ· οὐ μὴν πατέρας, ἢ διδασκάλους. καὶ πῶς οἷόν τε ἦν τὸν πρεσβύτερον καθιστᾷν μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν;

* Vide Petavium infra l. II *de Eccles. Hier.* cap. VI, n. 12 et quæ ibi adnotabimus. Z.

** De Baptismo alia sunt S. Ignatii in epist. *ad Smyrnenses*, Tertulliani *de Baptismo* c. XVII, Siricii Romani pontificis epist. X, t. I epist. *Rom. pontif. a Coutantio editarum* testimonia, quæ Hieronymi dicta confirment. De reconciliatione vero pœnitentium præsto sunt canones duo Carthaginiensis II synodi an. 390 habitæ, tertius, inquam, et quartus, quos canone XXXII, septem post annis tertia synodus Carthaginiensis confirmavit. Vide infra cap. VIII, n. 10. Z.

*** Alia in explicando Hieronymo, cujus auctoritatem cum Salmasio nobis objiciunt Blondellus, et Joh. Franciscus Buddeus, incedunt via. Natalis Alexander in sæc. IV, diss. XLIV, § 24, et Witasse *de ordine*, parte II, quæst. I, art. 2, sect. II, cap. I. Enim vero Duguetus diss. IV *observ. Eccles.* Petavianam interpretationem non esse Hieronymi sententiæ consentaneam censet; nulla tamen ratione, cur ita censeat, ostendit, ut ait Mamachius, quem vide t. IV. Cellotius autem, qui lib. IV *de Hierarchia* cap. XV, corrupta fuisse hæreticorum fraude Hieronymi loca contendit, ab omnibus non injuria exploditur. Z.

**** Medina a Bellarmino quoque notatur lib. *de Clericis* cap. XV. Z.

tractanda, emolliendaque sunt. Quod sane posterius, commentarii illius, qui Ambrosio inscribitur, in epistolam priorem *ad Timotheum*, locus indicat, dum ait, « Primum presbyteros episcopos appellatos esse, ut recedente uno, sequens ei succederet. » Nisi hoc malis, ex collegio presbyterorum assumptum episcopum fuisse, non sine μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ, ut Græci loquuntur, qua ordinandi potestas solis episcopis concessa, negata presbyteris, ut ostendimus, illi tribueretur. Quid autem meruit Augustinus, ut in suspicionem vocaretur erroris istius? Nempe quod in epistola quadam ad Hieronymum scripsit ita : « Quanquam secundum honorum vocabula, quæ jam usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, multis tamen in rebus Hieronymus Augustino major est. » Quid iniquius, quam propter illa verba, atrocissimam hanc infamiam inurere homini ab ista labe alienissimo? Nihil enim istic aliud significat, nisi quod esse verissimum ostendimus, cum hactenus eadem utrique appellatione censerentur, ac συμπρεσβύτεροι, et συνδιάκονοι etiam aliquando dicerentur ; postea nominum intercessisse discrimen? In Hieronymum totus invidiæ impetus convertitur, qui paulo minus, quam cæteri, commode est locutus. Sed quanto intervallo ab Aerii, ac Waldensium hæresi distet, facile est cognoscere.

Ordinatione magis mystica

Compresbyteri et condiaconi.

IV. Aerii fuit hæc opinio, ut ex Epiphanio scimus, nullum plane discrimen episcopi a presbytero fuisse, non ordinis, non honoris, non dignitatis, non functionis. «Quid est episcopus præ presbytero, aiebat ille? Nihil hic ab illo differt. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit episcopus; imponit et presbyter; baptizat episcopus, idem facit et presbyter. Sacrificii administratione fungitur episcopus, itidem et presbyter. Episcopus in throno sedet, sedet et presbyter[a].» Manifestum est, Aerium prorsus omnem sustulisse differentiam inter presbyterum et episcopum ; ac neque divino jure ullam introductam putasse, nec humano introduci debere. Hinc Augustinus in libro *de Hæresibus*, capite XLVI de eodem : « Dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. » Ab hoc vero dogmate longe abest Hieronymus, qui et episcopo a presbyteris, clericisque cæteris summum honorem habendum esse perpetuo censuit. Verba ejus sunt in epistola tertia *ad Nepotianum :* « Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe. Amare filiorum, timere servorum est. *Si pater sum*, inquit, *ubi est timor meus?* etc. Quod Aaron et filios ejus, hoc episcopum et presbyteros ejus esse noverimus. » Tum ampliorem in episcopis potestatem agnovit, quam in presbyteris, dum illis ordinandi, ut jam dixi, jus attribuit, quod istis negavit.

V. Nam quod consuetudine potius Ecclesiæ, et humano quodam jure, quam divino, utrusque constare differentiam significat ; primum salva ordinandi potestate penes solos episcopos, integra manet ordinum distinctio, et quidem divinitus constituta, non sola consuetudine, ut paulo ante demonstravimus. Deinde si presbyteros olim itidem, ut nos statuimus, episcopos una fuisse volumus, nihil jam scrupuli, offensionisque restabit in verbis Hieronymi. Etenim solo consensu hominum, et vitandi schismatis gratia, unus e numero multorum episcoporum, eorumdemque presbyterorum electus est, qui præesset cæteris. Quod nemo dici prohibet. Nam etsi episcopalis ordo jure divino in Ecclesiam introductus est ; non eodem tamen illo jure decretum est, ut unus in singulis civitatibus et ecclesiis esset episcopus, sed Ecclesiæ auctoritate, conciliorumque sanctionibus, quarum ex Apostolica traditione origo descendit. Ad hunc modum Hieronymi et Ambrosii exigenda est sententia. Sed sive hoc, sive alio sensu intelligantur utriusque verba, perspicuum est, plurimum illos abhorruisse ab Aerianorum, et Waldensium hæresi, nec non Wicleffi, qui omnes in eamdem conspirarunt opinionis perfidiam. Ac de Aerio quidem ex Epiphanio liquet, quod ejus dogma fuerit.

VI. De Waldensibus habes apud Bernardum Abbatem fontis calidi, in libro adversus illos edito capite primo, et sequentibus ; nec non apud Guidonem Carmelitam, Antoninum, et alios *. Wicleffi meminit Thomas Wal-

a EPIPH. Τί ἐστιν, ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον ; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία, φησὶ, τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα. χειροθετεῖ, φησὶ, ἐπίσκοπος. ἀλλὰ καὶ ὁ πρεσβύτερος. λουτρὸν δίδωσιν ὁ ἐπίσκοπος ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος ὡσαύτως· καθέζεται ὁ ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου· καθέζεται καὶ ὁ πρεσβύτερος.

* Adde Monetam *contra Cath. et Wald.* cap. V, § 1, et Raynerium Sachonum in *Summa contra Catharos, et Waldenses*, t. V *Thesauri anecdotorum Martonii*. Z.

densis libro secundo *Doctrinalis fidei*, articulo tertio, capite sexagesimo. Atque omnes isti nihil penitus inter episcopum et presbyterum distare putabant; ac *nonnisi duos ordines in primitiva Ecclesia* fuisse Wicleffus affirmabat, *Sacerdotem atque diaconum*. Waldenses ne sacerdotium quidem retinebant, ut qui laicos omnes justos consecrare et absolvere posse crederent. Quibus assensus est Lutherus in libro *de captivitate Babylonica*[1]; quo in libro laicos omnes sacerdotes esse, docet, probatque Petri testimonio, qui epistolæ I capite II, Christianos appellat *regale sacerdotium*; tum solo prædicandi verbi Dei ministerio sacerdotium definit; ut et Calviniani omnes, quorum dogma Trapezitici fenoris patronus amplexus, nihil episcopos veros, proprieque dictos aliud censet fuisse, præterquam verbi divini prædicatores, ut paulo post ostendam. Ab iis vero pestibus, quam longe absit Hieronymus, nemo non videt. Quare mira est vel oscitantia Hispani illius scriptoris, vel temeritas, qui infandæ ac nefariæ hæresis tam Hieronymum, quam alios complures fautores, ac defensores fuisse prodidit.

Sed ista cum catholicis doctoribus controversia seposita, Trapeziticam dissertationem deinceps aggrediar; qua in refutanda, multa de eodem argumento necesse erit exequi, ex quibus certissime constabit, magnum, ab antiquis usque Ecclesiæ temporibus, discrimen intercessisse episcopos inter et presbyteros; nec indoctius quidquam, absurdiusque ista esse fabula, quam cum veteribus illis, et hodiernis hæreseon architectis Trapezitici operis scriptor est amplexus, eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re atque ordine presbyteros et episcopos fuisse.

1 Tom. II oper. Lutheri ann. 1546.

CAPUT IV.

Refellitur Trapezitica Dissertatio, quatenus episcopum olim existimat nomen dignitatis non fuisse, sed curationis. Quid sit dignitas, et quemadmodum semper episcopatui convenerit. Hieronymi locus perperam acceptus a Trapezita. Nova illius de episcoporum duplici genere opinio confutatur. Cujus ex Clemente irritum argumentum diluitur. Episcopos prædicandi munus obiisse semper, nec non jus rerum Ecclesiasticarum administrandarum habuisse.

In libro *de Trapezitico fenore* multa de episcoporum ordine, et antiqua eorum institutione scripta sunt absurda, falsaque, de quibus hoc loco propositum est agere. Verba illius : « Veteribus, inquit, episcopatus in Ecclesia non fuit nomen dignitatis, aut potestatis, id est ἐξουσίας, καὶ αὐθεντίας, sed curationis, et administrationis, βοηθείας, sive προστασίας, quæ est ἐπισκοπή. Et non solum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus, curatio, et potestas diversa fuit. Nam quædam officia curationem habebant, non potestatem. Talis in Ecclesia fuit episcopatus; quod nomen, teste Hieronymo, non *meriti* fuit, sed *officii*, οὐκ ἀξίας, ἀλλὰ ἔργου. » Censet igitur primis Ecclesiæ temporibus episcopi nomen curationis et administrationis cujusdam, sine honore, ac dignitate nomen fuisse. Nam « curare ex etymo vocis, ait idem, nihil aliud est, quam providere, atque ἐπισκοπεῖν. » Velut « medicus ἐπισκοπεῖν νοσοῦντα dicitur, dum eum curat. » Igitur si hunc audimus, episcopum ex prima institutione sui nihil putabimus aliud fuisse, quam curatorem, nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasi opificem quemdam, aut ministrum. Qui enim aliter possumus, si nulla in eo dignitas fuit? « Dignitas, ait liber *ad Herennium* secundus, est alicujus honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas. » Quare qui dignitate caret, is auctoritatem non habet, neque cultu et honore dignus est, ob hoc ipsum, quod munus illud, et curationem gerit, quæ dignitas non est.

Hoc autem de episcopo dicere non est, opinor, ejus, qui quid dicat intelligit. An esse potest absurdius quidquam, atque ab usu Christianæ antiquitatis alienius, aut Scripturis ipsis magis adversum, quam episcopis auctoritatem, ac dignitatem eripere? Dignitas quid esset, dictum est ex Cicerone. Auctoritas eodem teste idem est ac potestas. Nam quod feminas sine auctore nullam rem agere licere dixit Livius[1], hoc Cicero in oratione *pro Murœna potestatem* appellat, et *auctores* Jurisconsulti vocant eos[2], *a quibus jus in nos transiit*. Est autem episcopus magistratus quidam ecclesiasticus. Magistratus porro sine potestate, ac jurisdictione ne intelligi quidem potest, cum hæc sit magistratus definitio, ut sit[3] « qui juri dicundo, et assidua jurisdictione servando præest. » Cujus functio, qui et magistratus dicitur, ab eodem jurisconsulto definitur, qua ad Romanos pertinebat, *Potestas populi Romani ordinaria*. Universe autem Aristoteles ita definit, libro IV *Polit.* cap. XV. « Imprimis autem, ut simpliciter dicamus, magistratus illi nominandi sunt, quibus datum est deliberare de quibusdam, et decernere, et jubere; atque hoc præcipue. Nam jubere magistratuum magis proprium est[a]. »

Jam vero præcipiendi, sive jubendi jus, ac potestatem penes episcopos nunquam non fuisse, tum pleraque Scripturæ testimonia persuadent, tum antiqui canones omnes, et concilia, tum denique usus Ecclesiæ perpetuus, monimentis veterum, et illius actorum testimoniis ad posteritatis memoriam proditus. Quod ad novi Testamenti litteras spectat, *Actorum* capite XX, 28, Paulus Apostolus presbyteros alloquens, *Attendite vobis*, ait, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Græce est ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, *pascere Ecclesiam Dei*. Quæ vox non nudam sine potestate atque imperio curationem significat, sed jus, et auctoritatem non solum jubendi, sed etiam coercendi. « Qui pascere dicuntur, ait Philo in libro *De eo, quod deterior potiori insidiatur*, principum, ac ducum vim habent[b]. »

Sic epistolæ *ad Hebrœos* capite XIII, 17. *Obedite prœpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Quos autem ἡγουμένους, id est *prœpositos* appellet, intelligimus ex commate 7. *Mementote prœpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*[c]. Nimirum ἡγούμενοι Christiani, ac fideles sunt magistratus, hoc est episcopi, quibus a Spiritu sancto commissum est regimen animarum, ut *Actorum* XX dixit. Habebant igitur imperandi jus ac potestatem; adeoque non sola penes illos curatio fuit sine dignitate.

Rursus Magistratus ab celebri jurisconsulto definitur[4], « publica persona, quæ jurisdictioni præest; vel qui pro tribunali cognoscit, cui publice judicium jurisque dictio data est. » Quis porro negare audebit, episcopos non ex antiquo jurisdictionem habuisse, cujusmodi mandavit illis Dominus, hoc est ad animum pertinentem, ac spiritum? An non perinde canonicum jus est, ac civile? aut non illud ab episcopis exercetur, quemadmodum alterum ab civili potestate? Communione multare aliquem, aut jus dare communionis, nempe jus est; cujus dictio, et administratio non aliis credita, quam pastoribus, et episcopis, idque jam tum Apostolorum ætate. Quare tribunal et illi suum habent, e quo sententiam dicunt, multo et potestate, et dignitate majus ac præstantius, quam cathedra Mosis illa, super quam sedentibus Judæorum magistris obtemperari Christus voluit.

Nam quod Hieronymum testem citat, miror, quid illi in mentem venerit, ut hoc faceret. Scripsit Hieronymus, *Episcopatum non meriti fuisse, sed officii*, quod Græce Trapezita reddit sic, οὐκ ἀξίας, ἀλλ' ἔργου. Sed vide lepidam rem. Græca vox ἀξία duo significat notione diversa: *meritum*, quo mereri aliquid dicimur, et *dignitatem*, id est *honorem*; ne sic accipias, quomodo *dignus* ille dicitur, qui meretur. Porro *meriti* nomen prius illud tantummodo significat; eoque sensu recte scripsit Hieronymus, non omnes, qui fiunt episcopi, vitæ id merito consequi; nec propterea, quia sunt episcopi, meritis, ac probitate præstare cæteris. Trapezita quod in meriti vocabulo

a ARIST. *Pol.* XV. Μάλιστα δὲ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν, ἀρχικώτερόν ἐστι.

b Οἱ δὲ ποιμαίνοντες ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων ἔχοντες δύναμιν etc.

c Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ἡμῶν, καὶ ὑπείκετε.

1 Dec. IV, lib. IV. — 2 CXXXVI in fine disp. *de diver. reg.* — 3 Cujac. ad lib. II *de orig. juris*. — 4 Cujac. *in Parat.*

non poterat, in Græco ἀξίας illusit. Atqui, ut ἀξίαν interpreteris, non honorem debes intelligere. Id enim falsum esset, episcopatum honoris non fuisse. Sed eo modo, quo Menander dixit :

Ἀρχῆς τετευχὼς ἴσθι ταύτης ἄξιος.
« Imperium adeptus, dignus hoc fieri [stude. »

Quemadmodum autem meriti vox ab Hieronymo usurpata sit, indicat Augustinus in libro *De Pastoribus*, capite I. « Nos enim, ait, quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum constituit, » etc. At Hieronymus ipse dignitatem alibi episcopis attribuit, in cap. LX *Esaiæ*, ubi versum septimum ita legi apud LXX adnotat : *Ponam visitationem tuam pacem*, *et præpositos tuos justitiam*, vel *et episcopos tuos justitiam ;* tum ita scribit : « Quorum omnis visitatio in pace est, et vocabulum dignitatis in justitia. » Ergo *episcopi* nomen vocabulum dignitatis appellat Hieronymus, et Trapezitæ παρερμηνείαν summovet. Sane episcopos *speculatores* esse ait Augustinus in I *de civit. Dei*, cap. VI, « hoc est populorum præpositos constitutos in ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata ; » tametsi hoc etiam faciant, qui *præpositi non sunt* ; et Clemens Romanus libro *Constitutionum* secundo, cap. XXVII, episcopatum vocat ἀξίωμα, quod idem valet, atque ἀξία, quam Trapezita detrahit. Tum cap. XXVIII, appellat ἄρχοντα, quæ vox *principem*, vel *præsidem* significat.

Falsam interpretationem.

Pergit Trapezitici fenoris patronus , « Hoc, inquit, nomen ἐπισκοπῆς peculiariter competiit illi generi præsbyterorum, sive seniorum, qui administrationem rerum ecclesiasticarum suæ curæ commissam habebant, et distinguebantur a doctoribus, qui in doctrina, et oratione operam ponebant. Sed et διδασκάλοις presbyteris datum est. »

Episcopatus

Doctoribus.

Atque ut illius mentem , ac sententiam plenius intelligas, hoc primum ab eo fundamenti loco scito poni, episcopos olim eosdem fuisse cum presbyteris. Eos vero « duum generum sub Apostolis fuisse, » alios orationi et prædicationi operam dedisse : alios sacerdotale ministerium populo præstitisse, « Id est, dispensationem, et administrationem sacramentorum habuisse. » Prioris generis, ex Petri institutione, fuisse Clementem ; posterioris Cletum et Linum, ut in Clementis vita Damasus prodidit.

De utrisque porro loqui Apostolum existimat , in epistola priore *ad Corinthios*, cap. XII, « ubi varia charismata recenset, quæ in Ecclesia sua Deus constituerat. » Nam ibi enumerat *primum Apostolos*, *secundo Prophetas*, *tertio doctores*, *deinde virtutes, donationes sanitatum*, *adjutoria*, *gubernationes*, *genera linguarum.* » Ex his διδασκάλους ait esse genus illud presbyterorum, quod de duobus primum constituit, et orationi, et prædicationi operam dabat ; *adjutoria* autem et *gubernationes*, id est ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις de illis « presbyteris, sive episcopis intelligi, qui Ecclesiæ res procurabant, et dispensabant, atque etiam sacramenta populo administrabant. In hos posteriores ἐπισκοπῆς nomen ex merito magis competere asserit , quæ est inspectio, procuratio, administratio. »

Episcopatus

Hæc summa novæ opinionis, nec tantum novæ, sed etiam falsæ, minimeque cohærentis. Enimvero aliud esse populum docere, vel orationi operam dare, aliud sacramenta populo administrare, aut quamlibet aliam curationem exercere, nemo non videt. Sed, ut actiones diversæ sunt, sic diversis personis mandatas esse, ut episcoporum, sive presbyterorum alii istud, alii illud obierint, id vero est falsum. Non enim generibus, et quasi statibus hominum distinguenda ista sunt, sed facultatibus, quæ in eodem genere possunt esse non eædem.

Sane Apostolis duplex a Christo mandata est functio : una sacramentorum administrandorum, velut baptismi : altera docendi Evangelii ; quæ duo Matthæi ultimo capite præscribuntur a Christo : *Euntes ergo docete omnes gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii*, *et Spiritus sancti*, *docentes eos servare omnia*, *quæcumque mandavi vobis.* Hæ sunt functiones duæ, propter quas episcoporum, sive presbyterorum gradum in duo scindit genera Trapezita ; nimirum Sacramentorum administratio, quam proprie ad ἐπισκοπὴν pertinere vult, et divini verbi prædicatio.

Episcopatum.

Utramque tamen non omnes exercebant Apostoli. Paulus cum in priore *ad Corinthios*, capite primo, com. 17, paucos se baptizasse dicit : *Non enim misit me Christus*, inquit, *baptizare, sed evangelizare.* Quis autem propterea dicere audeat, duplex Apostolorum genus fuisse, alterum baptizantium, alterum minime baptizantium, sed tantummodo prædicantium Evangelium ? Hoc si quis asserat,

ridicule idcirco sentiat, quod jure ac potestate, non actione, vel usu potestatis discernendi sunt ordines, ac gradus ecclesiastici. Non minus ergo falso absurdeque duo episcoporum velut genera, ordinesque ponit, quod alios nihil nisi orasse, ac prædicasse putat; alios sacramenta duntaxat administrasse, curasseve cætera.

Etsi enim vera ista non est ejus opinio, ut postea dicam; tamen ad id probandum, quod inde concludit, certum genus presbyterorum, hoc est episcoporum fuisse, « qui administrationem rerum ecclesiasticarum suæ curæ commissam habebant, et distinguebantur a doctoribus, qui in doctrina, et oratione operam ponebant, » non sufficeret, utcumque falsa non esset, illa ratio; quod non eædem ab omnibus presbyteris functiones exercerentur, nisi hoc præterea demonstraret, jure alterius obeundæ caruisse, qui alterutram ipsi sibi sumpsissent, vel mandatam ab aliis gererent. Etenim nonnullos fuisse constat episcopos eo tempore, quo utrumque munus et curandarum ecclesiasticarum rerum, et prædicandi passim usurpabant cæteri; qui vel impediti morbo, vel ob linguæ tarditatem, vel ob sermonis inscitiam, quod essent peregrini, ad concionem verba facere non poterant; ut de Valerio Hipponensi, cui successit Augustinus, refert in hujus vita Possidius. Neque ob id, quod uniusmodi tantum functionem obibant, alterius generis episcopi censebantur, et ab iis diversi, qui utramque sustinebant. Quod igitur de his episcopis si quis dicat, risum non tenebimus, cum non minus absurde de antiquioribus illis affirmet Trapezita, cur non idem faciamus?

Sed ut in arcem opinionis illius invadam; nego id, quod ille pro comperto habet, qua tempestate presbyteri iidem erant et episcopi, sic descriptas, ac divisas operas inter illos fuisse, ut non ambas, qui possent, susciperent, tum orandi, ac prædicandi, tum curandi res ecclesiasticas, et sacramenta populis administrandi. Jus, inquam, et potestatem utriusque præstandi omnes illos habuisse defendo, qui presbyteri pariter essent et episcopi, quamvis certis de causis uniusmodi tantum functionem attingerent. Etenim *Actorum* XX, 28, presbyteros, et eosdem episcopos alloquens Paulus, ait illos a Spiritu sancto positos esse, *ut pascant Ecclesiam Dei*, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Et Petrus presbyteros alloquens συμπρεσβύτερον se illorum vocat[1], ut appareat, eosdem episcopos fuisse. Hos vero deinceps hortatur, *ut pascant commissum sibi gregem Dei*, ἐπισκοποῦντες (quasi dicas, *Episcopantes*, Latinus Interpres *providentes*) *non coacte* [a]. Cujusmodi pastio utrumque illud munus amplectitur, docendi, et sacramenta ministrandi; quemadmodum et cum Christus oves suas Petro commisit, « *Pasce*, inquit, *oves meas*. » Nam episcopi quilibet hoc in totius gregis portione sibi tradita præstant, quod in toto ipso facere jussus est Petrus, ut suum quisque divini verbi, et sacramentorum pabulo reficiat. Quinetiam *ad Titum* scribens Paulus Apostolus, postquam ei præcepit, ut *presbyteros per civitates constitueret*, hoc est, ut statim declarat, episcopos; mox quæ sint eorum partes explicans, inter alia, quæ in primæ *ad Timotheum* tertio capite iisdem fere verbis scripserat, episcopum censet oportere esse, *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*. Igitur episcoporum omnium sine ullo discrimine, munus officiumque est, prædicare verbum Dei, docere, cohortarique populum, hæreticos, et Christianæ fidei oppugnatores disputando refellere. Certe neminem illius ordinis excipit Apostolus, sed in commune presbyteris, hoc est episcopis omnibus ista præscribit. Quænam igitur his et similibus in mandatis latebra est episcopis nescio quibus ex officina τοῦ δοκίμου τραπεζίτου nuper emersis? Quod novum et inauditum hucusque commentum, etsi ille verisimillimum probando faceret, ægre tamen persuadere posset; nunc sine ullis argumentis affirmanti sibi credere nos jubet, ego vero ne juranti quidem. Sed unde tandem novitatis istius suspicione sit afflatus, operæ pretium sit inspicere.

Copresbyterum.

Minus probi Trapezitæ.

Duo sunt omnino, quæ hoc illi somnium injecerunt, effusum ea porta,

« Qua falsa ad cœlum mittunt insomnia manes. »

a I *Pet.* v, 2. Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς.

1 *Petri.* v.

Primum Damasi locus in *vita Clementis*, ubi Petrus Clementi præcipit, ut ordinet dispositores diversarum causarum, per quos actus ecclesiasticus profligetur; et tu, inquit, minime in curis sæculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem, et predicationem populi vacare stude. Ipse etiam Petrus in ea vita dicitur ad orationem, et predicationem populum erudiens vacasse. » Cum autem « Cletus et Linus ab eodem Petro ordinati sint episcopi, ut idem testatur Damasus, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo supervenienti exhiberent: » concludit ex eo, « alterius generis et ordinis fuisse » Cletum et Linum; quoniam ministerium illud sacerdotale, quo eorum cura definita est, « dispensationem, et administrationem sacramentorum » interpretatur; quas fuisse putat secundas episcopi partes, ac minus, quam priores illas prædicandi et orandi, dignitatis habuisse. Sed quid argumentatione ista futilius? Imprimis Damasus, ille non est Damasus, et pro adulterino ac supposititio jampridem doctorum judicio damnatus est. Deinde nihil iste, qualiscumque est, ad causam pertinet, Quis enim Trapezitam docuit, Petrum Apostolum ita Clementi commendasse prædicandi, vel orandi munus, uti curatione reliqua, maxime impertiendis sacramentis, interdixerit? *Curis* quidem *sæculi* vetat esse *deditum*, totumque se orationi ac prædicationi dare præcipit; de sacramentorum administratione verbum nullum facit. Quid quod administratio ista sacramentorum oratione continetur? Imo, ut eorum fert opinio, quorum partes Trapezita sequitur, sine prædicatione non potest fieri? Ita enim censent catholicæ, ac Romanæ communionis hostes, inter quos ille profitetur. Quare non possunt a se mutuo divelli oratio ac prædicatio, et sacramentorum tributio: neque diversos episcoporum gradus efficere. Ad hæc, si Clemens idcirco plenam episcopi functionem non habuit; sed in uno tantum gradu orantium ac prædicantium substitit; ab altero vero, in quo Linus, Cletusque censentur segregatus est ob id ipsum, « quod ad orationem et prædicationem populum erudiens vacaret; » plenum ac perfectum non habuit, sed mutilum ac dimidiatum episcopatum. Caruit enim parte hujus altera, quæ in *dispensatione* sita est, *et administratione sacramentorum*. Nam *ipse Petrus in ea vita dicitur*, idem, quod Clementi mandabat, egisse. Aut si ex toto episcopus fuit, quia sic una se actione circumscripserat, ut alterius si minus usum, jus certe ac potestatem haberet, etiam iste ipse Clemens, quem ad exemplum sui episcopum instituit, ut ibidem profitetur, non unius generis, quod credit Trapezita, episcopatum tenuit, seu reliquas insuper functiones aut exercuit, aut si vellet, ac vacaret, exercere potuit. Quod idem de Lino, Cletoque, si episcopi sunt a Petro facti, per illum nobis Damasum affirmare licet; atque hujus qualicumque auctoritatis præsidium novo illi commento subtrahere.

CAPUT V.

Alia Trapezitæ argumenta de duplici episcoporum genere discussa. Pauli Apostoli declaratus locus. Quid sint apud illum opitulationes, et curationes.

I. Alterum argumentum feneratorum patronus ducit ex Apostolo, ejusque loco duplici. « Presbyterorum, inquit, episcoporum duo genera tum fuisse, locus Pauli in epist. *ad Timotheum*, cap. V, ostendit his verbis: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina* [a]. Hic enim episcopos, sive presbyteros illos significari putat, qui in orando, prædicandoque toti erant occupati; quibus videlicet oppositi sunt ii, « qui sacramenta administrabant, et exhibebant plebi. » Atqui locus iste Apostoli nihil divinationem illam adjuvat; nec ab ea fingi quidquam potest alienius. Nam unde tandem alterum illud efficit, gradu ac genere distinctos episcopos alios fuisse, qui sacramenta populo repræsentabant, et in verbum ac doctrinam nullo modo essent intenti? Non illa repeto, quæ antecedenti capite dixi, et sunt verissima: verbi prædicandi, ac docendi functionem cum sacramentorum administratione conjunctam fuisse, tum ex usu veterum, quem tot catechetici sermones ab iisdem episcopis habiti testantur, qui baptismo, vel sacramento Do-

[a] 1 *Tim.* 5. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ, καὶ διδασκαλίᾳ.

minici corporis initiabant, tum alio sensu, ex Trapezitæ, et Calvinistarum cæterorum dogmate. Itaque non potuit ambo illa episcopalis ordinis munera a se mutuo disjungere. Sed hoc omisso, unum duntaxat proferam, idque perbreve, paucis ut hominem absolvam. Apostolus eos presbyteros, vel episcopos duplici honorario, ac mercede prosequendos ait, qui sine reprehensione partes suas obeunt, pascendi scilicet gregis, qui illorum curæ commissus est, ut loquitur Petrus epist. I, cap. V, sed eos maxime remunerandos, honorandosque decernit, non qui soli inter omnes, sed qui plus cæteris laborant in prædicando Dei verbo, et erudiendo populo: οἱ κοπιῶντες, inquit, hoc est, insignem operam navantes, nec vulgari labore contenti. Minime vero inde consequens est, quod Trapezita concludit, ergo alios fuisse episcopos, qui pro generis ac status sui conditione alia omnia curabant.

II. Equidem non gravate concesserim, inveniri quosdam e presbyterorum, episcoporumve numero potuisse, qui uni certæ functioni magis erant addicti, et in ea frequentius, ac libentius occupabantur, sive natura magis ad illam facti, comparatique erant quam ad alteram, sive divino instinctu, peculiari aliquo charismate prædili eo propensiore animo ferebantur; quod postea dicemus. Sed non ideo diverso in gradu, et ordine, atque episcopatus alio genere collocandi sunt. Nam et alias quaque præstabant actiones pro virili parte, et ut res ferebat; certe nullo interdicto unde vi, episcopalis muneris possessione dejectos esse probat Trapezita. Ecce idem Apostolus prioris *ad Corinthios* cap. XV, 10, de se ita profitetur, *Abundantius illis omnibus*, hoc est Apostolis *laboravi*. Græce, περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα: ubi idem vocabulum est κοπιᾷν. Quoniam ergo vehementius se laborasse cæteris apostolus Paulus affirmat, num idcireo vel non eumdem docendi, ac disseminandi verbi divini laborem sumpsisse putamus reliquos; vel diversi ab iis generis Apostolatum nescio quem Paulo decernimus? Quis hoc nisi quid dicat nesciens audebit dicere? Atqui nulla re differt illa Trapezitæ ratiocinatio ab hac, cui nemo prudens assentitur. Age vero num illud dubium est, inter septem primos diaconos Stephanum vi majore, atque conatu in prædicandi negotium incubuisse? Ita quidem de illo *Actorum* historia testatur [1]. An vero propterea gradu et ordine distabat ab reliquis diaconis: aut novum aliquod diaconi fabricandum est genus? Qui autem minus id licebit, quam Trapezitæ novum episcopi ordinem instituere, pro eo quod alii aliis majore in prædicando labore, industriaque versati sunt? Frustra igitur illo ex loco prioris *ad Timotheum* epistolæ commentum suum fulcire conatus est.

III. Videamus, an in altero felicius illi res cesserit: « Eamdem, inquit, inter episcopos, sive presbyteros differentiam licet etiam confirmare altero Pauli loco ex epist. I *ad Corinthios*, cap. XII. Ubi varia charismata recenset, quæ in Ecclesia sua Deus constituerat. Primum in ea gradum dignitatis habuisse dicit Apostolos, secundum Prophetas, tertium doctores, deinde virtutes, donationes sanitatum, adjutoria, gubernationes, genera linguarum. Per διδασκάλους, quibus tertium locum assignat, non est dubium, ab eo intelligi illud genus πρεσβυτέρων, quos ad Timotheum κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ vocat, et quos Damasus in Clemente scribit prædicatione populum erudisse, atque orationi tantum vacasse. At cum idem Apostolus inter ea χαρίσματα Ecclesiæ nominat ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις, *adjutoria* et *gubernationes*, de illis presbyteris, sive episcopis intellexit, qui Ecclesiæ res procurabant, et dispensabant, atque etiam sacramenta populo administrabant. » Hæc Trapezita, quorum hæc summa est, duo hic episcoporum genera describi ab Apostolo; ac prius quidem et præstantius, quod in orationem, et prædicationem incumbebat, διδασκάλων nomine significari; posterius vero, quod et inferius est, et ἐπισκοπῆς nomine proprie censetur, quodque inspectionem tantum; et curationem habuit sine dignitate, ac potestate, iis vocibus contineri, ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις. Hic si humani sensus ac judicii paululum adhibeatur, si illa ipsa, quæ scripta sunt, verba considerentur, inter seque conferantur, nemo est hebes adeo, quin sententiarum absurditatem, conflictumque statim videat.

IV. Primum quis illum docuit, per διδασκάλους nominatim episcopos prioris gradus intelligi; posterioris autem per duo ista ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις? Qui enim potius dis- distinctos ambo ista gradus episcoporum significant, quam qui secundo loco ponuntur, Prophetæ, aut quæ deinceps post tertium

Doctores.

Presbyterorum. Laborantes verbo et doctrina.

Charismata

Doctorum.

Episcopatus

Opitulationes et gubernationes.

Doctores.

Opitulationes et gubernationes.

1 *Act.* VII.

enumerantur, virtutes, donationes sanitatum, ac genera linguarum? Cur non ex istis totidem episcoporum ordines, aut aliorum graduum comminisci fas erit, si episcoporum, ex duobus illis conceditur? Enimvero πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, et quod quisque amat, de eo sibi somnia fingit. Nihilo ergo magis episcopi in illis vocabulis continentur, quam aut diaconi, aut etiam laici. Nam et Stephanus, et Philippus diaconi fuerunt, et iidem διδασκαλίας χάρισμα excellenter habuerunt. Habuit et Stephanus, quod quidem e Scripturis constet, τῆς ἀντιλήψεως et κυβερνήσεως donum. Viduis enim, atque egentibus opitulabatur, eosque fovebat tum ex officio, tum quod ad ista pietatis opera suus illum incitabat animus, sancto instinctus Spiritu, et charitatis ardore flagrans. Præterea Paulus in illo prioris *ad Corinthios* loco, χαρίσματα, id est dona quædam recenset Spiritus sancti, quæ tum extra ordinem largiebatur, quibus vellet, et quocumque tempore libitum illi esset, quod et Trapezita agnoscit, dum χαρίσματα nominari illic asserit. Non igitur ordinaria Ecclesiæ munera, et officia, quæ humano judicio, ac suffragio mandantur, ibi Apostolus designat, cum διδασκαλίαν, ἀντίληψιν et κυβέρνησιν nominat. Siquidem διδάσκαλοι non ii sunt, qui docendi populi jus, ac potestatem habent ex ordinis prærogativa, ut episcopi, qui sive prædicandi divini verbi facultate præditi sint, sive ea careant, tamen magisterium obtinent; οἱ ὑπὸ τῆς θείας ἐμπνεόμενοι χάριτος *qui divina inspirati gratia* divina explicabant dogmata, ut scribit Theodoretus, nec non Chrysostomus, ac cæteri. Non erat autem illigatum hoc donum, et charisma Spiritus sancti Ecclesiæ primoribus, id est episcopis, sed inferioribus etiam aspirabat, ut de diaconis superius ostendimus. Certe Stephanus et Philippus, quod sciam, episcopi non fuerunt; quos tamen διδασκάλους ex eo genere, quod Paulus ibi commemorat, fuisse nemo dubitat.

Omnis canis panem somniat.

Doctrinæ charisma.

Opitulationis. et gubernationis.

Charismata

Doctrinam, opitulationem, et gubernationem.

Doctores.

Doctores.

CAPUT VI.

Trapeziticæ dissertationis incondita ratio ad certa capita revocatur, et excutitur. Ejus repugnantia, et absurditas. Refelluntur varii ab illo temere constituti gradus episcoporum. Ostenditur ex antiquorum testimonio episcopos plenum jus semper in Ecclesiasticas res habuisse; ac tam in prædicationem incubuisse, quam ecclesiasticis bonis præfuisse. Summa illorum potestas adversus Trapeziticas nænias defenditur.

I. Sed ut pressius cum isto opinionis, errorisque portento pedem conferamus, age, quæ de episcoporum generibus, et officiis confuse, et quasi per saturam scripsit Trapezita, articulatim, ac distincte consideremus. Ita dictorum repugnantia et falsitas, quæ in incondita illa congerie, velut in tumultu ac turba latet, deprehensa, atque convicta, in ipsos lectoris oculos incurret, « Solet enim, ut recte scripsit Æschines, qui mentiri volunt, obscura quædam, et incerta, nec satis explicata proferre, ne coargui, convincique possint[a]. » Hic verus, germanusque character est Trapezitici illius operis, in ea maxime parte, in quam modo nos inquirimus. Adeo enim perplexa, et indigesta, et inextricabilia illic omnia sunt, ut quid sibi velit, ac quid longa, et verbosa disputatione probare ac definire conetur, nemo mortalium assequi possit. Quantum quidem humano more ac sensu dictum ibi est, quod intelligi queat, exponam breviter; tametsi ne ista quidem cohærent secum, sed evertunt se, et invicem pugnant. Tria sunt, inquam, vel quatuor capita opinionis illius, quæ ad pugnam, et contradictionem implicata sunt.

II. Primum docet, antiquis temporibus, cum presbyterorum et episcoporum promiscua esset appellatio, et par communisque gradus, ac dignitas; nonnihil tamen fuisse discriminis, quod illorum aliqui « curam animarum proprie habuere, quas erudiebant, » nempe qui orationi ac prædicationi totos se addixerant. « Alii curam corporum, quæ ab

Refelluntur varii gradus episcoporum temere a Trapezita constituti.

a ÆSCHIN. Οἱ ἀλαζόνες, ὅταν τι ψεύδονται, ἀόριστα, καὶ ἀσαφῆ πειρῶνται λέγειν, φοβούμενοι, τὸν ἔλεγχον.

injuria defensabant, et bonorum, quæ dispensabant. » Addit tamen mox : « Imo etiam et animarum , quia sacramentorum administrationem, quibus animæ quasi pascuntur, quæque alimenta spiritualia sunt. » Tales fuisse censet, qui episcopi proprie dicebantur ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, id est *a curatione*, « quasi προστάται *defensores*, ac curatores Ecclesiæ, non ἄρχοντες. »

Principes.

Deinde ista subjicit. « Postea unus idemque curam animarum gessit, et pecuniarum, id est bonorum ecclesiasticorum. At olim, cum presbyteri dicerentur ab ætate , duum, ut dixi, generum fuere, sed unius ordinis alii ad ἐπισκοπὴν Ecclesiæ destinati, alii ad διδαχὴν, quæ et ipsa ἐπισκοπὴ animarum » etc.

Curationem Doctrinam. Curatio.

Tertio in eadem pagina ita Trapezita : « Idcirco cum presbyterorum , et episcoporum ordo distingui cœptus est, et superior gradus dignitatis episcopis dari , hoc proprium eorum munus est factum, docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, et nullis se aliis ecclesiasticis negotiis immiscere. Ergo tum presbyteri cætera curabant , tam quæ spectarent sacramentorum administrationem, quam quæ aliorum ecclesiasticorum actuum procurationem. »

Quarto scribit hæc Trapezita : « Ubi docendi munus abjecerunt episcopi, quod olim proprium, et peculiare habebant, infra dignitatem suam id esse rati, tum exortum est in Ecclesia *Doctorum* genus, qui episcopi non erant, » etc. Mox, « Abjecto igitur munere docendi, ne nomen ac species sine re maneret episcopatus dignitas, ex muniis presbyterorum quædam præcipua sibi sumere cœperunt, quæ non liceret presbyteris attingere, sed episcopi soli agere possent; ut erat pœnitentium reconciliatio, et chrismæ confectio, et puellarum consecratio, et alia quædam ; episcopo etiam dispensandi res ecclesiasticas potestas data est sed cum notitia presbyterorum, et diaconorum, ut scirent nimirum, quæ bona essent episcopi propria, quæ ad Ecclesiam pertinerent, canone ultimo Antiochenæ synodi. Quod olim presbyterorum fuit, qui non docebant. »

III. In hac tota disputatione tres, ut dixi, quatuorve status episcopalis ordinis continentur. Quorum primus est, quando bifariam tributus fuit in eos, qui oratione, divinique verbi prædicatione censebantur ; et eos qui res externas curabant , ac sacramenta præbebant. Secundus est , in quo curam utriusque gesserunt. Tertius in quo sola docendi populi, citra rerum ecclesiasticarum procurationem, illis est mandata provincia. Quartus denique, in quo, omissa prædicatione docendique populi munere, externa duntaxat attigerunt. Quam hæc vana, et commentitia sint, nondum disputo ; fiet hoc post paulo, ubi hæc ludicra, et somniorum esse simillima constabit. Illud quæro, quam consentanea sint, quæ de secundo, ac tertio statu prodidit. Nam post priora illa de duplici episcoporum genere, mox ista subjicit : « Postea unus idemque curam animarum gessit, et pecuniarum, » etc. quibus significat, post illud tempus, quo presbyteri exæquari episcopis desierunt, penes unum cæteris præpositum episcopum, duo fuisse munera, quæ hactenus ambo illa in genera dividebantur ita, ut idem et orationi prædicationique daret operam, et ecclesiastica bona , adeoque sacramenta curaret. Atqui subinde pagina eadem contrarium docet ; nempe « cum presbyterorum, et episcoporum ordo distingui cœptus est, » episcopo solum docendi, erudiendique populi, et orationis munus injunctum fuisse, cæterorum vacationem habuisse, quæ presbyteri curanda susceperunt. Hæc duo vera simul esse non possunt. Exponat igitur, quodnam secundo illi statui tempus assignet, in quo duplici munere ornati sunt episcopi ; quod sane nunquam non in eorum jure fuit, ac potestate, ut partim ex iis liquet, quæ superius probata sunt, partim in sequentibus ostendam. Itaque, dempto illo secundo, quem evertit in tertio, tres non amplius episcoporum status a Trapezita constituti sunt ; primus in quo episcopi cum presbyteris promiscue habiti , functionis genere bifariam partiti erant : secundus , in quo episcopi jam a presbyteris distincti , et supra eos evecti, nihil præter orationem, et populi institutionem ecclesiastici muneris usurpabant, sacramentorum, ac bonorum Ecclesiæ curatione presbyteris commissa : tertius in quo vice versa, prædicationis onere in alios translato, toti in rerum ecclesiasticarum administrationem intenti erant. Hæc summa est Trapeziticæ disputationis, in qua tantum est falsitatis, et inscitiæ, quantum vix quisquam, nisi oculis ipsis fidem faciat, persuadere sibi poterit. Dabimus operam; ut quæ sola lectione mediocriter saltem eruditi iis in rebus animadvertent, etiam tardissimi quique rationibus adjuti nostris incredibilia paucarum paginarum errata cognoscant.

IV. Imprimis autem recolenda illa sunt,

Priscus episcoporum status.

quæ in superioribus capitibus exposui de antiquo episcoporum statu, cujusmodi temporibus Apostolorum fuit; deque communi cum presbyteris illorum appellatione; ita tamen, ut inter episcopum, ac simplicem sacerdotem salva esset functionis, ordinisque distinctio, etsi in eamdem personam ambo concurrerent. Intellectum porro est ibidem, perbrevi tempore, ac sub Ecclesiæ duntaxat initia servatum id fuisse, ut iidem et presbyteri, hoc est communi sacerdotio præditi essent, et episcopi; sive, ut cum Sidonio loquar, in primo et secundo ordine iidem ut essent antistites. Nam subinde unus ex omnibus, qui episcopi tum nomine, tum dignitate, jure, atque ordine, toti Ecclesiæ præesset, electus est; id quod superstitibus adhuc Apostolis in usum receptum esse monstravimus. Neque vero, quod indidem constat, sic unquam presbyteri et episcopi simul iidem constituti sunt, ut non distincti per sese ambo essent ordines, qui et diversis postea personis attributi sint, et tum etiam, cum in plerisque conjungerentur, in nonnullis separati fuerint. Ex quibus Trapezitici fœneratoris, ut et reliquorum sectæ ejusdem, hoc est Calvinistarum omnium error arguitur; qui nihil ab episcopo interesse presbyterum, id est ordinem ab ordine differre putant. Explosa est etiam ista presbyterorum, qui iidem essent et episcopi, Trapezitica partitio; ut eorum aliqui hoc unum munus gererent, ut orarent, prædicarentve, et animas tantummodo curarent; alii nihil præter corpora spectarent, et quæ ad ista pertinent, ecclesiasticas pecunias. Quanquam et curandarum animarum particula mox eos aspergit, sacramentorumque concedit administrationem. Quæ quam falsa, et sine ulla ratione conficta sint, non hic repetam, ne in eadem sæpius incurrat, ac longius, quam volo, tendatur ista disputatio. Nam et alia supersunt haud pauca dicenda contra status episcoporum reliquos duos, etsi, primo illo profligato, majori etiam isti ex parte corruunt. Sed sunt propria quædam flagitia insequentis orationis, de quibus Trapezita noster admonendus est.

V. Proximus a primo, et antiquissimo, status episcoporum fingitur ejusmodi, postquam a presbyterorum ordine segregati sunt, in quo oratione, ac prædicatione divini verbi circumscriptum munus illorum fuit; adeo ut neque bonorum ecclesiasticorum procurationem, neque sacramentorum præstationem susciperent, sed utrumque administrarent presbyteri. Locum ac verba Trapezitæ, quibus hoc explicat, paulo ante descripsimus. Quod initium partitionis illius inter episcopum ac presbyteros muneris, officiique, necesse sit ab illo constitui, jam e superioribus liquet. Tum enim id esse factum existimat, « cum presbyterorum et episcoporum ordo distingui cœptus est, et superior gradus dignitatis episcopis dari. » Hoc autem Joannis Apostoli, Clementis item Romani Pontificis, adeoque Ignatii martyris temporibus, hoc est paulo post ortum Christianismi contigit, quod ex illorum scriptis, et illius ætatis historia omni teste, capite illo tertio probavimus. Quare a postrema saltem Apostolorum ætate mutationem illam esse cœptam affirmare debet, si sibi consentaneus esse vult; quod tamen minime omnium curare consuevit. Jam quod ad tempus perducta sit episcopatus illa forma, et ratio, idem sibi Trapezita præscribit, dum eam desiisse tunc asserit, cum « episcopo dispensandi res ecclesiasticas potestas data est, sed cum notitia presbyterorum, et diaconorum, ut scirent nimirum, quæ bona essent episcopi propria, quæ ad Ecclesiam pertinerent, canone ultimo Antiochenæ synodi. » Cum igitur in Antiochena synodo decretum hoc fuerit, ut episcopus, consciis presbyteris et diaconis, res ecclesiasticas administraret, cum hactenus « hoc proprium munus haberet docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, et nullis se aliis ecclesiasticis negotiis immiscere; » nimirum consequens id est, ad annum circiter Christi trecentesimum quadragesimum primum, quo Antiochena illa synodus canonem istum edidit, episcopos in illo statu et functione perseverasse.

Episcopi ab origine spiritualium et temporalium administrationem habuerunt.

VI. Quamobrem unica et certissima via hæc est indoctæ, atque falsæ refellendæ opinionis, si hoc demonstrari, obtinerique potest, toto illo interjecto tempore, episcopos non solum in orationem, prædicationemque divini incubuisse verbi; sed cum maxime in rerum ac pecuniarum ecclesiasticarum administrationem, ac sacramentorum præstationem; quæ duo ministeriorum genera ab illo statu secundo Trapezita abjudicare est ausus. Ac si mihi cum homine vel pudenti, vel antiquitatum ecclesiasticarum, historiæque non imperito res sit, verbo amplius opus non erit. Nam cum infinitis argumentis, et exemplis obstrui tam apertum mendacium potest; tum horum pleraque vulgaria, nec in recondita lectione posita sunt. Sed ne tergiversari con-

jectores, ac *lucifugæ* ulli queant[1], *ipsius Solis radio scribenda* erunt omnia, ut Tertullianeum hoc usurpem; ac manifestis antiquorum testimoniis, quasi fidiculis, tum inscitiæ ab illis suæ, tum catholicæ veritatis exprimenda confessio. Hoc igitur agamus. Primus antiquorum testis adversus Trapezitam pro nobis citabitur Justinus martyr Apostolicorum suppar temporum. Qui in *Apologia* secunda, ecclesiæ Christianæ instituta, moresque describens, præsertim qui in sacris synaxibus, ac sacramentis celebrandis usurpari tum solebant, omnia per unum ecclesiæ præsidem, id est episcopum, gesta et administrata esse confirmat; eumdemque tum docendi populi, tum sacramentorum impertiendorum, ac pecuniæ ecclesiasticæ curatorem, et moderatorem fuisse docet. Primum enim refert, post baptizatum illum, qui Christianus fieri voluit, statim illi, qui fratribus præest, offerri panem et vinum, quæ ab illo consecrata, et corpus ac sanguis effecta Christi, distribuuntur in populum. Ἔπειτα προσφέρεται, inquit τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος, καὶ κράματος, etc. Nemini dubium est, quin singularis ille Præses, ὁ προέστὼς τῶν ἀδελφῶν, sit episcopus toti ecclesiæ, id est fraternitati, præpositus. Hic igitur tunc sacramenta conficiebat, eaque per diaconos populo ministrabat, cum jam e numero presbyterorum exemptus dignitate anteibat omnes. Idem etiam, ut paulo post Justinus narrat, Dominica quaque die postquam lectæ erant Scripturæ sacræ, ad populum verba faciebat. « Deinde postquam lector desiit, Præses orationem habet, qua instruit, et ad præclara illa imitanda cohortatur[a]. »

Quod probatur ex Patribus.

VII. Nec minus ille pecuniarum ecclesiasticarum curam gerebat, et eas asservabat; quod statim Justinus commemorat. Hoc est: « Qui locupletes sunt, et volunt, pro arbitrio quisque suo, quod libitum est, contribuit: et quod collectum est, apud præsidem deponitur, atque iis inde opitulatur orphanis, et viduis, iisque, qui vel morbo, vel alia de causa egent, tum iis, qui vincti sunt, et peregre advenientibus hospitibus; et, ut uno verbo dicam, omnium indigentium curator est[b]. » Hæc Justinus, quæ Trapezitam foro cedere cogunt, ac vadimonium deserere. Vides enim, ut idem ὁ προεστὼς, id est *Ecclesiæ præpositus et episcopus* populum ex officio docuerit, sacramenta peregerit, res ac pecunias ecclesiasticas administrarit; ex quibus primum duntaxat episcopo mandavit iste, reliqua duo presbyteris.

Cæterum quem προεστῶτα vocat Justinus, hunc *Præsidentem* Tertullianus nominat in libro *de Corona militis*, capite tertio, ubi « Eucharistiæ sacramentum Christianos ait, non de aliorum manu sumere, quam præsidentium. » Etenim per illa tempora episcopi ipsi fere sacris operabantur, et Eucharistiam iis, qui aderant, præbebant. Neque hoc tantum sacramentum, sed etiam Baptismum præcipuo jure administrabant; cæteri, ubi major erat numerus, nonnisi ex episcopi auctoritate. Ita docet Tertullianus ipse in libro *de Baptismo*, capit. XVII. « Dandi quidem habet jus, inquit, summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri, et diaconi; non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem; quo salvo, salva pax est.» Ergo penes episcopum proprie jus fuit sacramentorum impertiendorum, Baptismi et Eucharistiæ; tantum abest, ut solis presbyteris commissum hoc munus fuerit, episcopis negatum, ut illi, cum eo fungerentur, nonnisi accepto ab istis jure, auctoritateque facerent. Atque hæc sola sacramenta sunt, quæ Trapezita, ejusque symmystæ, Romanæ communionis hostes pro veris et Christianis asciscunt. Ita nihil est causæ, quin gravissimi convictum se erroris ipse fateatur, qui sacramentorum curationem episcopis ademerit, penes quos præcipuum jus illorum fuisse, tam firmis testimoniis ostendimus.

VIII. Sequitur Ignatius Martyr, qui Justino paulo etiam antiquior est. Hujus epistolæ septem e duodecim, quæ hodie exstant, ab Hieronymo recensentur, *ad Ephesios*, *ad Magnesianos*, *ad Trallenses*, *ad Romanos*, *ad Philadelpheos*, *ad Smyrnæos*, *ad Polycarpum*. Ex quibus cæterisque colligas, episcopum toti ecclesiæ, ac clericis omnibus præfuisse, uti

a JUSTINUS *Apol.* II. Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται.

b Idem. Οἱ εὐποροῦντες δὲ, καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι. καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε, καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις, οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται.

1 Tertul. lib. *de resurr. carn.* cap. XLVI.

nulla pars ecclesiasticæ rei sine illius auctoritate tractaretur. Ac sæpe illud, diligenterque commendat, et in singulis epistolis repetit, ut episcopo pareant universi, præsertim presbyteri, et diaconi, neque quidquam nisi ex ejus arbitrio, ac voluntate faciant. « Quid est episcopus, *ait ad Trallenses scribens*, nisi supra omnem principatum, et potestatem omnibus imperans; quatenus homo imperare potest [a]?» In epistola vero tertia *ad Magnesios*. fieri quidquam prohibet absque episcopo, sicut Christus nihil absque Patre gerit. « Ita et vos sine episcopo nihil agite, inquit, non presbyter, non diaconus, non laicus: neque res ulla vobis consentanea rationi videatur, præter illius sententiam. Id enim pravum est, et invisum Deo [b].» Sic in aliis, ut diximus, epistolis, nominatim autem in septima *ad Smyrnæos* vehementius id inculcat. « Nemo, inquit, sine episcopo quidquam agat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit [c]. » Ac subinde disertius : « Non, inquit, absque episcopo neque baptizare, nec offerre, neque sacrificium celebrare, neque convivium instituere; sed quidquid illi visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, ut sit tutum, et stabile, quidquid agetis [d]. » In his sacramentorum administrationem, et rerum omnium ecclesiasticarum curationem, episcopi auctoritati ac potestati commissam esse demonstrat.

Rursus in octava epistola, quam scripsit *ad Polycarpum*, viduarum illi curam commendat: et ut nihil nisi ex ejus sententia geratur. Αἱ χῆραι μὴ ἀμελείσθωσαν. μετὰ τὸν κύριον σὺ αὐτῶν φροντιστὴς ἔσο. μηδὲν ἄνευ τῆς γνώμης σου γινέσθω*. Tum ut populum hortando, admonendoque doceat, et ne Christiani matrimonia nisi ex episcopi auctoritate copulent. Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι, καὶ ταῖς γαμούσαις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ κύριον, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν **.

IX. Eadem veteris Ecclesiæ disciplina ex antiquis canonibus conciliorumque decretis adstruitur; quæ episcopi unius judicio, ac potestati summam ecclesiasticarum rerum omnium permittunt. Imprimis Apostolici canones, qui etsi in dubium vocantur, nemo tamen dissentit, quin antiquissimi fuerint, præsertim priores, quos ad quinquaginta Latine vertit Dionysius. Horum tricesimus nonus ita constituit : « Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur. » Canone deinde XL. « Presbyteri, et diaconi præter episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipsi commissus est, » etc. Item canone XLI. « Præcipimus, ut in potestate sua episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet, eum curam pecuniarum gerere ita, ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros, et diaconos, et cum timore, omnique sollicitudine ministrentur,» etc. Quinetiam in canonibus XLVII, XLIX, L, episcopis præscribit quædam in dando baptismo ab illis observanda. Non igitur ab reliquis curationis ecclesiasticæ partibus exclusi solum docendi munus exercebant, ut falso credidit Trapezita. Quem ne ipsum quidem cunctaturum arbitror, quin pluris istos esse qualescumque canones fateatur, quam suppositium illum Damasum, e quo lepidam illam ἐπίστασιν de episcoporum officio concinnavit. Pluris item eodem illo Pseudodamaso constitutiones Apostolicas Clementis faciat, in quibus episcopo mandatur omnium cura rerum ecclesiasticarum. *Observationem.*

X. Nam libr. II, cap. XI episcopum ait præesse omnibus hominibus. « Quocirca

a IGNATIUS epist. *ad Trallenses*. Τί γὰρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἡ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν.

b Id. *ad Magn*. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, ἄνευ τοῦ 'Επισκόπου, μηδὲ πρεσβύτερος, μὴ διάκονος, μὴ λαικὸς, μηδὲ τι φαινέθω ὑμῖν εὔλογον παρὰ τὴν ἐκείνου γνώμην. τὸ γὰρ τοιοῦτον παράνομον, καὶ θεοῦ ἐχθρόν.

c Id. *ad Smyrnæos*. Μηδεὶς χωρὶς 'Επισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ᾗ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ.

d Ibid. Οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζεν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν. ἀλλ' ὃ ἂν ἐκείνῳ δοκῇ κατ' εὐαρέστησιν θεοῦ, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ, καὶ βέβαιον πᾶν ὃ ἂν πράσσητε.

* Viduæ non negligantur. Post Dominum tu illarum curator sis. Nihil sine voluntate tua fiat.

** Decet vero ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ secundum Deum sint et non secundum concupiscentiam. J. B. F.

stude, inquit, o episcope, purus esse, factis ipsis mores tuos indicans ac dignitatem, utpote qui inter homines exemplar habes Deum, hoc ipso, quod omnibus imperas hominibus, sacerdotibus, regibus, magistratibus, patribus, filiis, magistris, atque omnibus simul subjectis. Ita porro in Ecclesiæ sede sermonem faciens, ut qui potestatem habeas judicandi eos, qui peccaverunt; quoniam vobis episcopis dictum est : *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis* [a].» Non hæc, opinor, in eos quadrare possunt, cui, præterquam prædicandi verbi divini, nullum aliud in Ecclesia munus sustinent, quales episcopos ætate illa fuisse Trapezita commentus est; sed summum, absolutumque magistratum indicant, qui sacris rebus, et ecclesiasticis nulla præsit excepta; præsertim vero sacramentis, quorum dispensatio ad ligandi, atque solvendi potestatem refertur. De qua vide, si lubet, caput ejusdem libri XVI, XVIII, XX et XXI, in quibus plenam tum in peccatores pœnitentiæ subjectos, tum in cæteras ecclesiasticæ rei partes, potestatem permittit episcopis. Nominatim vero pecuniarum sacrarum, quæ ex decumis, et ultro tributis, atque oblationibus fidelium, Ecclesiæ proveniunt, administrationem concedit c. XXV, earumque distributioni præesse jubet. Et cap. XXVII. « Oportet igitur et vos, fratres, sacrificia vestra, id est oblationes offerre episcopo tanquam Pontifici, sive per vos, sive per diaconos. Sed et primitias, et decumas, et quæ sponte offeruntur. Is enim probe novit afflictos, et unicuique, prout congruum est, tribuit[b]. » Vide insuper caput XXXI et XXXII. Capite vero XXXIV episcopum ornat amplissima potestate, ac jurisdictione; quam in eo sitam agnoscit, « quod eos ligare potest, aut solvere, qui pœna digni sunt, aut venia. Ideo episcopum, inquit, amare debetis ut patrem, ut regem metuere, honorare ut dominum; eique fructus vestros, et manuum opera vestrarum ad benedictionem promerendam offerre: primitias vestras, decumas, et oblationes, ac dona dantes, tanquam Sacerdoti Dei[c]. » Plura non addam scriptoris hujus, quæ sunt innumera, et apud ipsum utilius leguntur.

XI. Jam canones veterum conciliorum, et usus Ecclesiæ per idem tempus, ac tota Christianæ series historiæ vera esse demonstrant, quæ adversus Trapezitarum patronum contendimus. Etenim disciplina omnis ecclesiastica, clericorum, et ordinum omnium gubernatio, pœnarum itidem modus, et pœnitentiæ functio, ac jus denique ad sacramenta percipienda, et eorum administratio, decretorum synodicorum auctoritate passim in episcopos confertur. Consulantur canones Nicænæ synodi V, XI et XII, in quibus repræsentandæ communionis potestas episcopo tribuitur, ut pro arbitrio legitimum tempus vel contrahat, vel proroget iis, qui pœnitentiam obeunt. Episcopo, inquam, ejusmodi, quem et unum tantum in civitate qualibet, canone VIII esse jubet, et in ejus voluntate situm esse, ut episcopis ad catholicam partem ab hæresi transeuntibus, episcopalis duntaxat nominis dignitatem permittat. Sic Laodicenum canone XIX pœnitentium curam episcopo mandat; et canon. LVII presbyteris præcipit, ut nihil sine consensu episcopi gerant : τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ ἐπισκόπου.

Idem probature decretis conciliorum.

Ancyrana quoque synodus canone secundo, et quinto, vel quarto, ut a Dionysio Exiguo numerantur, episcopi judicio relinquit pœnitentiæ modum; quo uno in cardine sacramentorum, et communionis ecclesiasticæ summa vertitur. Canone vero XV bonorum Ecclesiæ curam ac potestatem eidem committit episcopo, quod Dionysius sic interpretatur, « De his, quæ pertinent ad Ecclesiam, quæ-

a Const. Apost. Clem. Διὰ τοῦτο οὖν Ἐπίσκοπε, σπούδαζε καθαρὸς εἶναι, τοῖς ἔργοις γνωρίζων τὸν τρόπον σου, καὶ τὴν ἀξίαν, ὡς θεὸν τύπον ὁ ἔχων ἐν ἀνθρώποις τῶν πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, υἱῶν, διδασκάλων, παὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ὑπηκόων. καὶ οὕτως ἐν ἐκκλησίᾳ καθέζου τὸν λόγον ποιούμενος, ὡς ἐξουσίαν ἔχειν κρίνειν τοὺς ἡμαρτηκότας. ὅτι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις εἴρηται, ὃ ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὃ ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τῷ οὐρανῷ.

b Const. Apost. Προσήκει σὺν καὶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, .ὰ θυσίας ὑμῶν, ἤτοι προσφορὰς. τῷ ἐπισκόπῳ προσφέρειν, ὡς ἀρχιερεῖ, ἢ δι' ἑαυτῶν, ἢ διὰ τῶν διακόνων. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τὰς ἀπαρχὰς, καὶ τὰς δεκάτας, καὶ τὰ ἑκούσια αὐτῷ προσάγετε. αὐτὸς γὰρ γινώσκει τοὺς θλιβομένους, καὶ ἑκάστῳ δίδωσι πρὸς το ἁρμόζον.

c Ibid. cap. XXXII. Δεσμεύει γὰρ αὐτὴ, καὶ λύει τοὺς τιμωρίας, ἢ ἀφέσεως ἀξίους. διὸ τὸν ἐπίσκοπον στέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα, φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα, τιμᾶν ὡς κύριον· τοὺς καρποὺς ὑμῶν, καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν ὑμῶν εἰς εὐλογίαν ὑμῶν προσφέροντες αὐτῷ, τὰς ἀπαρχὰς ἡμῶν, καὶ τὰς δεκάτας ὑμῶν, καὶ τὰ ἀφαιρέματα ὑμῶν, καὶ τὰ δῶρα ὑμῶν διδόντες αὐτῷ, ὡς ἱερεῖ θεοῦ.

cumque, cum non esset episcopus, presbyteri vendiderunt; placuit, rescisso contractu, ad jura ecclesiastica revocari. In judicio autem erit episcopi, si pretium debeat recipi[a]. »

Gangrensis item synodus, quæ Nicænam antecessisse creditur, canone septimo, et octavo, anathema dicit iis, qui oblationes Ecclesiæ, citra consensum episcopi, dare aut accipere ausi fuerint, aut ejus certe, quem illis colligendis et administrandis episcopus præfecerit. Quare penes episcopum fuit non solum institutio populi, ac prædicatio divini verbi, sed etiam sacramentorum, ac bonorum ecclesiasticorum tractatio, quod Trapezita præfracte negat.

XII. Adde nunc, si lubet, exempla plurimorum episcoporum, quæ in historiis occurrunt illorum temporum; ex quibus eosdem liquido constat, et divini verbi, et ecclesiasticarum omnium functionum jus habuisse, non autem presbyteros, quibus episcopi sacramentorum impertiendorum potestatem facerent, eamque pro arbitrio relaxarent, aut restringerent. Scribit apud Eusebium Cæsariensem Dionysius Alexandrinus episcopus [1], se presbyteris præcepisse, uti lapsis sub exitum vitæ communionem darent. Multa porro ejusdemmodi apud Cyprianum, tam ab ipso constituta, quam ab aliis episcopis, memoriæ prodita sunt; quæ vel nunquam legit Trapezita, vel si legit, doceat nos, qua fronte tantum paginarum in re falsissima contra illius auctoritatem asseveranda perdiderit: « Episcopum illc judicem a Deo datum nominat, et Ecclesiæ gubernatorem, epistola LXIX. » Idem, « schismata et hæreses inde obortas esse, et oriri dicit, dum episcopus, qui unus est, et Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur. » Non igitur simplex curatio sine jurisdictione, ac potestate fuit, id est ἐξουσία, ut putat Trapezita. Idem porro Cyprianus episcopalis partem muneris fuisse demonstrat sacramentorum administrandorum jus auctoritatemque; dum Puppianum schismaticum, qui ipsum negabat episcopum esse verum, ac legitimum, sic irridens refellit: « Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos, et sacerdotes vocare; ac nisi apud te purgati fuerimus, et sententia tua absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus sacerdotem? Subveniat Puppianus, et sententiam dicat, et judicium Dei et Christi in acceptum referat, ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis et pacis exisse videatur; ne novus credentium populus nullam per nos consecutus esse Baptismi, et Spiritus sancti gratiam judicetur; ne tot lapsis, et pœnitentibus pax data, et communicatio nostra examinatione concessa, judicii tui auctoritate solvatur. Annue aliquando, et dignare pronuntiare de nobis, et episcopatum nostrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, ut Deus et Christus ejus agere tibi gratias possint, quod per te sit antistes et rector altari eorum pariter et plebi restitutus. »

Sacramenta jure proprio episcopi conferebant

XIII. Hinc episcopos apparet sacramenta dispensasse, ac jure suo et proprio illorum administrationi præfuisse. Nam Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, et Altaris sacrificium in eorum fuisse potestate significat, Quod ipsum passim, et in plerisque illius epistolis ac libris exstat, in quibus de lapsis ad pœnitentiam admittendis, ac reconciliandis, id est communione ecclesiastica, et Sacramento altaris impertiendis, aut contra rejiciendis, ac differendis præcepta dat; et quid in eo genere observari velit a clericis, edicit. Nec minus pauperum curam gerit, ut viduarum, et eorum, qui pro Christi nomine multa perpessi ad inopiam redacti erant; nec non clericorum, quibus ex Ecclesiæ bonis prospici jubet, et eisdem ampliorem dignitatis gradum decernit. An vero pars est ulla ecclesiasticæ rei cujus non curam ac sollicitudinem præ se ferat, non, ut alienam, aut ad alios pertinentem, sed tanquam pastoralis et episcopalis officii propriam? cum interim alteram in partem nihilo secius intentus esset, quæ in docendo populo, ac verbo Dei prædicando posita est. « Quid enim aliud in Ecclesia Domini (ait in libro *de bono pudicitiæ*) utilius geri, quid accommodatius officio episcopi potest inveniri, quam ut doctrina divinorum

a Ancyrana syn. Περὶ δὲ τῶν διαφερόντων τῷ κυριακῷ, ὅσα ἐπισκόπου μὴ ὄντος πρεσβύτεροι ἐπώλησαν, ἀνακαλεῖσθαι τὸ κυριακόν· ἐν δὲ τῇ κρίσει τοῦ ἐπισκόπου εἶναι, εἴπερ προσήκει ἀπολαβεῖν τὴν τιμὴν, εἴτε καὶ μὴ, etc.

1 Euseb. lib. VI, cap. XXXIV.

per ipsum insinuata, collataque verborum, possint credentes ad repromissum regnum pervenire cœlorum ? »

Omnesque Ecclesiæ actus gubernabant.

XIV. Rursus actus omnes Ecclesiæ ab episcopis gubernari, idem diserte in libro *de Lapsis* ait : « Inde per temporum, et successionum vices, inquit, episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem episcopos gubernetur. » Sic in epistola XXXVIII in Felicissimum schismaticum invehitur, « qui a pastore oves, et filios a parente separare, et Christi membra dissipare tentaverat. »

In eadem epistola, quam ad episcopos sibi subjectos, et presbyteros scribit, affirmat, se illos « pro se vicarios misisse, ut expungeritis, inquit, necessitates fratrum nostrorum sumptibus, » etc. Ut appareat, pecuniarum ecclesiasticarum dispensationem per id tempus in episcopi cum maxime fuisse potestate. Tum de eodem Felicissimo. « Cumque post hæc omnia nec loci mei honore motus, inquit, nec vestra auctoritate, et præsentia fractus, » etc. Ubi ἀξίαν, id est, *dignitatem*, sive *honorem* episcopatui suo vindicat, non minus contra Trapezitam, quam contra Felicissimum schismaticum. Utitur et eadem *honoris* voce, addita etiam et altera non minus splendida *potestatis*, idem Cyprianus in epistola LXV *ad Rogatianum episcopum* de diacono quodam re et nomine superbo, de quo ita præcipit, « Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abstineas. » Quibus in verbis et episcopalis ordinis dignitas, atque honor, et honori adjuncta potestas apparet, ac jurisdictio ; quod utrumque Trapezita, non sine sacrilegio, episcopis audet eripere. Atqui ambo ista, una cum episcopatu ipso, ab hujus auctore, et institutore Christo ei indita fuisse, non usu consequentium temporum invecta , passim et Cyprianus , et alii omnes antiqui docent. Chrysostomus certe homilia tertia *in Epistolam ad Colossenses*, eam vocat πνευματικὴν ἀρχὴν, *spiritualem principatum*, vel *magistratum* , cui θρόνον et προεδρίαν assignat ex institutione Christi. « Quandiu vero in throno isto sedemus, inquit, quandiu præsidendi jus habemus, et dignitatem habemus, et vim, tametsi indigni sumus. Si Mosis thronus tanta in veneratione fuit, ut ejus gratia illi auscultaretur ; multo in majore debet esse thronus Christi. In eum nos successimus ; ex eo verba facimus, a quo Christus posuit in nobis ministerium reconciliationis[a]. » Habet igitur episcopatus Christianus, ex auctoritate conditoris sui Christi, illa omnia, quæ Trapezita detrahit, ἀξίαν, id est *dignitatem*, προεδρίαν, *præsidentiam*, ut ita dicam, *thronum* summæ insigne potestatis, ἰσχὺν, id est *vim* et *auctoritatem*, qua ad coercendum, et cogendum utantur interdum ; ac cætera denique magistratus, ac principatus propria, quæ in nudam curationem cadere omnino nequeunt.

Thronum et præsidentiam.

CAPUT VII.

Pergitur in refellenda Trapezitæ sententia ; quæ episcopatum negat dignitatem fuisse, sed solam facit curationem. Ostenditur e contrario episcopos potestatem, ac jurisdictionem habuisse ; tum longe Judaicis sacerdotibus ampliorem. Quid sit potestas clavium, de qua Trapezitæ falsa opinio notatur.

Qui strictim a nobis antecedenti capite, summatimque libata veterum testimonia de episcoporum officio legerit, multoque magis qui illorum ex libris pleniorem hujus rei notitiam hauserit ; satis admirari poterit, fuisse quemquam hoc tempore tanta confidentia præditum, ut de episcopis tam illis contraria, tam ad hunc diem inaudita proferret, ut hoc dicere auderet, fuisse munus episcoporum non dignitatem aliquam, ac magistratum ecclesiasticum , sed nudam sine potestate curationem , ac jurisdictione vacuam ; tum quæ paulo post præter omnem modum absurda, commentitiaque scripsit, quæ quidem verbis illius referam : « Presbyteri, inquit, in synagoga Judaica etiam

a CHRYS. Ἕως δ' ἂν ἐπὶ τοῦ θρόνου τούτου καθήμεθα, ἕως ἂν τὴν προεδρίαν ἔχωμεν, ἔχομεν καὶ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ἰσχὺν, εἰ καὶ ἀνάξιοί ἐσμεν. εἰ ὁ Μωϋσέως θρόνος οὕτως ἦν αἰδέσιμος, ὡς δι' ἐκεῖνον ἀκούεσθαι· πολλῷ μᾶλλον ὁ τοῦ χριστοῦ θρόνος· ἐκεῖνον ἡμεῖς διεδεξάμεθα· ἀπὸ τούτου φθεγγόμεθα, ἀφ' οὗ καὶ ὁ χριστὸς ἔθετο ἐν ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς.

judicandi potestatem habuerunt; at in Christiano presbyterio, episcopi curationem tantum. Unde et ἐπίσκοποι sunt appellati, id est *curatores*. Provisione quippe animi, et corporalis laboris intentione, partim in docendo populo, partim in dispensandis rebus ecclesiasticis, et sacramentis administrandis erant occupati. Ubi vero dignitas esse cœpit, et honos, quod olim curatio tantum fuerat, id est ἐπισκοπή, tum ea officia, quæ curationis erant, certis personis attributa sunt, quæ non crearentur per manuum impositionem, sed per *promotionem*, id est προβολήν, ut œconomi Ecclesiæ, et *defensores*, qui Græcis ἔκδικοι. » Hæc infinite dicta, neque distincta satis, sed incondita, atque perplexa, nullam certam ac liquidam notionem lectoribus offerunt. Nihil est in illis tamen, quod utcumque perceptum, extricatumque sit, non ad summam vel inscitiam, vel hæresim implicatum appareat.

Episcopatus ad animam refertur; ad corpus autem ex accidenti.

II. Primum inter synagogæ Judaicæ presbyteros, et episcopos discrimen illud posuit, quod illi judicandi potestatem habuerint, episcopi ea caruerint, sola curatione circumscripti. Etsi non discrte significat, de qua jurisdictione loquatur, civili vel externa, an spirituali; tamen de spirituali, perspicuum est, ab illo ista dici. Nam episcopatus spiritualis est præfectura, quæ per se ad animam refertur, et sempiternam salutem ; ad corpus autem, et externarum rerum procurationem ex accidenti. Itaque qui judicandi potestatem detrahit episcopis, spiritualem iis jurisdictionem adimit. Et ubi illa est *ligandi potestas* atque *solvendi*, quam Apostolis, et per Apostolos eorum successoribus episcopis, mandatam a Christo[1], concilia omnia, omnia veterum Patrum monumenta testantur? Quid enim *ligare* atque *solvere* aliud est, quam judicare, ac vel damnare, vel absolvere, quæ est duplex judicum functio?

Judiciariam potestatem episcopis tributam a Christo asserunt Patres.

Judiciariam certe potestatem verbis illis a Christo datam esse Petro Apostolorum principi, credidit Cyprianus epistola XXVII adeoque Apostolis proportione cæteris, et eorum successoribus episcopis. « Ut Ecclesia, inquit, super episcopos constituatur; et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. » Quod quidem, salvo Petri ac successorum ejus principatu, Catholica pietas intelligit. Agnoscit item Hilarius canone XVI *in Matthæum*, dum « ejus arbitrio claves æterni aditus illi traditas scribit, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo. » Credidit et Hieronymus; qui in epistola *ad Heliodorum* Apostolos omnes, in quos iisdem verbis non dissimilem potestatem contulit, « claves regni cœlorum habentes asserit, quodammodo ante diem judicii judicare. » Nec aliter omnes antiqui Patres, qui eamdem postestatem mortalibus a Deo concessam infinitis laudibus, et cum ingenti admiratione prædicant.

III. Præcipue vero Chrysostomus in libro tertio *de Sacerdotio*, hoc est episcopatu, in quo mirifica quædam de amplissima illa potestate ac jurisdictione scribit, quibus Trapeziticæ, ac fœnebris rei patrono os occludit. Expendantur primum ista, et cum pusillæ mentis ac judicii illius angustiis conferantur, qui solam sine potestate curationem episcopis attribuit[2]. « Nam qui terram incolunt, ait, et in ea commorantur, iis commissa est cœlestium administratio, ac potestatem acceperunt, cujusmodi nec Angelis, nec Archangelis tribuit Deus. Non enim dictum est his : *Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo :* et *quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo.* Habent enim et ii, qui in terra dominantur, vinciendi potestatem ; sed in corpora duntaxat. Illud autem vinculum animam attingit ipsam, et cœlos ipsos penetrat. Et quæcumque infra sacerdotes egerint, hæc supra Deus rata facit, ac servorum suorum sententiam confirmat. Et quid aliud, quam cœlestem illis omnem tradidit potestatem[a]? » Mox vero regis affert exemplum, qui, quos velit, in carcerem detrudendi potestatem alicui dederit, et quos velit, a vinculis liberandi. Sacerdotes vero longe isto potestatem ampliorem a Deo consecutos asserit, et

a CHRYSOST. *de Sacerd.* Οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβήν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεός. οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται· ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· ἔχουσι μὲν γὰρ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον· οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς· καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. καὶ τί γάρ, ἀλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν.

1 *Matth.* XVI, 18 et cap. XVIII. 18. — 2 Chrysost. lib. *de sacerd.* pag. 16. tom. VI Sav.

infinite majori dignitate esse præditos. Quam eamdem similitudinem accommodat et homilia LXXXVI *in Joannem*, ad illa Christi verba : *Quorum remiseritis peccata*, etc. Quænam ergo dignitas, ac potestas esse potest, quæve jurisdictio, si hæc non est?

IV. Quod autem Judæorum presbyteris judicandi functionem Trapezita dat, Christianorum presbyteris, id est episcopis, adimit; quantum opinione sit falsus, paulo post idem demonstrat Chrysostomus, dum ambos invicem confert, et Judaicos lepræ non curandæ, ac tollendæ, sed probandæ duntaxat, an sanata jam esset, potestatem habuisse dicit; episcopos vero non corporum, sed animorum lepram, et impuritatem non sanatam probandi jus habere, sed sanandi penitus, et ab ea liberandi[a].

Ita Cassianus libro tertio *de Incarnatione*, capite XIV. Apostolum ait « potestatem quodammodo divinitatis accepisse, ut quæ ligasset, vel solvisset in terris, vel ligata essent in cœlestibus, vel soluta. »

Arguliola. Ex iis hæreticorum, et inter hos Trapezitæ, μικρολογία constringitur; qui non isto tantum in libro, qui de Trapezitico fœnore inscribitur, sed alio in loco, episcoporum dignitatem adeo in arctum cogit, ut ligandi, solvendique potestatem non aliter definiat, quam eo munere, quo ostiarii fungebantur quod in eo situm erat, ut in permittendo aditu Ecclesiæ *bonos a malis discernerent* (ait Ivo Carnotensis sermone II *de rebus Eccl.*). Ita ille *ligare* nihil aliud esse putat, quam ecclesia interdicere; *solvere*, liberum in ecclesiam aditum dare. Nam et cœlorum regnum, cujus claves Petro datæ sunt a Christo, ecclesiam interpretatur, non falso tantum, sed etiam inepte, ut alibi demonstravimus[1].

V. Hoc hæreticorum fermentum damnant pene omnes Græci, Latinique Patres, qui de potestate illa episcopis, ac sacerdotibus pro cujusque munere concessa aliter judicant, ut ex paucis, quæ attuli, testimoniis constat, quibus unum, alterumve libet addere. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi XIV, Eliam cum Petro comparans. « Elias in cœlum assumptus est, inquit, at Petrus claves habet regni cœlorum[b] :» Antiochus homilia CXXII[2]. « Non dixit, *Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata in terra*, sed *quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata in cœlo;* ut quando a communione repelles, vel interdices, vel depones, formidolosam rem esse ducas, utpote qui sententiæ adstipulatorem adhibeas Deum, tanquam illo teste, qui in cœlo est, id agens. Et ut vicissim is, cui interdicitur, aut qui deponitur, perhorrescat, velut extra regnum cœlorum ejectus. Vide, inquit, o Sacerdos, quid agas! Quæ infra alligas, horum in supernis rationem habendam existima[c]. » Manifestum est ex illis omnibus Patrum decretis, regnum cœleste non esse hujus temporis ecclesiam, ut pessime interpretabatur Trapezita noster, sed cœlum ipsum, cujus claves Petro tradidit Christus; ac potestatem illam ligandi, solvendique, jus esse, non ab ecclesia solum ejiciendi, vel in eam introducendi, sed ad cœlum usque pertingere.

VI. Hanc vero judiciariam esse functionem, nemo non agnoscit, nisi qui plane desipit. « Jus enim hoc solis permissum est sacerdotibus, » ait Ambrosius libro I *de Pœnitentia*, capite II, et Pacianus epistola I. Itaque sacerdotalibus officiis continetur. Et quidem Calvinus solo jure prædicandi jurisdictionem definit istam, dum *clavium vocem, et ligandi modum* sic explicat[3] : « Quoniam Evangelii doctrina nobis, inquit, cœli aperiuntur. Porro non alio modo ligantur et solvuntur homines, nisi dum fides alios reconciliat Deo, alios sua incredulitas magis obstringit. » Et in commentario *ad Harmoniam Evangelicam*, locum enarrans illum *Matthæi*, XVI. *Dabo tibi claves*, etc. « Clavium, inquit, similitudo concinne ad docendi munus aptatur. » Hinc apparet, quibus ex fontibus suum illum rivulum duxerit Trapezita, qui episcopatum,

a Chrys. Οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν.

b Cyrillus Hier. Ἠλίας μὲν, ἀνελήφθη εἰς οὐρανόν· ἀλλὰ Πέτρος ἔχει τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.

c Antiochus. Οὐκ εἶπεν, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐπὶ τῆς γῆς. ἀλλ' ὅσα ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἵνα καὶ ποιῶν ἀκοινώτητον, ἢ κωλύων, ἢ καθαιρῶν, φοβερὸν ἔχοις τὸ πρᾶγμα. ὡς σύμψεφον καλῶν τὸν θεὸν, ὡς ὑπὸ μάρτυρι τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τοῦτο ποιῶν. καὶ ὁ κωλυόμενος, ἢ καθαιρούμενος φρίττῃ, ὡς ἔξω βαλλόμενος οὐρανῶν βασιλείας. ὅρα, φησὶν, ὃ πράττεις, ἱερεῦ. ἃ κάτω δεσμεῖς, ἄνω λογοθετεῖσθαι προσδόκησον.

1 In *Miscel. exercit. ad Jul*, cap. XVI. — 2 Tom. *Bibl. græco. Lat.* — 3 Calv. lib. IV *Insti.* cap. VI, § 4.

ejusque summum ac præcipuum munus sola docendi, ac prædicandi functione metitur. Quanquam turpius in eo, quam Calvinus ipse, peccat, quod *regnum cœlorum*, ut jam diximus, militantem in terris ecclesiam esse putat, cum cœlum ipsum proprie dictum Calvinus intellexerit. Sed de potestate ligandi et solvendi, deque clavibus Petro traditis, longe diversa ab indoctis istis Scripturarum mangonibus vetustas omnis ecclesiastica docuit. Nam sacramentorum administratione, et sententia contineri judicavit, qua ab usu sacrorum arceantur, aut ad ea fideles admittuntur. Ita Cyprianus in epistola *ad Lapsos* XXVII. Et in epistola LXXIII *ad Jubaianum*, de iis Christi verbis agens, quibus *Joannis* XX remittendi potestatem, aut retinendi peccati tribuit Apostolis, ad Baptismi, et remissæ peccatorum, id est pœnitentiæ dandæ, jus illa refert. Idem et Hieronymus censet epistola CL, quæstione IX. Chrysostomus item libro tertio *de Sacerdotio*[1], ubi ad Baptismum Eucharistiam addit.

VII. Cyrillus etiam Alexandrinus libro XII *in Joannem*, postquam illud ab Christo derivatum in Apostolos remittendorum jus peccatorum, non ad falsarii Trapezitæ judicium, sed ad veritatis regulam exactum amplissimo præconio celebravit; ut divinam esse potestatem illam, et dignitatem assereret. « Soli divinæ naturæ congruentem dignitatem, ait, discipulis suis Salvator attribuit[a]. » Id autem, qua ratione ab illorum successoribus exerceri in Ecclesia soleat, postea sic explicat. Hoc est. « Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim ad Baptismum vocant eos, quibus illius copia fieri debet, propter vitæ honestatem, et probatam fidem. Vel prohibent aliquos, et a divina gratia rejiciunt, quod nondum ea se dignos præbuerint. Vel alio modo remittunt, retinentve peccata, dum Ecclesiæ filios vel peccantes castigant, vel pœnitentibus ignoscunt[b]. »

VIII. Quopropter non in prædicatione divini verbi, usus postestatis clavium situs est, sed in sacramentis administrandis, Baptismi præsertim, Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, quorum jus omne penes episcopos erat, nempe ut aut per se illa fidelibus impertirent, aut presbyteros ac diaconos, pro suo quemque munere, vicarios illius gerendæ functionis adhiberent. Notum enim est moris ecclesiastici peritis probandorum catechumenorum, et ad baptismum et Eucharistiam admittendorum jus, et officium, proprium episcoporum fuisse; nec non ad communionem, et sacramentorum usum recipiendorum pœnitentium. Quam ob causam sanctissimi illi, quos testes adduxi, et quos, ne essem longior, omisi, Patres, ligandi atque solvendi, sive remittenti peccata, sive denique clavium potestatem datam episcopis per Apostolos fuisse testantur. Quæ res, non oneris tantummodo sine dignitate functionem, non docendi, ac prædicandi munus, non aliud denique, quam jus, potestatem, magistratum, jurisdictionem, ut in rebus ecclesiasticis, amplissimam ostendit, ac multo præstantiorem, quam quæ Judaicis presbyteris tributa fuit in antiqua lege.

CAPUT VIII.

Prædicandi jus ac functionem penes episcopos fuisse demonstratur adversus indoctum Trapezitæ commentum; idque variis Patrum, ac conciliorum testimoniis asseritur.

Reliquus ex Trapezitæ partitione tertius est episcoporum status, in quo « docendi munere abjecto, ex muniis presbyterorum quædam sibi præcipua sumere cœperunt, quæ non liceret presbyteris attingere, sed episcopi soli agere possent; ut erat pœnitentium reconciliatio, et Chrismæ confectio, et puellarum consecratio, et alia quædam. » Addit insuper, per idem tempus « Episcopo dispensandi res ecclesiasticas potestatem da-

a Cyrill. Alex. Τὸ μόνῃ, πρέπον ἀξίωμα τῇ θείᾳ φύσει τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς περιέθηκεν ὁ σωτήρ.

b Ibid. Ἀφιᾶσι γε μὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμήν. ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς, οἷς ἂν ἤδη τούτου τυχεῖν ὠφείλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν· ἢ διακωλύουσι τινὰς, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. ἢ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε, καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες.

1 Pag. 16 edit. savil.

tam esse, sed cum notitia presbyterorum, et diaconorum, canone ultimo Antiochenæ synodi. » Ex quibus liquet, circa Antiocheni concilii tempus, mutationem hanc episcopalis ordinis institutam fuisse, ac deinceps *docendi munus episcopos abjecisse*. Hunc enim postremum statum recenset τῆς ἐπισκοπῆς Trapezita. Jam hoc inusitatum et immane portentum est erroris, affirmare, quarto Christianæ ecclesiæ sæculo, ac deinceps, episcopos ab docendo, et prædicando Dei verbo destitisse. Atqui evidens est, tum maxime ei rei dedisse operam episcopos; idque passim synodicis decretis et canonibus illis injunctum fuisse. Nulla est ad usum Ecclesiæ, ac mores investigandos, et quod cujusque jus ordinis ecclesiastici sit, officiumque discernendum alia ratio, quam conciliorum et canonum decreta, quibus omnis Ecclesiæ disciplina continetur, Patrum, et ecclesiæ doctorum, qui eadem ætate florebant, testimoniis approbata. At id persæpe, graviterque scimus episcopis esse mandatum, ut divini verbi pabulo commissum sibi gregem reficerent. Carthaginense quartum, canone xx sanxit, « Ut episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed ut lectioni, et orationi et verbi Dei prædicationi tantummodo vacet. » Canone item xxiv. « Sacerdote (is est episcopus) verbum faciente in ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. »

Episcopatus

Jus et munus prædicandi et docendi episcopis commissum probatur e Patribus.

II. Hilarius in octavo libro *de Trinitate*, « Non statim boni atque utilis pastoris est, ait, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare, cum et innocens sibi tantum proficiat nisi doctus sit, et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit, etc. Sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit (Apostolus) ut et vita ejus ornetur docendo, et doctrina vivendo. »

Prosper libro *de vita Contemplativa*, capite xx, qualem esse deceat episcopum, docens, inter alia, quod Ezechiel speculatorem illum esse dicit, id velle asserit, « oportere sacerdotem propositi sublimitate celsiorem esse cunctis, et majoris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere. »

Isidorus Pelusiota libro II, epistola ccviii ad Hermogenem episcopum scribens, episcopalis esse muneris docet non solum verbo docere, quod plerosque tum unum instituisse queritur, sed virtuti insuper studere. « Non oratio docentium perinde animos acuere solet, ut vita et mores. At isti non secus ac si ipsis dicendi duntaxat munus commissum fuisset, ab actione abstinent. Quos etiam proinde incessens, ac proscindens divinus Apostolus his verbis usus est : *Qui prædicas non esse furandum, furaris*[a], »etc. Vide et ep. ccxxxv.

III. Sed quo vehementius prodigium illud erroris elidatur, conciliorum aliquot canones in medium afferam, qui longe post illud tempus editi sunt, quo tempore Trapez. prædicandi munus ejurare cœpisse putat episcopos. Nam si id unquam in Ecclesia factum est, postremis maxime sæculis est factum, quæ quo longius ab incorrupta illa et Apostolica ætate distant; eo disciplina solutior fuit, ac tum clerici reliqui, tum episcopi præsertim, in otium ac licentiam incubuerunt. Itaque prædicandi officium laboriosum utique ac molestum detrectasse tunc istos, et in presbyteros trajecisse, verisimile esset; si hoc unquam gestum esse constaret. Sed est falsissimum; imo contrarium, omnes synodi, omnes canones, omnium sæculorum decreta prædicant : id perpetuo episcopalis officii, munerisque proprium habitum in Ecclesia fuisse, docere populum, et ad eum divinis de rebus, ac mysteriis verba facere; cujus in partem officii ita vocati sunt presbyteri, et alii, si forte, clerici, ut vel interim episcopi pro virili parte idem facere non destiterint, vel facultatis inopia, aut negotiorum implicati molestiis potius, quam quod eorum muneris id non esset, omiserint; ac denique nonnisi concessu illorum et auctoritate potestas sit prædicandi divini verbi tributa cæteris.

Necnon e conciliorum decretis.

IV. Sed jam canones paucos ex infinita copia proferamus. Arelatense sextum, quod anno 813, Carolo M. imperante factum est, canone tertio, episcopis præcipit, ut sacris litteris, et divinarum rerum studio dediti sint : « ut unusquisque illorum in propria parochia perfecte studioseque presbyteros, et universum populum docere, et instruere non negligat; quia ignorantia mater cunctorum est errorum, et maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, *qui docendi officium in populis*

[a] Isidorus Pelusiota. Οὐ τοσοῦτον γὰρ ὁ λόγος, ὅσον ὁ τρόπος τῶν διδασκόντων παραθήγειν πέφυκεν. οἱ δ' ὥσπερ τὸ λέγειν μόνον ἐμπιστευθέντες, τοῦ πράττειν ἀπέχονται· οὓς καὶ στηλιτεύων ὁ μὲν θεῖος Ἀπόστολος ἔφη· ὁ κηρύττων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις.

susceperunt, etc. Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones, ut omne opus eorum in prædicatione, et doctrina consistat. » Turonense tertium eodem anno celebratum canone IV. « Sollicite studeat, inquit, unusquisque episcopus gregem sibi commissum sacra prædicatione, quid agere, quidve vitare debeat, informare. » Sic Remense secundum ejusdem anni, canone XIV decrevit, « Ut episcopi diligentius operam dent, lectionique divinæ incumbant, id est canonicis libris, et opusculis Patrum, *et verbum Dei omnibus prædicent.* » Cabilonense tertium eodem anno, canone I. « Ut episcopi assidui sint in lectione, et scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, et verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent. » Parisiense sextum anno 826, canone IV et V ex Prospero; et canone XII ex *Pastorali* Gregorii M. docendi officium episcopalis esse muneris admonet; nec non canone XXIII ex Fulgentio. Idem præcepit et Aquisgranense secundum canone II, V ac VI. Ad hæc Meldense anno 845 sub Carolo Calvo, canone XXIX episcopis præcipit, ut « subditos sibi studiosissime docere contendant.» Valentinum vero eodem rege, anno 855, canone XVI. « Ut unusquisque nostrum (ait episcopos alloquens) sive per se, sive per aliquem, vel aliquos ex ministris Ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis tam in urbe, quam foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio et exhortatio salutaris deesse non possit. »

V. In *Capitulari* Ludovici Pii Imperat. Aquisgrani anno 816 edito, canone XIX cautum est. « Ne episcopi occasione prædicandi, aut confirmandi oneri sint populis. » Et canone XXVIII. « Episcopos monemus, ut sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi divini sedulo populis adnuntient, quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit. »

Quin etiam in formula præcepti, quo Francorum reges episcopatum alicui concedebant, inter alia, quæ illi præscribuntur, officia, istud ipsum est, ut « juxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduis prædicationum sermonibus expolire studeatis. » Et in alia formula talis episcopus ordinandus proponitur, « Qui sciat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus expolire. »

Et ne Gallicanæ tantum Ecclesiæ instituta percenseam, certe Græcorum sexta synodus in Trullo, quæ anno 707, Constantinopoli est habita in idem conspirat de episcopatu judicium. Ait enim canone XIX. « Oportere Ecclesiæ præsides cum omni die, tum præsertim Dominico, clerum omnem, et populum docere, quæ ad pietatem spectant, ex divina Scriptura colligentes veritatis sententias, et judicia[a].» Erant ergo tum διδάσκαλοι τῆς ἐκκλησίας οἱ ἐπίσκοποι, *doctores Ecclesiæ episcopi*, ut interpretes loquuntur, nec a se munus illud excusserant. Eadem et anno Christi 675, Toletanæ, adeoque totius Hispaniensis ecclesiæ mens fuit. Nam generale ex omnibus regni illius episcopis concilium Toleti habitum est, ordine undecimum. Cujus memorabilis est ad Trapezitæ veternum excitandum secundus canon. « Quantum quis præcelsi culminis, inquit, obtinet locum, tantum necesse est præcedat cæteros gratia meritorum, ut in eo, quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis; habens semper et in ore gladium veritatis et in opere efficaciam luminis; ut juxta Paulum, *potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* Nos proinde nostri ordinis gradum, vel suscepti regiminis modum magnopere cogitare debemus, ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis a divina lectione privemur, » etc.

VI. Lateranensis quoque synodus Innocentio tertio Pontifice, anno 1215, ex totius collecta Christiani orbis episcopis, et ejusdem universalis Ecclesiæ sententiam complexa, canone X sanxit, « ut quoniam episcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum) per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, viros idoneos ad id munus assumant, tanquam coadjutores, et cooperatores. » Atque hoc ipsum est, quod supra dixi, episcopos nonnullos magis voluntate sua, aut occupationum magnitudine, aut facultatis inopia, a prædicandi functione cessasse, quam quod

a Syn. Trull. Ὅτι δεῖ τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας ἐν πάσῃ μὲν ἡμέρᾳ, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς κυριακαῖς πάντα τὸν κλῆρον, καὶ τὸν λαὸν ἐκδιδάσκειν τοὺς τῆς εὐσεβείας λόγους, ἐκ τῆς θείας γραφῆς ἀναλεγομένους τὰ τῆς ἀληθείας νοήματά τε, καὶ κρίματα.

jure, ac potestate ista carerent. Tum id universe, et ubique nunquam esse factum, quod tacite Trapezita innuit. Quid quod Pelagius secundus epistola secunda episcopos peculiari vocabulo prædicatores nominat? Atque hoc firmissimo comprobare argumenti genere possumus, usu et exemplis episcoporum, qui per totum orbem sæculis omnibus exstiterunt, qui prædicandi docendique populi partes strenue sunt executi, quamvis eodem tempore publice nonnunquam presbyteri et ipsi verba facerent; quod Alexandriæ institutum esse scimus, ut erudiendo populo, et explicandis Christiani dogmatis mysteriis illius ordinis præponeretur aliquis; quo munere Pantænum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Heraclam, presbyteros omnes, non episcopos, singillatim perfunctos esse, historiæ ecclesiasticæ testantur. Ut vel ex eo Trapezitæ longe falsissima convincatur opinio, qui tum demum, « ubi docendi munus abjecerunt episcopi (quod paulo post Nicænam synodum accidisse ex ejus verbis colligitur) exortum esse scribit in Ecclesia doctorum genus, qui episcopi non erant, qui hoc operis habuerunt, populum erudire prædicationibus, et Scripturas eis exponere. » Atqui si Eusebium, si Hieronymum, si cæteros legisset, qui illorum, quos dixi, et consuetudinis istius Alexandrinæ ecclesiæ mentionem faciunt, aliter profecto iis de rebus existimasset.

VII. Meminit Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, capite XLVI, quod est *de Pantæno, veteris in Alexandria consuetudinis* istius, quæ *a Marco Evangelista* obtinuerit, ut *semper ecclesiastici doctores*, ibidem publice populum erudirent, cui muneri Pantænus præpositus est. Idem de Clemente Alexandrino[1], « Clemens, inquit, Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, Pantæni, de quo supra retulimus, auditor, post ejus mortem, Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit, et κατηχήσεων magister fuit. » *Catecheseon* Eusebius vero in libro sexto *Historiæ* tum κατηχήσεως istius a presbyteris susceptæ meminit; tum præter illos, Heraclæ[2], qui Origeni successit, et Dionysii, qui Heraclæ, ad episcopatum provecto. Exstant Origenis homiliæ complures; exstant et aliorum, qui presbyteri cum essent, non episcopi, populum publice docebant, cum interea, pro virili parte, idem in officium prædicandi divini verbi incumberetur ab episcopo. Ita, Flaviano Antiochiæ præsidente, conciones habebat Chrysostomus; Hippone regio, cui Valerius episcopus præerat, Augustinus. Atque ille quidem, quod tardioris erat linguæ, et Latino sermone minus promptus Valerius, injunctum hoc sibi munus accepit, ut scribit Possidius. Cujus illud etiam est insigne adversus Trapeziticum dogma πονηροῦ κόμματος *Mali mmatis.* quod in capite V prodidit, Valerium ob eas, quas dixi, causas, Augustino « Presbytero potestatem dedisse coram se in ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissime tractandi, contra usum quidem, et consuetudinem Africanarum ecclesiarum. Unde etiam ei nonnulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis, ac providus, in Orientalibus ecclesiis id ex more fieri sciens, utilitati ecclesiæ consulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur a presbytero quod a se episcopo impleri minime posse cernebat. » Igitur episcopi per id tempus in Africanis ecclesiis concionabantur ipsi, non id munus presbyteris attribuebant.

VIII. Sed nec in Orientalibus ita presbyteri illi, quibus coram episcopis permissum erat loqui, prædicationi operam dabant, id ut soli facerent, ac non etiam episcopi. Hoc qui universe, infiniteque dicit Trapezita, et falso dicit, et tota ipsa antiquitatis memoria teste convincitur. Quid enim? Non episcopus prædicavit, ac populum docuit Augustinus in Africa? Non in Oriente Chrysostomus? De quo quidem mirabile istud, ac plane singulare in ejus vita proditum est[3], usque adeo prædicationi verbi divini deditum fuisse, ut inambulans etiam, et in solemnibus processionibus per viam incedens, perpetuo ad populum, qui eum magno numero, et incredibili audiendi cupiditate comitabatur, orationes haberet. Quid eodem tempore Basilius? quid Gregorii ambo, Nyssenus, et Nazianzenus? Quid Amphilochius? quid Asterius? quid Proclus deinde Constantinopolitanus? quid Alexandriæ Cyrillus? quid in Italia Ambrosius, Gaudentius, Petrus Chrysologus, Maximus Taurinensis? In Galliis Eucherius, Cæsarius, Eligius? quid ubique terrarum innumerabiles alii episcopi? Quorum partim exstant in hodiernum usque diem homiliæ ad populum dictæ; partim eos constat multum, accurateque partem illam pastoralis muneris explevisse? Res est (ut dixi, et sæpius cogor dicere)

1 Hier. cap. XLIII. — 2 Euseb. lib. VI, cap. XXVI. — 3 Anon. in *vita Chrys.* cap. XXXVI, tom. VIII, edit. Savil.

notissima, et obscura nemini, nihil tam episcopos omnibus sæculis factitasse, quam ut populo verbum Dei prædicarent*.

IX. Quis igitur satis, et pro eo, ac tam abnormis, et barbara meretur opinio, castigare illam queat? Quis talia scribere audentem ferat? Olim, «Episcopus proprium hoc munus habuisse, docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, et *nullis se aliis ecclesiasticis negotiis immiscere*, cætera tum curasse presbyteros, *præsertim* Sacramentorum administrationem.» Item, «Abjecto munere docendi, ex muniis presbyterorum quædam præcipua sibi sumere cœpisse, quæ non liceret presbyteris attingere, sed episcopi soli agere possent, ut erat pœnitentium reconciliatio, et Chrismæ confectio, et puellarum consecratio.» Quæ Trapezitæ verba iterum repræsentamus, ut lectores intelligant, quem terminum illi ipsi mutationi præfixerit episcopalis status; et cum iisdem verbis comparata omnia illa testimonia veterum et exempla, quæ contrarium ostendunt, nihil ad respondendum illi reliqui faciant.

Tum igitur episcopi muti esse cœperunt, et ex ambone vox illorum audiri desiit, cum quæ solis antea presbyteris erant attributa, in se ipsi solos transtulerunt, Chrismatis consecrationem, pœnitentium reconciliationem, virginum consecrationem. Atqui posteaquam tria hæc canonum auctoritate solis episcopis nominatim concessa sunt non minus, quam antea, constat episcopos prædicandi verbi partes obiisse. De chrismate scriptum est a Damaso in vita Silvestri, (cui scriptori tantum tribuit Trapezita, ut ei admodum uni de re nova, inusitata, et ecclesiasticæ antiquitatis usu tritis auribus inaudita, episcopalis status mutatione ac discrimine fidem habuerit) scribit igitur gravis ille, et laudatus scriptor de Silvestro sic: «Constituit et chrisma ab episcopo confici.»

X. Quamobrem Nicæni circiter concilii tempus, quo Silvester præsedit Ecclesiæ, innovatum illud est in episcopali ordine, ut a prædicandi officio cessarent. Certe post annos a Nicæna synodo XVI, hoc est in Antiocheno concilio, decretum illud est, quod nonnisi post dejectum ex ambone episcopalem gradum contigisse vult Trapezita, ut ecclesiasticorum bonorum administratio penes episcopos esset, adhibitis tamen presbyteris et diaconis. Ex quo videlicet sequi demonstravimus, χαινοτομίαν illam Trapeziticam episcopali in gradu sub Nicæna incidisse tempora. Illud vero extra controversiam est, in secundo Carthaginensi concilio, quod anno Christi 390 celebratum esse viri docti asserunt, tria illa episcoporum excepta esse juri, quæ commemorata sunt a Trapezita. Nam canone tertio sancitum est ita: «Chrismatis confectio, et puellarum consecratio, a presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa presbytero non licere;» ac sequenti canone de *reconciliandis pœnitentibus* itidem agitur, idque auctoritate episcopi fieri præcipitur. Et in Carthaginensi tertio, anno Christi 297, canone XXXVI. «Ut presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat.» De eodem chrismate in Vasensi prima synodo, sub Leone Papa canon editus est primus; nec non in aliis plerisque synodis decreta itidem facta. Quocirca, si vera est Trapezitæ opinio, episcopos oportet *abjecisse tum docendi munus.* Quod aperte falsum esse, tot illa, quæ supra commemorata sunt, argumenta et exempla demonstrant. Sed in tam luculentum, et apertum mendacium diligentius inquirere, abuti est otio, et lectoris ingenio diffidere. Profecto enim valde imperitum oportet esse, cui primo statim intuitu non illius commenti falsitas suboleat.

Innovationem.

* Luculentum est in hanc rem de ecclesiis Cæsareensi in Cappadocia, et Cypria Socratis testimonium lib. V, cap. XXII. «Apud Cæsaream Cappadociæ, inquit ille, et insula Cypro die Sabbati ac Dominica sub Vesperum, postquam accensæ sunt lucernæ, semper episcopi, ac presbyteri Scripturas interpretantur. Z.

DIONYSII PETAVII

E. SOCIETATE JESU

DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBER SECUNDUS

IN QUO CERTÆ FIDEI VEL RERUM ECCLESIASTICARUM QUÆSTIONES DISPUTANTUR.

CAPUT PRIMUM.

De Diaconis, quos profanos mensarum administros fuisse, Trapezita contendit; quæ opinio refutatur; ac docetur tum septem illos primos diaconos Actorum VI, *tum cæteros deinceps sacrum, et hierarchicum gradum habuisse; idemque locus Actorum illustratur. Trullana pseudosynodus notata.*

Quod erat præcipuum libri hujus, et institutæ disputationis argumentum, de episcoporum ordine, ac functione egimus hactenus. Quædam nunc supersunt aliis de rebus, sed tamen ecclesiasticis, a feneratorum patrono obiter injecta, quæ animadversionem merentur. Ea nos paucis complectemur.

Ac principio considerandum id est, quod non ille dubitando, ut cordati, minimeque præcipites solent, sed præfracte asseverando pronuntiat: « Diaconos nullam habuisse κυβέρνησιν, aut προστασίαν in Ecclesia, aut alium ecclesiasticum actum; nisi pauperum tantum, mensarumque ministerium; unde et διάκονοι appellati. » Atqui falso ista dici, tum Scriptura ipsa, tum auctoritas veterum, et Ecclesiæ mos, atque usus ostendit. Lucas Evangelista, a quo diaconorum origo traditur, tametsi instituendorum septem illius ordinis principum captam occasionem refert ex quotidianis in viduas, egenosque curandis sumptibus, et mensarum præfectura; non solum munus injunctum illis esse, sed alia præterea gessisse demonstrat.

Gubernationem aut præfecturam.

Diaconatus sacer et hierarchicus ordo.

II. Primum divini verbi prædicatio *Ecclesiasticus actus est*, adeo quidem, ut unicum hoc pensum ecclesiæ principibus, id est episcopis, Trapezita mandaverit; qui etiam inter presbyteros, sive episcopos præstantiorem iis gradum assignat, qui id unum agerent. At illud usurparunt diaconi, et inter hos Stephanus unus e septem primis[1], nec non Philippus ex eodem ordine[2]. Ecclesiasticus item actus est, Dominici corporis, et sanguinis administratio. Hanc etiam diaconi ex officio susceperunt. Testis est Apostolicorum æqualis temporum Ignatius martyr in epistola *ad Trallianos*, qui diaconos ait « ministros esse mysteriorum Jesu Christi[a]. » Tum profanum id ministerium fuisse docentem cum Calvino, et hæreticis aliis Trapezitam hac sententia jugulat. « Non enim ciborum ac potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei[b]. » Deinde scribit diaconos episcopis functionem exhibere, qualem Angeli Deo præstant; cujusmodi Stephanus Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro præstiterunt *.

Testimonia veterum.

a IGNATIUS. Διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ.

b Id. Οὐ γὰρ βρωτῶν, καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι· ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται.

* Confer etiam ejusdem præclarissimi martyris epistolas *ad Magnesianos* n. 6, et *ad Polycarpum* n. 7. Z.

1 Act. VI. — 2 Act. VIII.

III. Brevi postea tempore Justinus martyr exstitit. Qui in *Apologetico* posteriore docet, diaconos in ecclesia, postquam ab sacerdote consecratio facta est panis et vini, hoc est Eucharistiæ, hanc ipsam in fideles distribuere solitos. « Qui apud nos diaconi vocantur, unicuique adstantium distribuunt ex illo pane, et vino, et aqua benedictione consecratis, et ad absentes deferunt[a].» Quem quidem panem. vinumque pro communibus haberi vetat; οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. Atque hoc perdiu postea observatum in Ecclesia fuisse, ut diaconi corpus et sanguinem Domini populo ministrarent, veteres canones, et historiæ testantur. In Actis sancti Laurentii martyris fide dignissimis, ita magnus hic Levita Xystum Pontificem alloquitur, ut ex iisdem refert Ambrosius[1]: « Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras, etc. Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? » Cyprianus quoque non semel diaconos ostendit sacramentorum administros fuisse, ut in libro *de Lapsis*, ubi illos *calicem Domini præsentibus offerre* dixit. Ancyrana synodus canone II, duo genera functionum ecclesiasticarum diaconis adscribit, hoc est ἱερατικῆς λειτουργίας, nempe τοῦ ἄρτον, καὶ ποτήριον ἀναφέρειν, quod est offerre communicantibus corpus, et sanguinem Domini: et κηρύσσειν, hoc est *prædicare.* Arator elegantissimus Poeta, libro I *in Acta Apostolorum*, septem illorum institutionem versibus illis declarans, minime profanum fuisse munus ostendit.

Non enim ut communem panem et communem potum hæc sumimus.

« Jura ministerii sacris altaribus apti
In septem statuere viris; quos undique lectos
Levitas vocitare placet. Quam splendida [cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, et Latices cum sanguine porrigat [agni. »

IV. Et quoniam Clementis auctoritati tantum, ut superius ostendi, Trapezita defert, eumque dignum habet, cui novis de rebus et inauditis fidem adhibeat; legat, quæ de diaconis ille scripsit in *Constitutionibus Apostolicis;* præsertim libro secundo, capite XLIV, ubi diaconum in omnibus, quoad potest, sublevare jubet episcopum, a quo potestatem debet accipere; ita ut majoris duntaxat momenti res illis reservet, sitque diaconus episcopi oculus, et auris. Et capite LIV, diaconi esse dicit in sacris synaxibus apparere præsuli, et de pace ac mutua concordia populum admonere. Cujus officii passim in veteribus Liturgiis, et antiquorum scriptis exempla leguntur*. Quæ qui nesciat, is sit omnium rudis; qui autem utcumque norit, quinam, obsecro, constabit sibi, si idem diaconorum munus profanæ, haud amplius, mensæ ministerio, ac pauperum cura circumscribat? Nam et Baptismum a diaconis ordinario jure administratum esse, episcopi tamen auctoritate, iisdem ex antiquitatis monimentis accepimus. Et Tertullianus in libro *de Baptismo*, capite XVII. « Dandi quidem, inquit, habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri, et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. » Ergo penes diaconos fuit sacramentorum, et divini verbi ministerium. In quo Calvini et Lutheri discipuli, quorum pars magna Trapezita, notissimæ rei inscitia labuntur, dum ex *Actorum* capite illo sexto, ubi ex mensarum occasione, ut jam docui, constituti narrantur diaconi, nihil aliud istos, præterquam *mensales structores*, id est τραπεζοποιούς, fuisse putant.

V. Quanquam nonnulli sic Lucam interpretati sunt, ut aliud diaconorum genus, et ab vulgari, notoque inter clericos ordine diversum, illic significari crederent; quod quidem Chrysostomus ad eum locum docere videtur[2], cujus hæc sunt verba. « Cujusmodi autem dignitatem habuerint ipsi, et qualem manuum impositionem acceperint, necesse est

Locus *Actorum* de diaconis illustratur.

a JUSTIN. *Apol.* II. Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι.

* De tota hac, quæ nos inter atque hæreticos, Zieglerum præsertim, et Samuelem Basnagium Salmasii sectatores, vertitur, controversia consulere potes Tournelium, Juenium, Morinum, Natalem Alexandrum, ejusque novissimum editorem Mansium. Exstat etiam Romæ a. 1749 excusa dissertationum trias Fr. Clementis Chodykiewiez Dominicani, quarum quæ prima est, septem diaconos ab Apostolis ordinatos eo consilio fuisse, ut Altaribus potissimum ministrarent, luculenter ostendit. Z.

1 Lib. I *de Off.* cap. XLI. — 2 Hom. XIV, edit. Savil.

intelligere. An igitur diaconorum propriam? Atqui hoc in ecclesiis non est usu receptum; sed presbyterorum est ista dispensatio. Quanquam nondum ullus tunc episcopus erat, sed Apostoli tantum. Unde neque diaconorum, neque presbyterorum puto nomen illic esse certum ac definitum. Sed interim ad hoc munus ordinati sunt[a]. » Duo ex his Chrysostomi verbis colligimus. Alterum, οἰκονομίαν illam, id est functionem et dispensationem, cui præstandæ electi sunt Septemviri illi, quæ in viduis, et pauperibus curandis sita erat, non gessisse tum diaconos, sed presbyteros, illo tempore et loco, quo ista commentabatur Chrysostomus. Scripsit autem Constantinopoli jam episcopus, ut ex homilia octava et nona *in Acta* colligitur. Alterum, fuisse in hac opinione Chrysostomum, septem illos, qui *Actorum* sexto ad mensarum ministeria electi sunt, neque diaconos, neque presbyteros diserte, expresseque nominari. Non enim absolute negat diaconos fuisse, sed tantummodo non satis constare, quo nomine, ordineque censendi sint. Quominus autem diaconi vocandi sint, id unum affert, quod illa viduarum, et egenorum procuratio non ab diaconis geri consueverit, sed a presbyteris.

Œconomiam

VI. Quis tum Constantinopoli mos fuerit, ex hoc loco intelligitur. Constat tamen, alibi diaconorum id munus fuisse proprium, et ob eam causam adversus presbyteros nonnunquam insolentius sese gessisse, ut propterea synodalibus decretis coercendi fuerint. Quod si in illa ecclesia, ubi declamabat ista Chrysostomus, idem mos fuisset, ut ab diaconis οἰκονομία ejusmodi curaretur; nihil jam causæ superesset, quin de Apostolorum voluntate delectos septem illos diaconos fuisse concederet Chysostomus, quemadmodum tota fere antiquitas Christiana persuasum habuit, et ut alios omittam, Neocæsariensis synodus canone XV, et Hieronymus epistola LXXXV. Quocirca non est illorum probabilis sententia, qui Septemviros illos *Actorum* VI, non diaconici ordinis putant fuisse, sed diversi cujusdam, et profani. Nec illi Chrysostomi auctoritate tueri se possunt. Non enim diaconos fuisse negat, sed quominus id asseveret, quid obstare videatur, affert; tum de solo nomine præscribit, aitque, non liquido, aperteque diaconi, aut presbyteri nomine illos affectos videri, præsertim cum nulli adhuc essent episcopi ab Apostolis distincti, adeoque nec presbyteri, vel diaconi.

Dispensatio.

VII. Hinc apparet, quantum judicii ad illum *Actorum* locum, et Chrysostomi sententiam interpretandam adhibuerit Pseudosynodus Trullana, quæ canone XVI Neocæsariensem illum canonem redarguit; in quo decernunt Patres, septem esse diaconos oportere, quod ita sub Apostolis institutum sit, ut ex *Actorum* libro constat. At Trullani isti cornicum oculos configunt; « et cum ad Apostolica illa verba Patrum sententiam accommodassent, animadvertisse se dicunt, non de sacramentorum administris sermonem illic esse, sed ministeriis mensarum[b]. » Mox ad eamdem mentem Chrysostomi verba referunt. Verum si quis, ut nos paulo ante fecimus, locum Chrysostomi accuratius legat, animadvertet, neutiquam illum negare Diaconos illos reipsa fuisse, hoc est ad ordinem ejusmodi pertinuisse.

VIII. Cæterum Theophylactus in commentariis ad sextum *Actorum* caput, aliter Chrysostomum intellexit; cujus verba more suo descripsit. Sic enim interpretatus est, tanquam diceret ille, Septemviros istos non diaconos fuisse, sed presbyteros. « Ecquam vero manuum impositionem acceperunt septem isti. An diaconorum? Verum presbyterorum arbitror esse nomen, ac dignitatem ipsorum. Sed interim ad hoc ipsum, ut fidelibus, quæ erant ad usum necessaria, ministrarent, manuum impositione constituti sunt[c].» Postrema Theophylacti verba consideranda sunt; ait enim ad hoc illos interim ordinatos fuisse, ut mensis ministrarent; hoc est, quamvis impositione manuum consecrati essent, ut non profanis tantum mensis, sed multo magis ut sacris ministrarent, quod ex Ignatio supra

a Chrys. Ὁποῖον δὲ ἄρα ἀξίωμα εἶχον οὗτοι, καὶ ποίαν ἐδέξαντο χειροτονίαν, ἀναγκαῖον μαθεῖν. ἆρα τὴν τῶν διακόνων; καὶ μὴν τοῦτο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐστὶν ἡ οἰκονομία. καίτοι οὐδέπω ἐπίσκοπος ἦν, ἀλλ' οἱ Ἀπόστολοι μόνον. ὅθεν οὔτε διακόνων, οὔτε πρεσβυτέρων οἶμαι τὸ ὄνομα εἶναι δῆλον, καὶ φανερόν· ἀλλὰ τέως εἰς τοῦτο ἐχειροτονήθησαν.

b Pseudosynodus Trullana, can. XVI. Ἡμεῖς τῷ Ἀποστολικῷ ῥητῷ τὸν νοῦν ἐφαρμόσαντες τῶν πατέρων, εὕρομεν ὡς ὁ λόγος αὐτοῖς οὐ περὶ τῶν τοῖς μυστηρίοις διακονουμένων ἀνδρῶν ἦν, ἀλλὰ περὶ (τῆς) ταῖς χρείαις τῶν τραπεζῶν ὑπουργίας.

c Theophylactus. Ποίαν δὲ χειροτονίαν, ἐδέξαντο οὗτοι οἱ ἑπτά; ἆρα τῶν διακόνων; ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων, οἶμαι, τὸ ὄνομα εἶναι, καὶ τὸ ἀξίωμα αὐτῶν. ἀλλὰ τέως εἰς τοῦτο διακονεῖν τοῖς πιστοῖς τὰ πρὸ τὴν χρείαν ἐχειροτονήθησαν.

commemoravimus; tamen interim illud præcipue profanarum curandarum munus exercuisse, cum nondum distincti, et ut Græci dicunt, διηρθρωμένοι, id est *articulati* essent ecclesiastici ordines, et ordinum functiones; ac nullus adhuc episcopus, et presbyter, adeoque diaconus ministerio sacro, et appellatione distinctus esset, sed omnes isti gradus penes Apostolos essent; quod modo narrantem Chrysostomum audiebamus; et Œcumenius in commentariis significat.

IX. Ac tametsi Catholici quidam et eruditi viri ac theologi putent, eos, qui in *Actorum* illo loco constituti feruntur, non habuisse sacram ordinationem, nec ex sacro diaconorum ordine fuisse; multum tamen ab eorum causa Trapezitarum abest patronus, qui diaconos non illos, qui *Actuum* sexto capite describuntur, sed universe negat « ullum alium ecclesiasticum habuisse, præter pauperum tantum, mensarumque ministerium; » ac de diaconis potissimum ejusmodi sic judicat, qui tum erant, cum Paulus ad Corinthios scribebat. Nam illorum refellit sententiam, qui προστασίας et κυβερνήσεις, id est *adjutoria*, et *gubernationes*, de quibus I *Cor*. XII, loquitur Apostolus, ad diaconos pertinere volebant; quos argumento illo redarguit; quoniam diaconi nullum ecclesiasticum actum habuerunt, præter mensarum, pauperumque ministerium. Quocirca non tantum prioris illius generis diaconos, de quibus Lucas meminit, ab omni ecclesiastico actu summovet; sed etiam illos, qui constitutis jam rebus, et episcopis ordinatis in Ecclesia fuerunt, et ab Apostolo Paulo sæpe commemorantur, ac cum episcopis et presbyteris copulantur. Quo vel unico argumento Trapezitæ falsa opinio revincitur. Nam nisi sacer ordo ille tum fuisset, hoc est hierarchicus gradus, non illum Apostolus cum iis, qui extra controversiam pro sacris habentur, et quidem solos, nominatim appellasset; ut in epist. *ad Philippenses, Episcopos et Diaconos* jungit statim initio. Necnon I *Tim*. III *.

CAPUT II.

Socratis locus ab Trapezitæ falsa interpretatione vindicatur super Pœnitentiario Presbytero; κανόνα *ibi legem esse, non corpus Clericorum. De canone Nicæno* XII *accurata disquisitio; cujus absurda interpretatio ab Trapezita conficta discutitur. Militiam universe Christianis interdictam non fuisse illo canone; uti nec a Lactantio, cujus illustratur locus;* ὑπόπτωσις *pœnitentiæ gradus omnium laboriosissimus.*

I. Sequuntur alia veteris ad Ecclesiæ ritus spectantia, maxime Pœnitentiæ, ab feneratorum patrono adnotata perperam, et dissertationi intexta; quæ in hoc caput conjecimus.

Primum illud esto, in quo Epiphanii nuperum Interpretem redarguit super vocabulo τοῦ κανόνος. Socrates in libro V, capite XIX, ubi memorabilem illam refert historiam Pœnitentiarii presbyteri ab Nectario Constantinopoli sublati; de hujus ipsius pœnitentiarii origine scribit, institutum illum esse per id tempus, quo Novatiani ab Ecclesia recesserunt. « Episcopi, inquit, ecclesiarum, canone, vel ad canonem, pœnitentiarium adjecere presbyterum[a]. » Nos in Epiphanianis animadversionibus[1], κανόνι προσθεῖναι docuimus idem esse, ac *decreto canonis adjungere* potius, quam *canoni adjicere*; siquidem *canon* pro corpore, et ordine corporatorum sumitur. Displicet hoc Trapezitico Feneratori, cujus hæc sunt verba. « Apud Sozomenum, inquit, Pœnitentiarius dicitur τῷ κανόνι προστεθεῖσθαι, id est *adjunctus esse Clero*, sive ἐκκλησιαστικῷ τάγματι. Interpres novitius Epiphanii ridicule canonem esse novum factum dicit, de instituendo Pœnitentiario. » Quo in loco Trapezita antiquum suum obtinet, et quidem palmare, quod in eo sæpe notatum est; cujusmodi in Claudio (is

Canonis.

Ecclesiastico collegio.

[a] SOCRATES lib. V, cap. XIX. Οἱ ἐπίσκοποι, τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι τὸν πρεσβύτερον τὸ ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν.

* Sed præstat ex genuina Clementis epistola I *ad Corinthios* n. 42, illud recitare: « Prædicantes Apostoli per regiones, ac urbes primitias earum spiritu quum probassent, in episcopos, et diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt. » Viden? numeratos diaconos in ordine fuisse ab Apostolis. Z.

[1] Hær. LIX.

fuit Cæsar) « inter cætera miratos esse homines, auctor est Suetonius[1], oblivionem et inconsiderantiam, vel ut Græce dicam, μετεωρίαν,, καὶ ἀβληψίαν. » Ita ille præceps, inconsideratusque fertur in reprehendendo, minimeque, quid scribat, cogitans. Etenim quod ridicule scriptum a nobis esse dejerat, id non modo non est ridiculum, sed plane verum, imo necessarium.

Falsa Trapezitæ interpretatio loci Socratis et apud hunc vocis *canonis*.

II. Quid enim? Non illum animadvertisse, cum nostra carpendi studio legeret, quod ibidem adnotavimus ex eodem Socrate, non ut ille dormitans scripsit, Sozomeno; ex quo intelligere posset, κανόνα ibi non posse esse τάγμα corporatorum? Nam post illa, quæ de instituto Pœnitentiario, et κανόνι προστεθέντι, refert Socrates, subinde loquitur sic : οὗτος ὁ κανὼν κρατεῖ μέχρι νῦν ἐν ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι. *Iste canon* (nempe ᾧ προσετέθη ὁ ἐπὶ μετανοίας πρεσβύτερος, et de quo paulo ante locutus est) *ad hanc usque diem in cæteris ecclesiis obtinet, excepta Novatianorum.* Quid ineptius fingi potest hac sententia, si ad mentem Trapezitæ τὸν κανόνα pro collegio, et corpore usurpatum volumus? quale est canonicorum corpus, qui ita dicti videntur, quod in eodem canone, id est collegio corporati, et in matriculam relati erant. Quomodo Constantinopolitanæ urbis collegium, et clericorum corpus illi ecclesiæ attributum, ad alias etiam sectas translatum, interpretari Trapezita poterit? Ergo κανὼν ibi necessario est *regula*, vel *decretum;* nec aliter Socratem intellexit Epiphanius Scholasticus auctor Tripartitæ, nec non Nicephorus Callixti lib. XII, cap. XXVIII. Ex quibus nonnihil proferam, quod ad illustrandum Socratem valde pertinet. Auctor ergo Tripartitæ libro IX, capite XXXV, Socratis superiora illa verba sic reddit : « Ex illo episcopi pro Ecclesiastica regula presbyterum super pœnitentes esse constituerunt. » Videtur Græca Socratis sic intellexisse, ut, τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι, sit, *ecclesiastico canone*, vel vi et *auctoritate canonis ecclesiastici*, sive *regulæ ecclesiasticæ.* In veteri codice Socratis legebatur, τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι, quod in suo fortasse habuit Epiphanius Scholasticus. Nicephorus eamdem historiam referens e Socrate : « Super pœnitentes presbyterum in quaque ecclesia constituerunt, ecclesiasticum canonem sequuti[a]. » Hoc modo ecclesiasticus ille canon de pœnitentia post baptismum danda jampridem institutus fuerit, nec a Novatiani schismatis tempore invectus in Ecclesiam, contra quam Novatiani sentiebant, et qui vel unus horum, vel in eos certe propensus fuisse videtur Socrates.

III. Nos alterutro sensu Socratem loqui putamus. Aut enim scripsit, episcopos ecclesiarum, canone, ac decreto adjecisse *presbyterum* illum *super pœnitentiarium*, ut οἱ ἐπισκοποι τῶν ἐκκλησιῶν, conjunctim dicantur; aut hoc voluit; ad ecclesiasticum canonem, id est regulam, et jus ac leges ecclesiasticas, episcopos addidisse novum istud, ut deinceps certus esset presbyter, qui pœnitentibus præesset; ac tunc pro ἐκκλησιῶν κανόνι legendum erit, ut in vetere quodam reperiri diximus, τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι. Sed anteponenda videtur prior, et in vulgatis recepta lectio; quoniam et nomen ἐκκλησιῶν absolute, tam ante illa verba, quam post, usurpavit Socrates, Catholicas intelligens. Antea quidem, περιελεῖν τῶν ἐκκλησιῶν πρεσβύτερον, *detraxisse de ecclesiis presbyterum* illum per Novatiana tempora constitutum, postea vero, οἱ νῦν κρατοῦντες τῶν ἐκκλησιῶν, *qui nunc potiuntur ecclesiis.* Quare illic etiam, οἱ ἐπίσκοποι τῶν ἐκκλησιῶν, qui iidem sunt, ac κρατοῦντες, scripserit Socrates. Utrolibet autem modo locus ille concipiatur, perspicuum est, non aliud significare posse vocabulum τοῦ κανόνος, quam quod Tripartitæ auctor, et Nicephorus, et nos in Epiphanianis animadversionibus ostendimus, et Socratis ille ipse locus evincit. Nec dubito, quin egregiam suam χρηστομάθειαν criticam compressurus fuerit Trapezita noster, si vel Socratem ipsum, vel integrum animadversionum nostrarum locum dignatus esset legere, antequam de ridiculo in nos; imo per nos in se præcipitaret sententiam. Sed hoc vocabuli missum faciamus erratum; alterum de re ipsa multo gravius ac minus ignoscendum videamus.

Canonis.

Chrestomathiam.

Canonis Nicæni diligens inquisitio.

IV. Canon est Nicæni concilii duodecimus, in quo ecclesiasticæ pœnæ subjiciuntur, « Quicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiæ cingulum; postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi; ita ut quidam et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam

a NICEPH. Τὸν ἐπὶ τῶν μετανοούντων, πρεσβύτερον ἐφ' ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ κατέστησαν, τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι ἑπόμενοι.

1 Sueton. *Claud.* cap. XXXIX.

repeterent. Hi decem annis post triennii tempus (quo inter audientes erunt) in afflictione erunt[a]. » Ita Latine Dionysius. Posteriora verba Græcæ dictionis ita clarius verti possunt. « Hi decem annis inter *Prosternentes* se versentur, postquam inter *Audientes* triennium peregerint. » Apparet hanc esse gravissimam mulctam, in qua quindecim anni præscribuntur, (ut postea constabit) antequam in pristinum gradum restituti communionis fiant participes.

« De hujus canonis mente (ait Trapezita) multi multa dixere, et nemo eam adhuc assecutus est. » Cum enim hactenus de iis intellectus sit canon iste, qui persecutionis tempore, postquam Christianam fidem magna cum gloria confessi sunt, ob eamque discincti et exauctorati, militia ceciderunt; postea mutata sententia, ad vomitum redeuntes, eamdem resumpsere militiam : contra ille, « Nec probo, inquit, de his accipi, qui persecutionis tempore, propter fidem, militiæ cingulum abjecerant, et postea fidem ejurantes, pecuniis, ac donis, pristinum militiæ honorem recipiebant, rursumque ad Ecclesiam redierant. Nihil enim hic canon dicit de fidei abjuratione, aut regressu in Ecclesiam, Simpliciter quippe conceptus est, ac statutus in eos, qui gratia inspirante divina, cingulo militiæ deposito, quo melius, et perfectius vitæ institutum, magisque Christianum capesserent, postmodum illud resumerent, et denuo se militiæ sacramento obligarent. »

V. Hæc nova, et ad hoc tempus inaudita canonis interpretatio. Quæ, ut simpliciter, ac sine ambage loquar, falsissima est. Nihil verius, quam quod Zonaras, et Balsamo, aliique de isto canone sentiunt, damnari eos, qui nuper, in Licinii persecutione, honesta, et gloriosa confessione functi, adeo ut propter nomen Christi militaribus zonis discincti, et militia privati fuissent; postea ad vomitum redierant, id est infamem illam militiam, et cum Christi negatione conjunctam, cum, ut eam recuperarent, Imperatoris mandato paruissent. De hoc genere lapsorum illic agere Patres, ex antecedenti canone liquet, quocum iste continuandus est, ut particula δὲ, id est *autem*, docere potest. Canon igitur undecimus sic habet : « De his, qui citra necessitatem, vel citra facultatum ablationem, vel sine ullo periculo transgressi sunt, aut alio ejusmodi quod per Licinii tyrannidem contigit, visum est synodo, etsi humanitate indigni sunt, clementia tamen et benignitate in eos uti. Quicumque ergo germane, et vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores fideles exigent, et septem annis prosternentur, duobus autem annis absque oblatione, erunt orationum cum populo participes[b]. » Conferatur sequens canon supra descriptus a nobis cum isto; jam intelliges ad eamdem utrumque persecutionem referri.

VI. Sane militiæ nomen dare, ac stipendia mereri, et in justo bello humanum sanguinem fundere, neque crimen est, nec eo nomine pœnis ullis ecclesiasticis milites sunt affecti. Quamvis enim a Basilio in epistola *ad Amphilochium*, sola iis per triennum abstinentia Dominici corporis ostendatur canone XIII; nullum hoc habet sceleris argumentum; sed minime decere visum est, ut ei, qui justa etiam, et licita cæde manus imbuisset, sine aliquo piaculo, ad tam sancta mysteria permitteretur aditus. Quemadmodum Davidi legimus[1], quod hostilis sanguinis plurimum fudisset, non concessisse Dominum, ut sibi templum extrueret. Tum digamos in Ecclesia vetere constat non absque pœnitentia ad communionem admissos, tametsi secundæ nuptiæ neutiquam illicitæ censerentur; de qua re alibi. Sed Basilii canonem præstat hic describere; est enim ad institutam disputationem non inutilis. « Cædes in bellis factas majores nostri non numerant in cædibus, ignoscentes, ut opinor, iis, qui pro temperantia, et pietate decertant; fortasse vero recte se habuerit, consilium dare, ut qui puras manus non habent, triennio sola communione sint abstenti[c]. » Quo ex canone liquet, primum

a Canon. Nic. conc. XII. Οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ἀπο τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δε ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες ὡς κύνες, ὡς τιμὰς, καὶ ἀργύρια προέσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι. οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον.

b Can. ejusd. XI. Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης, ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἢ τινὸς τοιούτου. ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου· ἔδοξε τῇ συνόδῳ, εἰ καὶ ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτοὺς. ὅσοι οὖν γνησίως μεταμελῶνται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσι οἱ πιστοὶ. καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται. δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.

c BASILII canon. Τοὺς ἐν πολέμοις φόνους οἱ πατέρες

1 I *Par* XX, 8

nullam legitime, et pro honesta causa pugnantibus, irrogatam ex antiquo pœnam fuisse ; deinde ne legis quidem, ac præcepti vim habere, sed consilii, sanctionem illam Basilii. Ex quo consequens est, ne ab Nicænis quidem Patribus contra milites decretum illud editum fuisse. Nam cujus judicii est, tantam in illos pœnam constitutam putare, qui militiæ nomen dedissent?

VII. Atenim canon ille, ait Trapezita, non ad omne pertinet militum genus, sed ad eos solos, qui, cum legitimo functi essent tempore, sponte ad militiam redibant. « De his enim sancitus est, qui militiæ deposito cingulo, ut meliori vitæ vacarent, et Christiano homini convenientiori, postea mutata sententia, ut in eam cum honore aliquo iterum adscriberentur, vel largitione, vel beneficio ducum et præsidum laborarunt. » Et paulo post. « Propter solam, inquit, hominum trucidationem fugienda illis visa est secunda militia, quia de prima non poterant interpellare, utpote ex imperii legibus necessaria, et obeunda. » Ut hæc non vana sit conjectura de sensu canonis, illud constare est opus, Nicæni concilii Patres hoc de cæde qualibet hominum fecisse judicium, ut eam nefariam, et illicitam putarent. At qui tandem persuasum id illis probat fuisse? Scimus quidem, nonnullos veterum ita sensisse, Christianis militare omnino non licere. Nam et Tertullianus in libro *de Idololatria*, cap. XIX, universe pronuntiat, « Non convenire sacramento divino et humano. » Deinde, « Quomodo autem bellabit, inquit, imo quomodo etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam etsi adierant milites ad Joannem, et formam observationis acceperant, si etiam Centurio crediderat, omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit. » Hunc igitur militandi *actum illicitum* dixit. Idem et in libro *de Corona militis*, capite undecimo apertissime scripsit. Nec eam tantum militiam interdictam Christianis existimavit, quæ sine idololatria obiri non potuit, ut putat Pamelius, sed simpliciter, et in totum ab usu et commercio Christiani nominis exclusit. Itaque inter paradoxa Tertulliani jure illud referri debuit, cujusmodi illo in auctore sunt multa. Quinetiam Titum Bostrensem, auctorem cæteroqui gravem et eruditum, eadem perstrictum opinionis falsitate video. Nam in libro secundo *contra Manichæos*[1], « Justum, inquit, bellare non decet. » Et in sequentibus addit alia, quæ ad eamdem opinionem implicata videntur*.

VIII. Trapezitarum advocatus vindicem conjecturæ suæ unum citat Lactantium. Sed nec hujus mentem est assecutus ; et nihil ad propositum omnino pertinet ; ut non vana divinatio sit, non ipsum legisse apud Lactantium, quæ ex eo retulit, sed aliena, uti solet, recitasse fide, vel negligenter admodum, et tumultuarie legisse. Tria sunt auctoris illius loca, quæ attulit, quæ si quis singillatim examinare velit, et capita ipsa, unde ea sumpta sunt, ac totam disputationis seriem non oscitanter expendere, verum id esse quod dico sentiet, nihil minus ex iis effici, quam quod Trapezita putavit.

Trapezita Lactantii mentem non assecutus cumque falso sibi testem advocat.

Primus est locus ex capite quarto, vel, ut Trapezita citat, sexto *Epitomes Divinarum Institutionum* : « Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio ? (ait Lactantius) Ideo bella execrabilia sunt. » Disputat in illo loco Lactantius de spectaculis, ac muneribus gladiatoriis, in quibus homicidia fiunt ; quæ cum per se detestabilia sunt, tametsi legitime committantur, ut in bello quamlibet justo ; multo execranda sunt magis, cum sine bello, ac sine legibus fiunt. « Inventa tamen consuetudo, ait idem, quatenus homicidium sine bello, ac sine legibus faciant, et hoc sit voluptas, quod ut scelus vindicent. Quod si interesse homicidio, sceleris conscientia est, et eodem facinore spectator obstrictus est, quo et admissor ; ergo et his gladiatorum sceleribus non minus cruore perfunditur, qui spectat, quam ille, qui facit. » Trucidare hominem odiosa per sese res est, quam merito viri boni, etiam cum secundum leges imperant, exsecrantur. Ac solebant Romæ magistratus capitis in reum sententiam dicturi, prætextam ponere, ac perversam induere vestem, ut mœrentes et invitos id se agere monstrarent, quod Seneca libro primo *de Ira*,

ἡμῶν ἐν τοῖς φόνοις οὐκ ἐλογίσαντο· ἐμοὶ δοκεῖν συγγνώμην δόντες τοῖς ὑπέρ σωφροσύνης, καὶ εὐσεβείας ἀμυνομένοις. τάχα δὲ καλῶς ἔχει συμβουλεύειν, ὡς τὰς χεῖρας μὴ καθαροὺς, τριῶν ἐτῶν τῆς κοινωνίας μόνης ἀπέχεσθαι.

* Titum tamen Bostrensem excusare conatur P. Mamachius t. III *Originum et Antiquitatum Christianarum*, ubi et ad Petavii mentem Lactantium interpretatur. Z.

1 Titus Bostr. tom. IV *Bibl. Patr.*

capite xvi, et Valerius Maximus libro IX, cap. xii docent, Neque propterea consequens est, nefas hoc et illicitum apud Romanos habitum, capitali supplicio reos afficere. Quare neque propterea, quod execrabilia bella Lactantius esse dixit, in quibus humanus cruor funditur, non permitti Christianis putavit.

IX. Locus alter est Lactantii, quem ex septimo capite citat Trapezita, nos quarto legimus *Epitomes*. « Vetus præceptum est, ait, non occidere; quod sic accipi debet, non tanquam jubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis jubetur, manus abstinere, ' sed nec jussione interposita, nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec seipsum voluntaria morte damnare. » Manifestum est. Lactantium hoc in loco divinæ legis præceptum illud exponere, quod vetat occidere. Atque hoc præcepto non tantum prohiberi actionem illam docet, qua quis manu sua hominem occidit, sed etiam qualemcumque rationem vitæ alteri per nefas eripiendæ, ut cum sicarius submittitur, qui jussione alterius hominem interficit. Ad eumdem ergo pertinet illa jussio, qua quis alterum necat, ad quem et lex ipsa, nempe ad privatum, qui nulla publica potestate, nec legitime cædem facit. Hanc solam illicitam ac nefariam esse Lactantius affirmat; non eam, quam publica auctoritas præcipit. Ut in justo bello publica est Principis potestas, quæ gladium militi porrigit, et in hostem jubet distringere. Quocirca nihil ad Trapezitæ divinationem fulciendam adhiberi potuit alieniusillo Lactantii testimonio.

X. Tertius ejusdem locus paulo quidem magis ad rem facere videtur. Is autem ex capite v ab Trapezita describitur; nos ex XVII libri *de Justitia* petimus, qui est Institutionum quintus. Verum neque nova inde opinio satis probatur, ut paulo post dicam, neque universe bello interdictum esse Christianis ex eo concluditur. Carneadis enim ibi dictum refellit, asserentis, id, quod juste fit, plerumque stulte fieri. Etenim « Justus, inquit, si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animam suam liberet, stultus est. » Huic Lactantius respondet primum exceptione, sive παραγραφῇ, negans vere justum hominem in eos casus venturum, ut vel equum adimere saucio, vel tabulam naufrago necesse habeat, ut vitam suam conservet; quia neque bellis, neque navigationibus immiscebit se, in quibus ista solent evenire. « Cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, ac se alienis furoribus immisceat, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui nec lucrum sciat appetere, cui sufficit victus; et non modo ipse cædem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas. Sed omitto ista, quoniam fieri potest, ut vel invitus ad hæc subeunda cogatur. » Hinc Trapezita concludit, Lactantium ab cædis piaculo eos excusare, qui militare coguntur, nimirum « qui, cum delectus tironum ageretur, quia militari ætate ac statura erant, ejusque conditionis, uti militiæ vacationem non haberet, ad militare sacramentum adigebantur, nec illud defugere poterant. »

XI. Atqui non de sola militia Lactantius loquitur, sed etiam de negotiatione, qua quis navigare cogitur. « Ut vel invitus, inquit, ad hæc subeunda cogatur. » Quænam? Quæ in eadem sententia complexus est, negotiationem et belligerationem. Ergo et mercaturam facere, ac trans mare negotiandi gratia proficisci nefas esse duxit Lactantius? Cur non igitur etiam de hac re canonem fecerunt Nicæni Patres, aut alii temporis illius? Deinde ut de sola militia tam hic, quam in cæteris Lactantius intelligat, nihil hoc Trapezitæ causam sublevat. Non enim hanc, aut illam militiam, sed omnem penitus ab Christiano homine repudiandam esse judicat; neque solis iis, quibus nulla militandi necessitas est, belligerandi, vel faciendæ cædis potestatem adimit, sed universe Christianis omnibus, qui quidem justi esse velint. Quis autem Christianus justus esse non debet? Itaque tirones etiam, et militia obligatos lex eadem tenet cædis evitandæ; quia in commune præceptum omnibus positum est, *Non occides*. Tum jussione etiam interposita, nefas erit occidere; quod ab Lactantio de ea cæde, quæ in bello fit, dici putat Trapezita. Atqui non minus jubentur tirones, et ad sacramentum obligati, quam aut emeriti, aut nulla coacti necessitate, hostes cædere. Neutros ergo Lactantius excusat. Vides quam absurda sit tota ista Trapezitæ ratiocinatio, utque se inextricabilibus laqueis involvat.

XII. Enimvero in postremo illo loco (nam de prioribus satis multa) hoc solum Lactantius voluit, Christianum hominem sponte, ac vel lucri quæstusve minime necessarii, vel

ambitionis gratia, negotiationem, et navigationem nunquam esse suscepturum, aut nomen daturum in militiam; fieri tamen interdum posse, ut honestis de causis, sive quia vitam aliter, quam iis artibus, tolerare nequeat, sive quia principis mandato cogitur, invitus ad ista descendat. Tum quod ad cædem perpetrandam attinet, propria quædam necessitas usuvenit, ut vitæ conservandæ gratia latronem, vel grassatorem cogatur occidere. Sed quoniam gentiles ad transmarinas negotiationes, et rem bellicam non aliis fere de causis animum adjiciebant, quam accumulandarum opum, vel honorum ac præfecturarum illecebra deliniti, quæ causæ procul abesse debent a perfecto Christiano; idcirco Lactantius oratoria quadam αὐξήσει, quod raro aliter fit, quia non ita futurum est, nec esse debet, negat omnino futurum.

Amplificatione.

Ad summam nego bellum gerere, et hostibus in eo necem inferre, ab Ecclesia unquam vetitum; aut ullo canone damnatos eos, tanquam sceleratos et criminis reos, qui justo bello cædem fecissent; quod diserte testatur Basilius in canone illo *ad Amphilochium*, quem supra citavimus. Nego canonem Nicænum duodecimum de iis interpretari ullo modo posse, qui in justa et legitima militia sponte nomen dedissent, ac sacramentum repetissent, a quo vacationem, aut missionem impetrassent. Sed de iis duntaxat, qui cum ob Christi fidem exauctorati essent, ne idololatria polluerentur, postea rediissent ad vomitum, et ea, quam ante detrectaverant, conditione, sacramentum militare resumpsissent. Quod statim confitebitur, qui et ambos illos canones Nicænæ synodi, undecimum et duodecimum legerit, inter seque contulerit; et paululum judicii ad eorum lectionem attulerit.

XIII. Etenim si quis interrogetur, uter gravius peccet, is, qui sponte, ac citra vim ullam, et necessitatem, nullum vel corporis cruciatum, vel damnum rerum suarum adhuc expertus, Christianam ejuret fidem, et idolis sacrificet; an qui citra crimen aliquod, et idolorum cultum, salva Christiani professione nominis, militiæ nomen dederit; num, si sanus est, dubitabit, quin longe atrocius peccet ille, qui utrumque Christum negaverit, quam qui etiam pro illo tormenta sustinuit? Quid igitur iniquius, imo quid alienius a communi hominum sensu, et ratione fingi potest, quam quod Nicæni illi fecere Patres, si vera Trapezitæ est de canonibus illorum opinio? In undecimo canone, priores illos desertores fidei, et sacrificiis, idolorumque cultu contaminatos, nulla, ut ipsi profitentur, venia, et humanitate dignos, annorum duodecim pœnitentia macerari jubent, quam etiam ita describunt, ut triennium inter Audientes exigant, septem annos in ὑποπτώσει; biennium in eo gradu, qui σύστασις dicebatur. At in posteriores istos, qui, si vera Trapezita somniat, unum hoc admisere facinus, quod honestam licitamque militiam, quam sponte deposuerant, nullo cogente repetiverunt, in hos, inquam, longe graviores pœnas constituunt, nimirum ut decem totos annos in ὑποπτώσει versentur, post triennium in ἀκροάσει transactum, ac scilicet, uti Græci interpretes observant, etiam biennium illud τῆς συστάσεως addant, quod ex priori canone repetendum illis merito videtur. Fiunt igitur anni pœnitentiæ quindecim, propter aut nullum, aut levissimum certe, ac veniale crimen inflicti.

Prostratione. *Consistentium.* *Prostratione.* *Auditione.* *Consistentium.*

XIV. In quo illud insuper ecclesiasticæ peritos antiquitatis non potest fallere, quod ad posterioris hujus severitatem sententiæ intelligendam attinet, decem annos hic præscribi in ὑποπτώσει decurrendos; illic tantummodo septem. Fuit autem ἡ ὑπόπτωσις tertius e quatuor pœnitentiæ gradibus longe cæteris molestior, et ærumnosior, in quem pœnarum genera omnia confluebant, ob quas pœnitentiam defugere, ac tergiversari maxime solebant, qui ab communione rejecti fuerant. Hinc *pœnitentiæ* sola plerumque nomen ex communi sibi proprium facit, ut in animadversionibus *ad Epiphanium* nos olim adnotabamus. Quinetiam Dionysius Exiguus illorum canonum interpres ὑποπτώσεως vocabulum Latine ita vertit, ut significet, præcipuam illius gradus acerbitatem fuisse. Nam in undecimo ὑπόπτωσιν ita circumscribit : et *sex annis omni se contritione dejiciant.* Ubi *sex* pro *septem*, qui sunt in Græco, ponit annos, eoque tolerabiliorem priorum conditionem facit. In duodecimo vero sic : *Hi decem annis in afflictione permaneant.* Quam ergo simpliciter nominat *omnem contritionem* vel *afflictionem*, cum posset, *prostrationem*, aut ejusmodi aliquid, profecto demonstrat, caput illam disciplinæ severioris, ac pœnæ totius fuisse. Quo est Trapezitæ interpretatio repudianda magis, quæ aut nulli, aut certe leviori peccato, tanto pœnas atrociores, intolerabilioresque decretas a sanctissimis, gravissimisque præsulibus ostendit.

Prostratione.

CAPUT III.

De Epiphanii loco falsa Trapezitæ conjectura refellitur, idemque declaratur. Negotiatores haud recte dici ab eodem damnatos ab Ecclesia. Βίος matrimonium *interdum significat, contra quam Trapezita credidit. Ejusdem impudens calumnia in Romanam et catholicam Ecclesiam conjecta. Tum alius error aientis minima peccata pœnitentia publica olim multata fuisse.*

Ad eumdem Pœnitentiæ ritum in ecclesia vetere referenda sunt alia quædam errata Trapezitæ nostri. In præfatione ad lectorem. Epiphanii locum quemdam attigit, et dum nimis argutus esse studet, pessime illum accepit. In calce magni operis, quod *de Hæresibus* scripsit Epiphanius, catholicæ fidei summam, ac morum et institutorum Ecclesiæ brevi disputatione complexus est, ut iis velut notis germanam Christi sponsam ab hæreticis conventiculis, quæ concubinarum habet loco, discernat. Ac sub finem præcipua quædam criminum capita colligit, quæ ejusdem ecclesiæ catholicæ moribus usuque damnantur. « Ab omnium communione hæreticorum abstinet; abdicat fornicationem, adulterium, petulantiam, idololatriam, homicidium, et iniquitatem omnem, » etc. Tum « improbam cupiditatem, et avaritiam, atque usuram. Negotiatores non admodum probat, sed omnium infimos habet. Oblationes accipit ab iis, qui injuriam aliis non faciunt, neque scelus aliquod admittunt, sed juste vivunt[a]. » Hic Epiphanius præcipua, ut dixi, scelera, et flagitia percenset, ab quibus abhorret Ecclesia, et quæ auctoritate sua condemnat. Ubi vox ἀποκηρύττει, non hoc præcise significat *excommunicare*, vel a *communione arcere, ac segregare*, tanquam omnes, qui in ea, quæ ibidem enumerat, inciderint, ab ecclesiastica communione rejiciat, ut arbitratur Trapezita.

De Epiphanii loco falsa Trapezitæ conjectura refellitur.

Qui et indidem colligit, « non solum qui usuram accipiunt, abdicatione ab Ecclesia punitos, scribere ibi Epiphanium, sed etiam omnes negotiatores, πραγματευτάς. » Sed minime audiendus est. Nam ἀποκηρύττειν non tam illorum, qui ejusmodi crimina perpetrarint, quam criminum ipsorum abdicationem, damnationemque designat. Alioqui nemo non excommunicandus fuisset, et ab Ecclesia proscribendus. Quis est enim, qui non incurrat aliquando in maledicentiam, detractionem, contentionem, avaritiam? Ad hæc, « theatra, equorum certamina, venationes, Musica spectacula condemnat. » Ἀποκηρύσσει θέατρα, καὶ ἱππικοὺς, καὶ κυνήγια, μουσικούς τε, καὶ πᾶσαν κακολογίαν, καὶ καταλαλιὰν, καὶ πᾶσαν μαχην, καὶ βλασφημίαν. « Damnat, inquit, theatra, equestres agones, venationes, musica spectacula, et omnem maledicentiam, et obtrectationem, omnemque contentionem, et maledictum. » An qui theatralibus spectaculis, aut circensibus, aut venationibus interfuerat, statim excommunicatione plectebatur? Hoc si in usu fuisset, tum profecto Christianus nemo plerisque in civitatibus in ecclesiam, et ad usum sacramentorum fuisset admissus, aut pauci admodum. Crebræ sunt apud Joannem Chrysostomum querelæ, cum Antiochiæ adhuc presbyter populum doceret, de paucitate commeantium ad ecclesiam, ac sacras synaxes obeuntium, quibus maxime diebus ludi, ac spectacula præbebantur. Quam sæpe populum in eas res intemperanter effusum cum ab illis deterrere studet, tum ad ecclesiam, et fidelium conventus celebrandos allicere? Cum etiam auditores hortatur suos, ut quam poterunt plurimos ab illis spectaculis secum ad ecclesiam adducant. Non igitur ob ista communione Ecclesiæ privatos fideles verisimile est, præsertim cum ab Imperatoribus Christianis, et magistratibus solemnes illi apparatus ac ludi velut ex officio præstarentur populo. Ad hæc propter levia et venialia peccata nemo communione multatus est. Possunt autem ex iis, quæ Epiphanius recensuit, nonnulla esse levia; velut maledictum aliquod temere ac facile prolatum. Nam Augustinus sermone XLI *de Sanctis*[1], ubi gravia peccata distinguit a levibus, inter

[a] EPIPH. Ἀπέχεται κοινωνίας ἁπάντων αἱρέσεων, (forte αἱρετικῶν) ἀποκηρύττει πορνείαν, καὶ μοιχείαν, καὶ ἀσέλγειαν, καὶ εἰδωλολατρείαν, καὶ φόνον, καὶ πᾶσαν παρανομίαν, etc. Mox : Καὶ πλεονεξίαν, καὶ τοκοληψίαν. πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται. ἀλλ' ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται. προσφορὰς λαμβάνει παρὰ τῶν οὐκ ἀδικούντων, οὐδὲ παρανομούντων, ἀλλὰ δικαίως βιούντων.

[1] August. tom. X.

levia numerat, « quando cum omni facilitate, ac temeritate maledicimus. » Ejusmodi et alia commemorari possunt, quæ Tertullianus *delicta* vocat *quotidianæ incursionis*; quæ tamen inter ea continentur, quæ ab Epiphanio nominata sunt. Non enim sola illa, quæ lethalia et atrocia sunt in eodem genere, sed etiam levia comprehendit ille, quando exempli causa, πᾶσαν κακολογίαν, et καταλαλιὰν, πᾶσαν μάχην, καὶ πλεονεξίαν ἀποκηρύττεσθαι dixit ab Ecclesia. Unde si ἀποκηρύττεσθαι sit *excommunicari*, ut Trapezitæ placet, non autem *improbari*, et *abjudicari* tantum, ut res ipsa docet; necesse est, ob levia quæque crimina excommunicatos fuisse, id est ab Ecclesiæ communione abdicatos fideles; quod dictu sit absurdum. Atqui longe ab omni sensu et ratione magis abhorrent ea, quæ ad eumdem Epiphanii locum observavit in illa præfatione sua. Nam Epiphanium ait dicere, omnes πραγματευτὰς, id est *negotiatores* ab Ecclesiæ communione rejici. Ubi et joculariter ordini huic illudit. Ita enim scribit: « Quo loco, ut gratum faciam mercatoribus, non libet cum interpretibus, infimos eos omnium exponere, qui ibi ab Ecclesiæ communione prohibentur, sed e contrario minoris peccati reos, et minus noxios. Sic enim placet, et melius est interpretari ὑποδεεστέρους in his verbis: τοὺς πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται ἡ ἐκκλησία, ἀλλ' ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται. « *Negotiatores non admittit quidem Ecclesia*, ad communionem scilicet; *sed tamen minus noxios*, quam reliquos, qui excommunicantur, *eos censet*. » Hoc vero est in causa prævaricari, et quorum patrocinium susceperat, eos turpiter prodere, dum magis infames, et criminosiores illos facit, quam ab iis fiunt, quos iste redarguit. Nam interpretes Epiphanii de mercatoribus hoc unum significant, non illos quidem damnandos esse, neque pœna dignos ulla, sed in statu et ordine esse omnium, qui in Ecclesia censentur, infimo; quod paulo post exponam. At Trapezita, quod culpa vacat, et turpitudine, hoc illis eripit; tribuit quod sine scelere, ac peccato esse non potest, quamvis aliorum comparatione levius esse videtur; abdicationem ab Ecclesiæ communione, quæ atrox et horribilis est pœna, nec unquam, uti dixi, ab reatu culpæ aliquo sejuncta. Illud porro Græci sermonis non fert proprietas, ὑποδεεστέρους dici ab Epiphanio *minus noxios*; nam *inferiores* omnino ista vox significat. Cum enim paulo ante certos in Ecclesia fidelium status, et instituta vitæ commemorasset, quæ omnia recepta moribus et probata, suum in Christiana republica locum tuerentur; principatum omnium assignavit Sacerdotio, quod ex virginibus, aut continentibus eligitur *; aquo proximas tenent clerici cæteri **, tum virgines ***, inde

Omnem maledicentiam et obtrectationem omnem contentionem et avaritiam damnari dixit....

Falso asserit Trapezita negotiatores ab Ecclesia damnatos.

* Indicatur hic Sacerdotum cœlibatus, de quo præter Petavium *in animadv. Epiph.* et eruditiores theologos Tournelium, Witassium, Simonetum, vide Natalem Alexandrum in sæc. IV, dissert. XIX. Chardonium *in historia Sacramentorum*, et Joh. Stiltingii V. Cl. dissertationem *de tempore Natalii S. Gregorii Nazianzeni* t. III *Sept. Bolland.* Z.

** Hos omnes, eorumque gradus recenset ibi Epiphanius, ad quem locum vide Petavii animadversionem. Eos inter *Laborantes* legere est, seu Fossores, et Copiatas, de quibus aliqua adnotabam ad Theses Viri Cl. P. Lupii in Gorianis symbolis Florentinis vol. IX. Z.

*** Nefas sit hic Eusebium omittere, cujus meminit inscriptio a Maffeio edita *in Galliæ Antiquitatibus.* Nam in eo lapide præclarum exstat testimonium, quo Evangelicæ decem Virginum parabolæ virginibus nostris applicatio ab ecclesia Romana cooptata mirifice confirmatur. En epigraphem ipsam, quæ Aostæ in Delfinatu adservabatur :

Hic requiescit in pace
Beatæ. Memoriæ
Eusebia. Sacra. Dno
Puella. cujus. Proba
bilis vita instar
Sapientium puella
rum sponsum emeruit
habere Xpm.
Cum quo.....

Quoniam vero de virginibus incidit sermo, addere liceat sancti Leonis testimonium ex epistola *ad Rusticum*, quæ in Balleriniorum editione LXVII est supra centesimam cap. XV. « Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi consecratio non accessit. » Qua in consecratione velatas fuisse discimus ex Siricii papæ epist. X, n. 3, et Ambrosio lib. III *de Virgin.* cap. I. Hinc quod apud Coutantium legimus in secunda ad Victricium Innocentii epistola n. 16. *Hæ vero, quæ necdum sacro velamine tectæ;* Mss. codices duo sic exhibent: *consecratæ.* Cæterum utraque formula pro se Antiquitatem habet. Nam pro priore illud facit Prudentii lib. II *contra Symmachum.*

« Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus. »

Alteram, ut alia mittam testimonia, quæ mox proferemus, confirmat S. Leo ep. cit. *ad Rustic.* c. XV. Confer Martenium. Varia porro circa hujusce consecrationis tempus ecclesiæ Veteris disciplina; de quo Petavius noster in Animadversionibus Epiphanianis. Non ante 40 annos consecrandas statuit Cæsaraugustanum concilium an. 380, cap. VIII Carthaginiense autem III cui et Arelatense II, can. LII, suffragari videtur, can. IV sanxit, ut « ante viginti quinque annos ætatis, nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur. » Casum *periclitantis pudicitiæ* excepit a. 416.

viduæ *, ac postremo qui in matrimonio degunt, quos βιωτικοὺς appellant. Unde et βίος idem significat ac γάμος, quæ sunt *nuptiæ*. Βίος, inquam, *nuptias* interdum significat, et βιῶσαι dixit Epiphanius hæresi LIX, numer. IV, pro eo, quod est in matrimonio degere. Quod adversus Trapezitam, a quo immerito reprehendebamur, alibi demonstravimus. Et ut in vellicandis aliis minus temerarius ac præceps esse condiscat, luculentum addemus ad idem probandum Græci cujusdam scriptoris locum, qui haud scio, an adhuc lucem viderit. Is est Theophilus philosophus, qui commentarios scripsit *ad Hippocratis Aphorismos*, quem penes nos habemus. Hic igitur ad illa primi Aphorismi verba, ὁ βίος βραχὺς varias τοῦ βίου significationes recensens, inter alias hanc affert : βίος καὶ ἡ ζεῦξις τοῦ γάμου : « Est, inquit, βίος et matrimonii societas. » Sed hæc obiter. Inter βιωτικοὺς, et communis vitæ fideles, infimo loco numerat Epiphanius τοὺς πραγματευτὰς, id est *negotiatores* ; non quod vetitus et illicitus sit ille in Ecclesia status, aut cum peccato implicatus ac pœna ulla, et animadversione notatus ; sed quod ab Evangelica perfectione longissime abest omnium. Hæc vera, et germana mens est Epiphanii ; quam vero ὁ τραπεζίτης commentus est, ἀδόκιμος est, et repudianda.

Bios interdum matrimonium significat.

Trapezita.

Trapezitæ calumnia in Ecclesiam Romanam.

II. Cujusmodi est et impudens illa calumnia, quam contra *Pontificios*, hoc est Romanæ communionis catholicos, majori haud scio temeritate, an stoliditate conjicit ; quæ quidem ad idem Pœnitentiæ negotium pertinet. « Meretricibus, ait, apud Pontificios non interdicitur communione, non sepultura prohibentur mortuæ. » Tanti ergo habuit homo iste, *quam longissime a fermento*, ut vocat, *Papistico abesse* videri, ac se suis pro hæretico venditare, ut catholicam causam falsis etiam et confictis criminibus oneraret. Quis enim vel levissime usu canonum imbutus, quibus hodiernæ ecclesiæ disciplina constat, ignorare potest, nulli ad communionem aditum permitti, qui publici alicujus sceleris infamia notatus sit, nisi pœnitentia Deo prius, Ecclesiæque satisfecerit ? Ubinam vero legit, aut unde tandem novum illud inusitatumque didicit, meretrices in catholica ecclesia a communione non arceri ? Sane hoc mendacium est ; cum nemini etiam minoris et occulti criminis sibi conscio, aliter ad usurpanda sacramenta liceat accedere, quam confessione delicti illius, ac pœnitentia reconciliatus ante fuerit ; quod Tridentina synodus novissime decrevit.

III. Et quoniam de pœnitentia, maxime autem publica, sermo nobis ortus est, scire velim, quid in animo habuerit feneratorum patronus, ut in veteri ecclesia « vel minima peccata severissime vindicata per pœnitentiam publicam » auderet scribere. Quid hoc potest absurdius dici ? Itane peccata minima erant illa, quæ pœnitentia publica multabantur ? Atqui vel gravissima fuisse constat : nec alia, quam illa ipsa, propter quæ a regno Dei excluduntur homines, de quibus Apostolus, interpretante Augustino [1], scripsit *ad Galatas*, cap. V. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Revolvantur monimenta antiquitatis omnia, omnes canones, quibus publica pœnitentia certa peccata notata sunt, ac vetustissimi quique Patrum consulantur ; nulla occurrent alia,

Illius error aientis minima peccata pœnitentia publica olim fuisse mulctata.

Milevitanum II concilium can. XXVI quod aliæ quoque synodi sunt imitatæ apud Coutantium t. I *epistol. Roman. Pontific.* col. 755. Cæterum de virginitatis apud veteres Christianos amore agit Mamachius t. III *orig. et ant. Christian.* F. A. Z.

* De viduis lege canonem XXVII synodi Arausicanæ. Viduitatem despiciebat Jovinianus ; qua de re eum redarguit Ambrosius in epistola *ad Siricium*. Ex viduis diaconissæ potissimum eligebantur, de quibus, ut Thomassinum, et Chardonium, atque heterodoxum Zieglerum omittam, luculentum *Tractatum præliminarem* habes tomo primo Septembris Bollandiani a doctissimo patre Johanne Pinio elaboratum. Veronæ exstat inscriptio a Maffeio divulgata tum in *Galliæ Antiquitatibus*, tum in *Museo Veronensi* quæ diaconissam nobis exhibet. Ea hujusmodi est.

† Daciana. Diaconissa
quæ. V. An. XXXV. m. III.
Et Fuit. F. Palmati. Cos.
&. Soror. Victorini. presbri
&. multa. Prophetavit
cum.Flacca Alumna
V. A. XV. Dep. in. Pace. III. Id. Aug.

Citatus Pinius ex Ferrariensibus nescio quibus monumentis ad se missis eamdem inscriptionem refert, sed vitiatam ; legit enim : ET. MULTA ppETRAVIT. Sed *prophetavit* habet marmor a me quoque diligenter inspectum. Quid autem hoc significat ? nisi diaconissam nostram prophetiæ dono inclaruisse. Ea autem filia fuit Palmatii consulis suffecti, atque anno 232 sub Alexandro imperatore martyrio coronati ; de quo vide acta Bollandiana t. V *Maii*. Nam quæ ibidem Pinius urget, ut alium ab eo Palmatio esse inscriptionis Palmatium suadeat, leviora sunt, ut in Thesauro inscriptionum Christianarum aliquando demonstrabo. F. A. Z.

1 August. tom. X, lib. L, *Hom.* hom. L, cap. IV.

nisi atrocia, certe letifera crimina, publicæ illi animadversioni subjecta. Longum est ea percensere hoc loco, quæ apud Tertullianum, Cyprianum, Basilium, aliosque veteres, tum in canonum *collectaneis* leguntur. Trita res est, quam nemo, nisi antiquitatis rudis omnis, ignorat. Unius Augustini, quoniam in ejus mentionem incidi, testimonium satis superque nobis erit. Dicat ille, cujusmodi peccatis publica pœnitentia sit inflicta. Verba illius ex capite eodem quarto homiliæ postremæ de quinquaginta : « Ut si peccatum ejus, inquit (de pœnitentibus ex antistitum arbitrio satisfacientibus loquens) non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali, et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. » Et in epist. CXVIII, cap. III. « Imo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sint, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare. » Quæ postrema verba Isidorus Hispalensis transtulit in caput XVIII libri primi *de Officiis ecclesiasticis*. Et ista etiam ejusdemmodi adjicit : « Cæterum si talia sunt peccata quæ quasi mortuum removeant ab altario, prius agenda pœnitentia est; ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. » Gennadius in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, c. LIII, eamdem quæstionem de frequenti communione dissolvens, « Quem, inquit, mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium, et condemnationem sui Eucharistiam percipere. » Quocirca falsissime dictum est, vel « minima peccata pœnitentia publica vindicata fuisse. » Nam minima ista oratione, et eleemosynis, aliisque piis officiis deleri, passim Augustinus prædicat; maxime autem Dominica oratione, cum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* De quo illud Prosperi non pigebit adscribere ex libro secundo *de vita contemplativa*, cap. VII. « Exceptis enim peccatis, quæ tam parva sunt, ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, illa crimina caveantur, quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari judicio. »

In Collectione canonum Martini Dumiensis, quæ ad Bracarensem secundam synodum adtexitur, canone XIII, declaratur, quis sit pœnitens publica illa functus pœnitentia, et a sacris ideo rejectus ordinibus. « Ex pœnitente, inquit, dicimus eum, qui post baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus, aut gravissimis peccatis publicam pœnitentiam sub cilicio gerens, divino fuerit reconciliatus altario. » Non utique ob mimina peccata, sed ob gravissima, et capitalia summa illa pœna decernebatur.

CAPUT IV.

Trapezitæ in fidei, aut theologiæ tractandis questionibus temeritas. Bonorum operum ab eo negata merita ; quæ et omnium universe aliqua, et majorum præstantiora esse monstratur. De duplici vitæ instituto, communi, atque perfecto. Hujus sublatum ab Trapezita meritum defenditur.

I. Hoc etiam feneratorum patrono restabat ad infelicitatis cumulum, ut se gravissimis de fide, ac theologia controversiis interponeret, iisque Trapeziticam illam farraginem refer- ciret. Hic ille nimirum morbus est, qui plerosque mortales tenet, ut quod quisque minime omnium novit, quodque alienum habet ab usu, professioneque sua, id præ se maxime ferre, deque eo crebro, ac multum loqui studeat. Quod dum in profanis, et communibus litteris usuvenit, quia nunquam sine errore fit, stolide id quidem, sed aut nullo, aut non magno periculo geritur. Idem cum divinas ad res transfertur, eo flagitiosius est, quod ad errati turpitudinem impietatis et hæresis quoque crimen accedit. Pervetus est de eo sanctorum querela Patrum, imprimisque Gregorii Nazianzeni, qui quibus potuit frenis hanc licentiam, temeritatemque constrinxit oratione tertia et tricesima. In qua leves et indoctos hommes, atque in divi-

narum rerum tractationem intemperanter effusos, tum aliis plurimis, tum hac sententia castigat. « Non est cujusvis de Deo disputare; non cujusvis, inquam. Non adeo vilis, ac protrita ea res est, nec eorum, qui adhuc humi serpunt. Addam etiam, non cujusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore, et apud certos homines, et aliquousque faciendum istud est. Non cujuslibet id quidem est, quoniam hoc eorum munus est, qui accurate explorati sunt; ac contemplando longe processerunt, etc. Apud quos porro? Nempe apud eos, qui rem hujusmodi studiose, ac serio amplectuntur, quique non ut quippiam aliud, ita hoc quoque inepta nugacitate persequuntur [a]. »

II. Scitum et illud, nec ad rem nostram minus est aptum, Synesii in Dione. « Cadmi quidem semen sativos, ut aiunt, eadem die milites protulit. Sativos autem theologos nulla ad hanc diem fabularum portenta finxerunt [b]. »

At Trapezita de grammatico repente factus theologus, non pauca, eaque præcipua, et perdifficilia fidei capita delegit, quæ tanquam ἐπεισόδια, vel ἐμβλήματα in alieni prorsus argumenti commentarium intexeret. Qua ex re id, quod erat consentaneum, est assecutus, ut in illis, quorum rudis, et ignarus erat, explicandis, turpissimos ubique in errores incurreret, a seque ipso non minus, quam ab omni Christiana antiquitate, et catholicæ fidei regula discreparet. Quæ nos illius flagitia neque dissimulare omnino debemus, neque tamen longiores in illis confutandis esse possumus. Sed strictim notata capitibus aliquot exagitabimus, ut ne deinceps impune licere sibi putet, tantis de rebus, quas neque scit, neque didicit unquam, temerariam, ac falsam sententiam dicere.

Adventitia vel auctoria.

III. Horum primum illud esto, quod a pagina 278, disputare est orsus : duo in Ecclesia esse instituta vitæ, quas sectas, et πολιτείας vocat : alterum perfectum; quod remotum a procurandis corporis commodis, totum se ad virtutis ac cœlestium rerum studium applicat : alterum quod in communi vita permanet. De utraque vita deinde scribit sic. « Prior illa ita quidem perfecta præ ista habenda, et vocanda, si tamen nihil sanctitatis meritoriæ in tali proposito reponat, καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτου δικαιοσύνην ἔχουσα, *tanquam per hoc se justitiam habere credens*, sed eam viam hac mente, et consilio calcans, ut declinet εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, et *omnem occasionem delinquendi* devitet. » His paucis versibus incredibile est, quantum veneni ac pestis incluserit. Negat illius capessendæ vitæ propositum *sanctitatis* aliquid *habere meritoriæ*, aut ex eo uberiorem constare justitiam. In quo primum interrogandus est, credatne, bonorum operum ulla esse merita, eo videlicet sensu, quem antiqui Patres omnes, et præ cæteris Augustinus, cumque iis consentiens Romana et catholica pietas agnoscit. Nimirum ut neque Dei gratiam ulla antecedant merita; et hæc ipsa tum ex gratia, tum ex gratuita Dei pollicitatione, Christique meritis tota pendeant.

Bonorum operum meritum statuitur.

IV. Quæ est Augustini sententia passim ab eo contra Pelagianos exposita. Ut cum in epistola CV ita scribit : « Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt. » Ac postea : « Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia; et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua? » Quamobrem (ut recte Prosper in *Responsione ad Capitula Gallorum*, capite VI). « Justificatus homo, id est ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio adquirat et meritum, ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii. » Ejusmodi operum merita bonorum, nemo nisi profanus, ac vecors, Christianis audet eripere. Nihil enim tanta consensione traditum ab veteribus Ecclesiæ magistris ac Patribus accepimus, nulla ut eorum propemodum pagina sit, quæ non insignem aliquam mentionem habeat dogmatis illius. Tertullianus, ut ex innumeris testimoniis pauca delibem, libro *de Pœnitentia* capite secundo; « Bonum factum, inquit, Deum habet debitorem; quia judex omnis

a Greg. Naz. or. XXIII. Οὐ παντὸς, ὦ οὗτοι, τὸ περὶ Θεοῦ φιλοσοφεῖν, οὐ παντὸς, οὐχ οὕτω τὸ πρᾶγμα εὔωνον, καὶ τῶν χαμαὶ ἐρχομένων, προσθήσω δὲ, οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ πᾶσιν, οὐδὲ πάντα· ἀλλ' ἔστιν ὅτε, καὶ οἷς, καὶ ἐφ' ὅσον. οὐ πάντων μὲν, ὅτι τῶν ἐξητασμένων, καὶ διαβεβηκότων ἐν θεωρίᾳ, etc. Τίσι δέ; οἷς τὸ πρᾶγμα διὰ σπουδῆς· καὶ οὐχ ὡς ἕν τι τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο φλυαρεῖται ἡδέως.

b Synesius. Ὁ μὲν οὖν Κάδμου σπόρος αὐθημερὸν ὁπλίτας, φησὶν, ἀνεδίδου σπαρτούς· σπαρτοὺς δὲ θεολόγους οὐδείς πω μῦθος ἐτερατεύσατο.

remunerator est causæ. » Cyprianus in libro *de unitate Ecclesiæ*, Præceptis ejus, inquit, et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. » Hilarius, canone IV, *in Matthæum*, « Cujus (inquit de divina bonitate) præmium, atque honos præsentis vitæ operibus sit merendus »

V. Chrysostomus homilia XVI *in Matthæum*. « Si enim ille, qui debitorem habet Imperatorem, sufficientem in omne vite tempus habere se securitatem existimat; cogita, quantus ille sit, qui benignum, et immortalem Deum bonorum omnium operum tam parvorum, quam magnorum debitorem sibi constituit. » Sic homilia XIX in idem Evangelium, verba illa perpendens capitis sexti. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* : οὐκ εἶπε χαριεῖταί σοι, inquit, ἀλλ' ἀποδώσει σοι. καὶ γὰρ χρεώστην ἑαυτόν σοι κατέστησε : Non dixit, *gratis tibi largietur*, sed *reddet tibi*. Siquidem *debitorem* tibi seipsum constituit [a]. » Ubi idem χρεώστου vocabulum usurpavit, quo et Tertullianus est usus. Etenim « Promissorum suorum (ait Augustinus sermone XXXI *de Verbis Domini* capite IV) nobis chirographum fecit. Non debendo enim, sed promittendo debitorem se Deus fecit. id est non mutuo accipiendo. Non possumus ergo et dicere. Redde quod accepisti; quoniam *quis prior dedit illi, et retribuetur ei*? Non possumus dicere ei : Redde quod accepisti; sed plane dicimus : Redde quod promisisti. » Idem etiam in homil. XIV de quinquaginta, ex Apostoli verbis idipsum confirmat. « Non enim opere, inquit, inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. *Bonum certamen certavi*, opus est. *Cursum consummavi*, opus est; *fidem servavi*, opus est. *Superest mihi corona justitiæ;* merces est. »

VI. Atque hic Apostoli locus, ex *Tim.* IV,7, ad idem institutum expressissimus est; isque sæpius ab Augustino, aliisque commemoratur, ut ex eo bonorum operum merita commendent, atque illud ostendant, quod Isidorus Pelusiota egregie scripsit in libro primo, epistola CCCLXXXVII, non solum χάριτι. id est *gratuito* nos salutem assequi, sed etiam ἀμοιβῇ, καὶ ὀφλήματι, id est *compensatione quadam justitiæ, ac debito*. Ecquis vero sic occæcatos habet oculos, ut non viderit; aut ita stolide pervicax est, ut fateri nolit, quod in sacris omnibus utriusque Testamenti libris legit, si vel levissime eos unquam attigit, bonis operibus et promissam, et rependendam esse mercedem? eleemosynis, inquam, sive *beneficentiæ*, et *communioni*, *quibus hostiis promeretur Deus* ait Apostolus *ad Hebr.* XIII, 16, tum cæteris misericordiæ propriis, propter quæ novissimo in judicio æterna salus electis, tanquam præmium ac merces tribuenda dicitur *Matthæi* XXV. Sed in re adeo vulgari et protrita diutius immorari piget. In qua tamen peregrinari ille ipse, qui occasionem nobis disputationis illius dedit Trapezita videtur, qui nihil *sanctitatis meritoriæ* in opere omnium præstantissimo, maximeque difficili et arduo collocandum putat, nempe in vitæ perfectæ proposito; quod non uniusmodi virtutum officiorumque, sive κατορθωμάτων genus amplectitur, sed universa in unum collecta continet, nec illa quidem mediocria, verum absoluta numeris omnibus, utpote perfecto vitæ statu digna.

VII. Quæ est igitur ista ratiocinandi pravitas, cum minimarum actionum, quæ ex fide, ac gratia proficiscuntur, nulla sine merito ac præmio sit, excellentis ac perfectæ, cujusmodi propositum illud est, nullum esse meritum credere? An qui sitienti frigidæ calicem dederit, mercedem habebit, ut *Matthæi*, X, 42. Christus significat, non habebit, qui minima, maximaque virtutum omnium officia proposito ac voluntate conceperit? Quid autem meritum est, nisi honestum quoddam et laudabile factum, cui merces et compensatio aliqua debetur? Quæ quidem si est justa, magnis officiis, major; parvis autem minor proponitur. « Nam pro actibus hominis remunerationis est qualitas, » ait Ambrosius libro VIII *in Lucam*. Et Petrus Chrysologus sermone XXII, « Præmia statuuntur his semper, quibus certamina dura proponuntur, ac pro magnitudine certaminis præmii proponitur magnitudo. » Tertullianus item in quarto *contra Marcionem*, capite XVII, illud *Luc*, VI, declarans, *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum*, ita scribit. « Ut opinor, hæc retributionem pro meritis provocatam sonant. » Et Augus-

Bonorum operum dispar meritum.

[a] CHRYS. *in Matth.* Εἰ γὰρ τὸν βασιλέα ἔχων τις ὀφειλέτην, ἀρκοῦσαν εἰς πάντα νομίζει τὸν βίον ἀσφάλειαν ἔχειν· ἐννόησον ἡλίκος ἐστὶν ὁ τὸν φιλάνθρωπον καὶ ἀεὶ ζῶντα Θεὸν καὶ μικρῶν, καὶ μεγάλων κατορθωμάτων χρεώστην ἑαυτῷ καταστήσας.

tinus sexcentis in locis illam meritorum, præmiorumque disparem, et inæqualem conditionem prædicat; eaque quomodo cum uno illo denario, qui operariis *Matth.* XX, persolutus est, concordet, diligenter explicat. Velut tract. *in Joan.* LXVII, et lib. *de sancta Virginit.*, cap. XXVI. Quod et ex illis Apost. verbis affirmat I *Cor.* XV, *Stella a stella differt in gloria.* « Aliter ibi lucebit virginitas, ait serm. XLVI *de Verbis Domini*, aliter ibi lucebit castitas conjugalis; aliter ibi lucebit sancta viduitas. Diverse lucebunt, sed omnes ibi erunt; splendor dispar, cœlum commune. » Quid quod ipsemet Trapezita et meritum perfectæ illius sanctiorisque vitæ, et majus, quam in communi, ex Athanasio demonstrat his verbis. « Duæ sunt viæ, sive sectæ in vita, et duæ conversationes. Una meriti mediocris, et sæcularis, quæ trigesimæ frugis fenus reddit; altera angelica, et mundo abdicata, quæ fert fructum centesimi fenoris perfectum [a]. » Habet ergo meritum perfecta illa vitæ ratio, et majus, quam communis altera ; ac tantum illa hanc excedit, quantum centesimum fenus trigesimum superat. Falsissimum est proinde, quod paulo post idem Trapezita nectit, nullam in illo perfectiori proposito *sanctitatem* inesse *meritoriam.* Etenim neque perfectior potest esse, nisi sit sanctior; neque sanctior esse, quin majoris sit meriti ; quia sementi bonorum operum messis respondet : Et *qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus* (hoc est large, et abundanter) *de benedictionibus et metet* [1]. Joviniani hæresis illa est, « omnium, qui suum baptisma servaverint, unam in regno cœlorum renumerationem esse, » ut in primo contra illum scribit Hieronymus. Tum, « Virgines, viduas, et maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti. » Quam hæresim multis in libris confodit Augustinus; ut in libro *de hæresibus ad Quodvultdeum*, cap. LXXXII, et in libro *de bono conjugali* contra eumdem, et in libro *de sancta virginitate.* Quo est Trapezitæ audacia detestabilior, qui hanc ipsam opinionis impietatem toto illo in opere secutus est, ut ex iis, quæ diximus, et quæ dicentur postea, constabit.

Duplex vitæ institutum.

VIII. Nam quod idem statim explicat, quo fine ac scopo perfectæ illud vitæ propositum adhiberi debeat, nempe ut « eam viam hac mente et consilio calcet, ut declinet εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, et *omnem occasionem delinquendi* devitet, non ut aliquid sanctitatis meritoriæ in illo proposito reponat, in eo sibi ipse contradicit, et quam evertit *propositi sanctitatem meritoriam*, adstruit. Nam declinare peccatum velle, et quidvis declinandi causa reipsa facere, magna virtus est ; siquidem *Virtus est vitium fugere.* Et *Initium sapientiæ timor Domini* [2]. Porro *In timore Domini declinatur a malo* [3]. Non potest igitur vel sanctitate carere, vel sanctitatis merito, qui propositum illud adeo sublimis excellentisque vitæ suscipit, ut *declinet a malo, et faciat bonum* [4], in quo Christianæ, ac perfectæ vitæ summa consistit.

CAPUT V.

De Christi præceptis ac monitis in monte editis; deque iis absurda, et secum repugnans Trapezitæ sententia. Consilia de rebus esse difficilioribus, falso ab eodem putari; omnia, quæ illic præscripta sunt a Christo, esse præcepta, ita ut nullum sit consilium. Gravis ejusdem error asserentis, solis Apostolis data illa esse, non Christianis cæteris ; tum inconstans opinio, solos perfectæ vitæ professores illis obligari. Consilia funditus ab eodem tolli. Ostenditur demum Christum in monte partim præcepta, partim consilia dedisse

I. Magnam deinde, ac sane difficilem quæstionem ingreditur Trapezita de Christi mandatis, quæ *Matthæi* præsertim quinto capite proponit ita ut ea velut opponat antiquæ ac Mosaicæ legi ; ut cum sic loquitur, *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides*, etc. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, ac reliqua generis ejusdem. Itaque « qualia illa Dominica præcepta fuerint, et quibus præcipue data, » declarandum sibi Trapezita constituit. Ac primum « toto illos errare cœlo dicit, qui inter illa præcepta Christi, et mandata legis priscæ

[a] ATHAN. Δύο εἰσὶν ὁδοὶ, ἐν τῷ βίῳ, καὶ δύο πολιτεῖαι. ἡ μὲν μετριωτέρα, καὶ βιωτικὴ, φέρουσα καρπὸν ἐν λ', ἡ δὲ ἀγγελικὴ, καὶ ἀποκόσμιος φέρουσα καρπὸν τὸν τέλειον ἐν ρ.

1 I *Cor.* XXV. — 2 *Psalm.* cap. I. — 3 *Prov.* XVI, 6. — 4 *Psalm.* XXXIII.

distinguunt, ut inter consilia, et præcepta. » Jure id quidem refellit, si universe ita pronuntietur. Non enim mandata illa Christi omnia pro consiliis habenda sunt. Sed in hac qualicumque impugnanda sententia incredibilis est Trapezitæ veternus, ac stupor. « Nulla, inquit, ratio est, ut præcepta, quæ creduntur obligare sub peccato contra jus naturale, ac divinum, facilioris sint observationis, quam consilia, ab eodem præsertim auctore manantia. »

Consilia difficiliora præceptis communis vitæ cultoribus.

II. Hæc plane cum scriberet, vigilans stertebat. Quid enim? Non est consiliorum, quam præceptorum observatio difficilior? Præcepta, quod sciam, omnibus in commune proposita sunt, etiam βιωτικοῖς, ac plebeiis, qui in illa molliore, et indulgentiore secta censentur, et perfectioris ac sanctioris alterius nexibus expediti sunt. At consilia multo et perfectiora sunt, et, quod consequens est, difficiliora factu. Non enim nisi arduis de rebus, et vulgi captum superantibus edita sunt a Christo. Velut *Matthœi* XIX de continentia ab uxore, et vita cælibe. *Non omnes,* inquit, *capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Et, *qui potest capere capiat.* Et Apostolus prioris *ad Corinthios,* cap. VII, XXV. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Hanc sane virginitatem, et ἀγαμίαν, propter difficultatem, nulla præcepti legisque necessitate conclusam ab Christo, sancti Patres intelligunt: Chrysostomus inter alios homilia *in Matthæum* LXII, Christum censet verbis illis, « *Qui potest capere capiat*, promptiores Apostolos suos facere voluisse, dum arduum ac perdifficile id egregium facinus esse monstraret; nec rem eam necessitate legis includi, pateretur, pro sua ineffabili benignitate[a].

Vitæ rationem.

III. Relegat Trapezita, quæ de utroque instituto vivendi, perfecto, et *communi*, seu βιωτικῷ, paginis aliquot exposuit; ubi πολιτείαν illam perfectorum, « sublimiorem, ac mere spiritualibus convenientem, necnon Apostolicam, Angelicam, a mundi rebus alienam, excellentem, et eminentem » ab antiquis Patribus appellari scribit, hoc est Ἀποστολικὴν, Ἀγγελικὴν, et ἀποκόσμιον, et ὑπερφυῆ, et ὑπερβεβηκυῖαν. At « βιωτικοὺς, in mediocribus, ait, subsistere; quibus difficile est, imo impossibile secundum humanam rationem ad eam laudem spiritualium adspirare. » Faciliora sunt igitur præcepta, quibus et βιωτικοὶ tenentur, quam consilia, quæ solos *perfectos*, et *spirituales*, non autem βιωτικοὺς respiciunt. Et tamen subinde, « Quis ergo dicat, inquit, in magis arduis consilia locum habere, in factis facilioribus præcepta? » Quis hoc dicat, quærit? Profecto quicumque vel mediocriter sapit, et qui τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις, καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖ[1].

Communis vitæ sectatores.

Cerebrum in temporibus et non in pedibus conculcatum gestat.

IV. Verum, ut Trapeziticæ doctrinæ mysterium omne prodatur, quod perplexo, et inextricabili, atque incondito genere sermonis occultat, sciendum est, sic illum de proposita quæstione sentire, quæcumque *Matthœi* quinto illo capite tradita sunt a Christo, ac Mosaicæ legi velut opposita, ea non consilii vim habere, sed præcepti. « Hæc dicta, inquit, edicta sunt, et cum pari auctoritate, ac potestate pronuntiantur a novo legislatore, ac sua ab antiquo. » Et paulo ante : « Non enim, inquit, tanquam παραινέσις et ὑποθῆκαι tantum haberi debent, quibus obedire, aut non obedire integrum sit ei, qui decretis solis contentus esse queat. » Quare omnia illa *Matthœi* V edita. præcepta putat esse, quibus non minus, quam legis antiquis tabulis obligentur homines. Ex quo id sibi, quod opinioni adversari suæ videtur, objicit : « Cur igitur leges hodie Christianorum publicæ puniunt mœchum, non puniunt concupiscentem? » Stulta percontatio. Non enim occulta, et interiora crimina publicis legibus plectuntur. Nam qui alienam uxorem concupiscit; peccat ille quidem, et adulterii scelere, ac pœna tenetur apud æterni tribunal Judicis, ad quem occultorum cognitio pertinet; hominum vero publica lege damnari, aut puniri qui potest, cum sit illius crimen ignotum?

Adhortationes et consilia.

V. Quare melius in sequentibus procedit quæstio. « Cur judex, inquit, conquerenti se pulsatum, non opponit Christi præceptum, quo jubetur, ut percussus in una mala, alteram præbeat percutiendam? Quæ causa denique est, ut in judicio se fraudatum monstranti minime objiciatur ab adversario, noluisse Christum, ut qui circumscriptus esset, litem eo nomine intenderet? Cur etiam dica non scribitur iracundo, ut homicidæ? » His et aliis ejusmodi demum ita respondet : « Illa

a. CHRYS. *in Matth.* Προθυμοτέρους τε ποιῶν τῷ δεῖξαι ὑπέρογκον ὂν τὸ κατόρθωμα, καὶ οὐκ ἀφιεὶς εἰς ἀνάγκην νόμου τὸ πρᾶγμα κλεισθῆναι διὰ τὴν ἄφατον αὐτοῦ ἡμερότητα.

1 Demosth. in orat. *de Halon.*

Domini præcepta, quibus legalia mandata Christus ad majorem deduxit observationis rigorem, non omnibus per illum tradita esse, sed solis discipulis. Non tantum quia debuerunt perfecta præcepta perfectioribus tradi; sed etiam quia oportuit severiore imbui disciplina, per quos nova ac severa doctrina mundo innotesceret. » Ergo Apostolis solis nova illa præcepta Christus in monte tradidit. Hinc vero quot et quanta portenta sequuntur! Primum irasci licebit impune Christiano cuilibet, neque propterea divino judicio erit obnoxius. Concupiscere item fas erit alienam conjugem sine adulterii nota; quoniam quæ lex id fieri vetat, ad solos Apostolos pertinet. Odisse quoque licebit inimicos, et hujus generis præcepta cessabunt cætera. Quo constituto, jam Christiana tota sanctitas, ac religio funditus corruet.

VI. Atenim in sequentibus præceptorum istorum vim, et obligationem latius porrigit. Nam eadem illa novæ legis mandata non solis Apostolis data fuisse vult; sed etiam omnibus, qui perfecti esse studeant. «Enimvero, inquit, ut ad rem redeam, ita voluntaria hæc Christi omnia perfecta præcepta videri debeant, ut iis secundum ea vitam suam componere statuentibus, decreta sint ac scita, legis instar, ac vim obtinentia, non consilia. » Et alibi, « Omnia illa ἐπιτατικὰ præcepta Domini, inquit, quamvis pro causis, ac temporibus Apostolis solis competant; omnibus tamen videntur data, qui contentione, et æmulatione meliorum, ea pro virili sectari tenentur. » Jam ergo præter Apostolos, etiam illi præceptis tenentur istis, qui ad meliora, et perfectiora niti statuerint; quales sunt perfectæ ac sublimis illius vitæ cupidi, de qua antecedenti capite dixi. Cæteri, quos βιωτικοὺς appellant, *communis vitæ cultores*, et a perfectionis alieni studio, nullo modo præceptis his parere coguntur. Quocirca, si quis animum induxerit ad illa exquisitiora servanda Christi monita, non jam illa ut consilia, sed ut leges, ac præcepta reputare debet.

VII. Neque vero cum iis legum instar esse dicit illa monita, qui ea sibi observanda esse decreverint, de eo proposito loquitur, quod cum voto conjunctum, privatæ legis necessitatem induit. Id si ita definiret, verum diceret. Sed non dicit; at propositum quodlibet, et deliberati animi voluntatem satis esse cuique vult, ut obligationem afferant illa præcepti, et esse consilia desinant. Etenim βιωτικὸς, inquit, hoc est qui institutum commune vitæ sectatur, « qui moralia tantum exequitur, facit tantum, quod debet, imo etiam minus, si, cum possit ulteriora conari, sibi ipsi deest,» etc. Deesse porro sibi illum putat, cum charisma, quo id possit, divinitus accepit. Quia « conatus ille ipse, quo tendimus ad meliora ac majora charismata, etiam Dei charisma est.» Quare qui summa illa, et perfecta potest exequi, nisi id agat, minus facit, quam debet. Itaque peccat. Est enim peccatum ἔλλειψις, id est, *detractio* de eo, quod ex lege debetur. Non est igitur amplius res consilii, sed præcepti. Sic alibi: « Si bene valenti, inquit, medicus auctor esset, vinum potius aqua dilutum bibere, quam purum, loco consilii magis haberetur, ad sanitatis cautelam, quam præcepti. Et tamen certum est, qui illo consilio uteretur, præceptum hoc illi futurum pro consilio. Effectus quippe ipse, et eventus. dum paretur ab eo, cui consilium datur, mutat consilium in præceptum. Minoris quippe fit lex, cui non obtemperatur, quam consilium cui paretur. »

VIII. Hæc Trapeziticæ opinionis est summa, in qua si quis rationem, aut humanum judicium requirat, frustra sit. Nihil enim, ut multum laboret, communis in illa sensus inveniet. Atque ut consilii, ac præcepti discrimen seponamus modo, de quo sequenti capite dicetur; quis risum teneat, cum hoc audiat, consilia, cum iis paretur, vim legis accipere? Aut cum medicus valenti et sano consilium dat, ut aqua dilutum vinum bibat, id tamdiu consilium esse, dum non obtemperatur; si consilium placeat, tum in legis, ac præcepti vim obligationemque transire? Itane quidquid ab aliquo consilii datum tibi sit, id si probes, tum demum lex erit, ut sine culpa secus facere nequeas? Quis hoc sanus dicere, vel sano persuadere possit? Hoc modo nihil jam erit, quod consilium vocari debeat, nisi cum ei non auscultatnr.

Nam quod de βιωτικοῖς, et *communis vitæ sectatoribus* ait, non eos præceptis illis in monte datis a Christo teneri, sed solos illos, quos perfectioris amor vitæ ceperit, ac nihilominus salutem adipisci; eodem incommodo premitur, quod supra memoravimus. Sequitur enim, licere ipsis irasci fratribus suis, et *in corde mœchari*; hoc est videre alienam conjugem ad eam concupiscendam, inimicos itidem odio prosequi; quandoquidem præcepta illa, quibus hæc vetantur, ad solos perfectos, non ad communes Christianos spectant. Non solum ridicula, et absurda ista sunt, sed etiam nefaria, et impia.

Christus in monte partim præcepta, partim consilia dedit.

IX. Enimvero, quod postremo ac paucis explicandum est, omnia illa, quæ Apostolis ab Christo proposita sunt in eo sermone, quem in monte habuit, cum ad universos Christianos pertinent, tum neque consilia sunt omnia, neque præcepta, sed ad utrumque genus referuntur. Ex his præcepta, et mandata sunt illa, quæ dixi, de non concupiscenda uxore proximi; de diligendis inimicis; de non irascendo, et ejusdemmodi alia; cætera consilii sunt, non præcepti. Quale est percutienti maxillam tuam, præbere alteram; aut *si quis te angariaverit mille passus, vadere cum illo et alia duo*. Item *si quis vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimittere ei et pallium*. Hæc quisquis observat, optime facit; qui secus facit, nihil eo nomine peccat, quod ista non servat, sive perfectum, sive commune vitæ genus profitetur. At illa superiora Christianos omnes obligant, neque sine peccato negligi possunt. Hæc vera, sana, catholica est Ecclesiæ doctrina, omnium usu sæculorum, ac sanctorum Patrum auctoritate recepta; Trapezitica vero partim falsa, et hæretica, partim a seipso dissentiens.

CAPUT VI.

De consiliis Evangelicis, et operibus supererogationis; quæ vox primum ab Trapezitæ obtrectatione, tum res ipsa vindicatur. Demonstratur e Scriptura, et antiquis Patribus, opera quædam esse, quæ lege nulla jubentur, et sponte præstita supererogari dicuntur.

Præceptorum et consiliorum statuitur distinctio e Scriptura et Patribus.

I. Consilii ac præcepti nomina, et utriusque discrimen merito antiqui Patres, ac theologi ex Apostolo colligunt; qui in priore *ad Corinthios*, cap. VII, 25. *De Virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, etc. Tum quid inter se ista differant, tota illa narratione demonstrat. Ex qua id esse præceptum intelligimus, quod parendi necessitatem, et obligationem affert, ut absque culpa, pœnaque prætermitti nequeat. Consilium vero suasio est melioris cujusdam, ac præstantioris operis, cujus exequendi nulla necessitas imponitur; sed ejus, cui datur voluntati, arbitrioque permittitur. Cujusmodi libera et voluntaria pietatis officia, *supererogationis opera* nominari solent. At Trapezita noster subito factus dogmatistes, ut ille Melchisedecianorum pater [1] Theodotus « nulla opera supererogationis admittenda esse docet; quæ non magis, inquit, peccant verbo contra Latinitatem, quam re ipsa contra fidem. » Non fero delicias istas. Nam quid adeo ista vox offendit?

II. Hac vetus interpres Latinus utitur *Lucæ* X, 35; ubi Samaritani a latronibus confossi, et humi jacentis parabola describitur. *Curam*, inquit, *illius habe, et quodcumque supererogaveris, reddam tibi.* καὶ ὅ, τι ἂν προσδαπανήσῃς. An veteris et eruditi interpretis vocabulum usurpare theologis in re sacra et dogmatica non licebit?

Non tam morosi fuerunt veteres Patres, iidemque Latinæ proprietatis retinentes. Ambrosius in commentariis ad illum Lucæ locum, tam in latino contextu, quam in expositione sua vocem istam posuit. Augustinus item in libro *de sancta virginitate*, capite XXX, cujus verba postea referam. Adhibuit et Fulgentius scriptor elegans in epistola septima, quæ est *ad Venantiam*, capite VIII. « Nunquam duobus denariis datis, inquit, redditurum se, quidquid supererogaret, stabulario spopondisset, si supererogationem illam non plenæ sanitati prænosceret profuturam. » Auctor etiam *Hypognostici* in tertio libro, capite VIII, ut postea dicam. His ergo præeuntibus nec indoctis, et Latine disertis, quis tanti litteratores nescio quos faciat, ut illo verbo uti vereatur?

III. Sed omitto verbi contentionem, de re ipsa modo constet, non ero pertinax. *Opera supererogationis*, vel quæ *supererogari* dicuntur, ea nos vocamus, quæ præter debitum, ac sine ulla legis obligatione, sponte quispiam præstat; vel quæ consilii tantummodo sunt, non præcepti. Debet aliquis privato homini, vel publico centum aureos nummos. Is, si centenos solvat, nihil supra debitum reddit. Sin præter centum, vicenos gratis, et liberaliter erogat, is demum supererogare dicetur, Hesiodei illius memor.

1 De Theodoto Trapezita Euseb VI *Hist.* cap. VII. Theodor. lib. II *de Hær.*

« Recta quidem mensura ab vicino mutuum
[accipe, ac fideliter redde
Eadem mensura, et amplius, si quidem
[possis[a]. »

Est enim supererogatio, τὸ ἐπίμετρον, id est *auctarium*.

Operum supererogationis meritum et merces.

IV. Utrum igitur in Christianismo, et religioso Dei cultu locum habeat operum talium meritum, quæ supra legis obligationem excurrant, nec debita sint, sed sponte, et gratuita liberalitate præstentur, inter nos quæritur. Negat hoc Trapezita, ut ex antecedenti capite constat; qui quidem ea, quæ consilia nominantur, cum iis reipsa, vel voluntate, animique proposito paretur, in præcepta transire asserit. Tum etiam cum perfectæ vitæ genus, institutumque suscipit aliquis, etiam citra voti religionem, privatamque legem, eo ipso, quod ad perfectionem aspirat, non amplius esse consilium, sed præceptum id, quod hactenus integrum erat, nimirum cum ad excellentem illam vitæ sectam instituendam charisma divinitus accepit. Hæc si recte ab illo posita sunt, sublatum jam erit omne consilii discrimen, ac præcepti. Nullum enim consilium erit amplius, sed erunt omnia præcepta; quia quidquid illud erit, quod sponte, ac voluntate libera capesset aliquis; id statim atque facere proposuerit, in præceptum mutabitur.

V. Enimvero magnam novus iste theologus ab Juliano Apostata gratiam inisset, si ejus vixisset temporibus, et Christianum illud dogma vulgasset. Nam cum ille Christianos per vim opprimeret, ac cum magis per sese injuriis eos afficeret, tum ab aliis vexari impune permitteret; expostulantibus apud se ita respondere solebat, ut Gregorius Nazianzenus prima in illum *Invectiva* refert: « Christianis lege sua præceptum esse, ut neque injurias ulciscerentur; neque litigarent, nec haberent omnino proprium quidquam, sed ut alibi viverent, et præsentia pro nihilo ducerent; tum ut nemini malum pro malo referrent; neque genam percutienti subtraherent, sed alteram præberent: ac præter tunicam, etiam pallium exuerent[b]. » Quid aliud Trapezita nos docet, quam quod Apostata iste jactabat, legis, instar, ac præcepti illa esse omnia, quæ pro consiliis habentur a Catholicis, ut qui sponte hæc faciat, nihil, nisi quod legibus debet, quod omittere sine delicto non posset, exsolvat?

VI. At multo secus judicavit Gregorius idem Nazianzenus, qui Trapezitæ pariter atque Apostatæ calumniam non dissimili, ac nos Catholici, modo refellit, « Deinde quomodo non illud animadvertis, o sapientissime et solertissime mortalium! qui ad virtutis fastigium Christianos per vim compellis; in lege nostra, quædam esse, quæ parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt; alia non necessitate constringunt; sed in arbitrio et voluntate posita sunt, ac proinde rationem hanc habent, ut qui custodierint, honore et præmiis afficiantur; qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant[c]? »

Præceptum a consilio distare statuitur.

Non igitur omnia, quæ ad perfectum voluntate sua nitentibus Evangelica doctrina præscribit, legis obligationem afferunt, etiam illis ipsis, qui illam profitentur, vel, ut Trapezitæ verbis utar; qui χάρισμα illud acceperunt. Neque enim χάρισμα, id est impulsus et afflatus ille interior, quo ad ardua et singularia ista consectanda invitantur homines, legis ac præcepti necessitatem injicere solet, nisi voti religio ac privata quædam lex accesserit. Quamobrem integrum est cuique, et in ejus arbitrio situm, ut illa vel agat, vel omittat, quantum ad Christi institutionem attinet, quod luculento illo Gregorii testimonio constat.

VII. Licebat Apostolo Paulo, quod cæteri usurpabant ordinis ejusdem, alieno sumptu in Evangelii prædicationem incumbere. *Nam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt;* ait ille I. *Cor.* IX, 13, *qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* At ille jure isto uti no-

a Hesiodus.
Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος· εὖ δ' ἀποδοῦναι
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.

b Greg. Naz. Εἶναι γὰρ τοῦ ἡμετέρου νόμου, μήτε ἀμύνεσθαι, μήτε δικάζεσθαι, μήτε κεκτῆσθαί τι τὴν ἀρχὴν, μήτε νομίζειν ἴδιον. ἀλλὰ ζῆν ἑτέρωθι, καὶ τῶν παρόντων καταφρονεῖν ὡς οὐκ ὄντων. κακοῦ δὲ μὴ ἀντιδιδόναι μηδὲ ἐξεῖναι κακὸν, μήτε τὴν παρειὰν παιομένους φείδεσθαι ταύτης, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑτέραν ἐμπαρέχειν τῷ παίοντι, καὶ τὸν χιτῶνα τῷ ἱματίῳ προσαποδύεσθαι.

c Id. Ἔπειτα πῶς ἐκεῖν' οὐ λογίζῃ, ὦ σοφώτατε πάντων, καὶ συνετώτατε, ὁ πρὸς τῆς ἀρετῆς ἄκρον συγκλείων χριστιανοὺς, ὅτι τῆς ἡμετέρας νομοθεσίας τὰ μὲν ἀνάγκην ἔχει τοῖς ἐπιταττομένοις, ἃ καὶ μὴ φυλάττουσι κίνδυνος· τὰ δὲ οὐκ ἀνάγκην, αἵρεσιν δέ. ἃ φυλάττουσι μὲν, τιμὴν, καὶ ἀντίδοσιν, μὴ φυλάττουσι δὲ, οὐδ' ὅντιν' οὖν κίνδυνον.

luit, sed in eo mercedem sibi constituit, *ut sine sumptu poneret Evangelium*[1]; quod et ipse *Actorum* xx, 35, de se prædicat. Numquis inficiari potest, aliter, quam instituerat, et ut cæteri faciebant, Paulum si vellet, potuisse facere? Licuisse id quidem sibi alienis impendiis vivere, ac manibus, et labori parcere, testis est ipsemet eodem illo nono capite. *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* (nempe alienis sumptibus, ut Chrysostomus, aliique interpretes docent) *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas*[a]? Solebant enim reliqui Apostoli, ac prædicatores evangelii matronas quasdam honestas circumagere secum. « Quæ necessarias ad vitam impensas suppeditarent; ut ea cura soluti totos se in evangelii propagationem impenderent[b];» aiunt Græca scholia.

Charisma. VIII. Atqui χάρισμα Paulus, opinor, habuit ad id, quod erat perfectius, quodque ipse factitabat, exequendum. Et idem tamen potestatem habuisse se dicit aliter vivendi, ut nullo labore suo res ad victum necessarias subministrantibus aliis caperet. Nemo contra id, quod lege præcipitur, faciendi potestatem habet, præsertim si lex divina sit, cujusmodi fuit instinctus ille sancti Spiritus, sive χάρισμα, quo ad perfectiora provehimur; si ut Trapezitæ visum est, non consilii vim habuit, sed legis, ac præcepti. Quamobrem, cum integrum id sibi esse Paulus ipse testetur, agere secus ac charisma suadebat, non se ulla constringi lege credidit, ut ei obtemperaret. Nam quod ad prædicandi Evangelii munus, et functionem attinet, ejus sibi præcepto ac lege necessitatem impositam esse demonstrat; nec se omittendi illius potestatem habere dicit[2]. *Necessitas enim mihi incumbit, Væ enim mihi est, si non evangelizavero*[c]. Plurimum igitur intererat inter illa duo, evangelizare, quod erat præcepti; et gratis id agere, quod fuit consilii; et quia supra legem erat, supra eam erogatum est ab Apostolo.

IX. Chrysostomus ad illa ipsa verba rem perspicue definit. « Quoniam, inquit, illud est mandatum; hoc vero liberæ meæ voluntatis officinm. Nam quæ supra præceptum fiunt, magnam habent mercedem; quæ vero præcepti rationem habent, non tantum obtinent » et,« Verumtamen (addit paulo post) quoniam illud præceptum est, et debitum; hoc vero liberæ voluntatis largitio, ideo hoc illo præstantius est[d].» Sunt igitur opera quædam bona et laudabilia, quæ non intra sunt, sed supra legem. Sic Ambrosius epistola xxv, Pauli verba illa perpendens I *Cor.* vii. «*De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do:* «Non enim præcipitur, inquit, quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio.» Et postea, « Consilium invitat voluntarios; præceptum adstringit invitos.» Prosper libro primo *de vita Contemplativa:* « Justus præcepta facit; perfectus autem præcepta transcendit. » Et libro secundo, capite x. « Quoniam quidem multo attentius debent præcepta servare, qui ea parati sunt, perfectionis opere transcendere. »

Nec omittendum illud Chrysostomi ex homilia viii, tomi quinti Savillianæ editionis; ubi de Adamo loquens. « Quomodo ergo lapsus est ille? Suapte negligentia. Quod demonstrant illi, qui legem acceperunt, neque lapsi sunt, sed et plura fecerunt, quam quæ lege præcepta fuerunt[e].» Hoc Græci Patres appellant ὑπὲρ νόμον φιλοσοφεῖν, *præclaris factis, ac vitæ institutis legis debitum supergredi.* Sic idem Chrysostomus homilia secunda *in Matthæum*, de S. Josepho loquens Beatæ Mariæ conjuge : ὁ γὰρ ὑπὲρ νόμον φιλοσοφήσας, πῶς ἂν παράνομον ἐπραξέ τι; «Qui legis obligationem præclaris factis supergressus erat; quinam adversus legem egisset aliquid? »

X. Augustinus in primo libro *de Adulterinis*

a Act. cap. ix. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν, καὶ πιεῖν; μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ ὁ Κηφᾶς.

b Chrys. Εἰς τὰς ἀναγκαίας αὐτῶν χρείας χορηγούσας, ὡς αὐτοὺς λοιπὸν ὄντας περὶ τούτου ἀμερίμνους, μόνῳ τῷ κηρύγματι ἀπασχολεῖσθαι.

c I *Cor.* Ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται· οὐαὶ δὲ μοί ἐστιν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι.

d Chrys. Ὅτι τὸ μέν ἐστιν ἐπίταγμα. τὸ δὲ τῆς ἐμῆς προαιρέσεως κατόρθωμα. ἃ μὲν γὰρ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν γίνεται, πολὺν ἔχει τὸν μισθὸν κατὰ τοῦτο. ἃ δε ἐν ἐντολῆς τάξει, οὐ τοσοῦτον, etc. Ἀλλ' ὅμως ἐπειδὴ τὸ μὲν ἐπίταγμά ἐστι, καὶ ὀφειλή. τὸ δὲ προαιρέσεως φιλοτιμία, κατὰ τοῦτο ἐκείνου πλέον.

e Id. hom. viii. Πῶς οὖν ὠλίσθησεν ἐκεῖνος; παρὰ τὴν ἑαυτοῦ ῥᾳθυμίαν. καὶ δηλοῦσιν ὅσοι νόμον ἔλαβον, καὶ οὐκ ὤλισθον· ἀλλὰ καὶ πλείω τῶν ἐπιτεταγμένων ἐποίησαν.

1 I *Cor.* ix, 18. — 2 Idem.

conjugiis ad Pollentium, capite XIV. « Multa sunt, ait, facienda, non jubente lege, sed libera charitate; et ea sunt in nostris officiis graviora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. » Quod fuse deinceps variis exemplis approbat; velut Christi Domini, qui tributum, « quod non debere se monstraverat, solvit tamen, ne scandalizaret eos, quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. » Deinde Apostoli Pauli, qui plurima sponte, ac nulla lege coactus in Dei obsequium impendit, eadem fere, quæ nos paulo antea commemoravimus. Ac demum ita concludit: « Hæc sunt, quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est. Et ideo dicuntur non a Domino præcipi, quamvis a Domino moneantur offerri, ut tanto intelligantur esse gratiora, quanto magis ostenduntur indebita. »

Idem in sermone LI *de Tempore* : « Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut a vino, et a carnibus abstineatur, ut vendantur omnia, et pauperibus erogentur. Præceptum vero datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat a malo, et faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, *Qui potest capere, capiat*; de justitia vero non dicitur, Qui potest facere, faciat; sed *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*. Consilium qui libenter audierit, et fecerit, majorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleverit, nisi pœnitentia subvenerit, evadere pœnam non poterit. » Et in libro *de sancta Virginit.* cap. XIV, eadem commendat. In XXX vero capite etiam supererogandi voce utitur. « Neque enim, sicut non mœchaberis, non occides; ita dici potest, non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem, si quid amplius superogaveritis, in redeundo reddet vobis. » Vide ejusdem sermonem XVIII *de verbis Apostolis*, cap. XI et XII, et Auctorem *Hypognostici*, cap. LXIII. Gregorius M. lib. XV, *Moral.* cap. XI. « Sicut enim exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere, quam eis dignatus est Dominus jubere. » Salonius *in Parabolas Salomonis* : « Quæ est lex sapientiæ? S. Lex sapientiæ est, quæ dicit : *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata*, id est, *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*. Quod est consilium sapientiæ? *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus*. »

XI. Sed insignis est locus Fulgentii libro secundo *ad Monimum*, cap. XIII, ubi trium sanctorum Patrum eadem de re auctoritatibus adjunctis firmiorem suam facit. Nam de illis Apostoli verbis agens, *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo*; *consilium autem do*; ita scribit : « Est quidem verum, quia sanctus Augustinus hoc dixit ab Apostolo supererogatum : quod cum secundum præceptum posset, si vellet, de Evangelio vivere, maluit tamen non solum sibi, sed et his, qui cum illo erant, propriis manibus laborare : etc. Cum ergo hoc sanctus Augustinus competenter, et congrue posuisset, non tamen incompetens videri, aut incongruum debet, quod S. Ambrosius beati Pauli supererogationem vel in sermonibus[1], atque epistolis ejus, vel in nimio labore mentis, et corporis collocavit. Sanctus autem Optatus Milevitanus in sexto *adversus Parmenianum* libro, consilium de virginibus Paulum supererogasse testatur his verbis : *Virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis*, etc. « Non præcepta (verba sunt Optati) sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est volentibus, nec nolentes impellit, aut cogit. » Tantæ igitur auctoritatis pondere, ac tot veterum Patrum cum Scriptura concordantibus sententiis fracta, et obruta vincatur necesse est Trapezitica hæresis, quæ nihil a præcepto distare consilium asserit; neque opus ullum esse Christiani, quod supra legem erogare possit.

1 Ambros. lib. VII in IV *Luc.*

CAPUT VII.

Trapezitæ impia quædam et hæretica dogmata. Divinum charisma etiam reprobis tribui in hac vita, adeoque Spiritus S. gratiam. De Parabola Operariorum Matthæi xx, *quam perperam explicat Trapezita. Nullum esse peccatum nisi voluntarium, etiam in reprobis, contra eumdem asseritur.*

I. Proferantur jam alia novi theologi decreta, sacræ ac catholicæ doctrinæ contraria, quæ in libro illo Trapezitico digessit. Imprimis cum duos in Ecclesia gradus constituisset, perfectorum, et τῶν βιωτικῶν, qui mercantur, aut artes quæstuarias colunt; mox, « infra hanc classem esse ait, qui παρὰ φύσιν vivunt : omnes impios, et improbos, quos vere carnales dixeris. Hos Dei, inquit, Spiritus non regit, nec dirigit; nec quisquam possit dicere, aliquo Dei χαρίσματι posse tales gloriari, vel minimo. » Imprudens dictum, et Scripturæ contrarium. Paulus in epistola priore *ad Corinthios*[1] χαρίσματα complura percenset, quæ Spiritus sanctus pro voluntate distribuit. *Divisiones vero gratiarum sunt; idem autem Spiritus*[a]. Cujusmodi sunt, *fides, qua montes transferuntur, gratia sanitatum, prophetia, genera linguarum*, et alia quædam. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Ejusmodi porro charismata etiam *in impiis et improbis*, adeoque reprobis inesse, eadem ex Scriptura certissimum est.

Vitæ communis sectatorum. *Præter naturam.* *Charismata.*

II. Demonstrat hoc idem Apostolus capite sequenti; ubi a charitate, sine qua nemo non improbus est, separari posse charismata illa demonstrat. Et *Matthæi* VII, 7, reprobos ac damnatos in extremo judicio haud falso prædicantes Christus induxit, se in nomine Christi prophetasse, ejecisse dæmonia, ac multa miracula fecisse. Quid quod Judas ipse traditor ac reprobus multa habuit charismata, et Caiphas ipse prophetavit? Nimis igitur temere scriptum est, « impium neminem aliquo Dei χαρίσματι posse gloriari vel minimo, » atque idirco *vere carnales* dici, tanquam omnis efficientiæ Spiritus sancti penitus expertes. Non enim alio sensu Trapezitæ verba interpretari licet, ut tale χάρισμα intelligat, quo grati Deo, et amici ejus efficimur. Nam qui *aliquo Dei χαρίσματι vel minimo gloriari posse* negat illos, nullum excipit; tum minimum appellari non potest χάρισμα charitas, quæ nos Deo sola commendat, cum sit χαρισμάτων omnium maximum. Sed neque tergiversari potest, ut dicat, ideo non posse gloriari, quia si quod habent χάρισμα, non a seipsis habent, quemadmodum Apostolus I *Cor.* IV, 7, scribit. *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Verum futilis hæc esset excusatio; quia ne electis quidem ita gloriari licet. At de reprobis sermo illic est, et Spiritus sancti dono carentibus, quos cum aliquo vel minimo χαρίσματι gloriari posse negat, tantumdem dicit, ac nullum omnino iis inesse.

Dona gratiæ etiam reprobis in hac vita concessa. *Charismate.* *Charismate.*

III. Sed ut Trapezitæ ulceri scalpro altius impresso, purulentiam omnem, ac saniem extraham, quæ proxime in eodem loco subjecit, capitaliora, et Calvinismum olentia magis in lucem proferam. «Spirituales non sunt, nec esse possunt, ait ille, nisi qui Dei Spiritum acceperunt. » Nihil verius. « Atqui non ille eum omnibus dat, sed quibus vult. » Etiam hoc certissimum. « Vult autem tantum electis. Electi non intelliguntur, nisi ad discrimen repudiatorum. Qui enim electi alii, nisi ex numero plurium segregati, et exempti ad salutem, quæ negata est repudiatis, id est non electis? » Ergo electis solis ad æternam salutem, Deus Spiritum suum dare vult; ac soli electi spirituales esse possunt, reprobi ne ad tempus quidem possunt? Hæc illa Calviniana scabies, hoc *fermentum*, non *Papisticum* quidem, a quo *longissime abesse* videri voluit, sed Pharisaicum quo lex divina corrumpitur. Erit aliquando tempus, quo adversus hanc hæresim plenius, Deo bene juvante, disputabimus. Nunc paucis in eam velitabimur, atque imprimis Augustinum opponemus, cujus in secundo *de dono Perseverantiæ*, cap. VIII, observatione digna sunt ista : « Ex duobus autem piis, inquit, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt

a I *ad Corinth.* Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσί. τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα.

1 I *Cor.* XII, 4.

judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam *si fuissent ex nobis*, ait unus prædestinatorum, *mansissent utique nobiscum*, etc. Nonne postremo utrique vocati fuerunt, et vocantem secuti? utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati. »

IV. De iisdem reprobis agit et in libro *de Correptione, et gratia* capite VIII. « Hic si a me quæratur, inquit, cur eis Deus perseverantiam non dederit. qui eam, qua Christiane viverent, dilectionem dedit, nescire me fateor. » Et paulo post : « Mirandum est quidem multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia sua, faciat filios suos. » Et in capite XIII. « Propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, inquit, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, et aliquandiu fideliter, ac juste vivere, et postea cadere; neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri. » Rursus idem in epistola CVII. « Sed de hac re, inquit, cur quidam non permansuri in fide, et sanctitate Christiana, tamen accipiant ad tempus hanc gratiam, et dimittantur hic vivere, donec cadant, cum possint rapi de hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum; quod de sancto immatura morte defuncto scriptum est in libro *Sapientiæ*; quærat quisque, ut potuerit. »

V. Ambrosius quoque in *Psalm.* CXVIII, octonario 16. « Ponet, inquit, super sidera (thronum suum) quando electum decipit, quando justum circumvenit, cujus opera elucent, sicut stellæ in cœlo. Nonne et Judas proditor inter cæteros audiebat; *Vos estis lux mundi?* Nonne diabolus lumen ejus extinxit?» Cyprianus item libro *de Unitate Ecclesiæ* idem probat ex *Apocalypsis* capite tertio, ubi ita Christus hortatur. « *Tene, quod habes*, *ne alius accipiat coronam tuam.* Quod utique Dominus, ait, non minaretur, auferri posse coronam justitiæ, nisi quia recedente justitia, recedat necesse est et corona. » Nec minus Cyrillus Alexandrinus idipsum ex illis Pauli verbis adstruit [1]. *Qui stat*, *videat*, *ne cadat.* « Fluctuant assidue res nostræ, ac variis modis, quæ ad nos attinent, quatiuntur[a].» Possunt et infinita alia Patrum accumulari loca; sed in præsens pauca ista sufficiunt, quibus Trapeziticum illud dogma redarguitur.

VI. Etenim non solis electis ad æternam salutem, sive prædestinatis, Spiritum dari sanctum, sed etiam reprobis ad tempus, indicant, ita ut spirituales et sancti sint, ac boni, et charitatem ac dilectionem habeant; et ejusmodi sint denique, ut si in eo statu perseverarent, æternæ vitæ ac salutis compotes fierent. Nam et diabolus ipse, ac dæmones illius angeli, sancti ac spiritales aliquando fuerunt, « qui simul ut facti sunt, ait Augustinus XII *de Civit.* cap. IX, ei, a quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhæserunt; eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt; mala scilicet voluntate, hoc ipso, quod a bono defecerunt. » Et paulo post : « Et istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam? » Atque hoc Christus ipse demonstrat *Joannis* VIII, 43. dum ait, diabolum *in veritate non stetisse*, ut idem exponit Augustinus libro XI *de Civitate Dei*, capite XIV et XV. Non igitur gratia, vel fides, vel sanctitas, vel Spiritus sanctus solis inest electis, sed soli perseverantiam obtinent.

Quamobrem inconsiderata vox est illa Trapezitico in opere : « Sed quomodo pœna mortis æternæ jure plecti possunt, qui spirituales esse non possunt; id est, quos Deus in electorum suorum numerum adlegere noluerit? Hoc altioris indaginis, et alterius loci. » Quasi nemo spiritualis esse, id est divinam gratiam accipere, ac Spiritum S. habere queat, nisi sit electus. Aut non suapte culpa spiritualis non sit, ac non, si velit, esse possit, cum nulli, ut id velit, gratiæ desit auxilium. Itaque, si ut Trapezita putat, non possunt esse spirituales reprobi, sed hoc soli possunt electi, nullo suo merito damnantur; quia nemo ob id, quod facere omnino non potest, si non faciat, jure damnatur.

a CYRILL. ALEX. Ἀεὶ γὰρ ἐν σάλῳ τὰ ἡμέτερα, καὶ ποικίλως δονεῖται τὰ καθ' ἡμᾶς.

1 Cyril. lib. II *in Joann.*

Observatio. VII. Non minus castiganda est ἐπίστασις illa Trapezitæ in eodem loco, ubi de electione ad salutem agens, « Ex operum, inquit, ratione ac mensura, non esse eligendos, ipse Dominus declaravit parabola operariorum [1], cum illi, qui undecima hora venerant, parem mercedem acceperunt, atque illi, qui a summo mane ad vesperam in agro laboraverant. » Verum est id quidem, non ex operum ratione, ac discrimine eligi ad gloriam prædestinatos, si vera est Augustini, aliorumque sententia, qui electionem istam nulla operum ratione habita, censent fieri, tametsi secus alii sentiunt, de qua re suo loco dicam. Sed illa, qualiscumque theologorum opinio, minime ex illa parabolæ parte colligitur, in qua operariis merces post laborem diurna repræsentatur, sed ex illorum potius prima vocatione, et conductione, quæ in aliorum sententia, vocationi ad gratiam, et fidem proprie respondet. Hæc enim ex omnium consensione Catholicorum, nullis plane meritis, sed gratuita Dei liberalitate contingit. At illa mercedis ac denarii persolutio non ad gratiam proprie, sed ad justitiam pertinet. *Ei enim, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, ut ait Apostolus [2]. Quod autem omnibus, etiam pro inæquali modo laboris et operæ, merces eadem præstatur, id ad electionem nullo modo spectat. Nisi vero eo ipso electos, hoc est conductos fuisse quis existimet, quo laboris præmium ceperunt, quod, nisi antea ad finem, id est salutem, electi, non ex merito consequerentur. Igitur de electione nihil ex denarii ejusdem persolutione conficitur. Sed nec æqualitas gloriæ, hoc est sempiternæ potiundæ felicitatis, quæ in speciem apparet, revera colligitur. Quod alio in loco declarabitur, ubi et Parabolæ istius sensum enodabimus. Hoc enim modo non agitur, utrum merces sit æqualis electorum omnium, sed utrum mercedis æqualitas argumentum idoneum sit, ad probandam gratuitam electionem; quod falso Trapezita sibi persuaserat.

Benevolentia. VIII. Sed sive gratuita, id est sine ullo ad futura opera respectu, sola Dei εὐδοκία, certis hominibus impensa est electio; sive in delectu faciendo operum Deus rationem habuit, (nam utrumvis catholici theologi propugnant) nemo Christianus dubitat, quin reprobi suapte voluntate peccent, et ideo peccent, quia cum virtutem sequi, et honeste vitam degere possent, sponte id agere noluerunt; hoc est, quod debuerunt facere, non fecerunt. Etenim peccatum omne, quod quidem actione committitur, est *dictum*, vel *factum*, vel *concupitum contra legem æternam*, ut ab Augustino definitur libro XXII *contra Faustum*, capite XXVII. Cui similem habet Joannes Damascenus libro II *de Imaginibus*, peccatum esse dicens : « Cogitatum aliquod, et verbum et actum præter legem Dei [a]. » Sive ut Ambrosius lib. *de Paradiso*, c. VIII. « Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum. » Quare peccato respondet ex adverso debitum, ut quod non debet quis, id non reddendo non peccet; peccet autem is solum, qui, quod debet, ut dixi, præstare, non præstat. Hæc verissima est dignoscendi regula peccati; quia peccatum omne est ἀνομία I *Joan.* III, 4. Jam « Quibus ut aliquid χάρισμα haberent Deus dedit (verba sunt Trapezitæ) non potuerunt habere aliud præter illud, quod iis a Deo datum est. Quibus nullum datum est, nec habere potuerunt. Nec ergo debuerunt. Ut oculus non debet esse auris, nec pes idem, quod manus. » Itaque qui χάρισμα ad opus bonum aliquod faciendum necessarium non habet, neque facere id potest, nec vero debet. « Cæterum conatus ille ipse, quo tenditur ad meliora, ac majora charismata, (ait idem Trapezita) etiam Dei charisma est. » At « certum est (rursus ait Trapezita) reprobos nullum a Deo charisma habere. » *Legis prævaricatio.* *Charisma.*

IX. Quamobrem ex iis necessario sequitur, reprobos nullius boni operis esse debitores, neque porro peccare, sed injuste a Deo damnari ob ea, quæ ipsi fecisse peccata dicuntur. Etenim si quis ideo damnari hominem dicat, quod volucris instar aera non pervolet; aut quod Alpes ac Pyrenæos humeris impositos alio non transferat; nonne idem significet, nullam in isto cur damnaretur, causam fuisse, adeoque iniquissimo esse judicio damnatum? At hoc ipsum ex Trapezitæ dogmate ac verbis sequitur in reproborum causa; qui quod illud non fecerint, quod nullo modo facere potuerint, neque debuerint, pœnas luunt atrocissimas, ac sempiternas.

a JOANN. DAM. II *de Imag.* Ἔννοιάν τινα, καὶ λόγον, καὶ πρᾶξιν παρὰ τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ.

1 *Matth.* XX — 2 *Rom.* IV, 4.

CAPUT VIII.

De Christi præcepto, quo Matthæi 5. vetat uxorem nisi ob adulterium dimittere. Romani Pontifices, et juris Canonici consulti ab Trapezitæ calumnia purgati. Etiam ob adulterium dimissa conjuge, non licere alteram ducere; eamque vetustissimam Ecclesiæ sententiam fuisse: quamvis Christiani principes secus facere permiserint.

Trapezitæ de indissolubili nexu matrimonii adversus Romanos pontifices calumniæ.

I. Et impudens est, et majore, quam est nostra, castigatione digna Trapezitæ licentia, qui veritus non est catholicam, ac Romanam Ecclesiam, Pontificesque Romanos, nec non canonici juris auctores, falsa et iniqua criminatione pervellere. Nam cum de lege illa Christi ageret, quæ Judaicis repudiis modum posuit Matthæi v, in hæc verba, *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, faciet eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat*: sic illam interpretandam asserit, ut Christianis permissum illa lege sit, repudiata propter adulterium uxore, alteram ducere. « Non enim repudium alia conditione licitum factum, nisi ut alteram quoque liceret ducere. » Itaque mirari se dicit juris canonici consultos, quod Christus permiserit, id decretis suis prohibere; « Atque ita onus importabile, de quo Christus non cogitavit, cervici Christianæ plebis imponere; maritosque ipsos innocentes punire, quorum uxores solæ ob privatum peccatum erant plectendæ. » Item, « Pontifices, inquit, Romani imperio occidentis potiti τὸ βαρὺ illud φορτίον injecerunt humeris miserorum Christianorum, pietatis, ac sanctitatis prætextu, sed cui vera causa fuit potentiæ suæ promovendæ cupido, et jurisdictionis civilis usurpandæ. Ideo enim plures casus conscientiæ facere sategerunt, ut de pluribus possent dispensare. »

Grave illud onus.

II. Atenim objicit sibi: Christus, Paulo teste, *vetuit, ne uxor virum relinquat, aut vir uxorem dimittat*. Respondet, « Christi illud præceptum inter illa datum esse, quæ ἐπίστασιν habent perfectis solis convenientem; quorum nullum constat receptum fuisse in politico regimine Christianæ reipublicæ. » Quocirca præceptum illud Christi ejusmodi esse putat, qualia sunt alia multa Matthæi quinto edita; de quibus, quæ illius esset opinio, superioribus capitibus ostendimus. «Nam ut miracula, inquit, ita et illa mandata certis præcipue data sunt, et ad tempus, ita requirente, quæ tunc urgebat, necessitate Ecclesiæ formandæ, et doctrinæ Christianæ firmandæ, etc. Ut miracula cessarunt, causa cessante propter quam edita sunt, ita et præceptorum illorum usus esse desiit, pace Ecclesiæ parta, iterum rediturus, ubi similis inciderit περίστασις, ut patres nostri viderunt.»

Extensionem.

Circumstantia.

Illius calumniæ discutiuntur et explodun-tur.

III. Sed cum plura flagitia sint disputationis illius, tum hoc minime profecto tolerandum, quod Romanum Pontificem, et canonum Interpretes injusta calumnia imperite non minus, quam malevole traduxerit. Quam enim culpam iis adscribit, ea si est culpa, non illorum magis est, quam antiquioris Ecclesiæ, et Apostolorum ætati proximæ, ac sanctissimorum deinceps, et eruditissimorum Patrum. Demonstratum id est ab catholicis theologis, qui de hac celebri, et illustri controversia commentarios bene longos scripserunt; inter quos Bellarminus fuse accurateque de ea disputavit libro primo *de Matrimonio* capite XVI et XVII, ut de aliis taceam, qui sunt omnibus ad manum. Nec est hoc loco necesse de eodem argumento disserere, cui suum a nobis tempus dabitur, si vita suppetat. Hoc unum dicam, persuasum hoc in Ecclesia fuisse vetere, post divulsos quacumque de causa conjuges, neutri licere cum alio copulare nuptias, quamdiu superstes alter conjugum fuit.

IV. Testatur hoc Athenagoras in oratione *pro Christianis*; ubi Christianorum omnium communem disciplinam, ac vitæ instituta percensens, inter alia sic scribit: « Qui uxorem suam, ait, dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur, neque dimittere permittens eam, cujus virginitatem delibaverit, neque alteram ducere [a]. » Nulli ergo Christiano licebat tum uxore dimissa, quacumque tandem ex causa, cum altera matrimonium jugere. Justinus martyr in *Apologetico* secundo de Christianæ vitæ præceptis, ac legibus ab ipso Christo in commune propositis disserens, perinde ut

[a] ATHENAGORAS *or. pro Christ.* Ὃς γὰρ ἂν ἀπολύσῃ, φησὶ, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται· οὔτε ἀπολύειν ἐπιτρέπων ἧς ἔπαυσέ τις τὴν παρθενίαν, οὔτε ἐπιγαμεῖν.

Athenagoras, universe ac generatim illam ipsam de matrimonio concipit : Καὶ ὃς γαμεῖ ἀπολελυμένην ἀφ' ἑτέρου ἀνδρὸς, μοιχᾶται. *Et qui dimissam ab altero viro duxerit, adulterium facit.* Ita canon Apostolorum XLVIII. Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβάλλων, ἑτέραν λάβῃ, ἢ παρ' ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω. Hoc est, ut Dionysius Exiguus vertit : « Si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur. » Est eadem de re memorabilis Clementis Alexandrini locus in calce libri secundi *Stromateon*, qui sic habet : « Qui autem dimissam uxorem accipit, mœchatur, inquit, hoc est, cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscepit, præbens mulieri peccandi occasionem. Nam nisi eam susciperet, ad virum reverteretur[a]. »

V. Non aliter Dominicum illud præceptum Tertullianus accepit in libro de *Monogamia*, capite IX, in fine : « Sed illi etiam non repudiantes adulteria commiscent, nobis, et si repudiemus, ne nubere quidem licebit. » Scripsit hunc librum Tertullianus contra Psychicos, (ita enim Catholicos vocat) in quo secundas nuptias absolute condemnat. Ex quo major efficitur vis et auctoritas illius testimonii, quod de communi tum in Ecclesia catholica usu, et instituto perhibet, non licuisse, repudiata, et superstite conjuge, aliam ducere. Hoc enim tanquam certum apud Catholicos et confessum, ad id, quod contra ipsos probare satagebat, assumit, ut hoc argumento demonstret, prohibitas omnino secundas a Christo nuptias, quod ne post legitimum quidem, et a se concessum divortium, dissoluto jam, quod paulo ante idem Tertullianus putavit, matrimonii vinculo, alteras nuptias permiserit. Proinde firmissimum hoc argumentum est contra Trapezitam, ac cæteros hæreticos, quo veteris Ecclesiæ mos ac dogma de fugiendis post repudium secundis nuptiis adstruitur. Idem et sequenti capite Tertullianus ostendit, dum vel mortuo conjuge, viduas nulli alteri nubere patitur, sed fidem servare priori jubet : « Ergo perseveret, inquit, in ea (pace et concordia) cum illo necesse est, quem jam repudiare non poterit; ne sic quidem nuptura, si repudiare potuisset. » Certe omnes illi, quos nominatim citavi, de eo, qui vel repudiata conjuge, alteram duxerit, vel repudiatam sibi copularit, universe pronuntiant, nefas id Christianis esse; neque conditionem illam adhibent, nisi ob adulterium dimissa fuerit. Quæ conditio ad solam repudiandi causam, non ad novi ineundi matrimonii potestatem referri debet in illa Christi sanctione, ut cum Augustino catholica omnis Ecclesia judicat. Alioqui, quod eruditi viri prudenter opponunt, deterior illius esset causa, quæ per fraudem et calumniam injuste esset ab viro dimissa, quam meretricis, quam quis jure repudiasset, si huic nubendi alteri data potestas intelligeretur, illi ab Christo negata; quod minime consentaneum videtur.

VI. Verum seposita illa controversia, quæ et ab eruditis theologis plenius, ut dixi, pertractata est, et a nobis suo loco disceptabitur; quis non Mensarii fenoris patrono jure succenseat, quod Romanum Pontificem, ecclesiamque Romanam, et Canonici juris peritos inclementer ob id appellet, quod illam Evangelicæ legis interpretationem amplexi sint, quam ab antiquis Patribus, et Patrum coryphæis acceperant, Augustino et Hieronymo? Quid exprobratione ista frigidius? quid porro iniquius? Romanos Pontifices, ubi Occidentis imperio potiti sunt, grave illud onus injecissse Christianorum, ait, humeris. Atqui Augustini, et Hieronymi sæculo, et deinceps, suos Occidens imperatores habuit. Et ambo tamen illi præceptum id esse Christi de uxore vel propter adulterium dimissa, minime ducenda, constantissime, acerrimeque defendunt. Præcepti rem, inquam, esse, non consilii, ambo isti sanctissimi, eruditissimique Patres arbitrati sunt, ut, qui secus faceret, contra Christi legem non vulgare crimen admitteret. Scripsit de ea quæstione S. Augustinus libros duos *ad Pollentium de adulterinis conjugiis;* tum in libro *de Bono conjugali*, capite præsertim VII ac XV diserta et gravi oratione.

VII. Hieronymus item epistola XXX et CXLVII, eamdem propugnavit sententiam. Milevitana quoque synodus canone XVII idem decrevit. « Placuit, inquit, ut secundum

[a] CLEMENS ALEX. II *Strom.* Ὁ δὲ ἀπολελυμένην λαμβάνων γυναῖκα, μοιχᾶται, φησίν. ἐὰν γάρ τις ἀπολύσῃ γυναῖκα, μοιχᾶται αὐτήν. τουτέστιν ἀναγκάζει μοιχευθῆναι. οὐ μόνον δὲ ὁ ἀπολύσας αἴτιος γίνεται τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ παραδεξάμενος αὐτὴν, ἀφορμὴν παρέχων τοῦ ἁμαρτῆσαι τῇ γυναικί. εἰ γὰρ μὴ δέχοιτο, ἀνακάμψει πρὸς τὸν ἄνδρα.

Evangelicam, et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari. » Ergo absolute, infiniteque illud Africani Patres intellexerunt, quod est Matthæi v. *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Sic etiam Apostolum interpretati sunt in priore *ad Corinthios* capite VII, 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Cujus loci vim non possum, quin Augustini verbis adversus Trapezitæ temeritatem inculcem [1] : « Cur dixisti, inquit, Apostole, *quod si discesserit, manere innuptam?* Et eum velut interrogemus, et tanquam præsentem quodammodo consulamus. Cur dixisti, Apostole, *quod si discesserit, manere innuptam?* Licetne discedere, annon licet? Si non licet, cur præcipis discedenti, ut maneat innupta? Si autem licet, profecto est aliqua causa, qua liceat. Hæc autem inquisita non invenitur, nisi quam solam Salvator excepit, id est causa fornicationis. Ac per hoc non præcepit Apostolus, mulierem, si discesserit, manere innuptam; nisi quæ illa causa discedit a viro, qua sola ei licitum est discedere a viro. Ubi enim dicitur, præcipio non discedere, quod si discesserit, manere innuptam; absit, ut contra hoc præceptum faciat, quæ sic discedit, ut innupta permaneat. Nisi ergo intelligatur, cui licet discedere; non autem licet, nisi viro fornicante; quomodo jubetur innupta si discesserit, permanere? Quis est, qui dicat, si discesserit mulier a viro non fornicante, innupta permaneat, cum ei nisi a viro fornicante discedere omnino non liceat? »

VIII. Sic illud *Roman.* VII, 3, universe accipit Hieronymus, *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Ibi enim « omnes causationes Apostolus amputans, ait Hieronymus [2], apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit, etc. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. » Hæc omnia prius scire, et cum animo suo considerare Feneratorum patronum oportuit, quam in Romanam sedem, et canonum interpretes præcipitem, ac temerariam sententiam proferret. Sed quod verissime dictum est a Comico,

« Nullum ædepol hodie genus est hominum [tetrius,
Nec minus bono cum jure, quam danisti- [cum [3]. »

IX. Nec illud laudare possum, quod ibidem Trapezita posuit, præcepta illa, quæ *Matthæi* V Dominus edidit, inter quæ fuit illud de interdictis aliis post divortium nuptiis; vel solis data esse perfectis, vel non perpetua fuisse, sed certi duntaxat temporis, uti miracula, quibus adhuc tenera, recensque sata Christiana fides opus habuit. Quod sane falsum est. Etenim talia sunt hodieque, cujusmodi ea tum Christus esse voluit, et eadem prædita vi, cujus nulla neque facta est, neque fieri potest decessio. Verum non omnia præcepti necessitatem, et obligationem continent, sed partim mandata sunt, partim consilia, ut supra capite V diximus. Tunicam auferre volenti pallio cedere, quod est *Matt.* v, 40 res est non præcepti, sed consilii. Sic ad mille passus ingratiis adigenti te, ad alia duo operam præstare, quod ibidem sequitur, et ejusdemmodi alia, quæ, ut ex antiquis Patribus supra demonstravimus, supra legem erogantur. Verum diligere inimicos, continere oculos ab mulieris contuitu, qui cum stupri voluntate conjunctus sit, non irasci fratri suo, neque convicio eum afficere, præcepta sunt, quorum auctoritas perpetuo valuit.

X. Hujus generis et illud fuit, de quo agimus modo, præceptum de uxore ab altero dimissa nunquam eo superstite ducenda. Nec ad illius elevandam vim pertinet, quod ei vel civilibus interdum Imperatorum decretis derogatum esse constat; vel quod veteres aliqui Patres verba Christi, ac Matthæi locum illum aliter interpretati sunt, quam Augustinus, et Hieronymus, ac cæteri, quos supra commemoravi. Nondum enim ab Ecclesia, et synodali sanctione liquido constituta res erat. Tametsi non dubium est, quin potioris partis judicio, in Ecclesia damnata, et animadversione publica notata illa matrimonia fuerint, ut in Fabiola demonstrat, Hierony-

1 August. tom. IV, lib. I *ad Pollent.* cap. III. — 2 Hieron. epist. CXLVII. — 3 Plautus Mostel.

mus, cujus hæc imprimis notanda sunt : « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. » Ac subinde. « Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi, et putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. » Hæc autem cum aliis criminibus, tum adulteriis infamem virum reliquerat, ut ibidem demonstrat Hieronymus. Sed de ea re plus satis *.

CAPUT IX.

De petitione quarta Orationis Dominicæ. Quid sit ἄρτος ἐπιούσιος, *eaque vox diligenter exposita. Quæ sit* βαττολογία *ibidem a Christo notata. Non interdici a Christo cibi, ac rerum ad victum necessariarum postulationem; deque ea re Trapezitæ maximus error.*

Poterat hic finis fieri. Sed revocant pene sublatum stylum duo, triave in Trapezitico illo opere animadvertenda; minus illa quidem reprehensione digna, (non enim ad fidei negotium proprie spectant) sed ut in Scripturis quoquo modo tractandis primum τὸ κενόσπουδον coerceatur, hoc est *supervacanea novitatis affectatio*, tum etiam τὸ φιλόψογον, id est *vituperandi*, quod minus probes, *immodica libertas;* pauca ista pertexam. In Oratione Dominica quarta petitio sic habet [1] : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* [2] : » Græce τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. De hac voce ἐπιούσιον multi multa scripserunt. Plerique autem in eo conveniunt, petere nos a Deo quotidianam alimoniam, sive ea omnia, quæad victum diurnum necessaria sunt : alii cibum potius animæ, quam corporis; quidam utrumque. Mediis accedit Trapezita. Nec ideo castigandus, quod ita sentit, sed quod alteram interpretationem, quæ corporis cibo circumscribitur, quæque, ut dixi, communis est, nimis acerbe notat, ac *falsissimam* appellat, falsissima, ac plane nulla ratione permotus.

II. Duo contra illam objicit. « In ea, inquit, precationis formula suis tradenda reprehendit orandi morem gentilium, eorumque βαττολογίαν, quod putarent in multiloquio suo se ab numine citius exaudiri. Quod illud multiloquium ? Dum plurima nimirum in precibus suis a Deo peterent, quæ sibi necessaria existimarent, castam uxorem, pulchros liberos, divitias, fundos, ædes, amicos fidos, servos fideles, dignitates, honores, alia. Cum tam multa peterent, ac requirerent, non poterant breviter concludi eorum preces. Hinc πολυλογία, et βαττολογία in orando. Non enim illi pauca poscebant, nec paucis. Præ cupiditate impetrandi, quæ a Deo peterent, sæpius eadem repetebant; quæ βαττολογία est, id est ταὐτολογία. » Male Christi mentem, et illam ab eo damnatam βαττολογίαν accepit; hoc est, ut recte Latinus noster reddidit, *multiloquium*. Neque multa poscere, et impetrare a Deo velle, vituperanda res est; neque *præ cupiditate impetrandi eadem repetere*. Jubet ad Timotheum scribens Apostolus [3] ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt.* Potest hoc paucis verbis fieri, sive intus animo, dum privatim agitur, sive voce conceptis, dum publice preces allegantur ?

Multiloquium.

III. Hoc enim Ecclesia vetus instituerat, ut ex Tertulliani *Apologetico* constat [4], idque *nominatim, atque manifeste*. Quod in missis ac liturgiis præsertim usuvenit : ut veteres Liturgiæ demonstrant, in quibus formulæ sunt publicarum ac prolixarum ejusmodi precum, pro omnibus Ecclesiasticis ac civilibus, nominatimque pro singulis, vivis pariter ac mortuis. Cujus etiam luculentam fidem faciunt antiqui Patres, Græci, Latinique. Ex quibus unum commemorabo Cyrillum Hierosolymitanum; est enim ad hoc negotium insignis illius locus, qui et alioqui Romanæ ac catholicæ ritum Ecclesiæ contra recentem impietatem, quam præ se Trapezita fert, præclare confirmat. Sic igitur in *Catechesi Mystagogica* V, in qua Liturgiæ partes et

* De hoc Matthæi loco difficillimo confer Cotelerium in notis ad Hermæ librum I *mandat.* IV. Neque injucundum erit legere ingeniosam sane Sebastiani Marcuzii dissertatione a. 1752. Tarvisii editam, *in qua Vexatissimus hic locus ex Hebræorum antiquitatibus illustratur, et Catholicæ sententiæ auctoritas vindicatur.* Z.

1 Lib. III *de Sen. Trap.* — 2 *Matth.* VI, 13. — 3 I *Tim.* II. — 4 Tertull. *Ap.* cap. XXX.

orationes omnes explicat. « Deinde vero, postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus, super ipsæ propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, et afflictis, et in summa, pro iis omnibus, qui egent auxilio. Oramus te, inquam, omnes, et hoc tibi sacrificium offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum [a], » etc. Orabant et pro defunctis episcopis, ac pro cæteris omnibus, quod hodieque in Catholica perseverat, de quo ritu agit etiam Epiphanius in *Aerianorum* hæresi.

Multiloquium.

IV. Hæccine igitur longissima series orationum sub Christi reprehensionem venit? Quis hoc sanus dixerit? Non igitur πολυλογία quælibet, ac non conclusa breviter oratio vitio vertenda. Sed nec ejusdem orationis repetitio, *præ cupiditate impetrandi*, βαττολογία est, et multiloquium, quod illic Christus redarguit. Nam et Christus ipse, instante passionis tempore, eumdem sermonem iteravit sæpius, ac bene multum oravit, *cum clamore valido, et lacrymis*, ait Apostolus *Hebr.* v, 7 haud dubie impetrare cupiens. Vides quam non recto stet illa talo Trapezitica definitio τοῦ βαττολογοῦντος, et πολυλογίας in Evangelio notatæ. Cæterum, ut hoc illi maxime concedam, quod tueri non potest, improbari vel prolixiorem quamlibet precationem, vel nimiam impetrandi cupiditatem; quid ex eo contra communem, quam oppugnat, sententiam sequitur? Est enim, quocumque tandem intellecta modo, brevissima illa petitio, qua *panem quotidianum* postulamus, neque posita plus semel. Itaque nihil ad βαττολογίαν et πολυλογίαν illam pertinebit, etsi de quotidiano victu a nobis accepta sit. Et hoc ipsum est βαττολογεῖν, tam multa verba perdere, quæ nihil ad rem faciunt.

Quodnam multiloquium in oratione a Christo reprehensum.

V. Accipe jam, quid in Evangelii loco illo reprehensum sit a Christo; et cujusmodi verbositas orationis in βαττολογίας, ac multiloquii vitio numeretur. Quod quidem ipsa Domini verba, si quis paululum animadvertat, satis aperte docent : *Orantes*, inquit, *nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* » Credebant ethnici, eo se solo promereri Deum, et quidquid peterent impetraturos, quod multis, et exquisitis verbis uterentur, ac variis modis eadem dicendo repeterent, sine ullo affectu animi, et orationis spiritu. Quem enim habere possent, qui fide, ac veri Dei notitia carerent? Christus hanc verborum inanitatem, et supervacaneam pompam resecat, ac suis interdicit; quos orare vult quamlibet multis, ac quam volent sæpe repetitis, non tam vocibus, quam mentis affectibus. Hic est ille orationis Spiritus, « qui orationem deducit ad Dominum, » ut ait Tertullianus libro *de Exhortatione castitatis*, cap. x. Ne igitur « agmine verborum putaremus adeundum ad Dominum, » ut idem loquitur in libro *de oratione*, capite primo, perbrevem orandi formulam instituit; quæ « quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. » Ut hoc verborum compendio doceret, minimum in elocutione esse momenti, in quo summam, et caput ethnici constituebant orationis suæ.

VI. Itaque figuratum quodammodo est illud Domini præceptum, quatenus ad brevitatem istam, præscriptamque hujus formulam adstringitur. Sic enim solet Christus, cum dissuadere quippiam vult, in ejus contrario commendando pene modum excedere, certe aliquid more præcipientis indicere, quod κατὰ τὸ ῥητὸν accipi non debet. Ut in eodem *Matthæi* sexto capite, cum ostentationem in jejunio præ se ferendo cavere jubet : *Tu autem* (ait commate 17) *quum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava;* quod nemo pro imperio mandatum esse judicet. Nimirum ut alia Domini verba, sic præcepta quædam parabolica sunt, et figuris adumbrata. Ejusmodi illud est, quo breves in orando esse nos præcipit; nempe ut morosam illam, et sine pietatis affectu solo in verborum strepitu consumptam orationis longitudinem amputet. Alioqui si comes sit orationis, adeoque verborum, pius ille sensus, et affectus, nihil obstat, quin illud exequamur, quod *Lucæ* XVIII mandavit idem : *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Quod etiam moleste, impor-

Juxta Verbum.

[a] CYRILLUS HIER. *Cat. myst.* Εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ, παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας, ὑπὲρ βασιλέων, ὑπὲρ στρατιωτῶν, καὶ συμμάχων, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείαις, ὑπὲρ τῶν καταπονουμένων, καὶ ἀπαξαπλῶς ὑπὲρ πάντων βοηθείας δεομένων. Δεόμεθα σοῦ πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν, ἵνα μνημονεύωμεν τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, etc.

tuncque uti faciamus, hortatur; et exemplo viduæ cujusdam incitat, quæ ab iniquo judice odiosa, et assidua interpellatione jus expressit, ac subinde ita concludit : *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte*, *et patientiam habebit in illis*? Duo sunt in orationis genere isto, quod tantopere commendat Dominus, et cui fructum certissimum pollicetur, quæ *Matthæi* vi vituperari Trapezita censuit : « non conclusæ breviter preces, et ex impetrandi cupiditate eorumdem in loquendo repetitio. » Quare fugit illum ratio, neque sexti capitis Matthæi locum illum recte est interpretatus.

Quarta petitio orationis Dominicæ exponitur.

VII. Post hæc, non agi in quarta illa petitione legitimæ orationis, qua *panem nostrum quotidianum* postulamus, de cibo, ac rebus ad sustentandam vitam necessariis, argumentatur ex eo, quod Christus *Matth.* vi, 8, ita colligit : *Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater vester quid opus sit vobis*, *antequam petatis eum.* « Quid clarius, ait, quam nolle Christum, ea a Deo patre peti, quorum noster indiget usus, quia Deus scit, quid nobis opus sit, ut non necesse habeamus hoc ab illo flagitare? » Si absolute postulari caduca ista, et huic vitæ necessaria vetat ob hoc præcise, quia jam Deus scit, quibus opus habeamus; nihil ab eo oportet petere, ne cœlestium quidem rerum, et ad animum pertinentium. Nam etiam illa novit, antequam rogemus, quem nihil prorsus rerum nostrarum latet. Atenim « non est verisimile, Christum in tam compendiosa oratione sub nomine panis peti a suis voluisse necessaria ad vitam, vel solum victum, cum tam expresse nolit, eos imitari πολυλογίαν gentilium in orando, qui ea petebant, quæ sibi usui essent, et longe aliam precandi formulam se eis prescribere dicat. » Non in eo probrosa illa, et gentilium propria πολυλογία, vel βαττολογία consistit, quod omnino externa illa peterent, et ad usum vitæ spectantia; sed quod ea sola peterent, meliorum ac cœlestium ignari; tum quod anxie, ac nimis sollicite peterent, ac divinæ erga se providentiæ diffiderent.

Multiloquio.

VIII. Ad hæc non ea postulabant, « ut his bonis honeste uterentur, (ait Augustinus lib. 1 *de Civitate Dei*, cap. xxx) hoc est modeste, sobrie, temperanter, pie; sed ut infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus pejora sint hostibus. » Itaque in eam Apostoli Jacobi reprehensionem incurrebant : *Petitis*, *et non accipitis*, *eo quod male petatis*, *ut in concupiscentiis vestris insumatis* [1]. Ubi de caducis ac præsentibus bonis loquitur; nam virtutibus nemo male utitur. Nec eos idcirco redarguit, quod talia peterent, sed quod non recte, nec honestum in usum, ac finem peterent. Quocirca, sepositis malis istis petendi conditionibus, licet præsentis vitæ bona, præsertim necessaria, ab illo postulare, a quo cœlestia flagitamus : qui fecit cœlum et terram. « Omnia enim ista bona sunt, et Dei munera sunt. Ne putetis, fratres (verba sunt Augustini *Psal.* xxxv) quod aliquis illa poterit dare, nisi unus Deus. Quicumque ergo non expectant ista, (nec expectando postulant) nisi a Domino, multum interest inter hos, et eos, qui illa quærunt, aut a dæmonibus, aut a sortilegis, aut a mathematicis. Isti enim duobus modis miseri sunt; quia et terrena sola bona desiderant, et non ab eo petunt, qui dat omnia bona. » Et ad *Psalm.* lxvi. « Ad hoc dixerimus hæc, fratres, inquit, ut quisquis etiam ista terrena forte, vel propter supplementa necessitatis, vel propter infirmitatem aliquam desiderat, nonnisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum, et creator, et recreator universorum. »

IX. Legantur quæ de hoc argumento pulchre disputat Augustinus idem in primo de *Civitate Dei*, capite viii, ubi admirabilem Dei providentiam explicat in bonis illis distribuendis, et quatenus petentibus ista concedit, aut negat. « Similiter in rebus secundis, ait, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus ea petentibus daret, nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, et avaros. » Ad summam, βαττολογία et πολυλογία illa gentilium propria, et a Christo Domino damnata tunc admittitur, cum ita sola hæc præsentia, et externa commoda petuntur, ut nulla sit in nobis potiorum, ac cœlestium cura bonorum; præsertim si ab alio, quam ab vero Deo ista flagitentur. Tum si voce tenus, et affectata sermonis pompa, sine interiore mentis affectu ista tractentur.

Multiloquium.

[1] Jacob. iv, 3.

Ad hæc, si non ad honestum finem illa referamus, cujusmodi potest esse necessarium vitæ subsidium. Ac demum si propter ista sola Deo serviamus.

X. Quæ omnia orationis vitia tum formula ipsa precationis suæ, tum cæteris, quæ ad eam adjunxit, monitis prudenter declinavit summus orandi magister, dum imprimis præcipua ducere, ac primo loco postulare bona cœlestia, animique propria nos docuit. « Videtis enim charissimi, (iterum Augustinum opponemus Trapezitarum patrono[1]) quot petitiones docuit nos Dominus Christus, et vix illic invenitur una, quæ sonet de pane quotidiano : ut omnia, quæ cogitamus, propter vitam futuram cogitemus; » deinde cum a solo Patre nostro cœlesti peti voluit, tum adeo nullo sermonis apparatu, ut paucis ac vulgaribus verbis ad id genus orationis præiverit. Postremo quo ista qualiscumque cura præsentium pertinere deberet, ostendit, partim in precatione ipsa, cum unam illam, simplicemque panis petitionem triplici utrimque postulatione vallavit sempiternorum ac cœlestium; partim divinis illis, quæ deinceps adjecit, hortamentis et exemplis, quibus totos nos ad spem cœlestium, ac fiduciam in Deo collocandam erexit. Plurimum itaque Christianorum causa, etiam communia cum cæteris bona petentium, ab gentilibus, et impiis distat eadem undecumque procurantibus, ut pessime de toto hoc instituto Christianæ legis, ac pietatis Trapezita noster existimaverit.

Non omnis cura temporalium damnatur.

XI. Neque vero qualemcumque, ut dixi, curam bonorum ejusmodi damnare Christus voluit capite illo Matthæi sexto; sed angorem, ac nimis anxiam, et molestam in illis petendis, conficiendisque sollicitudinem : quod ne probatione quidem eget. Quamobrem falsus est Trapezita, qui ex illa tota Christi oratione, qua vitæ sustentandæ et quotidianæ alimoniæ curam nimiam castigat, atque ex divina benignitate ac providentia suspensos esse nos jubet, argumentatur, nihil de cibo, ac vitæ necessariis in sua oratione posuisse Christum. Quod contra est. Nam ideo potius de cibariis a Deo postulandis admonere debuit; ut unde illa essent expectanda, et a quo emendicanda, fideles intelligerent; ac tum illius auctoritate freti, qui hanc precationis formulam dictaverat, tum impetrandi, quod tanto fidejussore peterent, certissima spe, improbam et assiduam comparandi victus molestiam sublevarent; quam τῆς ἡμέρας κακίαν, id est *diurnam vexationem*, et quasi *malignitatem* ibi Christus appellat.

XII. Præterea illa ipsa Christi verba, quæ ad id affert Trapezita, contra ipsum faciunt : *Quærite ergo primum regnum Dei*, *et justitiam ejus*, *et hæc omnia adjicientur vobis*. Unde ἀσυλλογίστως ita concludit : « Quærenda itaque cœlestia tantum, et imprimis jubet. »

Absque ratione.

Si quærere est cum summo labore et omni animi contentione, ac sollicitudine procurare; huic assentior. Nam hæc sola, ut jam dixi, Christi mens est, in divinis ac cœlestibus persequendis defixas tenere curas, cogitationesque nostras. Sin est quærere, mediocri cura, et industria, et quasi secundaria opera, quæ sunt vitæ necessaria, comparare; neque hoc Christus facere interdixit, neque indidem, unde illa sperare nos voluit, precibus elicere. Ac vel ipsa vox πρῶτον, id est *primum*, esse alterum, et secundum indicat, quod oporteat quærere. Dixisset enim ζητεῖτε μόνον, id est *Quærite solum*, si alterum utcumque quæri noluisset. Proinde cætera sic adjicienda pollicetur, si primo loco regnum Dei quærimus, ut cætera quæri secundo non prohibeat, imo suadeat; si non tanta, ac priora illa et præcipua, contentione animi, ac labore captentur, præsertim si in solo postulandi officio quærendi, ac laborandi summa consistat, cujusmodi illa Domini adhortatione præscribi ratio videtur conciliandarum utilitatum corporis. Quocirca evidens est ἀλογία Trapezitæ, quæ est fallacia ἐκ τοῦ πῆ, τὸ ἁπλῶς inferens; hoc est ex eo, quod quadamtenus, ac certo modo prohibetur aliquid, absolute interdici colligens.

Falsa collectio. Ex *quadamtenus* ad *simpliciter* inferens.

Quid sit *panis quotidianus* in oratione Dominica.

XIII. Reliqua subinde disputationis Trapeziticæ vis in τοῦ ἐπιουσίου vocabulum incumbit, quod in petitione illa quarta legitur : τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Latinus Interpres Matthæi, *supersubstantialem*. Magna de hoc nomine Græco cum apud antiquos, tum hodieque inter eruditos quæstio est, ac dissensio, eaque duplex : primum de origine, ac themate : deinde de notione ac potestate. Non commentarium Matthæi, vel Orationis Dominicæ scribimus, ut singulorum sententias, et cujusque momenta ponderemus. Dicendum itaque de illis catenus, ut et falsa Trapezitæ refellatur opinio ; et communis ab illius ini-

[1] August. serm. IX *de Diver.* cap. XIII.

qua castigatione vindicetur. Omnes, quæ de loco illo excogitatæ sunt, sententiæ ad duo fastigia rediguntur, tam quod ad Grammaticam nominis notationem, quam quod ad sensum orationis attinet. Origo primum duplex esse potest τοῦ ἐπιουσίου. Aut enim a substantivo verbo εἰμὶ, et ab οὐσίας, quæ indidem oritur, voce deflectitur; aut a verbo εἶμι, quod est *eo*, a quo fit ἐπιὼν, id est adveniens, et ἡ ἐπιοῦσα, vel *crastina*, vel *ventura* dies. Rursus interpretandi ratio duplex est. Nam vel panis intelligitur, quo corpus alitur, et synecdochice res omnes ad victum, et usum vitæ necessariæ. Vel spiritualis alimonia, sive animi cibus, quo ad vitam æternam reficimur. Qui prius amplectuntur, utramvis duarum, quas dixi, nominis originem adhibent. Est enim panis *quotidianus* ἐπιούσιος, hoc est πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύων, ait Basilius, quæstione CCLII brevius explicatarum, hoc est, *ad diurnam vitam*, *substantiæ nostræ utilis*; sive ut alii, ἐπὶ τὴν οὐσίαν, καὶ τροφὴν ἐπαρκῶν, quasi dicas ad *substantiam nostram*, id est vitam, corpusque sustentandum necessarium alimentum. Item ἀπὸ τῆς ἐπιούσης ἡμέρας, vel ἀπὸ τοῦ ἐπιόντος simpliciter, panis ἐπιούσιον dicitur, ut sit *crastinns*, vel *futurus*, quemadmodum refert Hieronymus. Similiter qui panem spiritualem, ac cœlestem interpretari malunt, alii ἐπιούσιον, quod *substantiam* excedat, dici volunt, quasi ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, et ὑπερούσιος sit. Athanasius vero ab eo[1], quod est ἐπιὼν, vel ἡ ἐπιοῦσα, repetens originem, τὸν μέλλοντα, hoc est *futurum*, vel, ut Augustinus, *advenientem panem*, putat esse vel Spiritum sanctum, vel æternam vitam, cujus primitias habemus hac in vita Dominicum corpus; quod et ipsum plerique supersubstantialem illum esse panem existimant, quem illic docemur petere.

Quid sit panis epicusios juxta Trapezitam.

XIV. At Trapezita demum ἐπιούσιον deducit ab eo, quod est ἐπιὼν, non ἀπὸ τῆς ἐπιούσης. « Non igitur ἐπιούσιος ἄρτος, inquit, est τῆς ἐπιούσης, sed τοῦ ἐπιόντος : qui ultimo tempore venturus est, in die nempe judicii. Sic ἐπιούσιος ἄρτος panis est non naturalis, sed ipse Christus, qui noster panis est; et qui venturus est, ut in eo, et cum eo resurgamus, virtute ejus corporis, quod hic in pane Eucharistiæ sumimus. » Si panem istum ἐπιούσιον vel Christi corpus, quod modo in Eucharistia sumimus, intelligeret, vel aliquid aliud mere spirituale, veluti sempiternam felicitatem; haberet quorum se patrocinio defenderet. Nunc panem illum vult esse Christum, ejusque corpus; et illum ipsum vocari panem ἐπιούσιον, quia venturus est ad judicandum. Quod minime cohæret. Nam Christus, qua panis est, non est venturus, sed in hac vita nobis exhibetur. Neque satis commode dixeris, *Panis veniet ad judicandum*. Atqui rogamus τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, *panem*, ut putat Trapezita, *venturum*. Quid hoc perplexius? Disjungenda ergo ista sunt, ut vel panem interpretetur, Dominicum corpus, quod modo in Eucharistia præbetur, eo sensu, quem tradit Cyprianus[2] : « Ut qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. » Sic enim docet idem, « Panem nostrum vocare nos Christum, quia Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. » Quare panis illa notio ad Eucharistiam restringi debuit, non in tempus judicii prorogari. Vel certe futurum aliquid, nec dum acceptum, ac repræsentatum intelligi, velut gratiam, aut beatæ perennitatis statum, ut recte, ἄρτος ἐπιούσιος *futurus*, aut *venturus panis* intelligatur.

XV. Ego vero de pane communi, et corporis alimonia libentius acceperim cum Græcis plerisque, præsertim linguæ suæ peritissimis, velut Basilio, Chrysostomo, Cyrillo Hierosolymitano, ac cæteris; qui quidem ab eo, quod est οὐσία, deductum hoc vocabulum putarunt, ut sit ὁ ἐπὶ τὴν οὐσίαν, *ad substantiam* hominis fovendam scilicet, et sustentandam necessarius, vel *ad exstantiam* illius, hoc est ad hoc, ut existat in rerum natura, seseque conservet. Nam utrumque vox οὐσία significat, rei scilicet substantiam, quod Hebræi עצם appellare solent. Nam vox ista rei substantiam, et quod res est, significat; hoc autem est οὐσία. Proinde ἐπιούσιος ὁ ἐπὶ τὴν οὐσίαν, ad *substantiam pertinens*. Nec obstare debet, quod in compositione præpositio ἐπὶ vocalem plerumque ultimam elidit, ut ἐπουράνιος, et ἐπουσία apud Ptolemæum[3]. Etenim nonnunquam citra elisionem componitur, ut in ἐπιεικὴς, ἐπίορκος, ἐπιόγδοος, et aliis quibusdam. Nec tantum nobis alioqui placere debemus, ut Græcæ proprietatis intelligentiores nos esse confidamus, quam illi fuerunt, quos modo nominavi eloquentiæ Christianos inter Græcæ principes, qui ἐπιούσιον hac usurpari forma, et hoc sensu arbitrati sunt. Hoc igitur contenti simus.

1 Lib. *de Incarn.* — 2 Cypr. lib. *de Orat. Domin.* — 3 Ptolem. lib. III.

XVI. Nam quod pronominis ἡμῶν emphasim nescio quam intentat adversus hanc sententiam Trapezita noster, tanquam « ita expresse, et ἐναργῶς enuntiata ista non possint designare, nisi panem illum nostrum, id est Christum, » nihil hoc necesse est. *Nostrum* enim id valet, proprium hominis cibum, qui ab jumentorum, atque etiam Angelorum cibo diversus est. Ita *Psalmo* CXLVI 9. נותן לבהמה לחמה, *Qui dat jumento panem suum.* Διδόντι τοῖς κτήνεσι τροφὴν αὐτῶν.

XVII. Vanum etiam illud est, imo et absurdum ; et nescio quid impietatis redolet, quod idem objicit : « In tota illa oratione, inquit, quæ brevissima est, nihil petere a Deo jubemur, nisi illa sola, quæ in nostra potestate non sunt, quæque a Deo, ut ea habeamus, peti debent, etc. At panem esui ideo a Deo petere nos vetat Christus, quia unusquisque potest eum sibi ex arte, adjuvante Deo, dare. Scit enim Deus, quid nobis opus sit, et unicuique artem aliquam, quam maxime ei convenire judicat, solet assignare, unde vivat, etc. Et nemini deest iste panis, quo noster victus, et vita constat. » Itane quotidianum cibum, et res ad usum vitæ necessarias petere a Deo per ipsum non licet, quia sibi quisque comparare per sese potest? Si hoc unumquemque sibi, industria suapte sola, sine ope Dei ac gratia, præstare posse dixerit, impie, irreligioseque dixerit ; neque quidquam restabit aliud, quam ut itidem faciat, ut ille apud Prophetam Habacuc[1], « *qui immolabit sagenæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis* (id est eorum ope) *incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus.* » Aut cum illo numinis contemptore dicat[2]:

« Dextra mihi Deus, et telum , quod missile [libro,
Nunc adsint. »

Sin ope Dei, auxilioque quamlibet quæstuosæ gnarus artis opus habeat ; quod iis additis duabus voculis *adjuvante Deo*, imprudens Trapezita profitetur, ac seipsum induit ; cur non panem illum a Deo precetur, quem nonnisi adjuvante illo potest consequi? Meminisset illius Agathonis, opinor, sententiæ.

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην.
« Ars fortunam amat, et fortuna artem. »

Vel Prophetam potius Christianus audiret: *Nisi Dominus ædificaverit domum* , *in vanum laborant*, *qui ædificant eam*[3].

XVIII. Duæ sunt artes præcipuæ, quibus vitæ sustentandæ præsidia comparantur, agricultura, et mercatura. Utrumnam igitur, qui harum sit peritus artium, nihil ad vitam tuendam requirit amplius , aut causam non habet, cur a Deo victum postulet, quoniam artem illi dedit, qua id per se parare sibi poterit? ut verum sit, quod Trapezita narrat, τὸ δὲ τεχνίον ἡμᾶς διαθρέψει. Atqui et annuæ tempestates, et soles, et imbres, et venti, cæteraque, quæ ad satus et incrementa frugum agricolis, aut ad transmarinas peregrinationes negotiatoribus necessaria sunt , solius Dei nutu, ac voluntate gubernantur, ut sexcenta prætercam incommoda, et pericula, quibus effecta illarum artium intercipiuntur, ad quæ cavenda, et famem videlicet propulsandam, nihil unquam exhausti satis est, sive ad curam et impendia rerum variarum, sive ad officia Christianæ pietatis, ac preces , quibus Dei favor, et auxilium asciscitur. Quod enim Trapezita præterea subjicit, ad elevandam hoc in genere precum necessitatem. « Et nemini deest iste panis, quo noster victus et vita constat. Ea gratia de illo parando non debemus esse solliciti ; » hoc neque confutatione dignum est, et si quam meretur, non alia esset opus, quam qua Sophistam nescio quem de motu disserentem, ac nullum eum esse garrientem, adstantium aliquis illusit. Movit enim se loco, et passus aliquot ambulavit. Ita motum esse re ipsa, non argumentatione persuasit. Sic isti, qui ad victum necessaria suppetere omnibus, deesse vero nemini putat ; tot illa calamitosorum , ac fame et egestate confectorum ostendenda sunt millia ; ut usu ipso convictus oculorum , quantum in eo sit falsus, agnoscat *.

Ars nos nutriet.

* Joh. Henricus Maius, et Joh. Franciscus Buddeus eamdem, quam hic Petavius docuit, orationis Dominicæ interpretationem tradidere : eos autem quum confutasset Gottl. Wernsdorfius Vitembergensis Protestans, vindicias pro perpetua veteris Ecclesiæ traditione de Christo pane ἐπιουσίῳ edidit anno 1709. Zornius sub ficto nomine Justi Pezron Monachi Benedictini ; quas deinde anno 1731 intulit in tom. 1 *opusc. sacror.* Eas consule si licet. Z.

1 *Habac.* I, 16. — 2 Mezentius *Æn.* x. — 3 *Psalm.* CXXVI.

CAPUT X.

Nonnulla Scripturæ loca perperam ab Trapezita vel correcta, vel exposita, vindicantur; atque Interpretis vulgati contra illius novitatem et calumniam patrocinium suscipitur.

I. Postquam in vocabulo τοῦ ἐπιουσίου, et Matthæi loco declarando, qui est in ejus capite sexto, Trapezitæ περιεργίαν, et falsam opinionem discussimus; libet ejusdem generis tria, quatuorve παρεγχειρήματα hoc postremo capite persequi, quibus alia Scripturæ loca dum nove interpretari studet, depravat potius; aut in iis, quæ recta sunt, emendandis ludicram, et inanem ponit operam.

Conatus.

Explicatur locus Apostoli Et adhuc excellentiorem viam..

In fine duodecimi capitis primæ *ad Corinthios* Apostolus ita scribit. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*[a]. Quæ lectio vetustissima est, eamque Græci omnes, et Latini secuti sunt; nec vel Trapezita ipse negare potest, quin sua illi constet sententia. Mens ibi est Apostoli, ut ait Chrysostomus, Corinthios ad fraternæ charitatis incitare studium, ex ipsa charismatum cupiditate, quæ ardens in illis erat. Nam cum alii donum linguarum magni facerent, optarentque sibi præ cæteris; alii prophetiæ, alii virtutum, hoc est miraculorum; hortatur illos, ut præstantiora quæque charismata consectentur. « Ego vero, inquit, viam vobis obtinendorum charismatum ostendo. (Verba sunt Chrysostomi). Nec dixit charisma; sed viam, ut quod dicturus est, in majus extollat. Non enim unum aliquod, vel duo, triave vobis ostendo charismata, sed unam viam, quæ ad omnia ista perducit. Nec viam simpliciter dixit; sed cum excessu quodam, et omnibus in commune propositam[b]. »

II. Theodoretus vero: *donorum longe præstantiorum viam ostendo*[c]. Sic etiam Photius. Sed multo est aptius, ut hæ voces καθ' ὑπερβολὴν cum ὁδὸν copulentur, ut Chrysostomus facit, nec non Theophylactus. *Ostendam vobis*, inquit iste, *viam quamdam per excessum, id est eximiam, quæ ad omnia charismata perducit*[d]. Possit tamen aliquis καθ' ὑπερβολὴν cum verbo δείκνυμι connectere, quasi dicat, cum multas vobis charismatum vias ostenderim, per quas ingredi possitis, adhuc tamen excellentius idipsum facere volo, hoc est viam monstrare vobis. Agit autem istud ipsum, quod est viam ostendere, melius et excellentius, qui excellentiorem demonstrat. Atque hic sensus ad verba quadrare maxime videtur, quocum cæteri in idem recidunt.

III. Trapezita porro cum in veteri codice εἴ τι pro ἔτι reperisset, fecit idem, quod delicatus ille juvenis, qui invento scalmo, navem fabricare instituit. Ita ille una ex litterula, quæ magnas olim Arianis temporibus in Ecclesia tragœdias excitavit, totum illum conturbavit Apostoli locum. Nam pro ὁδὸν, ὅλον substituit. « At ὅλον pro ὁδὸν, inquit, certissima est conjectura. » Quare ita totum illum locum interpolat: καὶ εἴ τι καθ' ὑπερβολὴν ὅλον ὑμῖν δείκνυμι. *Et si quod vobis totum eximium et excellens, monstro.* Sed est ista frivola, et inepta divinatio, quam cur cum vulgata et antiqua permutemus, causæ nihil est. Quid enim habet illa, præter novitatis affectationem? ne hujus quidem ingeniose, ac solerter inventæ, sed impeditæ, certe minime necessariæ; nedum, ut blandiens sibi nominat, *certissimæ conjecturæ*. Critici probi officium est, non cuicumque scriptoris loco castigationes suas, et conjecturas impingere; neque si aliter in uno alterove exemplari, quam in editis est, forte aliquid legerit, id statim in omnes codices diffundere; nedum id sibi sumet, cum solam ad emendandum suspicionem, ac conjectationem adhibet. Sed tum denique medicinam tentabit facere, cum manifeste mendosa erit lectio; cujus nulla commoda satis extricari potest sententia. Quid autem in illo, de quo agitur, Apostoli loco simile? Aut quis non meliorem, ac simpliciorem eum esse sensum judicet, quem communis offert, ac recepta, quam qui ex nova illa verborum conformatione nascitur?

Critici officium.

IV. Non magis audiendus est alio in loco, ubi Latinum nostrum Interpretem, imo in-

a I *ad Cor.* Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.

b Chrys. Καὶ δείκνυμι ὁδὸν χαρισμάτων ὑμῖν. οὐδὲ γὰρ εἶπε, χάρισμα· ἀλλ' ὁδὸν, ἵνα μειζόνως ἐπάρῃ τοῦτο, ὃ μέλλει λέγειν· οὐδὲ γὰρ ἓν, καὶ δύο, καὶ τρία χαρίσματα δείκνυμι ὑμῖν· ἀλλ' ὁδὸν μίαν τὴν ἐπὶ πάντα ταῦτα φέρουσαν· καὶ οὐχ ἁπλῶς ὁδόν· ἀλλὰ μεθ' ὑπερβολῆς, καὶ κοινῇ πᾶσι προκειμένην.

c Theod. Τουτέστι, τῶν καθ' ὑπερβολὴν, μειζόνων χαρισμάτων δείκνυμι τὴν ὁδόν.

d Id. Δείξω, ὑμῖν μίαν ὁδὸν καθ' ὑπερβολὴν, τουτέστιν, ὑπερέχουσαν, ἥ τις φέρει ἐπὶ πάντα τὰ χαρίσματα.

terpretes erroris arguit, nimirum in cap. IV, epistolæ *ad Ephesios*, com. IV, ubi Apostolus præcipit, *fornicationem, et omnem immunditiam, aut avaritiam, nec nominari*, etc. *Sed magis*, inquit, *gratiarum actio*, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. Hieronymus aliter exponit in commentario ad illam epistolam, et « forsitan, inquit, gratiarum actio in hoc loco non ita est nominata, juxta quam gratias agimus Deo, sed juxta quam grati, sive gratiosi, et salsi (ita legendum, non falsi) apud homines appellamur, etc. Decet autem, sermonem ejus sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat. » Sic *Proverbiorum* XI, scriptum esse notat Hieronymus, γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν : id est *Mulier gratiosa excitat viro gloriam*. Quare εὐχαριστίαν apud Paulum, mallet Hieronymus, significare *sermonis gratiam*, et condimentum quoddam suavitatis. At quanta cautione moderationeque utitur, dum a communi sententia recedit ! « Forsitan, inquit, gratiarum actio in hoc loco non ita est nominata, » etc.

V. Quam in opinando modestiam si imitaretur Trapezita ; non sic odiose interpretes notaret omnes : « Quod verbi, inquit, per gratiarum actionem male reddi ab interpretibus fateor. » Imo optime sic redditum est. Εὐχαριστία non aliud est hic, quam *gratiarum actio*. Nec ea ratio, quæ Hieronymum summum virum perpulit, ut de eo dubitaret, valde nos movet. Quærit, cur post damnatam et prohibitam immunditiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, non aliam virtutem iis opposuerit Apostolus ; utputa justitiam, veritatem, dilectionem potius, quam gratiarum actionem. Facilis est responsio. Nihil ex ore Cristiani vel sonare frequentius debet, vel decentius potest, quam gratiarum actio. Quam quidem ubique, et quavis occasione Deo persolvere nos oportet. « Nam quid melius (ait Augustinus epistola LXXVII,) et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec agi fructuosius potest. » Tum egregie Nazianzenus Gregorius[1]. « Non enim tam sæpe ducere spiritum, quam Dei meminisse debemus. Imo si dici hoc potest, aliud nihil, quam hoc faciendum. Nam et ego inter eos nomen meum profiteor, qui sententiam illam probant, quæ nos die ac nocte jubet meditari, vespere, et mane, et meridie narrare, ac denique benedicere Dominum in omni tempore[a], » etc. Quamobrem non hoc solum Propheta David, sed etiam Apostolus perpetuo, et quovis loco ac tempore factitare jubet. *Sine intermissione*, ait, *orate : in omnibus gratias agite*[b]. Et *ad Colossenses*, cap. III, 17. *Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum*[c].

Semper Deo gratiæ agendæ.

VI. Notus est ille Judæorum mos, quem hodieque servant, nulla ut diei particula, nulla publica, privataque vitæ functio sine Dei benedictione propemodum abeat. Quem in usum conceptas, ac præscriptas habent precationum formulas, quarum in *Talmudicis Digestis*, tractatu *Berachoth*, mentio est, et in libro, quem סדר תפלות vocant, quod est *Ordo precum*. Quam illorum exactam, et ad superstitionem usque, ut illorum fere omnia sunt, limatam diligentiam, nemo, cum illa legerit, non obstupescat. Quare quid mirum est, Apostolum Christianis præcipere, crebro uti benedicant, agantque Deo gratias ; et hoc in ore potius versent, ac continuo meditentur, quam ludicra, et scurrilia, aut etiam turpia? Ex quo id fiat, quod per Isaiam pollicetur Deus, capite XLIX, 9. *Et laude mea infrenabo te, ne pereas*. Nemo igitur communem vocabuli τῆς εὐχαριστίας notionem immutare debet in illo Apostoli loco ; neutiquam vero, quod temere Trapezita facit, huic erroris notam adscribere.

Gratiarum actionis.

VII. Nec illud ejusdem laudaverim, quod *Lucæ* XII, 58, pro eo, quod Græce legitur, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, et Latinus noster vertit, *Da operam liberari ab illo* ; mavult ita reddere, *usuram illi persolve*. Non sum nescius, tum ἐργασίαν usuram esse, ac fructum occupatæ fœnore pecuniæ : tum Theophylactum ita illum locum explicasse, ut Trapezitæ placet. Sed uterque fallitur.

a Greg. Naz. Μνημονευτέον γὰρ θεοῦ μᾶλλον, ἢ ἀναπνευστέον· καὶ, εἰ οἷον τε τοῦτο εἰπεῖν, μηδὲν ἄλλο, ἢ τοῦτο πρακτέον. κἀγὼ τῶν ἐπαινούντων εἰμὶ τὸν λόγον, ὡς μελετᾷν ἡμέρας, καὶ νυκτὸς διακελεύεται, καὶ ἑσπέρας, καὶ πρωῒ, καὶ μεσημβρίας διηγεῖσθαι, καὶ εὐλογεῖν τὸν κύριον ἐν παντὶ καιρῷ.

b I *Thessal.* 18. Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε.

c *Ad Coloss.* III, 18. Πᾶν ὅ, τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ, καὶ πατρὶ δι' αὐτοῦ.

1 Nazianz. orat. XXXIII.

Nam neque satis emendatum istud est, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι. *Da usuram liberari*, hoc est, *ut te liberes*. Dixisset enim, τοῦ ἀπηλλάχθαι. Melius ergo vulgatus Interpres, qui id animadvertit, quod nuper vir doctus observabat ad II, caput epistolæ II *ad Thessalonicenses*, multa in Græci sermonis consuetudinem ex Latino irrepsisse, postquam Judæam, et vicinas provincias sibi subjecere Romani. Itaque δὸς ἐργασίαν prorsus Latina locutio est, *Da operam*.

VIII. Ut hæc Latinorum est propria loquendi formula; sic illa, meo quidem judicio, ex Hebraismo translata, quæ est *Marci* XIV, 72 de Petro post negationem Christi resipiscente, καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. Quod ita Beza vertit : *Et quum erupisset*, *flevit*. Vel *quum hoc animadvertisset*, galli scilicet cantum. Huic ego non assentiar, uti neque Thephylacto, qui ἐπιβαλὼν interpretatur, ἐγκαλυψάμενος, *operto capite*. Quam expositionem non solum approbat Trapezita, sed etiam præcipiti, ut solet, calore. « Hæc, inquit, sola expositio vera est, cæteræ omnes falsæ. » Ego vero nullus dubito, quin et falsa ista sit, et vox ἐπιβαλὼν nihil aliud sit, quam *adjiciens*. Est enim Hebræorum proprium verbum יסף, vel in Hiphil הוסיף, cum alio verbo copulare, ut rei ejusdem iterationem significent. Sic *Geneseos* IV, II, ותסף ללדת את אחיו. *Et adjecit parere fratrem ejus*. Sic ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, *Adjiciens ploravit*, hoc est *repetitis vicibus flevit*, vel ut Latini loquuntur, *fletum ingeminavit*. Hoc longe aptius est, ac simplicius. At Latinus noster Interpres aliter legit, nempe quod in vetustis quibusdam codicibus exstat, ἤρξατο κλαίειν, *cœpit flere*.

Hæc ad *Dissertationem* nuperam *de fenore Trapezitico*, quæ animadverterem, interim habui. Cujus notata, confutataque theologicis fere duntaxat in rebus errata si quis legat, ea statim homine ut indigna docto, ac pudente, sic opere illo, et operis argumento, quod fœdum, et infame est utrumque, digna judicabit.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

LIBRI QUINQUE

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

IN QUIBUS POTISSIMUM DE EPISCOPIS, AC PRESBYTERIS, DEQUE EORUM DIFFERENTIA DISPUTATUR.

PRÆFATIO

Disputationis causæ, et institutum. De Puritanæ sectæ conatu, et studio ad omnem sacrum ac civilem principatum abolendum.

Hujus disputationis causa et institutum.

I. Cœlestis, quæ ex Angelis constat, Hierarchiæ quædam est in terris imago, imitatioque, ecclesiasticorum graduum et ordinum varietas. Quod inter cæteros vetustissimus auctor prodidit Clemens Alexandrinus in VI *Stromateon*; nec non Dionysius in primo capite libri *de Cœlesti Hierarchia*, et ad eum Maximus, qui « sacerdotalem mystagogiam imitationem esse scribit Hierarchiæ cœlestis [a]. » Quare cum de Angelorum ordinibus, et sacrorum inter inter illos principatu ac magisterio disputatum sit a nobis in primo *de Angelis* libro, non alienum a proposito nostro fore duximus, si de humana hierarchia, vel divina potius, et e cœlo ad homines evocata, hoc est de ecclesiasticis ordinibus deinceps ageremus. Non plene id quidem, nec ex toto, et quantum argumenti ratio, et amplitudo postulat; id enim alterius, ac propriæ tractationis esse debet, cum de sacramentis, et inter hæc de Ordinis sacramento disserendi tempus erit, quod propediem fore non diffidimus, sed ut obiter, et quasi in antecessum de eo perstringamus aliquid. Quod ut hic facere anteverterem, hæretici cujusdam procacis, ac temerarii improbitas coegit; qui adversus hierarchicos gradus, et ipsum Ordinis sacramentum, ac quidquid in ecclesia Christiana religiosum est, ac sanctum, stylum movere sceleratum, ac sacrilegum instituit.

II. Hic ille est, quem sub *Trapezitæ* nomine superiore anno confutavimus; cum quidem, post infames pro *Usuræ* defensione libros editos duos, tertium addidisset, in quo Trapezetici apud Batavos fenoris patrocinium sumpsit. Quo in postremo libro multa contra episcopos, cæterosque catholicæ ordines Ecclesiæ, ac reliqua dogmata illius tam imperite, quem impie passim intexuerat. Ea nos virulenti operis capita libro illo *Dissertationum Ecclesiasticarum* oppugnavimus, tacito ejus, quem contra disputabamus, nomine. At ille, ut est impotenti, et stolide feroci ingenio, reprehendi se quamlibet merito, justeque non ferens, dissertationem mox adversum nos elucubravit, conviciis, et maledictis atrocibus refertam. Ob quæ tantum abest, illi ut succenseam, ut eo etiam nomine gratuler, ac bene agi mecum existimem, quod, ut impuro ab ore prædicari malefacti suspicionem affert, ac dedecoris, sic e contrario probris, et contumeliis affici, hoc ipsum est summa laude dignum videri : « Quippe omni generi improbitatis adversari nihil aliud est, quam esse generi omni virtutis affinem [b]. » ut recte scriptum est ab Synesio. Unum hoc mihi non quidem mirum, pro cætera perspecta mihi hominis indole, sed molestum tamen pro communi humanitate, ac dolendum accidit, quod adeo castigatio erroris pestiferi nostra nihil illi profuerit, ut ad eadem, quæ notata

a MAXIM. Σημειωτέων ὅτι ἡ παρ' ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις τελουμένη ἱεραρχικὴ μυσταγωγία, μίμησίς ἐστι τῆς οὐρανίου ἱεραρχίας.

b Synes. epist XCV. Τὸ γὰρ ἀντικειμένως ἔχειν πρὸς παντοδαπὴν πονηρίαν, οἰκείως ἐστιν ἔχειν πρὸς παντοδαπὴν ἀρετήν.

in illo erant, audacius tuenda, tum novis etiam, ac longe perniciosioribus cumulanda, faces istius furori, atque amentiæ subjecerit. Quod me quidem invito, atque ægerrime ferente ita cecidit, qui in talibus suscipiendis controversiis « facio, quod possum, pro mei particula muneris, (ut cum Augustino loquar[1]) quantum mihi Dominus donare dignatur, ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia, et munientia scripta prætendam; quibus rabies, qua furunt, aut etiam ipsa sanetur, aut a lædendis aliis repellatur. »

III. Horum equidem vel amborum, vel alterius saltem, et hujus spe posterioris adductus, iterum in certamen venio. Nam prius illud, ut resipiscat aliquando, ad seque respiciat is, « qui penitus fumo superbæ contentionis oculos perdidit[2], » vix est, qui polliceri mihi audeam. Etenim

« Quid cum illis agas, qui neque jus, neque [bonum, atque æquum sciunt;
Melius, pejus, prosit, obsit, nihil vident, nisi [quod lubet[3]? »

Sed quicumque tandem exitus disputationis istius fuerit, castiganda nobis interim est dissertatio illa prima, quam adversus quatuor, non amplius, capita libri nostri prioris longissimam edidit; proque Catholico dogmate præliandum, non contra Wallonem Messalinum, sed contra Claudium Salmasium, qui hanc sibi circumposuit nominis larvam, uti sub aliena persona tanto liberius, quanto verecundia minore, germani Cathari, hoc est *Puritani* partes ageret. Cujus teterrimæ sectæ, et in regum, ac regnorum exitium coortæ, proprium illud est, omnem odisse principatum; nec unius inter multos eminentem auctoritatem tam civilem, quam Ecclesiasticam perpeti. Cujusmodi pestes Apostolorum succrevisse tempore testis est Judas Apostolus, *qui dominationem spernunt*, inquit[4], *majestatem autem blasphemant*. Et apparet per illud tempus invaluisse nefandam hanc hæresim, cum adversus eam sæpe Petrus[5], ac Paulus[6] in epistolis suis gravissimis hortationibus, ac præceptis Christianos præmuniant, et officii erga principes, ac præpositos suos tam sacros, quam profanos admoneant.

Puritana secta omni principatui adversatur.

IV. Veterum istorum disciplina formati hæretici novi, et qui inter hos *Cathari*, id est *Puritani* vocantur, hac una in re nervos ac vires omnes adhibent, ut excluso ab utraque republica jure unius, ac magisterio, popularem pro eo statum, ac turbulentam plurium potestatem constituant; vel potius sub popularis specie gubernationis paucorum egentium, et factiosorum intolerandam tyrannidem introducere conantur. Senserat hoc Jacobus olim majoris Britanniæ rex, deque eo filium quem hæredem imperii destinabat, monuit his verbis[7]: « Hic e ministerio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum, divinarumque rerum confusione, tam gratiosi ad plebem facti sunt, ut degustata dominationis dulcedine, cœperint Democraticam reipublicæ formam sibi somniare. Quos etiam tribunitiam potestatem usurpasse dicit, ut in populari republica, cum plebem, quo vellent, facile circumducerent, omnium negotiorum momenta soli temperarent. » Ac subinde : « Homines, inquit, factiosi unum furoris sui præsidium in paritate collocarunt, qua freti homines improbi, audaces imperiti, pios, sapientes, et modestos redarguerent. Est hæc paritas mater confusionis, inimica unitatis, quæ est ordinis parens; quod genus si ut in Ecclesia, ita quoque in republica obtineret, omnia certo certius misceri necesse foret. Si utramque ames, ex utraque pestem hanc egere; Puritanos, inquam, quos nec beneficiis devincias, nec jure jurando fidos facias, nec promissis constringas; sine modo ambitiosos, sine causa maledicos, nec quicquam spirantes, nisi seditiones, et calumnias; quibus una conscientiæ regula est, non divini verbi auctoritas, sed commentorum suorum vanitas. » Cujus principis veram fuisse prædictionem, qui deinde consecutus est, rerum exitus comprobavit; illa, inquam, illa, quam in conspectu adhuc habemus, florentissimi quondam regni calamitas, intestini illi, ac domestici tumultus, provinciarum, ac civitatum ab rege defectio, cædes inter se, proscriptionesque civium. Quæ ne ad internecionem partium, et miserrimum occasum imperii illius pertineant, porro illis est metuendum.

V. Hos fructus peperit improba, et seditiosa Puritanorum colluvio, cui tum in civilium, ut dixi, communitatum principes, tum in ecclesiasticos magistratus, id est episcopos, inveteratum, et implacabile insitum est odium.

1 Aug lib. I *de Bonif. con. duo Epist. Pelag.* cap. I.—2 Aug. I *con. Jul. oper. imperf.* cap. CXIII.— Terent. *Heautont.* actu 3, sc. 1. — 4 *Judæ* ver. VIII. — 5 I Pet. 2. — 6 *Rom.* XIII ver. 3. *Hebræor.* XIII. — 7 Jac. rex Βασιλ. δωρ.

Quod nisi extinctis iis, et e medio sublatis, satiari, ac finem non posse facere videtur. Nam ab hac episcopalis oppugnatione nominis, ac dignitatis nuperi illi tumultus exorti sunt, dum id agunt ex sectæ sacramento, ac toto incumbunt pectore, ut omne sacrorum magisterium toto ex imperio funditus evertant. Hoc autem sibi ut e sententia succederet, non ferrum tantum, et instrumenta belli, sed stylum insuper ac libros, hoc est doctrinæ arma compararunt. Itaque litteratis aliquot mercede conductis, seditiosa contra episcopos edi, et in vulgus spargi scripta curarunt, per quæ occupatos illorum contemptu et odio populorum animos facilius ad causam suam adjungerent. Verum, ut in tumultuario delectu, ac subita conscriptione militum accidit, ut obvii quique, ac valentes et imbecilli, fortes et ignavi in militiam referantur; sic in illa scriptorum conquisitione plurimi neque docti, neque judicio, aut ulla virtute alia, quam garrulitate, et audacia freti, ac plures adeo, quam docti, et tolerabiles, adsciti fuerunt. Ex hac imperitorum fæce ille, cui nunc respondemus, Salmasius exstitit, qui improbitate magis, et voluntate nocendi, quam genere ipso scriptionis, vel iis, quos impugnabat, formidabilem, vel quibus operam locarat, utilem lucubrationem edidit de episcopis, et presbyteris. Nam tantum abest, ut momenti aliquid ad susceptæ pessimæ causæ patrocinium conferat, ut eam tractando, multo, quam est ex sese, deteriorem, ac minus probabilem reddat.

VI. Sic est omnino, ut dicimus. Homo acutus, qui de ecclesiasticis ordinibus scribendum sibi aliquid videbat, ut episcopis molestus esset, et eos presbyteris exæquaret, locos suos communes adiit. Ibi quæ de episcopis, et cæteris gradibus, ex aliorum commentariis sublegerat, ac sibi adnotarat, *Collectaneorum.* omnem illam copiam, ac silvam τῶν χρηστομαθειῶν exprompsit, et effudit in dissertationem suam, sine ullo delectu, ac discrimine, securus, an hæc quadrarent, et cohærentia invicem essent, an, utpote diversis, et dissidentibus ex auctoribus collecta discordarent ista secum, et se mutuo colliderent, ac destruerent. Non deerit fortasse, qui id ab irato, et inimico dictum de isto homine suspicetur aliter, ac sese res habet. Sed hoc ab illo, quisquis est, valde contendo, ut ista de Salmasio vera esse, non mihi potius, quam sibi ipse fidem habeat, oculisque suis; ac dissertationem illius in manus sumens, cum ea disputationem hanc nostram conferat, et quæ in ea selegi loca, secumque pugnare docui, impigre contendat. Equidem non dubito, quin et illud ipsum, quod dixi, ita, ut dixi, apud illum reperiat; et longe plura, quam posui, ac pudenda magis, et incredibilia recenseat.

Mihi vero quod in hoc opere susceptum est, id agam modo, ac demonstrare aggrediar, Messalino-Salmasium in dissertatione ista, qua probare studuit, episcopos olim apostolorum tempore nihil a presbyteris discrepasse, nec nisi unum ordinem ambos ex instituto fuisse Christi; contrarium ostendisse; tum distinctos illos ordines per idem tempus fuisse; tum ecclesiæ cuique suum præfuisse præsidem, qui et reipsa, et appellatione episcopus haberetur. Ex quo manifestæ prævaricationis reum, et causæ proditorem illum probabo iis ipsis, a quibus conductus, et mercede auctoratus fuerat, ut impensa se sua, et spe, quam de nihili hac farragine conceperant, misere frustratos sentiant.

VII. Non enim vulgaris de isto libro Puritanæ parti commota erat expectatio. Itaque vix mandari typis erat auditum, cum hujus famam late istius principes spargere, ac se beatos putare tanto præsidio; tum minitari catholicæ parti, et terrorem illius ostendere. Nec se continere diutius eorum ardor potuit, quin opere nondum absoluto, partem ejus primam, ut erat recens a prælo, statim per Angliam, Galliam, ac vicinas regiones dissiparent, maxime autem in Angliam constat eos exemplaria plurima curasse mitti, uti turbis illis, et tumultibus, quos contra regem, et episcopos ibi concitarant, quasi incendio fomitem subjicerent illum librum, quam ad promovendum negotium aptissimum fore speraverant. Sed multum et istos, et cæteros factionis ejusdem in omnem partem opinio fefellit, postquam nihil in eo repererunt, cujusmodi putabant, utile causæ suæ, et ad commovendos populorum animos, atque ad perniciem principum incitandos validum, et efficax. Nihil enim illic argumentorum, ac nullam prorsus homine dignam ratiocinandi vim, et probandi persuadendique formam, speciemque repererunt, sed omnia vocabulorum tricis, et quisquiliis referta; ut quod de scribis Judaicis memoriæ prodidit Epiphanius, eos in commentandam legem «Grammaticam quamdam scientiam contulisse[a]; sic ille in

[a] EPIPH. Γραμματικήν τινα ἐπιστήμην ὑφηγούμενοι.

gravi theologicæ quæstionis argumento, ac serio, grammaticum apparatum, et copiam explicaret.

VIII. Quamobrem statim illos spei suæ, et impensæ pœnituit; ac nihil ab ipsis diligentius curatum est, quam ut opus illud supprimerent, ejusque, si possent, memoriam omnem funditus abolerent. Itaque per fidos homines operam dederunt, ut primæ illius partis, quæ sola prodierat, quæcumque in hanc urbem allata exemplaria fuerant, quantivis redimerentur, priusquam ad eorum manus pervenirent, quos conscios esse tantæ absurditatis, inscitiæque nollent. Me autem, et unum alterum apprime doctum, præ cæteris nominabant, a quibus illum legi minime omnium cuperent. Sed difficile est latere diu, vel revocari, quod semel est emissum. Vidi ergo, vidi; et quod in tam morosa, et incondita farragine libri bene heroicum facinus est, integrum legi. Ac fuit idem meum de eo judicium, quod eorum fuisse dixi, qui conduxerant; et utrique, quod res erat, intelleximus, neminem majori ad nocendum voluntate, quam istum, causam illam suscepisse; neminem porro minus hoc effecisse, quod vellet. Quorum in altero imminutæ crimen majestatis inest; in altero tarditatis, ac stuporis offensio. Nam, quod alieno in regno, ac populo id est ausus, quod si in hoc nostro fecisset, perduellionis reus haberetur, non eo minus in illo ad crimen, ac supplicium valere debet; quia quod contra reges, præsertim fœderatos, et affines, ubicumque, et a quocumque scelerate agitur, ad aliorum redundat injuriam, et ab omnibus in commune plectendum est. Tum quod, etsi peregrino, tamen vicino in regno molitus est, id exemplo, et contagione spectat ad nostri perniciem, et parem propemodum, ac si in hoc admissum foret, animadversionem meretur.

IX. Verum de priore illa nota, quæ inest in ejus facto, hoc est quatenus hoc reipublicæ, ac regiæ majestatis interest, viderint, quorum ea curatio est. Nos, quo illum nomine vadari jam cœpimus, privatam alteram stupiditatis, et inscitiæ culpam persequemur. Cujus ipsum non modo communibus in litteris, sed in sacris, et fidei dogmatibus (quod sane publicum quoque scelus est) reum hoc in libro postulabimus; ostendemus id, quod sæpe in aliis ejusdem erratis fecimus, neminem, post receptas in usum hominum litteras, tam atrocia, et horrenda peccasse.

Atque ut in ipso disputationis aditu lector intelligat, quicum mihi negotium futurum sit, et quam justis de causis in eum commotus sim, stylumque sumpserim; præcipua dissertationis illius *Messalino-Salmasianæ* flagitia, hoc est hæretica, et sacrilega portenta brevi Indiculo complectar; quæ qui legerit, statim agnoscet, non ad ecclesiasticæ potius, quam ad civilis reipublicæ labefactandum statum hujusmodi illorum decreta pertinere; et nisi aliis, quam litterariis istis remediis impunitas tanta coerceatur, ei simile quippiam, quod in propinqua, brevi interjecto mari, insula fieri cernimus, Gallicano huic regno pertimescendum.

Indiculus quorumdam dogmatum, quæ contra catholicam fidem a Salmasio in Dissertatione nupera propugnata, sequentibus libris a nobis refelluntur.

I. Epiccopatum cum presbyteratu ex instituto Christi unum et eumdem esse ordinem.

II. Presbyterum, qua presbyter est, non qua episcopus, manuum impositione ordinare, et confirmare.

III. Ordinis sacramentum in Ecclesia nullum esse; nec eo sacerdotes fieri, *quia nullum Christus instituit Sacerdotium, nullosque sacerdotes instituit, quibus suam Ecclesiam regendam committeret.*

IV. *Nec male profecto Waldenses, qui, quod non erat, nec audiebatur temporibus Apostolorum, sacerdotium cum sacerdotibus sustulerunt. Nullius in Evangelio sacerdotii vestigium exstat. Ubi nomen non exstat, cur rem ibi fuisse credamus? Ubi sacrificia non fuere, nec sacerdotium ibi, aut sacerdotes esse, nec nominari oportuit.*

V. Laici Eucharistiam consecrare possunt: *Et primis sæculis secundum institutionis præceptum, a singulis patribus-familias, et post cœnam celebrabatur. Postea, mutata re, cum presbyteri non adessent, qui possent exercere, etiam laicis consecratio ejus, et administratio licita erat.*

VI. *Presbyteri, et episcopi Clementis Papæ tempore laici erant, ut honestior, et honoratior pars plebis haberentur tantum.*

VII. *Recte Waldenses, ac Lutherus sacerdotium non retinuerunt, sed crediderunt justos, ac fideles laicos posse omnibus muneribus ecclesiasticis defungi; potestate ad id accepta per impositionem manuum presbyterii, id est, senatus non ecclesiastici, sed laici.*

VIII. Laici omnes sacerdotes sunt, ut Petrus docet I. Can. cap. secundo.

IX. Eadem sentire se profitetur cum hæreticis, Aerio, Waldensibus, Wiclefo.

X. Nullum esse debet in Ecclesia *caput visibile*, *quod hodie universali Ecclesiæ imponunt*, *nempe Papam*. Quem et ait *primatum mutasse in horribilem tyrannidem monarchiæ*, *quasi debitæ*, *ac justæ*, *legitimæque prætextu usurpatam*. Tum nihilo plus illum cæteris episcopis auctoritatis habere decernit.

XI. Episcopus nullam pœnam, et excommunicationem indicit, sed Ecclesia. Nec in puniendis delictis, ac pœnis statuendis sita est jurisdictio episcopi. Nihil juris quippe habet *episcopus in eos, qui sunt impœnitentes. Nec in bonos igitur*, *nec in malos judex sedet episcopus.*

XII. *Ligandi quidem*, *et solvendi potestatem Apostolis dedit; sed in hac potestate non versatur jurisdictio episcopi*, *cum totum hoc negotium fori sit interni*, *cujus nulla jurisdictio est*, *nisi penes Deum.*

XIII. *Episcopus ecclesiis regendis unicus præpositus est*, idque *bono fine institutum fuisse*, *nemo negat. Nunc*, *cum reapse cognoscitur*, *ex episcopali tyrannide certius in Ecclesia malum*, *ac damnum majus oriri*, *quam quod ex æmulatione æqualium metuebatur*, *quod bona de causa constitutum fuerat*, *meliore posse*, *et debere abrogari*, *quis non videt?*

THEOLOGICORUM DOGMATUM

LIBER PRIMUS.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

IN QUO DE EPISCOPIS, QUI SUB APOSTOLORUM TEMPUS EXSTITERUNT, ET EORUM SUCCESSIONIBUS AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De Apostolica traditione, ejusque varia distinctione. Memorabilis de illis Basilii locus illustratur. Traditiones hujusmodi partim immobiles esse, partim mutabiles. Utriusque generis exempla varia. Quæ sit nota, et proprietas Apostolicæ traditionis.

Vetustissima res est, et a primis christianismi nata temporibus, ordinum illa distinctio, ex quibus ecclesiastica, ut vocant, hierarchia componitur. Inter quos tres illi præcipui sunt, epicopatus, presbyteratus, et diaconatus. Ex his seposito diaconatu, tota de primis duobus mihi cum Salmasio, hoc est Christianæ catholicæque parti cum hæreticorum sectis orta controversia est. Etenim episcopatum plane eumdem cum presbyteratu ordinem esse ex ipsa institutione Christi, et Apostolorum usu, Apostolicorumque temporum, asserunt Romanæ hostes ecclesiæ. Quippe nullo in Scripturis loco discerni invicem, sed promiscue semper accipi, ut aut episcopi soli cum diaconis, aut cum his ipsis soli presbyteri conjunctim nominentur, nusquam vero tres illi separatim, episcopi, presbyteri, et diaconi. Cujus rei aliquot exempla commemoravimus ex Actis Apostolorum, et eorumdem epistolis, in priori *Dissertationum Ecclesiasticarum* libro, capite primo ; quæ, cum inde repeti possint, hoc loco prætermittam, ne sim longior.

Verum ita rem omnem ibi composuimus, ut ambos illos ordines, et gradus ex sese, ac natura sua, et ex institutione ac voluntate Christi diversos esse statueremus ; hoc est ejusmodi, ut a se invicem disjungi possent, ac separatis inesse personis, quatenus unus aliquis tantummodo presbyter esset, adjunctis tamen inferioribus omnibus ordinibus, per quos gradatim ad presbyteratum ascenditur; alius item, præter hunc, ac reliquos ei subjunctos, episcopatum insuper acciperet. Quanquam primis Ecclesiæ temporibus ambo illi, ac distincti invicem ordines et gradus in eamdem personam collati sunt, quod sic usus postulabat, ut eo loco pluribus expositum est.

II. Hanc nostram de quæstione illa, non conjecturam, ac divinationem, sed firmam esse, certamque sententiam, hæc imprimis ratio demonstrat. Nam si unus, idemque esset ordo episcopus, et presbyter, et una utriusque forma, et οὐσία ex institutione Christi : nefas esset aliter hæc usurpare, atque ille constituisset. Non enim in potestate est hominum immutare illa, quæ ab Christo semel ordinata sunt; aut alio modo, quam ex ejus præscripto, ac voluntate tractare. Quod ita theologi passim exprimunt, ut dicant, institutorum ecclesiasticorum quædam juris esse divini, alia *positivi* et *humani*. Prioris generis illa sunt, quæ sive nominatim in Scripturis explicantur, sive ex majorum traditione per Ecclesiam accepta sunt, constat ita, uti sese habent, ab ipsomet ordinata fuisse Christo Domino, nec hominum decreto, judicioque permissa; ut sunt ea, quæ ad fidem Christianam, et sacramentorum *substantiam*, ut ita loquar, ipsam pertinent. Posterioris vero sunt, quæ ad ritus spectant, quibus superiora illa tractantur, aut quæ quoquo modo Christianorum in consuetudinem venerunt.

Apostolica traditio vel divini vel humani juris est.

Ad utrumvis duum illorum generum pertinent ea, quæ sine scripto ad auctores Apostolos sola traditione referuntur. Nam et ista partim divino jure, et immutabili, partim humano, id est *positivo*, et mutabili censentur.

De utroque genere Apostolicarum traditionum luculentum est, ideoque theologorum usu detritum Basilii testimonium in libro *de Spiritu sancto*, quod accurate hic a nobis expendendum est; nam in eo quæstionis nostræ, controversiæque summa vertitur.

Locus Basilii memorabilis.

III. Cum in solemnium precationum clausula, quæ trium personarum appellatione constabat, Basilius non ἐν πνεύματι, id est *in Spiritu* tantum usurparet, ut mos erat, sed etiam σὺν τῷ πνεύματι, hoc est *cum Spiritu;* in quorumdam reprehensionem incurrit, non hæreticorum modo, qui cum Patre, vel etiam et Filio, coæquari Spiritum sanctum iniquo animo ferebant; sed Catholicorum insuper, quos alioqui recte de Spiritus sancti divinitate sentientes illa novitas offendebat. Hac de causa librum *de Spiritu sancto* scripsit ad Amphilochium; in quo cum variis argumentis, et auctoritatibus fidem suam, ejusque testem formulam ac professionem illam approbat; tum, quod ad præsens negotium attinet, ex antiqua et Apostolica traditione vim ei, ac pondus asciscit in vicesimo septimo capite. Ac de traditionibus Apostolicis universe primum ita loquitur. « Eorum dogmatum, prædicationumque, quæ in Ecclesia servantur, quædam habemus ex doctrina scripto tradita; quædam rursus ex Apostolorum traditione communicata nobis, in mysterio, (hoc est tanquam arcana) recepimus; quæ ambo vim eamdem habent ad pietatem [a]. » Mox dogmatum illorum, ac rituum varia exempla commemorat, quæ partim consuetudines, partim Christianæ fidei decreta continent. Consuetudines sunt, Crucis signo seipsum velut obsignare : ad orientem se in oratione convertere : aquam ad baptizandum benedictione consecrare : ter in aquam eos qui baptizantur, immergere : Dominico die, ac per quinquaginta post Pascha dies, genua non flectere, et id genus complura. Quæ propterea fidelibus sine scripto tradita esse dicit, ne ad profanos, et nondum initiatos homines vulgata pervenirent. Ad fidem autem ex eadem traditione spectat « professio ipsa fidei, qua credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quæ quidem nullis est litteris commissa [b]; ac demum formula ista, qua Spiritus sancti æqualitatem conjunctionemque cum aliis duabus personis exprimimus, ut ita dicamus : *Gloria Patri et Filio cum Spiritu sancto*.

IV. Ex hac Basilii disputatione constat id, quod paulo ante diximus, Apostolicas traditiones scripto non commissas tam illa comprehendere, quæ ad Christianam fidem, quam quæ ad ritus et consuetudines pertinent. Inter quæ discrimen illud est, quod priora juris divini sunt, eaque Christi ex ore, vel revelatione sancti Spiritus excepta Apostoli Ecclesiæ tradiderunt ea lege ac cautione, ut immutare, aut funditus abrogare illa nefas esset. Posteriora vero neque semper, nec ubique servata omnia sunt, et contrariis interdum subrepentibus moribus oblitterata fuerunt. Professio ecce illa fidei, qua credere nos dicimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quam ex nullis nos Scripturis habere Basilius affirmat, Apostolica traditio est, quam nulli sollicitare vel invertere impune licet. Sic illa, quæ ad sacramentorum *substantiam*, ut vocant, attinent, aliter ordinare, quam ut Apostoli ex Christi magisterio tradiderunt, ne universæ quidem Ecclesiæ, nedum privato ulli capiti conceditur; cujusmodi esset, baptismum in alia re, quam in aqua conferre. Hanc enim sola ex Apostolica traditione sibi defendant oportet Calvinianæ, vel sectæ alterius hæretici, qui illa Christi Domini verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* [1], *et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, negant ad sacramentum pertinere Baptismi; sed tropice *aquam* illic usurpari, sentiunt. Aquam igitur, quam ex Apostolica traditione materiam sacramenti illius esse didicerunt, nemo Christianus abjudicare audet a Baptismo; at vero

a Basil. Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων, καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχωμεν· τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς εὐσέβειαν.

b Basil. Αὐτὴν δὲ τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως, πιστεύειν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἐκ ποίων γραμμάτων ἔχομεν;

1 *Joann.* III, 5.

trinam in aquam demersionem, cujus ex eadem Apostolica traditione originem Basilius arcessit, paulatim Ecclesiæ consuetudo mutavit, et ad simplicem aspersionem redegit; ut de minoris momenti ritibus sileam, qui nec recepti sunt ab omnibus, et ibi, ubi aliquandiu retenti sunt, in usu postea esse desierunt. Quæ res argumentum ejus habet, quod supra docui. Apostolicarum traditionum alias immutabiles esse, ac divino jure censeri; alias humani ac *positivi* esse juris, quæ Ecclesiæ, vel Pontificia auctoritate, aut contrario more abrogari possunt.

Traditiones aliæ immutabiles, aliæ mutantur; utriusque generis exempla traduntur.

V. Addam prioris illius generis, quod divina et æterna institutione constat, exemplum aliud ex eodem Basilio cumprimis observandum de unctione illa, quæ sub baptismum fieri consueverat. Hanc enim potissimum intelligit, quæ sacramenti Confirmationis propria est, et subinde post Baptismum tribuebatur, ut Laodicena synodus testatur, canone XLVIII, ita decernens: « Quod oporteat eos, qui baptizantur, post lavacrum, chrisma cœleste percipere, et regni Christi participes inveniri[a]. » Hujus itaque sacramenti, quod Pacianus in sermone *de baptismo*, et Augustinus *Sacramentum chrismatis* vocat[1], parque baptismo facit, quod ad *genus* attinet *visibilium signorum*, negat Basilius exstare mentionem expressam in sacris litteris, quatenus scilicet chrismate, et unctione constat, quæ propria illius est sacramenti materia. Nam sola ibi commemoratur impositio manuum[2], per quam datus est Spiritus sanctus. Atqui non sola impositione manus, sed unctione quoque, vel chrismatione tum datum esse Spiritum sanctum, tum Confirmationis sacramentum, velut parte sui necessaria, et οὐσιώδει constitisse, antiquissimi Patres, et quod majus est, generales synodi nos docent, ut alio in loco demonstrabimus. Græci quidem, (quod inter omnes convenit) nihil unquam præter oleum usurparunt in illo Sacramento, et hodieque in eo ritu perseverant, sine ulla impositione manuum. Quamvis autem nusquam aperte, ac nominatim unctionis in illo sacramento Confirmationis adhibendæ Scriptura meminerit; nihilominus ita ex Apostolica traditione manasse illam veteres arbitrati sunt, ut non arbitrii, et humani juris esset, sed superioris cujusdam, et divina auctoritate sanciti. Non minus divinæ traditionis habitum est, ut in « Sacrificio novæ legis, et in calice Dominico sanctificando, et plebi ministrando, ut loquitur Cyprianus in epistola LXIII, calix iste, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. » Hanc enim *Dominicam traditionem*, tum *Evangelicam*, *et Apostolicam disciplinam*, plane sine scripto editam ab Apostolis Cyprianus appellat, et innovari prohibet; ac qui mutare ausi fuerant, inter hæreticos Ecclesia damnavit. « Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, » ut idem scribit.

VI. Sic de baptizandis parvulis « auctoritatem universæ Ecclesiæ procul dubio per Dominum, et Apostolos traditam esse, » Augustinus affirmat[3]. Et de alia consuetudine loquens adversus Donatistas[4], de non baptizandis iterum hæreticis, contra quam Cypriano visum erat. « Hanc ipsam consuetudinem credo, inquit, ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posterorum; et tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, et commendata creduntur. » Et alio in loco[5]. « Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorem traditione exordium sumpisse credenda est. Sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia; et ob hoc Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. » Ac passim Augusnus tam istam, quam superiorem de baptizandis parvulis traditionem ab Apostolis manasse profitetur. Quinetiam Stephanus Papa, cum adversus Africanos episcopos de non iterando baptismo hæreticorum contenderet, nihil aliud, quam traditionem opponebat, ita scribens, ut testis est Vincentius Lirinensis[6]: « Nihil novandum, nisi quod traditum est. »

Hanc vero traditionem, non ecclesiastica tantum hoc est humana, et quantumvis sacrosancta, mutabili tamen auctoritate, sed

a LAODIC. can. XLVIII. Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ.

1 Lib. II *con. Petil.* cap. CIV. — 4 *Act.* III, 17. — 3 Lib. I *de Peccat. mer. et rem.* cap. XXVI. — 4 *De Bapt. con. Don.* lib. III, cap. VII. Vide et lib. IV, cap. XXIII. — 5 Ibid. lib. V, cap. XXIII. — 6 Cap. IX.

divina prorsus, sempiternaque constitisse, satis ex eo notum est, quod magno pro ea studio, acerrimaque contentione « Stephanus Papa Apostolicæ sedis antistes cum cæteris collegis suis » Cypriano, ac reliquis Africanis restitit, cum quidem intelligeret, ut ibidem ait Vincentius, « nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non qua vellemus, ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere. » Quæ verba traditionem illam ἄγραφον indicant, divini plane esse juris, et ad fidem pertinere, religionemque Christianam. Nam si voluntati hominum, et ecclesiasticæ potestati permissa foret, neque Stephanus tam vehementem pro ea dimicationem susciperet, ut ab communione sua se, nisi desisterent, præcisurum illos, minaretur; et vel eo permittente, aut connivente, vel contraria consuetudine paulatim aboleri illa potuisset.

Non scriptam.

VII. De iis ipsis traditionibus, sed ut ad ritus, usumque pertinent, fuse Tertullianus agit in libro *de Corona militis*, capite tertio; ac plerasque recenset, quæ sine scripto sola consuetudine auctoritatem acceperunt: « Consuetudo autem (ait capite sequenti) etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex. » De iisdem præterea tritum illud est Augustini [1], nec tamen ideo prætermittendum. « Illa, inquit, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atque statuta retineri. » Quatenus autem ad fidei normam ac regulam traditiones adhibentur, luculentus est ejusdem Augustini locus [2], in quo ad Cypriani sententiam adjungit auctoritatem suam, itaque scribit: « Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, et sine dubitatione faciendum. »

Et in eodem opere libro quarto, capite XXIII, traditionis Apostolicæ discernendæ notam hanc, ac velut κριτήριον ostendit, « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. » Quæ Augustini sententia longe præstantissima est, et imprimis animadvertenda; nam ad generis utriusque traditiones agnoscendas, et ad originem suam referendas magnopere spectat.

VIII. Etenim, ut de dogmatibus, fideique decretis primo loco disputem, idipsum affirmatur ex illa regula, quod Basilium paulo ante pronuntiantem audivimus, complura sine scripto, sola traditione, eaque Apostolica, Christianæ fidei esse proposita. Cujusmodi esse, nemo, quantumvis pervicax, inficiari audeat, quæ a primis Ecclesiæ temporibus in ea tradita, ad communem pervasere fidelium sensum; vel saltem eorum, qui interioribus litteris eruditi erant, ac cæteris scientia prælucebant. Certe, cum adversus hæreticos de Christianæ fidei capitibus antiqui Patres contendunt, eo in argumenti genere plurimum versantur, et adversarios ad Apostolicas ecclesias, id est ab ipsis fundatas Apostolis, eorumque traditionem identidem provocant. Quod insigniter facit Irenæus [3]; qui primum traditionem, « quæ est ab Apostolis, hoc modo circumscribit; quæ per successiones, inquit, presbyterorum in ecclesiis custoditur. » Deinde capite sequenti traditionem eamdem Apostolicam per eos, qui ab Apostolis instituti sunt, episcopos, eorumque successores propagatam esse dicit, ab iisque repetendam, præsertim ab Romana sede. De quo Irenæi loco iterum agemus postea. Tertullianus quoque in libro *de Præscriptionibus*, cap. XXVI, ad Apostolicas ecclesias, hoc est ab Apostolis fundatas, hæreticos revocat, et indidem ab auctoribus suis acceptas traditiones explorare jubet. Idem et Augustinus contra Donatistas, et Pelagianos maxime defendit, cum et adversus illos non iterandum esse baptismum, et adversus istos necessarium esse parvulis, ex veteri, et Apostolica traditione demonstrat.

IX. Eadem ratio, argumentandique vis ad alterum genus traditionum ab illis accommodatur, quod ritu, et consuetudine definitur, hoc est agendi modo, atque præscripto. Id autem duplex esse cognoscitur. Nam sunt aliæ traditiones ejus instituti, quod est πρακτικὸν, id est *in agendo positum*, quæ uniusmodi esse debent, nec mutari sine periculo possunt, ut, etsi nullo adhuc Ecclesiæ decreto inter fidei dogmata censerentur, nefas tamen haberetur secus agere, quam vetus, et a majoribus accepta, potiorique parti Ecclesiæ

1 August. ep. CXVIII. — 2 Lib. VI *de Bap. con. Don.* cap. XXVI, tom. VII. — 3 Lib. III, cap. II.

De baptismate in solo nomine Christi collato.

probata traditio continet. Exempli causa, Baptismi formam hanc esse necessariam, quæ personarum trium appellationes expressas continet, certa est, et Apostolica traditio, de qua hodie Christianus nemo dubitat. Sed utrum statim ab exortu Christiani nominis ita, ut est modo, necessaria sit habita, ut qui in solo Christi nomine baptizatus esset, nullum omnino Sacramentum perciperet, in controversia est, eaque perantiqua. Ambrosius quidem in libro *de Spiritu sancto*, capite tertio putat, baptismum in solo Jesu nomine administratum fuisse, et ita reginæ Candacis eunuchum a Philippo baptizatum [1]; necnon *Actorum* XIX quosdam, qui solo baptismo Joannis initiati fuerant. Quinetiam, « si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum abneges, plenum est, inquit, fidei sacramentum, » tanquam etiam hodieque, nominata una persona, baptismus sit ratus. Cui Basilius assentitur in libro V *contra Eunomium* [2]. Sed alii plerique dissentiunt, ut Cyrillus Alexandrinus dialogo VII *de Trinitate*, et Basilius ipse diserte in libro *de Spiritu sancto*, capite XII; Didymus item sub initium libri secundi *de Spiritu sancto* : et Facundus Hermianensis libro primo, capite tertio*.

X. Quocirca etsi ambiguum sit, utrum Apostoli in solo Christi nomine aliquando baptizaverint, quod scholastici quidam asserunt; nemo tamen fas id esse hoc tempore, vel esse verum sub hac formula baptismum existimet; aut non Apostolicam esse traditionem hanc agnoscat, ut tres in illo personæ nuncupentur. Est itaque fixa et immobilis ista traditio, quam labefactare, vel immutare nulli penitus licet. Quoniam, etsi aliter ab Apostolis factum esse constaret, non dubitaremus, id illos extraordinario jure quodam, et ad tempus concessa sibi facultate fecisse. Ut duplex quodammodo traditio penes illos exstiterit, altera, uti perbrevi tempore, ad commendandam nominis illius auctoritatem, in Christo baptizare fas esset : altera, uti deinceps nulla in Ecclesia baptizandi esset alia formula, quam quæ tria diserte nomina conciperet. Ex quo sequitur, nullum traditioni cuiquam, quominus Apostolica censeatur, præjudicium facere, quod sub exordium Christiani nominis, atque ab ipsis etiam Apostolis, diversum aliquid ab illa nonnunquam adhibitum, usurpatumque fuerit.

Non nocet traditioni Apostolicæ quod ab initio contrarium aliquid sit adhibitum.

Etenim cui dubium est, quin Apostolica traditio fuerit, eaque auctore instituta Christo, ut Judaici ritus, ac cæremoniæ apud Christianos antiquarentur? Et tamen interdum ab Apostolis ipsis observatas illas esse constat. Et Justinus martyr in dialogo *cum Tryphone* tanto post tempore credidit, eum, qui Judæus esset, et cum Christiana lege Judaica sacra misceret, salutem posse consequi, ac fortassis etiamsi jam Christianus Judaicos postea ritus conjungeret. Tametsi fatetur, alios contrariam opinionem habere, qui cum Judaicum cultum retinentibus neque tecto, neque convictu sociari velint.

XI. Ac posteriores quidem istos melius utique prioribus, ac Justino etiam ipso, qui unus horum fuit, sensisse, nemo hodie non judicet. Jam enim tempus illud præterierat, intra quod inutiles quidem, sed nondum perniciosæ erant Judaicæ cæremoniæ, ac jampridem mortiferæ Christianis esse cœperant, ut ex Augustini epistola XIX ad Hieronymum constat.

Quod si vel Justini, vel alterius pari auctoritate præditi exemplum aliquod exstaret, quo antiquæ legis observationes cum Christiana religione miscuisset; nihilominus in eo perseveraremus, ut contrariam traditionem de abjudicandis ab usu Christianorum Judaicis cultibus, tum Apostolicam, tum divino jure sancitam esse fateremur. Non enim vel raris, vel paucorum exemplis, et testimoniis præponderari oportet communi et ex antiquo receptum dogma, et institutum Ecclesiæ. Neque tamen culpandi erunt summi viri, et vel Apostolorum proximi, vel ipsi etiam Apostoli, Christique discipuli, quod adversus certam, confessamque traditionem aliquid usurpaverint. Siquidem cogitandum nobis illud est, quod contra illam venerint, hoc eos vel privato quodam jure, et Spiritus sancti instinctu fecisse, vel id eos intellexisse, non-

* Vide quæ de baptismo *in Nomine* Christi collato Harduinus, et Calmetius singularibus dissertationibus disputarunt; in primis vero P. Orsii libros duos, alterum Mediolani editum 1733 inscriptumque *de baptismo in Nomine Jesu Christi, et de Hæreticis, qui baptismi formam olim adulterarunt, dissertatio historica*, alterum Florentinis typis a. 1735 excusum hoc titulo : *Vindiciæ dissertationis de baptismo in nomine Jesu Christi, a Sorbonici doctoris objectis*. Adde etiam P. Chardon historiam sacramentorum t. I. Z.

1 *Act.* VIII. — 2 Cap. III.

dum præcisam, et absolutam esse decreti illius obligationem, quæ post esset suo tempore futura.

Traditiones aliæ aliis fortius tenendæ.

XII. Atque hoc sane constantiores in Apostolica tuenda traditione, et auctoribus suis Apostolis, imo unico conditori suo Christo defendenda nos esse convenit, quo majoris est quæque momenti, et sine gravi salutis periculo prætermitti, mutarique non potest, ut paulo ante diximus. Hujusmodi est parvulorum baptismus, necnon trium in hujus formula personarum appellatio, et si quæ sunt hujus generis aliæ traditiones. Nam, quæ periculi nihil habent ad æternam salutem, in iis æquiores erimus adversus pertinaces disputatores, qui sic Apostolicas esse concedent, ut divino jure constitutas negent. Exemplo sit, præter illa, quæ de Judaicis cæremoniis primo quoque tempore summovendis dicta sunt, Paschatis Christiani celebratio, de qua tam ardens, et acris inter Catholicos fuit contentio primis tribus sæculis, ac post illa deinceps in quibusdam Ecclesiis, cum Asiatici præsertim Judaico more fungentes, Apostolicam traditionem ab Joanne Apostolo, et Evangelista mandatam provinciis suis præ se ferrent, cæteri, Romanis pontificibus præeuntibus, non minus Apostolicam auctoritatem ritui suo prætenderent, quem a Petro et Paulo ecclesiæ suæ fundatoribus acceperant. Atque horum quidem causa superior fuit, paulatimque Judæorum more restincto, Romanus apud omnes usus obtinuit. Verumtamen, quod Polycarpus, Polycrates, Irenæus, aliique confirmant, non est dubium, quin, ut Romani traditionem pro se Apostolicam verissime prædicabant a Petro, Pauloque derivatam : sic Asiani perinde Apostolicam ab Joanne propagatam consuetudinem haud falso protulerint. Nec enim tantos viros, tantaque sanctitate præditos fas est tali in re mentitos putare. Et videndus omnino Eusebius libro V, capite XXIII et XXVI *Ecclesiasticæ historiæ*; tum quæ nos in secundo libro *de Doctrina temporum* de eodem argumento scripsimus[1]. Igitur ambæ illæ Paschatis celebrandi consuetudines, quamvis contrariæ, ex Apostolica tamen traditione fluxerunt. Etenim Apostoli in plerisque, pro eo ac res ferebat, et administrandi Evangelii ratio poscebat, ne Judæorum a se alienarent animos, ex iis, quibus innutriti erant, cæremoniis aliquid admiscebant Christianorum ritibus, donec corroborata, et gentilium numero auctior in dies Ecclesia Judaismum penitus dedisceret.

XIII. Ad idem genus traditionum Apostolicarum pertinet illa, quam Cyprianus epistola LXXXVI refert de episcoporum electione : « Propter quod, inquit, diligenter de traditione divina, et Apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. » Quo in loco notandum illud est, *divinam* hanc appellari *traditionem*, quam Apostoli a Deo et Spiritu sancto perdocti afflatique sanxerunt. Non enim de iis solum mandatum acceperunt, quæ perpetua, et immutabili lege fixa esse deberent, ut sunt sacramenta, et quæ ad horum *substantiam*, ut vocant, attinent; sed etiam illa didicerunt, quorum aliquanti temporis observatio penes Ecclesiam foret. Nam alia, auctoribus etiam Apostolis, atque ipso quoque Domino, constituta sunt ad tempus, quæ contrariis postea institutis abrogata sunt. Cujusmodi videlicet neque Christus ipse, nec Apostoli, usum esse sempiternum voluerunt, sed certi, ac definiti temporis. Quippe præsente plebe episcopos eligi, nec ubique receptum est, nec ibi, ubi servatum fuit, perpetuo mansit.

Ad extremum de traditionibus istis eximium locum Epiphanii nolim præterire ex hæresi LXI, qui sic habet : « Sed et traditione est utendum. Non enim omnia e Scripturis peti possunt. Idcirco alia scriptis, alia traditione sancti Apostoli reliquerunt. Quemadmodum ait sanctus Apostolus[2] : *Sicut tradidi vobis :* Et alibi[3]: *Sic doceo, et ita tradidi in Ecclesiis*[a]. » Inter quas traditiones illam numerat : illicitas esse nuptias post castitatem voti sponsione obligatam Deo. Sed de his alio loco agetur.

a Epiph. hær LXI, num. 6. Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι· οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι. διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι· ὡς φησὶν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος. ὡς παρέδωκα ὑμῖν. καὶ ἄλλοτε, οὕτως διδάσκω, καὶ οὕτω παρέδωκα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.

1 Cap. LVII et in *adnot. Epiph. ad Hæres.* LI. — 2 I *Corinth.* XXI, 2. — 3 I *Cor.* XV, 3.

CAPUT II.

Presbyteri vocabulum explicatur, quod modo dignitatis est nomen, modo ordinis. Aliud esse, episcopatum et presbyteratum in unam convenire personam : aliud unicum esse ordinem. Ostenditur, utroque modo ex Apostolica traditione discerni. Episcoporum singularium successiones Romæ, et in aliis urbibusex veteribus adstruuntur. Irenæi locus insignis. Illustratur Apocalypsis locus, ubi Angelorum nomine singulares urbium episcopi significantur.

I. His de Apostolica traditione, ejusque discrimine paululum explicatis, nunc ad illud venio, cui declarando, et enucleando tota ista superioris capitis oratione viam munivimus. Nobis id propositum fuit ostendere, duos illos ordines, de quibus præcipua controversia est, episcopatum, et presbyteratum, tradito ab Apostolis more et instituto esse, ac perpetuo fuisse distinctos ; certe non unum et eumdem per sese ordinem esse, ex Apostolorum usu atque decreto, ut Messaliano Salmasio visum est. Tum vero divino jure ambos esse distinctos ; idque vere Tridentinæ auctoritate synodi esse sancitum canone sexto sessionis XXIII. « Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit. »

Verum ut omnis ab hac disputatione nostra ex ambiguitate nominis auferatur error, illud ante omnia sciri necesse est, vocabulum

Presbyteri vocabulum explicatur.

Presbyteri, τοῦ πρεσβυτέρου, apud Græcos nonnunquam appellative sumi, alias proprie. Priori modo ætatis vox est, et ex ætate propagata deinceps usurpatione, dignitatis. Ut enim nomina ista *flavus, purpureus*, ex prima impositione, certa colorum genera significant; inde vero per metalepsin universe pro eo omni, quod pulchrum, accipi solent. Ideo ξανθὸν *flavum. et pulchrum, et affabre factum* exponit Hesychius[a]; et *purpureos olores* Horatius dixit, *Amorem purpureum* Ovidius : quod idem esse volunt, ac *formosum*. Sic in πρεσβυτέρου voce accidit, ut ab ætatis antecessione ad honoris prærogativam translata sit. Itaque οἱ πρεσβύτεροι apud antiquos non raro illi vocantur, non solum qui ætate, sed etiam qui honore, dignitate, auctoritate, vel honorifica curatione, et præfectura cæteris antecellunt.

II. Commodum ad id, quod dicimus, et singulare habes exemplum apud Clementem Alexandrinum, initio libri septimi *Stromateon* : « Pretio dignum (inquit de Gnostico, id est perfecto Christiano loquens) quidquid excellit, judicat pro merito suo, et honorandum ; in sensibilibus quidem principes, et parentes, omnemque seniorem ; in iis autem, quæ disciplina constant, antiquissimam philosophiam, et longævitate præstantem prophetiam ; in intelligibilibus porro id, quod ortu antecedit, nempe temporis et initii expers principium, ac primitias eorum, quæ sunt, Filium[b]. » At subinde ad Ecclesiasticos ordines, et gradus id referens ; « Sic etiam, ait, in Ecclesia virtutis illius, et efficientiæ, quæ meliores facit, imaginem obtinent presbyteri ; administræ vero, diaconi[c]. » Πρεσβύτερον hoc in loco Clemens partim pro ætatis antecessione, partim pro dignitatis excellentia, partim denique pro gradu, et ordine ecclesiastico sumpsit ; quo in gradu episcopos cum simplicibus sacerdotibus, vel presbyteris, miscuit. Nam alioqui distinctos in Ecclesia ordines tres superiore *Stromateo* posuerat : « Quandoquidem, ait et hic ecclesiastici gradus, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, imitationes quædam sunt, opinor, Angelicæ gloriæ, et illius administrationis[d]. » Totidem ecce gradus, ordinesque percenset in Ecclesia, quot Tridentinus canon enumeravit. Nam τῶν διακόνων, id est *ministrorum* vocabulo reliqui inferiores continentur. Alias vero presby-

a Hesych. Ξανθὸν πυῤῥὸν καλὸν, εὖ εἰργασμένον.

b Clem. Alex. VII *Strom.* Τίμιον μὲν οὖν ἅπαν τὸ ὑπερέχον ἡγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τιμητέον, ἐν μὲν τοῖς αἰσθητοῖς, τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς γονεῖς, καὶ πάντα τὸν πρεσβύτερον· ἐν δὲ τοῖς διδακτοῖς, τὴν ἀρχαιοτάτην φιλοσοφίαν, καὶ τὴν πρεσβίστην προφητείαν, ἐν δὲ τοῖς νοητοῖς, τὸ πρεσβύτερον ἐν γενέσει τὴν ἄχρονον, ἄναρχον, ἀρχήν τε, καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων τὸν υἱόν.

c Ibid. Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν, τὴν μὲν βελτιωτικὴν οἱ πρεσβύτεροι σώζουσιν εἰκόνα. τὴν ὑπερετικὴν δὲ οἱ διάκονοι.

d Clem. Alex. *Strom.* VI. Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, μιμήματα, οἶμαι, ἀγγελικῆς δόξης, κἀκείνης τῆς οἰκονομίας τυγχάνουσιν.

ter certum in Ecclesia ordinem significat, qui secundus est, et ab episcopo proximus, quem *simplicem Sacerdotem* dicimus. Etsi sacerdotis, ac sacerdotii nomen, cum in usu esse cœpit, plerumque primo ordini, id est episcopatui est attributum; presbyteri vero secundo, quod in antiquis canonibus observavimus.

Minister et diaconus.

Comministros. Sundiaconos

Eodem modo λειτουργὸς, et διάκονος interdum appellativa nomina sunt, quibus etiam episcopi censentur, ut cum se συλλειτουργοὺς vocant, et συνδιακόνους : alias propria, ut cum ministrorum ac diaconorum ordinem indicant. Quæ differentia ex adjunctis notanda, discernendaque est, ut scias, quando proprie, quando appellative, ac generatim vocabula ista sumantur.

Aliud est episcopatum et presbyteratum in unam convenire personam, aliud unicum esse ordinem.

III. Jam cum de presbytero hic agimus, eumque cum episcopo componimus, perspicuum est, non priori ac laxa significatione, sed posteriore, usurpari a nobis, ac propria. Hoc enim demonstrandum suscipimus, duos in Ecclesia ordines istos fuisse re, et specie, atque officio distinctos; non ut Messalianus Salmasius cornicatur, unum prorsus eumdemque ordinem ex Christi, et Apostolorum instituto, ac traditione fuisse. In quo cavendum illud est, quod cum discernere mediocris prudentiæ sit, ab isto tamen litteratore minime est animadversum, ex quo miserandum in modum tota in disputatione sua perturbavit, ac permiscuit omnia, neque quid diceret, aut quid sibi vellet, intellexit. Hoc igitur minime est ignorandum : aliud esse, ordines aliquos dicere re et officio, ac natura sua esse diversos . aliud in plures personas esse partitos; potest enim unus, idemque diversos habere ordines, nec ideo unus ex ambobus fit ordo. Quemadmodum, etsi *Melchisedech rex* idem erat, et *Sacerdos Altissimi*[1], non propterea regia dignitas, et sacerdotium unus idemque gradus aut absolute dici debet, aut etiam in illo ipso, qui utrumque habuit. Alioqui non duas habere diceretur functiones, et officia, vel dignitates duas, sed unam tantummodo, si, uti τοῦ ὑποκειμένου, id est *subjecti*, nulla differentia est, ita graduum esset, dignitatumque nulla. Sed hæc postea pluribus, cum Salmasii gerras excutiemus.

Episcopus nemo est, quin sit presbyter. At multi presbyteri sunt non episcopi. Itaque distinguuntur ordines illi duo, quia unus sine altero consistit, tametsi hic sine illo non possit esse. Sic enim in quinque animalium sensibus visus, et auditus tactum necessario requirunt; at sine ambobus illis tactus esse potest. Quare discrepant invicem, etsi subjectum idem sit omnium.

IV. Hinc quis sit quæstionis, ac controversiæ status, apparet. Id enim inquiritur, non utrum episcopatus, et presbyteratus in unum conveniant adeo, ut τῷ ὑποκειμένῳ id est *subjecto*, nihil distent; an vero simul esse nequeant. De hoc enim ineptus sit, qui quæstionem aliquam moveat. Itaque non solum in episcopo quovis hodieque coeunt ambo illi ordines ; sed etiam sub exordium Christianæ religionis, et Ecclesiæ, aliquanto tempore, et certis in urbibus presbyteri iidem homines erant, et episcopi, ut in primo *Dissertationum Ecclesiasticarum* adversus Trapezitam Salmasium ostendimus. De hoc igitur inter nos contenditur : ecquid voces istæ *Episcopatus*, et *Presbyteratus* nomina sint unius ejusdemque ordinis ex Apostolica traditione, Christique adeo ipsius instituto ; an duo sint ordines natura sua, et officii genere distincti, sive ita separati reperiantur, ut ubi unum est, ibi non sit alterum, sive in eamdem personam concurrant, neque subjecto differant.

Negat cum ejusdem hæresis, sectæque participibus Salmasius, duos a Christo, et Apostolis ordines illos in Ecclesia constitutos; sed unum et eumdem esse vult, qui in duos tributus sit post Apostolorum obitum, et aliquanto etiam postea, ita ut nemo antea presbyter fuerit, quin idem esset episcopus, non appellatione tantum, sed gradu etiam, et officio, ac munere.

Probatur argumentis episcopatum et presbyteratum ab initio fuisse distinctos.

V. Hanc ab Tridentina synodo anathemate damnatam opinionem falsam esse, hac argumentatione conficitur. Si enim unicus, ac simplex ordo, et a Christo Apostolis, et ab his ecclesiæ Christianæ traditus est, qui episcopatus simul, et presbyteratus vocaretur, non re, sed appellatione diversus ; verum non est, Christum ipsum, vel Apostolos, ambos illos ordines distinctos, ac separatos esse voluisse ita, ut non omnis, qui presbyter esset, idem esset episcopus ex eorum institutione. Quod enim natura unum est, et ejusdemmodi, non potest sine sui mutatione, imo interitu, vel in aliam naturam migratione dividi, ac distrahi. Atqui et Christus ipse distinctos istos in Ecclesia ordines esse constituit, et Apostolorum tempore, iisque auctoribus, ut natura, et ex sese diversi erant, sic τῷ ὑποκειμένῳ, id est *subjecto* distincti fuerunt. De Apostolorum

[1] *Gen.* XIV, 14.

usu, et ordinatione primo loco dicam : ut inde perveniamus ad alterum, id est Christi voluntate, ac divino jure monstremus, ambos illos a se mutuo esse distractos.

Apostolorum ergo tempore, et horum auctoritate duo in Ecclesia ordines fuisse, hoc est non omnes, qui presbyteri erant, fuisse episcopos, sed hos illis gradu, ordine, functione antecessisse, invictum est argumentum, quod ex antistitum, et episcoporum in plerisque civitatibus serie, ac successione ducitur, quam vetustissimi, fideque dignissimi scriptores memoriæ prodiderunt. Negabat hoc Trapezitarum, ac fœneratorum advocatus ; idemque nunc Messalianus, et, quod ipsemet profitetur, Aerianus Waldensis, et Wiclefista Salmasius inficiari pergit. Sed neget, quantum volet, nos apud prudentes, et rectos æstimatores omnino causam obtinebimus. Ac de hujus quidem portentis, et flagitiis mox. Nunc successiones aliquot episcoporum, hoc est singularium per ecclesias præsulum, et antistitum jam inde ab Apostolorum tempore cœpisse demonstremus iis testibus, contra quos nihil mutire vel impudentia ipsa possit.

Successio Episcoporum in ecclesiis.

VI. Irenæus unus ex antiquissimis Christianorum scriptoribus, et Apostolorum propemodum æqualis, in libro tertio, capite tertio, ut hæreticorum dogmatum vanitatem ex novitate refelleret, ad Apostolorum traditionem illos provocat, quam ex omnibus illis Ecclesiis, in quibus ab Apostolis instituti sunt episcopi, et eorum successoribus, usque ad tempus, ait posse repeti : « Traditionem, inquit[1], Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire ; et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, ut successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim, et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos, et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes. » Ex hoc Irenæi loco, Waldensibus, ac Trapezitis omnibus invitis, id quod quærimus, ostenditur : Apostolos in pluribus ecclesiis singulos, qui iis præessent, instituisse episcopos, et successores suos. Et quoniam omnium ex ecclesiarum tabulis et laterculis episcoporum catalogos describere longum, et odiosum erat, unius Romanæ sedis episcopos recenset Irenæus, hoc ipsum, quod in Ecclesia principe factum est, in cæteris usuvenisse demonstrans : « Sed quoniam valde longum est, inquit, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones ; maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus, omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. » Subjicit Romanorum pontificum indiculum a Petro, et Paulo usque ad Eleutherium, quem duodecimum numerat : « Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt, etc. Succedit autem ei Anacletus. Post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos, et contulit cum eis, » etc.

VII. Romanæ igitur Ecclesiæ, ex Apostolica traditione, et institutione, præfuerunt singuli moderatores, et pastores episcopi nomine, ac titulo. Quod tam certum est apud Irenæum, quam est ipsa traditio, quam adversus hæreticos adstruebat. Imo manifestior, et notior debuit esse successio, quam traditio ; vel, ut aptius loquar, successionis traditio, quam dogmatis et doctrinæ. Utrumque enim traditione constare, Irenæus ostendit. Ut cum doctrinæ traditionem per alteram successionis approbet, evidentiorem hanc, et magis cognitam fuisse, quam illam, necesse sit. Nemo enim, nisi quod clarius, ac liquidius constat, et quod est in confesso apud eum, quicum disputat, ad probandum aliquid adhibet. Nullum itaque de singulorum Ecclesiæ præsidum successione dubium fuit, sed res erat nota omnibus, et comperta. Alioqui ridiculum ex ea ad persuadendum doctrinam argumentum instrueret Irenæus. Quod si verum est, ac non Romæ tantum, sed in reliquis etiam urbibus, auctoribus Apostolis, eadem constituta forma est gubernandarum

1 Iren. lib. III, cap. III.

ecclesiarum ; profecto falsum est Salmasii commentum, nonnisi post Apostolorum obitum, ac secundo inclinante sæculo, suum cuique ecclesiæ præpositum episcopum fuisse, cum hactenus a pluribus, hoc est toto presbyterio, sive presbyterorum collegio, pari jure ac potestate regerentur. Potestne quidquam manifestius, aut vehementius convinci erroris, ac redargui, quam jocularis hæc fabula illa ipsa Irenæi narratione refellitur?

Irenæi locus insignis.

VIII. Scribit is, qui Apostolorum pene tempore vixit, Irenæus, episcopos in ecclesiis institutos, eorumque conditas successiones; cujusmodi ad ætatem suam perseverabant ibi, ubi primum collocatæ fuerant. In his successionibus, singillatim post Apostolos, unum duntaxat ecclesiæ præsedisse scribit episcopum ; et in unius item mortui locum alterum esse suffectum. Ubi sunt plures illi episcopi simul, et presbyteri æquales omnes, ut appellatione, ita dignitate, e quibus nemo inter alios excelleret, cum « nullus singularis episcopus inter eos foret[1], aut singulari auctoritate cæteris præeminens? » Ubi illud est, quod idem scribit Salmasius, « Apostolos nullos unquam elegisse singulares episcopos in ecclesiis, quas condiderunt? » Irenæus ecce « habere se dicit, quos annumeret, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad tempora sua. » Quo in loco etiam Polycarpum commemorat, « qui ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnæ, ecclesia constitutus est episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate. » Sed et alios designat, quorum successiones unius post alterum exstare dicit in archivis omnium ecclesiarum ; et earum specimen in una præbet Romana, quæ cæteris antecellit. Dubitabit quisquam, utri potius credat, Irenæone, et antiquissimo gravissimoque scriptori; et de iis, quæ præ oculis habebat, ignorare certe minime poterat, tam aperte testimonium ferenti ; an Salmasio de iis, quæ neque vidit, neque scit omnino, temere, imperiteque garrienti.

IX. Ac ne quis uno isto Irenæo teste niti hanc singularium in ecclesiis episcoporum successionem putet, et Apostolicam de illis traditionem ; licet innumeros appellare deinceps, qui eamdem in Romana ecclesia, cæterisque præsulum seriem memoriæ prodiderunt. Et quamvis in quibusdam episcopis, præsertim Romanis, discrepent, quod alii alios substituant; in eo tamen belle inter se conveniunt, quod proxime post Apostolos, singulares ecclesiarum præsides, et episcopos numerant. Tum quod caput est, et quod assidue adversus imperitos istos, et Σαλμασιοειδεῖς obtrectatores episcopalis nominis intentari debet, tanquam Gorgonis caput, istam ipsam singillatim succedentium sibi episcoporum seriem, validissimum ad convincendas hæreses argumentum esse prædicant; quo sublato, jam languidius, et mollioribus quodammodo lacertis, communis contra hæreticos Ecclesiæ causa propugnatur. Quamobrem quis pro merito castigare possit indoctos illos, et grammaticis furfuribus ad tumorem usque saginatos collybistas, qui, dum singulos ecclesiis præfuisse primis fere duobus sæculis episcopos negant, telum hoc extorquent e manibus catholicæ partis, quo et antiquas omnes confecit hæreses, et identidem nascentes hodieque disturbat, et evertit? *Salmasiani.*

Audiamus vero de hac re disputantem Tertullianum, scriptorem antiquissimum, qui secundo exeunte, et ineunte tertio sæculo scripsit. Hic in libro *de Præscriptionibus* adversus hæreticos, sic de illa successione ubivis episcoporum agit; deque discernendis hac regula traditionibus Apostolicis, simillime atque Irenæus. Ita ergo capite XXXII. « Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere : Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut *Primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem, et antecessorem*. Satin' illud Tertullianus ostendit, ex Apostolica traditione, et ipsis adeo auctoribus, et institutoribus Apostolis, singulares in ecclesiis episcopos tum Apostolis ipsis, tum sibi deinceps ordine successisse? Quod exemplis ita mox confirmat : « Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum ecclesia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert : Sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit ; *Proinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant*. Confingant tale aliquid hæretici. »

X. Auctor *Carminum adversus Marcionem*,

1 Salmas. *Dissert.*

quibus Tertulliani nomen præfigitur, sub finem tertii libri, Romanorum Pontificum catalogum describit a Petro, ejusque successore Lino, usque ad Anicetum, sub quo Marcion hæresim vulgare cœpit. Idem etiam facit Optatus Milevitanus in secundo libro, in quo Donatistas ex illa ipsa successione Romanorum episcoporum arguit. Qua in urbe asserit, « Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus. Cui successit Linus, Lino successit Clemens, » et sic deinceps ordine singulos usque ad Siricium pertexit.

Sic Epiphanius in hæresi XXVII, ubi et Linum Petro successisse dicit; et causam affert, cur Clemens tanto post Petrum intervallo sedem obtinuerit, de quo postea. Et Augustinus epistola CLXV, a Petro et Lino ad Anastasium, quo pontifice scribebat, catalogum singularium Romæ episcoporum pertexit.

Eusebius itidem totam Historiam suam, istiusmodi successionibus adspersit : « Linum, ait, Romæ post martyrium Apostolorum, primum episcopatum esse sortitum[a].» Et postea[1], Lino mortuo, suffectum Anencletum, (is est Anacletus) huic Clementem, et ita deinceps. Sic Hierosolymis primum episcopum præsedisse Jacobum[2]; post hunc Symeonem refert. Alexandriæ primum Marcum; postea Anianum. Antiochiæ primum Evodium, tum Ignatium, ac singillatim deinde reliquos enumerat. Hierosolymitanorum quidem antistitum præcipua diligentia seriem descripsit ex veteribus, ut ait, monumentis; quos a Jacobo fratre Domini, ad Hadriani usque tempora quindecim computat. Præter quos aliarum insuper episcopos ecclesiarum identidem commemorat, in sua quaque singularium. Nusquam presbyterorum, vel episcoporum collegium pari in ulla jure, et auctoritate, ac potestate præfuisse significat; quod profecto faceret, si nullus tot annis, hoc est sæculis propemodum duobus, unicus in tot ecclesiis episcopus administrasset.

XI. Hanc porro episcoporum in ecclesiis seriem ab Eusebio diligentissime collectam auctoritate sua comprobat Hieronymus, non solum in *Chronico* suo, quod ex Eusebio Latine transtulit, sed etiam in aliis libris, maxime in eo, qui est *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi complures Apostolorum Discipulorumve successores ecclesiis præsedisse narrat. Ut post Marcum[3], Anianum Alexandriæ; Linum[4], Petro mortuo, Romæ, vel Clementem; Polycarpum item « ab Joanne Smyrnæ episcopum ordinatum[5]. » Qui et sub « Antonino Pio imperatore, ecclesiam in urbe regente Aniceto, Romam venit. » Denique superstitibus ipsis Apostolis, atque ab ipsis etiam ordinatos episcopos singulares in eo libro reperies, ut Jacobum fratrem Domini Hierosolymis, de quo postea.

XII. Adjungantur iis deinceps cætera, quæ ex antiquis scriptoribus argumenta petuntur, ac testimonia, quibus illud obtinetur idem, morem in Ecclesia esse vetustissimum, nec aliunde, quam ab Apostolorum institutione derivatum, uti singulis ecclesiis singuli pastores præessent, et episcopi, non autem plures pari jure ac dignitate; quod Puritani, et eorum assecla Messalianus Salmasius illepido commento finxerunt.

Justinus martyr, qui se anno ab Christi ortu centesimo quinquagesimo *Apologiam* scribere testatur[6], in eadem hac *Apologia* secunda, cum agit de Christianorum moribus, et Ecclesiæ administratione ac regimine, unum et singularem nominat, quem vocat προεστῶτα τῶν ἀδελφῶν, qui et sacris conventibus præsidet, et curam gerit totius communitatis; quippe apud quem collectæ viritim pecuniæ deponuntur, et qui eas, pro eo atque æquum videtur, in pauperes orphanos, ac viduas, et causarios dispensat; tum qui omnium necessitate laborantium curam gerit. Verba Justini in capite VI primi libri *Dissertationum* reddidimus; in quibus habes illo sæculo, et utique jamdiu ante receptam consuetudinem unius in Ecclesia præsidentis. Sic enim Tertullianus eumdem nominat[7], quem Justinus προεστῶτα, et ipse passim alias episcopum. Itaque præcipuas episcopi partes, et munia Justinus ad unum defert *præsidem*, et *moderatorem* Ecclesiæ; quæ tam interiore ac spiritali, quam exteriore cura et providentia per illa tempora continebantur. Nam et synaxibus, sacrisque conventibus, qui orandi, communicandique causa Dominicis diebus habebantur, ut ibi-

Præsidem fratrum.

a EUSEB. lib. III, cap. II. Τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας μετὰ τὴν Παύλου, καὶ Πέτρου μαρτυρίαν, πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λῖνος.

1 Euseb. lib. III, cap. XIII et XIV. — 2 Idem lib. II et III. — 3 Cap. XVIII. — 4 Cap. XXV. — 5 Cap. XXVII. — 6 *Apol.* II. — 7 Lib. *de Cor.* cap. III.

dem Justinus ait, solus tum præerat episcopus; et ecclesiastici ærarii, ac pecuniarum distribuendarum summa penes illum potestas erat. Quis igitur non videt, unum et singularem Ecclesiæ tunc episcopum præfuisse?

XIII. De Ignatio locuples testis est Chrysostomus in oratione panegyrica, quam de illius laudibus dixit in illa ipsa urbe Antiochena, cujus episcopus fuerat. Verba illius omitti non debent; sunt enim luculenta, et expressa. Cum igitur ab episcopali dignitate laudare eum instituisset, « Non solum, inquit, quod tanto principatu dignus est habitus, hominem admiror; sed etiam quod a sanctis illis iste ipsi principatus commissus est; ac beatorum manus Apostolorum sacrum illud contigerunt caput[a]. »

Ac postea eumdem episcopatum Ignatii aliunde prædicat, quod tam amplæ civitati præpositus sit. « Cum enim laboriosum sit vel centum viris, vel etiam quinquaginta præesse; tum vero tam amplam civitatem sibi concreditam habere, ac populum, qui ad ducenta millia capitum pervenit, quantæ virtutis esse putas argumentum, quantæque sapientiæ[b]? » Ac demum post Petrum, ait, episcopatum, et ἀρχὴν civitatis illius accepisse. Ex his Chrysostomi verbis constat, singularem Ignatii episcopatum, ac *principatum*, sive *magistratum* (utrumque enim vox ἀρχὴ significat) fuisse. Hieronymus quoque in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*[1], « Ignatius, ait, Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum episcopus. » Hic porro in epistolis suis accuratam et copiosam de episcopis istis mentionem facit, necnon de cæteris ecclesiasticis ordinibus, presbytero, diacono, ac reliquis omnibus. Quinetiam, cum Romam ad supplicium duceretur, scripsit ad Polycarpum Smyrnæ episcopum, « commendans illi Antiochensem ecclesiam. » Fuit ergo tum unus in ecclesia episcopus, et a simplici distinctus presbytero.

XIV. Et quamvis Ignatii epistolæ interpolatæ sunt, nec omnino sinceræ ad nos pervenerunt; non sunt tamen ab Ignatio * penitus abjudicandæ. Tum, cujuscumque sint, antiquitatis, auctoritatisque sat in illis est ad Puritanorum, et in his Salmasii comprimendam hæresim. Hujus enim de epistolis istis tale judicium exstat, quo plus nobis, quam aut petebamus, aut illius causæ expedit, ultro ipse concessit: « Epistolæ, inquit[2], natæ, et suppositæ videntur circa initium, aut medium secundi sæculi: quo tempore primus singularis episcopatus supra presbyteratum introductus fuit. » Ergo ineunte secundo sæculo, quod per illum licet, natas illas epistolas faciamus; certe Joanne adhuc superstite, aut ipso saltem Ignatio, prodierunt. Mortuus enim est Joannes Trajano imperante, anno 68, post Passionem Domini, ut testis est Hieronymus[3]. Cœpit autem Trajanus anno duodecentesimo Christi, hoc est exeunte primo, vel secundo ineunte sæculo; cujus anno circiter decimo, Christi 108, passus est Ignatius**. Itaque, cum epistolæ illæ, cujusquemodi sint, tam sint vetustæ, ut fatetur Salmasius; apparet, Apostolis adhuc viventibus, morem istum in Ecclesia usu receptum esse Christianorum, unus ut ecclesiis singulis præesset episcopus, non plurium in iis episcoporum, aut presbyterorum regimen esset, æquali jure ac potestate præditorum. Etenim sic de episcopis, ac totius ecclesiastici negotii gestione, et unius administratione præsulis, epistolæ istæ loquuntur, ut appareat, eam formam non heri, ac nudiustertius intro-

Ignatii epistolæ genuinæ demonstrantur.

a CHRYS. hom. LXX. Οὐ γὰρ μόνον ὅτι τοσαύτης ἀρχῆς ἄξιος εἶναι ἔδοξε, θαυμάζω τὸν ἄνδρα ἐγώ. ἀλλ' ὅτι καὶ παρὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων τὴν ἀρχὴν ταύτην ἐνεχειρίσθη, καὶ αἱ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων χεῖρες τῆς ἱερᾶς ἐκείνης ἥψαντο κεφαλῆς.

b Id. Ἐπίπονον μὲν γὰρ καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν, καὶ πεντήκοντα προστῆναι μόνον· τὸ δὲ πόλιν ἐγχειρισθῆναι τοσαύτην, καὶ δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας, πόσης ἀρετῆς οἴει, καὶ σοφίας ἀπόδειξιν εἶναι;

* Sed præter illas interpolatas habemus genuinas Ignatii epistolas, quas etsi Oudinus omni studio sancto martyri abjudicare conatus est, fetum tamen hujus esse germanum non nisi a pervicacissimo homine negari potest, post ea, quæ viri doctissimi etiam de Protestantium numero ad eas vindicandas disseruerunt. Confer autem ex nostris præsertim P Mamachium, qui Oudini cavillationes omnes adgressus est refellere t IV *Orig. et Antiquit. Christianarum* et Petavium ipsum lib. V, c. VIII. Z.

** Hunc Trajani annum Ignatii martyrio adsignant alii, plerique tamen 107, esse aiunt Christianæ æræ, ut Ruinartius, Tillemontius, Usserius; Norisius porro in annum differt 113. Imo duobus post annis, Joannem Malalam si audimus (audiendus autem non est) contigit Ignatii cædes. Z.

Vide appendicem de authentia septem epistolarum Ignatii, in fine libri quinti de *Ecclesiastica hierarchia*. J. B. F.

1 Cap. XXVI. — 2 *Salm. dissert.* cap. IV. — 3 In lib. *de script.* cap. XIX

ductam fuisse, sed ex antiquo adhibitam, et ab ortu ipso conditæ religionis, certe ante Apostolorum temporis, ac sæculi clausulam; quod indocte negat Salmasius, cujus hæc indoles est, ut, quid dicat, nesciat: et, quod primum scripserit, in postremis non animadvertat.

In Apocalypsi episcopi Angelorum nomine designati.

XV. Plurimum quoque ad illam singularium per civitates episcoporum successionem probandam facit Joannis locus ex libro *Apocalypsis*; ubi ex mandato Christi epistolæ scribuntur ad septem ecclesiarum Angelos, id est episcopos. Quam communem esse sententiam Interpretum, dixi in *Ecclesiasticis Dissertationibus.* At Catharus, tanquam scripserim, « omnes interpretes consentire in eam interpretationem, » ita me reprehendit. Atqui « non omnes consentire dixi; sed vulgo Interpretes consentire; » quod de recentioribus maxime intellexi, qui non aliter exponunt. Sed et antiquiores plerique in idem conspirant. Auctor commentarii in Epistolas Pauli, qui Ambrosio tribuitur, aut Hilario, et est vetusti scriptoris, æqualisque Damasi Papæ, illud explicans, quod Paulus ait[1], *debere mulierem potestatem habere supra caput propter Angelos*, hoc est *velamen;* per Angelos episcopos intelligi scribit, *sicut docetur in Apocalypsi Joannis.* Tum qui commentarium scripsit *in Apocalypsim*, sub ejusdem Ambrosii nomine, septem Angelis, *rectores septem Ecclesiarum* interpretatur; adeoque *omnes rectores Ecclesiæ catholicæ* in numero septenario. Subscribunt et Beda, Rupertus, Richardus Victorinus, Lyranus, Hugo Cardinalis. In quibus etiam Rupertus ex *Apocalypsis* verbis illis sententiam quandam elicit dignam, cujus rationem habeat Catharus, et episcopos revereri discat. « Sicut multa, inquit, sacræ Scripturæ testimonia, sic et locus iste docet nos non debere præcipitare sententiam super ecclesiarum Angelos, id est episcopos, et super quoscumque gradus ecclesiasticos. » Recte igitur, ac bono sensu Angelos illos in *Apocalypsi* episcopos intelligemus, quo et apud Malachiam vocabulo censentur; et, ut nonnullis placet, etiam ab Apostolo, loco illo citato prioris *ad Corinthios.*

XVI. Certe Joannes Angelos istos ab Ecclesiis aperte discernit, dum istas sub alio schemate, nempe *candelabrorum septem* exhibet, ut bene Hugo Grotius nuper observavit[2], qui hoc ipsum erudite adstruit, Angelos ibi episcopos esse, non ecclesias ipsas*. Sane qui Angelos ibidem pro ecclesiis acceperunt, occasionem ab veteribus illis sumpsisse videntur, qui Angelos hominum attributos custodiæ, etiamnum sub incerto pendere putarunt suæ salutis exitu; ac pro eo, atque officio suo functi erunt, ita præmium, aut pœnam reportaturos. De quo Origenis errore, quem et magni quidam, et catholici doctores expresserunt, diximus alibi[3]; meminitque Hieronymus in commentariis *ad Michæam Prophetam*, ubi in Apocalypsi diserte significari Angelos ait[4]. Quo Origenis animadverso, rejectoque errore, cæteri sic pristinam illam Origenis interpretationem secuti sunt, ut in Angelorum persona Ecclesias illorum tutelæ creditas significari dicerent, ne beatas illas mentes in criminis invidiam, ac salutis æternæ discrimen vocarent. Non leve itaque videri debet argumentum ad singularium Ecclesiæ præsidum fidem, quod ex illo Joannis testimonio ducitur; nec unius Andreæ** pluris auctoritas fieri debet ab cordato, et non vano rerum æstimatore, quam tot eruditorum, et antiquiorum illo ipso Joannis interpretum***. Referantur ad ejusdem instituti probationem argumenta itidem alia ex historiis, ac veterum deprompta monimentis; ut sunt Apostolorum Canones, quos antiquissimos esse nemo non agnoscit. Clementis etiam Constitutiones, et alia, quæ in primo libro *Dissertationum* adversus Trapezitam adduximus. Atqui qualescumque tandem auctores isti

* Adde Usserium in *Opusc. de Episcoporum, et Metropolitanorum origine*; Hammondum diss. II, cap. IV; Pearsonium par. II, cap. XI *Defens. episc.* Ignat.; Christophorum Cellarium in diss. de VII *Eccles. Asiæ*, aliosque Protestantes eruditionis ingeniique fama clariores. Z.

** Cæsareensem intellige, cujus testimonio abutitur Salmasius. Nam quod Petavius hic videtur concedere Salmasio, Andream Angelorum nomine ecclesias ipsas intellexisse, non episcopos, negant viri docti, usquam legi in Commentariis Andreæ in *Apocalypsim;* Imo Hammondus diss. II, cap. IV, hæc Andreæ verba recitat : ἕπτα ἐκκλησίαις ἰσάριθμοι ἔφοροι ἄγγελοι λέγονται, *Septem Ecclesiarum*, inquit, *totidem Ephori* (hoc est inspectores, seu episcopi) *Angeli dicuntur*. Eat nunc Salmasius, et Cæsareensis Andreæ testimonium jactet. Z.

*** Quid? quod initio cap. II Johannes dicit : *Angelo Ephesinæ ecclesiæ scribe*. Quid explicatius significet, distingui Angelos ab ecclesiis oportere? Quamobrem ab Epiphanio hæresi XV aliisque veteribus *Angelos* episcopos dictos reperio, utique in Apocalypsis verba intendentibus. Confer Mamachium t. IV. Z.

1 I *Cor.* cap. XI. — 2 In *voto pro pace com. Riv.* art. 7. — 3 Lib. II *de angel.* cap. VI. — 4 Ad cap I *Mich.* ver. 1.

sunt, ejurare istos Catharo non licet. Nam ex illis maximam Circensis pompæ suæ partem instruit, ac totus ex apocryphis Clementis, aliorumque pendet; quod ei illic objecimus; et in novissima Dissertatione perinde hunc instituisse postea monstrabimus. Quippe præcipuum robur opinionis novæ in incertorum, dubiæque fidei scriptorum, ac multo, quam superiores isti sunt, recentiorum testimonio et auctoritate statuit; quod, ut dixi, postea declarabitur.

CAPUT III.

Colligitur ex antecedentium doctrina capitum, distinctos esse ordines duos, episcopatum, et presbyteratum, divina, et Apostolica traditione. Et agitur de divina traditione, cujusmodi ea sit. Commemorantur hujus aliquot exempla. Sacramentorum institutionem divini esse juris; et inter hæc Ordinationem, maxime ex Augustino probatur. Nulli unquam presbytero licuisse sacramentum Ordinis conferre. Sed nec posse. Quid vox δυνατικῶς *significet, deque ea inscitia Salmasii.*

Traditione Apostolica episcopatus et presbyteratus diversi sunt ordines.

Omni superiorum disputatione capitum actum illud est, ut hanc esse sciremus Apostolicam traditionem; adeoque Christi ex voluntate, præscriptoque manantem, ut penes singulos pastores, et episcopos summa esset in unaquaque ecclesia juris ac potestatis; et inter hos ac simplices presbyteros discrimen esset ex eadem et divina, et Apostolica auctoritate descendens. Hujus argumentationis informanda nunc, et pressius enucleanda ratio; quod ex antecedentibus perfacile nobis erit, dummodo unum illud animo retineatur discernendæ Apostolicæ traditionis κριτήριον ex Augustino allatum [1]: « Id auctoritate Apostolica traditum rectissime credi, quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est. » Hujusmodi enim est ritus ille, de quo agimus, ut singulis ecclesiis unus præficiatur episcopus, idemque sit a presbytero simplici distinctus. Siquidem, cum hanc regulam præscriberet Augustinus, universa illud Ecclesia tenebat, ac tribus jam ante sæculis cœperat, ut Salmasius cum Puritanis fatetur. Ut autem ex nostra disputatione constat, etiam primo id sæculo, et sub Apostolis usitatum erat. Neque porro concilium ullum proferre possunt, in quo illud primum constitutum fuerit. Quare inter Apostolicas traditiones ex Augustini definitione censebitur.

Criterium.

Atque, ut in primo capite animadvertimus, etsi proximo post Christi mortem tempore paulo aliter usurpatum sit, ac plures in ecclesiis sub presbyteri vocabulo ordinati sint episcopi; nihil hoc tamen traditioni illi nostræ derogare potest, quominus Apostolica judicetur. Quemadmodum neque Baptismi forma, qua Ecclesia modo omnis utitur, ideo non ex Apostolica auctoritate proficiscitur, quod in solo Christi nomine aliquando baptismus processerit; neque reliqua instituta, quæ Apostolicæ traditioni Basilius, et Augustinus, cæterique Patres vindicant, eo minus ab Apostolis derivata esse creduntur, quod non ubique initio, nec ab omnibus admissa sunt. Satis enim illud est, quod a plerisque primum observata fuerint; tum, procedente tempore, communem ad usum Christianæ totius ecclesiæ pervaserint; cum et illud accedit, nullo ut in concilio primitus ita esse constitutum appareat.

II. Quod si ullus est in Ecclesia ritus, aut ullum agendi, sentiendique præscriptum, in quod Apostolicæ traditionis Augustiniana illa formula congruat, tale profecto istud est ipsum, quo de hic a nobis agitur. Nam ex quo Christianum in populum introductum est, uti singulis ecclesiis singuli attribuerentur episcopi, et a simplicibus presbyteris distincti haberentur, sine ulla deinceps varietate, summaque constantia servatum est, nec ad pristinum illum qualemcumque, et quamlibet usitatum initio morem amplius redierunt. Ex quo vincimus, alterum hunc usum plurium in una ecclesia creandorum episcoporum, traditionis, hoc est legis, et instituti Apostolici non fuisse, quia non semper est retentus. Retineretur autem procul dubio, si ita deinceps faciendum esse auctores fuissent Apostoli, itaque tradidissent; imo si non contrario modo, id est eo, qui deinceps obtinuit, et qui ad hodiernum usque tempus perseverat, instituissent fieri.

[1] Lib. IV *de Bapt. con. Don.* cap. XXVI.

Etenim, si ex Apostolica traditione unus, idemque est ordo presbyteratus cum episcopatu, cur tot sæculis, quot a primo hucusque transacta sunt, perpetuo distinctus, ac divisus est? Cur non antiquum illum, et Apostolicum, eoque præstantiorem ritum Christiana repetiit ecclesia? Cur non plures, ut olim, episcopi, idemque presbyteri, pari jure, et potestate in ecclesiis deinceps ordinati fuerunt? Cur ad unum, singularemque præsidem tam constanter, ac severe cura est illarum administratioque redacta? Cur denique soli, qui nunc vocantur episcopi, episcopos, ac presbyteros simplices semper ordinarunt, consecraruntque; non idem et presbyteri fecerunt, possuntve facere?

Non solum Apostolica sed etiam divina traditione episcopatus et presbyteratus sunt duo distincti ordines.

III. Sensim ad id nos disputatio ista perduxit, quod capitis initio probandum sumpseram : non solum Apostolica traditione, hoc est humana auctoritate, diversos ambos illos esse ordines, sed etiam divina, et ab Christo ipso constituta. Quod synodus Tridentina canone illo sexto sessionis XXIII decrevit, in quo statuit. « In Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris. » Hoc ut vere, meritoque sanxisse synodum constet; age definiatur imprimis, cujusmodi sit hoc, quod jure ac traditione divina institutum habetur; quæque sint ad hoc discernendum notæ propriæ. Non enim in Scripturis expresse omnia continentur, quæ pro divinis traditionibus admittunt etiam adversarii, et ad salutem necessariis. Baptismus ecce parvulorum, sine quo sempiterna morte perire, et quo percepto vitam, ac cœleste regnum assequi creduntur, non humanæ, sed divinæ auctoritatis est traditio, ut ex Augustino supra demonstravimus; quæ tamen nulla in Scriptura concipitur. Aquam item ad sacramentum esse baptismi necessariam, si Calvinum, Bucerum, et illius sectæ complures audimus, ex Scriptura non liquet. Qui enim disertus ad eam sententiam videtur in Joannis Evangelio locus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* [1]: vel de sacramento ipso baptismi nullo modo intelligendus est, sed de interiori, ac spiritali renovatione, ut ambo illi sentiunt, quos nominavi, hæresis antesignani; vel, ut Bezæ placet, peræque probabiliter aliorsum trahi, quam ad sacramentum potest. Itaque apud illos inter ἀγράφους ista

Non scriptas.

censeri debet, et utique divinas, tanta rei, tamque necessariæ traditio.

Notæ traditionis divinæ.

IV. Quapropter, si est aliqua, ut esse debet, divinæ ab humana discernendæ traditionis regula, hujusmodi sit, opinor, ut hoc divini juris putetur, quod perpetuo servare necesse est, nec immutare licet Ecclesiæ; qualia sunt illa, quæ ad sacramentorum substantiam, ut vocant, attinent. Unde Tridentini Patres statuerunt[2], « Sacramenta novæ legis omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta. » Et Augustinus libro tertio *de Doctrina Christiana*, capite nono, Sacramenta novæ legis « ipsum Dominum, et Apostolicam tradidisse disciplinam » asserit; et in libro *de vera religione*[3] «ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto, pauca sacramenta saluberrime constituta » esse dicit; quod et in epistola CXVIII sub initium docet. Ac si quis sacramentorum naturam, definitionemque spectet, tam quæ ab Catholicis, quam quæ ab hæreticorum magistris traditur, intelligit, nullum sine divina ordinatione sacramentum esse legis novæ; quoniam cum externo illo signo, quod sacramentum dicitur, conjuncta debet esse gratiæ promissio, cujus certam fidem facere humana auctoritas non potest, neque pro arbitrio, ac quibus volet cæremoniis eam alligare, ac velut obsignare; quod unius est Christi. De quo alias plura, si Dominus concesserit. Nunc illud suminus, quæcumque ad sacramentorum substantiam pertinent, divino jure, ac traditione constare, sive scripto ea comprehensa sit, sive absque scripto a majoribus accepta.

V. Est autem inter novæ legis sacramenta ritus ille numerandus, quem Græci χειροτονίαν, Latini *ordinationem*, vel *ordinem* vocant. Quod quidem non tacita solum, et ἀγράφῳ traditione, sed perscripta insuper auctoritate constat. *Non scripta.* Fit enim in Scripturis mentio χειροτονίας, sive *impositionis manuum* ad ordinandos Ecclesiæ ministros, cui, tanquam effectum, cœlestis gratia subjungitur. Ut in posteriori *ad Timotheum* [4] : *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et in prima epistola [5] : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Nec ignorare licet iis, qui in veterum lectione tam conciliorum, quam Patrum aliquid operæ colloca-

1 *Joann.* III, 5. — 2 Sess. VII, can. 1. — 3 Cap. XVII. — 4 II *Tim.* I, 6. — 5 I *Tim.* IV, 14.

runt, persuasum hoc illis fuisse, tum ordinatione, et impositione manuum cœlestem evocari gratiam, tum unum hoc esse de legis novæ sacramentis; quod suo a nobis loco plenius explicabitur. Nunc Augustino fere uno contenti erimus, qui hoc adversus Donatistas, et aliis in libris sæpe demonstrat; necnon illud, quod ad negotium nostrum summe pertinet; hoc sacramentum, quando semel collatum est, repeti non debere; ac sive quis in Ecclesia catholica ordinatus ad hæreticos desciscat, indeque ad Catholicam redeat; sive ab hæreticis episcopis ordinatus ex hæretico fiat Catholicus, non ordinandum esse denuo. In libro *de bono conjugali*, capite XXIV. « Si fiat, inquit, ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. » Et in secundo libro *contra epistolam Parmeniani*, capite XIII, sacramentum Ordinis cum Baptismo comparat : « Utrumque, ait, sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam, si quando ex ipsa parte (nempe Donati) venientes etiam præpositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt; et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursum ordinandi; sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra. » Idem docet et in primo libro *de baptismo* contra Donatistas, capite primo. Accedat etiam Augustino comes Ambrosius, qui de episcopali ordinatione nominatim docet, per eam gratiam divinitus esse tributam. « Quis dat, frater, inquit[1], episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum; Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram; et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem; et Deus tribuit dignitatem. »

Baptismus et ordinatio juris divini.

VI. Ex his vero certissimum argumentum efficitur, non minus ordinationis sacramentum, quam baptismi, divini juris ac traditionis esse divinæ, non Apostolicæ tantum, id est humanæ. Non enim per se, ac sine Dei præcepto, possunt homines ritum aliquem instituere, qui gratiam et spiritualem quampiam qualitatem, et effectum in animum trajiciat, cujusmodi legis novæ sacramenta conferunt. Neque si humani duntaxat instituti cæremonia hæc esset, atque ex hominum penderet arbitrio, nefas duceretur eamdem iterare sæpius; aut qui id faciendum putarent, hæretici judicarentur. Sed nec rata hæreticorum haberetur ordinatio; quin iteranda potius censeretur, si ex sola Ecclesiæ catholicæ auctoritate venisset. Non enim pro potestate facere illa potest, ut a quocumque, et cujusquemodi homini traditum sacramentum, nihilominus validum sit, et quod vult in ejus anima perficiat.

VII. Hoc velut jacto fundamento, manifestum jam erit illud, cujus gratia notata ista sunt : episcopatum et presbyteratum, ex voluntate Christi, ac divino jure, distinctos esse ordines, non, ut Messalianus Trapezita censet, unum et eumdem. Cum enim Ordines ecclesiastici nonnisi ex institutione Christi manaverint, nec humanæ potestatis, jurisdictionisque sint, non potuit ab Ecclesia natura illorum et essentia mutari, aut in ea quidquam innovari; sed quod divinitus traditum est, id immotum esse debet, ac perpetuum. Sic enim Augustinus epistola CXVIII docet, etsi Christus post cœnam sacramentum corporis sui, et sanguinis instituerit; non id tamen eadem hora celebrari jussisse. « Nam, si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. » Ac, quemadmodum sacrorum ordinum augere numerum, hoc est ad tres illos hierarchicos, quos antiqua concilia, et ea secutum novissime Tridentinum nominat, *Episcopum*, *Presbyterum*, *et ministrum*, novum quempiam nefas est addere; sic ex illis unum decerpere, et hierarchiam mutilare non licet; ac neque ex duobus unum facere, neque duos ex uno.

VIII. Quamobrem si divinitus Ecclesiæ unus est ordo traditus, si nulla, præterquam appellationis, in eo diversitas fuit; non cum potuit Ecclesia distrahere in duos, ac discerpere; neque, quod illi insitum est jure divino, ac velut οὐσιῶδες, eripere. Presbyteratus, ut Catharis, et eorum uni Salmasio videtur, ex divina sanctione, idem atque episcopatus est; hujus porro illud est proprium, ut χειροτονία, hoc est *impositione manus* Essentiale.

[1] Ambros. lib. *de sacerd. dignit.* cap. v.

presbyteros consecrare possit; *qui Christi corpus sacro ore conficiunt*, ut scribit Hieronymus[1]. Quidni ergo tales etiam, si velit, ordinare, hoc est presbyteros presbyter consecrare poterit? Atque, ut episcopus, quamvis ejectus ab Ecclesia, et omni communione sacrorum, atque ordinandi adeo jure ac potestate spoliatus, si cui manus contra fas imposuerit, eum presbyterum facit; nec iste, si ad Catholicam redeat, ordinatur iterum, sed ratum id habetur, quod contra leges, et extra Ecclesiam accepit; ejusque non alia reddi causâ potest, nisi illa, quam dixi, quod divino jure tributa sit episcopis ordinandi presbyteri potestas, perinde ut huic Dominici conficiendi corporis; quæ potestas utraque nullis oblitterari criminibus, nec humano arbitrio possit auferri. Sic presbyter, quatenus idem est, atque episcopus, vel injussu majorum, quos libitum erit, faciet episcopos; et quoscumque fecerit, veri habebuntur episcopi ac presbyteri, quibus sine sacrilegio manus nemo rursus imponat. Hoc ex illa Catharorum doctrina, si est vera, consequens esse debet. Atqui falsum istud est, et ab Ecclesiæ usu, ac moribus alienum et absonum, non hodiernæ tantum, sed etiam antiquæ. Nam utraque in presbytero potestatem novit esse nullam ordinandi, ac per impositionem manuum presbyteros, vel episcopos creandi. Utraque solis hoc episcopis intelligit esse concessum, ac non modo illicitam et flagitiosam ordinationem illam esse, quæ a presbytero facta est, sed etiam irritam, ac nullam.

Presbyteri presbyteros ordinare nequeunt.

IX. Unus est Ancyranus canon XIII quo ejusmodi aliquid usurpasse presbyteros, videri possit, cum id ne fiat, interdictum ibi fuerit, nisi episcopi concessu. Sed de eo canone plenius agetur postea. Nunc illic hæreo, hoc sum contentus uno, antiquissimis, eruditissimisque Patribus, quorum summa in Ecclesiæ, fideique rebus ac controversiis auctoritas esse debet, visum esse, solis ab episcopis episcopos, ac presbyteros ordinari posse; a presbyteris neutiquam posse. Non posse vero propterea, quod jure, ac faciendi potestate illi careant, qui nonnisi presbyteri sunt; soli autem habeant, qui episcopi simul, et presbyteri sunt.

Epiphanius in hæresi *Aerii*, magni cujusdam nebulonis, quem Cathari, et Salmasii auctorem sibi ac Patriarcham inscribunt, episcopi ab presbytero discrimen in eo ponit, « quod episcopi ordo vim gignendorum patrum habeat; nam patres Ecclesiæ generat. At presbyteratus, cum patres generare nequeat, per regenerationis lavacrum filios gignit Ecclesiæ, non patres, aut doctores. Et vero qui tandem presbyterum constituat, qui ad ordinandum impositionem manuum non habeat[a]? » Negat Epiphanius; presbyterum posse ordinare presbyteros; quia vi et potestate caret. Id enim vox γεννητική significat, quæ est δυνητική, hoc est *potentialis;* tum aperte τάξιν illam ait esse μὴ δυναμένην, hoc est *carentem potestate* procreandorum patrum, qui sunt presbyteri; quia non habent χειροθεσίαν, id est *manuum impositionem*, quæ sola potestatem istam tribuit.

X. Idem Chrysostomus, Græcique cæteri testantur, quod in dissertatione citavimus[2]. Siquidem presbyteros eadem cum episcopis appellatione censeri apud Apostolum putant hac una de causa, « quod presbyteri episcopos non ordinant[b]. » Paulus vero Timotheum per impositionem manuum presbyterii scribit episcopum esse factum. Atque hoc ipsum Hieronymi quoque testimonio probavimus[3], qui presbyteros indicat ordinandi potestate caruisse, cum ita scribit : « Quod enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? » Nam illud faciat δυνητικῶς accipiendum esse ibi demonstravimus, ut idem sit, ac *quod non possit facere*. Itaque omnia, quæ ab episcopo fiunt, presbyter facere potest, auctore Hieronymo; ordinationem facere non potest. Sic autem et δυνητικῶς verbum illud est conceptum; et in presbytero potestatem ordinandi esse nullam docuit Hieronymus; quomodo utrumque Chrysostomus homilia prima in epistolam *ad Philippenses*, complexus est iis verbis, quibus eadem, quam proxime ante posui, ratione colligit, presbyteros a Paulo pro episcopis usurpari : « Non enim, ait, presbyteri episco-

Potentialiter.

a Epiph. hær LXXV, num. 4. Ἡ μὲν γὰρ πατέρων ἐστὶ γεννητικὴ τάξις. πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν πατέρας, ἢ διδασκάλους. καὶ πῶς οἷόν τε ἦν πρεσβύτερον καθιστᾷν, μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν.

b Chrys. hom. XIII, in I *ad Tim.* ad cap. IV, 14. Οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν.

1 Ep. I, col, 5. — 2 Lib. I, cap. I, II et seq. — 3 Lib. I *Dissert.* cap. III.

pum ordinassent[a]. » Nempe de eo loquitur, quod *ad Timotheum* scribens dicit Apostolus, illam gratiam accepisse per impositionem manuum presbyterii, de quo supra mentionem fecimus, οὐκ ἂν ἐχειροτόνησαν, ait, hoc est *non possent ordinare*. Etenim particula ἂν solet a Græcis accipi δυνητικῶς, ut in calce libri quarti Grammaticæ loquitur Gaza. Et Gregorius Lecapenus in libro *de Syntaxi*, ὅ, τε ἂν, inquit δυνητικὸς καλούμενος, hoc est *particula* ἂν, *quæ potentialis vocatur* Ubi et appellationis causam reddit sic : « Potentialis autem ideo vocatur, quoniam constructio ejus transfertur in hoc, quod est posse ; velut dicerem quidem, pro eo, quod est, possem dicere ; scriberem pro eo, quod est, possem scribere[b]. » Hæc nos olim tirones in scholis grammaticis didicimus ; in quibus tamen peregrinatur grammaticorum columen Catharus Salmasius ; ut hoc etiam pro magno errato nobis objecerit, et, « An δυνητικῶς Græcum sit, inquit[1], videat Grammaticus. » Quid magni in istis litteris expectes homine ab illo, qui τὸ δυνητικῶς Græcum an sit, adhuc nesciat? Atqui præter Græcos istos duos, Græcanicæ linguæ peritissimi totidem, Budæus in commentariis, et in *Thesauro* Stephanus eam vocem usurpant. Puderet in vulgaribus istis vel obiter insistere, si ea talibus ingeniis, quibuscum conflictamur, ita ut sunt, trita essent, et vulgaria*.

XI. Sed eo revertor. Cum igitur ordinandi potestas ex divina institutione manarit, jurisquė sit divini, non ecclesiastici, et, ut vocant, *positivi ;* manifestum est, nec ab homine dari, nec ab eodem auferri potuisse. Usus quidem illius et exercitium supprimi, interdicique potest : ut sine grandi scelere aliquid attingere proprium ordinis nequeat ; ut cum ab sacro ministerio suspenditur, aut excommunicatur quispiam. Sed si nihilominus perseveret ea quæ sunt ordinis, ac potestatis exequi suæ, (quæ quidem aliunde non pendent, ut est jurisdictio ad quædam sacerdotii præstanda munera necessaria) quanquam impie ac nefarie fecerit, ratum tamen erit quidquid ab eo gestum sit, ut de Baptismo, et Ordinatione ab hæreticis vel excommunicatis accepta supra demonstravimus. Quocirca si presbytero, qua presbyter est, non ut episcopus est, convenit ordinare presbyteros, aut episcopos ; nec aliunde, quam a Deo, derivari jus illud potuerit ; nulla humana, id est ecclesiastica auctoritas efficere potest, quin reipsa, si velit, episcopos et presbyteros ordinet ; quemadmodum et Dominicum corpus consecrare potest, invitis ac repugnantibus legibus, hæreticus, aut ab gradu suo, vel Ecclesia segregatus presbyter. Atqui infandum, inauditumque est Christianis auribus, presbyterum simplicem ordinare episcopum, imo etiam præsbyterum posse ; aut si id sacrilege tentarit, pro episcopo, vel presbytero hunc haberi, qui ab illo impositionem manuum acceperit. Quod invictum argumentum causæ est catholicæ, dogmatisque, cui contra Catharos modo patrocinamur, ut ex eo constet, non eumdem ordinem ex instituto esse Christi, episcopatum, et presbyteratum. De quo quæ Salmasii in nugacissima dissertatione sit opinio, plenius deinceps exponendum videtur, et illius falsa, absurdaque decreta in lucem proferenda ; quod in capitibus sequentibus faciam.

a Chrysost. Οὐκ ἂν δὲ πρεσβύτεροι ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν.

b Lecapen. Δυνητικὸς δὲ λέγεται, ἐπειδὴ ἡ σύνταξις εἰς τὸ δύνασθαι μεταφέρεται· οἷον ἔλεγον ἄν, ἀντὶ τοῦ ἠδυνάμην λέγειν· ἔγραψα ἄν, ἀντὶ τοῦ, ἠδυνάμην γράψαι.

* Neque aliter sentit Hilarius diaconus, Ambrosiastri nomine notior in cap. III prioris *ad Timotheum* epistolæ; imo synodi Alexandrinæ patres, quorum sententiam probant clerici Maræotici, et Athanasius apol. II, non alia de caussa Ischyram presbyterum repulere, quam quod a Collutho, qui presbyter quum esset, presbyteros creare non poterat, fuisset ordinatus. Adi etiam Tournelium, et Witasse *de ordine* quæst. V, et Petavium ipsum lib. II, cap. X, n. 9 et seqq. Z.

1 Salm. *Dissert.* cap. V.

CAPUT IV.

Quatenus in unam, eamdemque personam ordines duo episcopatus, et presbyteratus concurrerint, nihilominus ex se distingui. Quid sit ratione, et subjecto differre. Cathari Trapezitæ inscitia; qui ista capere non potuit. Ejusdem inepta calumnia.

I. Quæ ut ab Aerianis olim, sic a Catharis, et Calvinianis afferuntur hodie Scripturæ loca, quibus unus, et idem esse cum episcopatu presbyteratus asseri videtur; ea sunt a nobis exposita primo in libro *Dissertationum Ecclesiasticarum*. Ubi eo res demum disputando perducta est, eosdem ut initio episcopos, ac presbyteros factos esse constaret, hoc est in eamdem personam concurrisse ambos illos gradus, et ordines; sed diversos nihilominus habitos esse, ac tum superstitibus Apostolis ipsis quibusdam in ecclesiis, tum ubique, post eorum obitum, personis etiam fuisse distractos. Quam conciliandi rationem, nec abhorrentem ab sacris litteris, et antiquis consentaneam Patribus, ac conciliis, et Ecclesiæ catholicæ usui, ac dogmati congruentem, Catharo Salmasio non probamus. Neque hoc valde miramur, aut vero curandum ducimus. Quid enim rectum placere homini isti potest, quem vel amicissimi, et eruditionis ejus calidissimi fautores nunquam sine judicii exceptione laudare solent? Ego vero communem etiam plerumque sensum illius in scriptis requiro; maxime autem in illa *Dissertatione de episcopis, ac presbyteris*, quam contra me novissime in lucem edidit. Quæ nihil, præter tumultuariam, et inconditam habet congeriem, nulla methodo atque ordine digestam, dum idem sæpius revocat, ac versat, et ad satietatem usque lectoris, ac fastidium inculcat. Inter has inanes, ac morosas repetitiones ingens, pro argumenti et quæstionis modulo, libri moles exaggerata est, quam paucis dissertationum nostrarum paginis reposuit. Sic enim par erat Usuræ patronum, ac laudatorem facere, ut in respondendo proprium aliquod illius specimen daret. Unica porro inexhaustæ loquacitatis hujus causa illi fuit ea, quam dixi, communis judicii, ac sensus inopia, quod rem unam nec valde difficilem, et in vulgari usu doctrinæ positam capere nondum potuit; quod *idem* dicimus non uno usurpari modo, sed aliud esse τῷ ὑποκειμένῳ idem, aliud τῷ λόγῳ. De quo nihil hic dicerem, quoniam usitata res est, et in primis dialecticæ rudimentis traditur. Sed cogit ejus, quicum negotium mihi est, infantia paululum ad elementa ista regredi; maxime cum magnam partem dissertationis isti pepererit differentiæ illius inscitia. *Subjecto.* *Ratione.*

II. Ut igitur plebeium quamvis ad captum sermonem nostrum comparem, utar exemplo facili, atque in conspectu ipso posito, quo res tota declaretur. Episcopatus sic idem est cum presbyteratu, quomodo rationalis anima idem est cum sentiente, ac vegetante. Nam hæ tres animæ sunt, et invicem distinctæ; sed τῷ λόγῳ, non τῷ ὑποκειμένῳ, hoc est *ratione, non subjecto.* Etenim natura, et essentia ac definitione, tum etiam actione differunt; tametsi in una eademque forma hominis omnes; duæ in brutis insunt, neque *subjecto* separantur. Ac rationalis quidem nunquam a duabus aliis separata consistit, ut nec a vegetante sensibilis; sola vegetans sine duabus reliquis, in stirpibus, et humo satis cernitur. Animas cum dico tres, non sic accipi volo, tanquam formæ sint tres, quæ velut partes totidem in homine coalescant, ex iisque duæ sint in brutis; una quippe, ac simplex in homine forma est; sed ἐπινοίᾳ, ut Græci Patres loqui consueverunt, quod idem est ac λόγῳ, sunt ista distincta. Eodem modo in episcopo, tanquam summo hierarcha, ut ait Dionysius, potestate, et eminentia quadam virtutis inferiores omnes continentur ordines, presbyteratus, diaconatus, et cæteri; in presbytero diaconatus una cum reliquis, itaque deinceps minores in majoribus. Sed ex eo diversos illos esse cognoscimus, quod inferiores seorsim, et a majoribus divulsi reperiuntur. Sane hæc vulgaria sunt, et nemo adeo est hebes, cujus ista captum superent. Et tamen acutus Criticus nunquam intelligere hoc potuit, nec in animum suum demittere, episcopatum a presbyteratu distinctum esse ordinem, eo quod in unam, eamdemque personam, hoc est τὸ ὑποκείμενον idem ambos illos convenire cerneret. *Comparatione illustratur quatenus episcopatus inferiores contineat ordines.* *Cogitatione mentis.* *Ratione.* *Suppositum*

III. Hinc stulta illa querela tum initio libri, tum deinceps repetita sæpius cum puerili insultatione, ac convicio; quod cum Scriptura, nobis assentientibus, sæpe eosdem

fuisse episcopos, et presbyteros doceat; multique hoc idem Patrum probent, tamen non eosdem fuisse putemus episcopos, et presbyteros. In quo subdolus Trapezita sententiam nostram adulterare est ausus, et inserta particula, falsum quiddam nobis affingere; contra quod tota in dissertatione contendit, « in incertum pugnans, et quasi aerem verberans. » Vide enim hominis astutiam. Sic iste ratiocinari me dicit : « Scriptura sacra docet multis locis, eosdem fuisse episcopos et presbyteros. Multi Patrum, et inter eos Hieronymus hoc probant. Ergo non iidem ii fuere episcopi, et presbyteri. » Hoc portentum argumentationis non diserte quidem alicubi struxisse me, quantum arbitror, intelligit, nisi aperte mentiri velit. Verumtamen meis ex dictis confici probat; quorum alterum est pagina 14 alterum 37, libri primi *Dissertationum* mearum. Priore in loco scripsi : « Presbyteros nonnunquam episcopos veros dictos esse, et in eadem civitate plures exstitisse. » In posteriore, « magnum ab antiquis usque Ecclesiæ temporibus discrimen intercessisse episcopos inter et presbyteros; nec indoctius quidquam, absurdiusque ista esse fabula, quam cum veteribus illis, et hodiernis hæreseon architectis Trapezitici operis scriptor est amplexus : eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re, atque ordine presbyteros, et episcopos fuisse. » Hæc nactus ille mirificas tragœdias excitavit, et in me contumelias, ac maledicta conjecit homine indigna polito, et auctore suo digna; qui ad Trapeziticam et fœnebrem artem, illam insuper adjecit obtrectandi, et conviciandi, in qua singularem exercitatione assidua sibi peritiam comparavit. Sed ut hæc impune per me habeat, (nec enim irasci eo illi nomine debeo, quod me cum orthodoxa Ecclesia, cum Romanis pontificibus, cum piis et catholicis omnibus ad eamdem designavit odii acerbitatem et invidiæ) de re ipsa disputabo; et imperitum pariter, atque impudentem calumniatorem in eo ipso, in quo tam atrociter in me est invectus, rebus illum addicam certissimis.

IV. Nam quid isto fieri potest absurdius, qui ex duabus illis, quas attulit, sententiis nostris, quas secum repugnantes, et contrarias esse credidit, non animadvertit, quemadmodum usurpata prior a nobis esset; sed temere, quod nesciebat, injusteque reprehendit? Etenim in capite illo primo varias Interpretum Pauli sententias enumerare, ac perpendere singulas institueram, et quid e singulis consequens esset, summatim colligere, Hoc cum in Chrysostomi, Œcumenii, ac Theophylacti interpretatione facerem, propositis quibusdam, quæ illis adversari videbantur, *Actorum*, et Apostoli locis, ex his sic adversus eosdem conclusi : « Igitur presbyteri nonnunquam episcopi veri dicti sunt, et in eadem civitate plures exstiterunt. » Hæc vox *igitur*, non quid mea ratione, ac judicio constitutum sit, sed quid ex illis, quæ percensueram, locis Apostoli sequi videbatur, ostendit. Nondum enim, quid ego sentirem, explicaveram; quod in sequenti feci capite, ubi quæstionem propositam demum ita dissolvi : sub ipsa Christianismi primordia in quibusdam civitatibus plures fuisse, qui episcopi pariter erant, et presbyteri. Quod tamen perbrevi tempore, nec ubique receptum fuisse, firmissimis argumentis, et invictis probavi; maxime ex episcoporum singularium successione: quam in plerisque urbibus jam tum ab Apostolis exstitisse, antiquissimi auctores referunt. Huic autem assertioni, quam ibi, unde ille sumpsit, quod calumniaretur, nondum obfirmaveram, non est contraria altera, quam ex tertio capite subjecit, in quo falsos esse dixi, qui eosdem olim fuisse dicebant episcopos et presbyteros. Quam eam sententiam priori, ut putabat, contrariam ita concepit, ut malitiose voculam insereret, ex qua conflictus ille sequeretur. Sic enim dixisse me ait. « Ergo non iidem ii fuere episcopi et presbyteri. » Quos ita designat, *ii episcopi et presbyteri*; sunt, quos ex Scripturis eosdem fuisse colligebam; hoc est personas easdem, in quas cum presbyteratu collatus erat episcopatus. Hos ergo eosdem episcopos et presbyteros dixi fuisse; nec alibi negavi, cum scripsi falli eos, qui eosdem presbyteros et episcopos olim fuisse dicebant. Non dixi *eos* presbyteros, et episcopos, hoc est quos antea commemoraveram, ex *Actis, et Epistolis* Pauli, qui Mileti, et Ephesi, et iis in locis erant, qui ibi nominantur; ita enim contraria dixissem, Verum universe presbyteros et episcopos docui, non eosdem olim exstitisse, hoc est presbyteratum et episcopatum. Quem sensum mea præ se verba perspicue ferunt : « Non eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re atque ordine presbyteros et episcopos fuisse. » Quod adversus Catharos et Trapezitas dixeram, qui unum tantummodo Ordinem esse volunt, et ab initio fuisse. Ego vero Ordines semper duos fuisse pugnabam, ratione ac natura distinctos, etsi interdum τῷ

Subjecto. ὑποκειμένῳ minime differrent, quod in uno, et eodem homine convenirent.

V. Sic enim ea res habet, ac si uno in loco dicerem, genus quoddam animantis esse rationale, sensibile, ac vegetans; alibi vero, errare eos, qui dicerent, unam et eamdem appellatione, ac re, naturaque esse animam rationalem, sensibilem, ac vegetantem. Num qui ambo ista diceret, sibimet adversaretur? Non, opinor, alio, præterquam Salmasio, judice. Eodem plane modo, cum Apostolorum ætate fassus sim eosdem alicubi simul et presbyteros, et episcopos plures fuisse, hoc est ordines duos in idem caput collatos : nihilominus ipsos per sese dixi ordines fuisse diversos. Quemadmodum, etsi certis in locis ac populis iidem olim reges, et sacerdotes fuerunt, ut Melchisedech : ut ille apud poetam [1].

« Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos, »

Vere tamen usurpari istud potest, regnum a sacerdotio esse diversum : sive pro *abstractis*, ut vocant, *concreta* sumas, regem a sacerdote differre. Satis enim est, ut illud vere dici possit, quod apud alios populos alii essent sacerdotes, alii reges. Ex quo recte concluditur, ibi etiam, ubi sacerdos idem erat; atque rex, sacerdotium ab regno λόγῳ, et ἐπινοίᾳ, id est *ratione*, distinctum fuisse, etsi τῷ ὑποκειμένῳ idem essent. Quemadmodum, licet Coriscus idem musicus sit, et pictor, verum est musicam in eo ab pictura τῷ λόγῳ discrepare, nec eamdem artem esse, sed duas. Id quod etiam efferri sic solet, in Corisco musicum a pictore differre τῷ λόγῳ, non τῷ ὑποκειμένῳ. Hæc si ejusmodi sunt, ut vel a plebeiis ingeniis capiantur; quid hoc capite durius, cujus in cerebrum pervadere hactenus ista non potuerunt : presbyterum ab episcopo, id est presbyteratum ab episcopatu diversum ordinem exstitisse, quamvis in eumdem hominem ambo aliquando convenerint?

Ratione et mentis cogitatione. — *Supposito.* — *Ratione.* — *Ratione non supposito.*

VI. Frivolum itaque est effugium illud, cujus pueriliter admones : dicendum esse mihi, « discrimen istud ab antiquis Ecclesiæ temporibus intercessisse, non a primis, nec Apostolicis. » Nihil hoc opus. Nam et primis, atque Apostolicis temporibus ambos illos assero distinctos fuisse, sed λόγῳ in iis, qui utrumque simul habebant, ὑποκειμένῳ vero, tum ubique insequenti tempore, tum etiam Apostolorum ætate iis in urbibus, in quibus singulorum successiones præsulum fuisse memorantur ab Apostolicis viris litteris traditæ. Quo ex argumento singularium episcoporum saltem consequenti ætate præpositorum ecclesiis, de quo nobiscum Salmasius convenit, intelligere potuit, falso se dixisse, quod et in fœnea illa dissertatione toties oggerit, unum et eumdem ordinem esse presbyteratum, et episcopatum ex instituto Christi et Apostolorum. Quod in superioribus capitibus jam manifeste convictum, plenius subinde confutabitur.

Ratione. — *Supposito.*

Hoc ergo est ipsum, quod qui defenderent, indoctos, absurdosque esse dixi, eosdem olim fuisse presbyteros, et episcopos tum appellatione, tum re, hoc est natura, proprietate, essentia, functione; quod est λόγῳ, vel τῷ τί ἦν εἶναι, quamvis τῷ ὑποκειμένῳ iidem essent utrumque. Porro quæstionis a me propositæ difficultas in eo sita erat, quod cum inter Catholicos constaret, diversos esse Ordines divino ex instituto, ut supra demonstravi; tamen in Scripturis promiscue accipi nomina illa viderentur. Cui quidem hæc a nobis est adhibita conciliatio, quam, si quid haberes rationis, intelligeres; intellectam vero, nisi aut judicium, aut usus antiquitatis, aut candor tibi deesset, improbare non posses.

Ratione vel quidditate. — *Supposito.*

VII. Ac vide quæso, ut seipsum induat, et implicet iis laqueis, quibus circumretire me studet. Nam fatetur, « hodiernos pontificios doctores sentire mecum, magnum a primis usque, et Apostolicis Ecclesiæ temporibus discrimen intercessisse episcopos inter et presbyteros. » Si hoc igitur pontificii, id est Catholici, et a Catharis, ac Salmasiis alieni doctores sentiunt; si Tridentina idipsum synodus canone suo sanxit; nonne indoctos jure esse pronuntiavi, qui ad damnatam tuendam hæresim, et ab inferis excitandam, post Aerianos, Waldenses, nugasque cæteras, nihil afferrent, præter garrulitatem et audaciam? Denique hæc si duo tantum capere potest, quod eum jam ex hac nostra oratione posse non despero : diversos omnino, ac necessario esse ordines istos τῷ λόγῳ, quamvis τῷ ὑποκειμένῳ non discrepent, puerilli contentioni, ac velitationi modum adhibebit.

Ratione. — *Supposito.*

Nisi vero puerile hoc non est, quod in *videndi* verbo ludere voluit. Scripseram, « dubitandi causam præcipuam continere Apostolica scripta, quæ ita de episcopis, ac presbyteris loquuntur, ut utrosque eodem loco habere, ac nihil inter illos discriminis

[1] Æneid. III.

statuere videantur. » Dixi, *videri*, hoc est *speciem præbere*, non autem quomodo dici solet : *Ita mihi videtur*, vel ut Apostoli in concilio loquuntur[1]: *Visum est Spiritui sancto, et nobis*. Ille autem sic, tanquam hoc sensu, non illo positum esset videndi verbum, concludit ita : « Quis dubitandi locus, ubi rem tam clare, et aperte definire, et decidere sacræ Scripturæ visum fuerit? »

CAPUT V.

Salmasii contra singularium episcoporum successiones ab antiquis memoriæ proditas falsa, et absurda præscriptio. Absurde illum argumentari contra sanctorum Patrum auctoritatem. Apostolorum duo genera ab illo tradita : et Apostolatus perperam explicata ratio ; falso ab eo dici, majores Apostolos immediate missos a Christo. Marci Antonii de Dominis, et Casauboni itidem de Apostolis confutatæ sententiæ.

I. Ab hac velitatione transeo nunc ad seriam concertationem, et causæ caput aggredior. Difficile est omnino in istis tenebris, quas dissertationi suæ Catharus Salmasius offudit, atque in tanta loquacitate, et verborum, sententiarumque perturbatione scire, quid primum, quid postremum sit ; hoc est quid ex quo consequens velit esse ; ac denique quid sit, quod probandum sibi proposuit, et quid illud, quo tanquam argumento ad probandum utitur. Adeo cæca illic; et inversa, ac præpostera sunt omnia. Quantum tamen intento animo, ac diu, multumque tractando extricare potui, adversus illam episcoporum seriem, et successionem disputare voluit, quam in plerisque civitatibus cœptam esse temporibus Apostolorum, ex antiquorum testificatione monstravimus. Hoc enim argumento premi se, commentumque suum obteri vidit, quo unum duntaxat ordinem, ex instituto Christi, et Apostolorum esse contendit episcopatum, et presbyteratum. Quod cum apud istum legimus , meminisse perpetuo nos oportet ἀκρισίας illius, quam in antecedenti capite patefecimus. Ibi enim semper errat, dum non discernit, aliud esse dicere, eumdem ordinem esse ambos illos ; aliud dicere, in unum illos, eumdemque convenisse. Horum posterius fateri me cum ea cautione, quam addidi supra, ut nec ubique, nec diu id in Ecclesiis factum sit; alterum negare me , mecumque quidquid est Christiani , et catholici nominis uspiam terrarum ; solos asseverare Catharos, et Salmasios.

Judicii absentiæ.

II. Ut igitur singulorum episcoporum successiones in plerisque civitatibus ab Apostolorum ætate ductas, memoriæque mandatas falsitatis arguat, ita ratiocinari est aggressus : Si verum est, episcopos unicuique ecclesiæ singulos præsedisse, necesse est primos in serie vel Apostolos fuisse, vel ab Apostolis constitutos ; non enim aliunde propagari successio ejusmodi potuit. At neutri singulis ecclesiis præfuerunt. Hoc vero, in quo caput, ac summa rei vertitur, eo probare studet, quod illi nullo in loco uspiam terrarum pedem figebant, sed huc et illuc ex officio cursitabant, neque certam sedem, aut episcopatum habebant.

Atqui hæc illius ratio et falsissima est, et antiquissimorum scriptorum auctoritate, ac testimonio convincitur ; et in illud qualecumque argumentum tractandum multum nugarum, et ineptiarum contulit. De quibus antequam singillatim dicere aggrediar, illud universe velim prudens apud se lector æstimet , quantum sit hominis istius in illa disputatione judicium, qui adversus certissimam , expressissimamque veterum testificationem de episcoporum serie jam inde ab Apostolis in quavis ecclesia constituta , nulla re alia, nisi commento suo, et conjectura nititur. Quæ si non frivola et inanis esset, si non eam communis ratio, et ipsa inventoris, et auctoris sui assertio convinceret, contra manifestum antiquitatis, de rebus sibi notissimis, et in conspectu pene positis asseverantis fidem valere nihil poterat. Ac si talia illius essent argumenta, quæ contra veterem historiam attulit, ut a nobis ea dissolvi non possent ; magis erat, ut nos illis respondere non posse fateremur, quam ut eorum causa rem adeo testatam, ac tam gravi auctoritate compertam in dubium revocare vellemus.

III. Ejusmodi enim istud est, de quo lectoris, uti dixi, prudentis arbitrium requirimus. Irenæus , qui Apostolorum propemodum ætate floruit, scribit singulis in

1 *Act.* xxv

ecclesiis impositos episcopos ab Apostolis fuisse; ab iisque propagatas deinde successiones recenset, numeratis, ac nominatim appellatis episcopis, qui alii post alios ordine præfuerunt in una urbe Roma; quod idem, nisi esset longius, in reliquis faceret, uti capite secundo supra meminimus: « Habemus, inquit[1], annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. » Idem et Polycarpum Joannis Evangelistæ discipulum, Smyrnæ in Asia episcopum constitutum esse ab Apostolis affirmat: « Et Polycarpus autem, ait, non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis, ecclesia constitutus episcopus; quem et nos vidimus in prima nostra ætate, multum enim perseveraverat, et valde senex gloriosissime, et nobilissime martyrium faciens, exivit de hac vita[a]. » Ecce constitutum ab Apostolis ait episcopum Smyrnæ Polycarpum, ut et Romæ ab Apostolis Linum, supra dixerat. Negat vero Catharus Salmasius, et qui singulares Apostolorum ætate factos esse alicubi dicit episcopos, errare ipsum ait ac decipi. Eligat Lector, utri fidem adhibere malit, an Salmasio, viro incomparabili, et qui in multis, quos hactenus edidit, libris, præsertim in *Solinianis commentariis*, nihil unquam falsi docuit; an Irenæo, Eusebio, Optato Milevitano, Hieronymo, Augustino, antiquitati denique toti Christianæ, quæ in ecclesiis singulis episcopos sedisse singulos memoriæ tradidit, idque auctoribus esse factum Apostolis. De hoc igitur utris potius credat, etiam atque etiam videat Lector. Nonne vel hoc serio proponere; vel in eo, quid magis sequi debeas, hæsitare ridiculum est, quantumvis difficilia, et invicta pro se argumenta unus ille contra tot antiquos Salmasius opponeret? Quid nunc ergo facimus, cum tam futilia, tam inepta sint, quæ ad opinionem suam fulciendam iste commentus est? quod deinceps in sequentibus ostendam.

IV. Apostolorum duo genera constituit Salmasius[2]. Nam alios primos, alios secundos facit. « Primi a Christo missionem suam acceperunt, immediate ab ipso missi; quos et *veros* » alibi vocat. « Secundi ab ipsis Apostolis. Hi secundi Apostoli quasi coadjutores, et συνεργοὶ fuere Apostolorum in ædificandis ecclesiis; in quibus ex præcepto et mandato eorum, a quibus mittebantur, presbyteros, eosdemque episcopos constituebant. » Primum illud haud satis accurate, quod majores illos, ac « veros Apostolos immediate ab ipso Christo missos » ait. Certe Paulus Apostolus unus ex veris, ac primariis Apostolis fuit. *Nihil enim minus fuit ab iis, qui erant super modum Apostoli*[3]. Quod et Salmasius agnoscit, dum et, tanquam uni ex magnis, συνεργοὺς, et secundarios assignat Timotheum, Titum, Linum, et Clementem. At ille missus non est immediate ab ipso Christo, quo jam mortuo provectus est in Apostolatum; et, si Chrysostomum audimus in Apostolum ordinatus est ab inferioribus et συνεργοῖς illis. Nam ad illa verba capitis *Actorum* decimi tertii[4], *Segregate mihi Barnabam, et Saulum in opus, ad quod assumpsi eos*; Chrysostomus hæc adnotat: « Quid sibi vult, *Segregate mihi ad opus?* Nempe ad Apostolatum. Rursus vide, a quibus ordinetur. A Lucio Cyrenæo, et Manae, sive potius a Spiritu. Nam quo personæ sunt inferiores, eo manifestius apparet gratia Dei. Ordinatur itaque in Apostolatum, ut cum potestate prædicaret[b]. » Deinde quærit, quomodo verum sit, quod Paulus ipse scribit, se *neque ab hominibus, neque per homines* Apostolum esse factum[5]; et respondet, ideo *per homines* negare se factum, *quia non ab homine missus est, sed a Spiritu*. Ita Apostolus quidem ordinatus est, et manus illi ad Apostolatum imposita est ab hominibus; non tamen ab his missus est ad exercendum Apostolatum, sed a Spiritu sancto, ut arbi-

Apostolorum duo genera ab hæreticis constituta exploduntur.

Coadjutores

Coadjutoribus.

a Iren. apud Euseb. lib. IV *Hist.* cap. XIV. Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων· μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν· ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος· ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ. ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος ἦν, ἐνδόξως, καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου.

b Chrys. hom. XLVII *in Acta.* Τί ἐστιν, ἀφορίσατέ μοι εἰς τὸ ἔργον; εἰς τὴν ἀποστολήν. ὅρα πάλιν ὑπὸ τίνων χειροτονεῖται. ὑπὸ Λουκίου τοῦ Κυρηναίου, καὶ Μαναή· μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοῦ πνεύματος. ὅσῳ γὰρ τὰ πρόσωπα ἐλάττονά ἐστι, τοσούτῳ γυμνοτέρα ἡ τοῦ Θεοῦ φαίνεται χάρις. χειροτονεῖται λοιπὸν εἰς ἀποστολὴν, ὥστε μετ' ἐξουσίας κηρύττειν.

Ibid. Τὸ δὲ δι' ἀνθρώπων, ὅτι οὐχ ὑπὸ τοῦδε ἐπέμφθη, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ πνεύματος.

1 Iren. lib. IV, cap. III. — 2 Cap. V. — 3 II *Cor.* cap. II. — 4 *Act.* XIII, 2. — 5 *Gal.* I.

tratur Chrysostomus. Utrum vere, an secus ita senserit, nihil ad rem pertinet. Hoc enim satis mihi est, non putasse Chrysostomum, ad veri, et summi Apostolatus ordinem adipiscendum opus esse, ut immediate ab Christo constituerentur.

V. Etenim missionis nomine, quam Salmasius ab Christo veros accipere ait Apostolos, oportuisse puto si sapit, traditionem potestatis, et ordinationem potius intellecturum, sive κατάστασιν, qua potestatis fiunt compotes, et eam habent, tametsi non exerceant, quam temporariam aliquam destinationem, cum ad certum locum ire jubentur. Sed sive hoc, sive illo modo *missionem* accipiat, utrobique convincitur. Nam neque Paulus ab ipso Christo *immediate* ordinatus est Apostolus; neque Matthias, qui inter summos Apostolos in locum Judæ traditoris est ascitus. Cujus exemplum fauces pervicaciæ præstringit, ut de Barnaba taceam, qui Apostolus et ipse censetur. Sin missionem esse malit, qua ad certi temporis functiones obeundas passim allegabantur Apostoli; multo minus error illius excusabitur. Quippe Petrus [1], et Joannes Hierosolymis ad Apostolicum munus exercendum missi sunt ab Apostolis Samariam. Missi quoque ab Apostolis [2], et senioribus Barnabas, et Paulus Antiochiam magnis de rebus, et Apostolica auctoritate dignis.

E contrario Ananias [3], qui in Apostolis secundi ordinis ab Salmasio numeratur, ab ipsomet Christo immediate ad Paulum baptizandum, instituendumque mittitur. Philippus vero Diaconus a Deo per Angelum ad eunuchum Æthiopem [4], non utique primoribus ab Apostolis; quod tamen necessarium esse credit Salmasius ad secundæ notæ Apostolatum. Usqueadeo circumretita, et implicata illius inscitia tenetur, ut quocumque se vertat, nihil ei nisi præcipitium occurrat. « Ejusmodi est, ait Gregorius Nazianzenus, rationis expers, et ad oppugnandam veritatem obfirmata temeritas, ut qui ea laborant, ne tum quidem, cum in seipsos incurrunt, vel intelligant, vel pudore suffundantur [a]. »

Antonius de Dominis et Casaubonus confutantur

VI. Operæ pretium est, quoniam in hunc de Apostolis sermonem incidimus, duorum ex eodem grege Romanæ communionis hostium opiniones excutere. Id enim ad illustrandam nostram hanc disputationem imprimis attinet. Sunt autem hi duo, Marcus Antonius de Dominis ex episcopo Spalatensi, et Isaacus Casaubonus. Prior in libro primo *de Republica Ecclesiastica*, Apostolatum ita describit, ut nuda prædicandi Evangelii, et baptizandi functione definiat. « Habemus itaque, ait [5], Apostolis nihil aliud datum, nihil commissum, nisi purum ministerium fidei Christi, per Evangelii prædicationem ministerialiter, et non potestative propagandæ, et per baptismi usum salutarem. »

Casaubonus vero in *Exercitationibus* [6], quas adversus Baronii Annales edidit, illum redarguit, tanquam Apostolicam dignitatem nimis exiliter, ac jejune circumscripserit, quod eodem fere modo, ac Marcus ille Antonius, officium illorum in sola prædicatione posuerit. Verba Baronii [7], « Apostolos ea de causa elegit Christus, ut verbi prædicatione orbi caligine offuso lumen veritatis impartirent. » Quam *descriptionem propter multiplicem omissionem vitiosam esse* Casaubonus objicit. Sed stulta, et iniqua est ista reprehensio. Nam Baronius non de plena, ac perfecta functione Apostolatus ibi loquitur, sed de quibusdam veluti rudimentis illius ac tyrocinio; nempe de eo tempore, quo primitus electi sunt a Christo, et ad Judææ quædam loca missi prædicandi duntaxat gratia. At idem ille censor Baronii largius peccat, dum veri Apostolatus subinde notas quatuor præscribit. Prima est, « ut a Christo immediate electi, et missi sint. » Secunda, « uti testes essent omnium, quæ vidissent. » Addit insuper « necessarium fuisse, ut quicumque esset futurus Apostolus, Christum in terris vidisset, atque earum rerum testimonium posset præbere, quarum ipse exstitisset αὐτόπτης. » Tertia est, quod per totum orbem prædicandi Evangelii gratia destinati sunt. Quarta est, « potestas, et dignitas longe major, et augustior, quam ulli unquam alii functioni spirituali fuerit attributa. »

Oculatus testis

VII. Ex iis quatuor notis conditionis Apostolicæ priores duas usurpavit Salmasius. Sed uterque longius aberrat. Ostendimus enim paulo ante, nihil hoc necesse fuisse, ut immediate ab Christo electus esset Apostolus, aut missus; quod in Matthia saltem falsum esse

a NAZIANZ. cit. a Damasc. *in Eclogis* litt. A, tit. LXI. Τοιοῦτον ἡ ἀλογία, καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπομάχεσθαι· ὡς μηδὲ περιπίπτοντας ἑαυτοῖς ἢ νοεῖν, ἢ αἰσχύνεσθαι.

1 *Act.* VIII 14. — 2 *Act.* XV, 22. — 3 *Act.* IX, 10. — 4 *Act.* VIII, 26. — 5 Cap, II, num 20, — 6 Exerc. XIV, num 5. — 7 Baron. ann. XXXII.

liquet. Secunda vero conditio magis etiam est inepta, oportuisse, ut verus Apostolus Christum in carne viderit, et αὐτόπτης fuerit, id est *oculis suis viderit* ea, quorum testimonium præberet. Hoc enim constituto, Paulus non erit Apostolus, qui Christum in terris non vidit; nec ea testificatus est, quæ ipse viderat, sed quæ auribus acceperat. Ideo cum ad Judæos in synagoga verba faceret [1], ac Jesum esse Christum, et Messiam probaret Antiochiæ Pisidiæ, testes illos nominat, qui viderant illum post resurrectionem, *qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.* Ac *vidisse quidem se Christum Jesum Dominum* ait [2]: sed non *in carne, vel in terris.* Quo loquendi modo, inter homines homo degens, et nondum translatus in cœlum, communi usu significatur. Sed nec illa omnia vidit, quæ de Christo prædicavit. Quare incredibilis est, quod nemo non fatebitur, hallucinatio ista Casauboni, et qui hunc secutus est, Salmasii.

VIII. Nos, omissis istorum. nugis, duas tantummodo veri, ac primarii Apostoli notas afferemus. Prima est, ut sive hominum ministerio, sive *immediate* ab ipso Deo constituti, et ordinati, munus acceperint Evangelii ubique terrarum propagandi, quod apud Joannem Dominus ita demonstrat [3]: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et apud Marcum [4]: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Tum *Actorum* primo: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Altera conditio est, ut plenam ac perfectissimam ubique terrarum potestatem habuerint ligandi, atque solvendi, ecclesias instituendi, episcopos, et clericos ordinandi: denique ut episcopi totius orbis essent. Sed ea tamen ratione, ut infinita illa potestas in ipsis extraordinaria, in Petro vero ordinaria, et in ejus successores derivanda fuerit. Quod recte Bellarminus docuit [5]; et Victor Carthaginensis episcopus parem in omnibus Apostolis fuisse potestatem indicat in epistola synodica *ad Theodorum Papam*, quæ in Lateranensi prima synodo lecta est sub Martino primo [6]: « Ad quam, inquit de Christiana fide loquens, omnes beatissimi Apostoli, pari honoris, et potestatis consortio præditi, populorum agmina convertentes, » etc. Nec interim dubitandum est, in pari et amplissima illa potestate, suum Apostolo Petro constitisse *primatum*, ut eum nominat Cyprianus [7]. Ob quem princeps Apostolorum communi Patrum elogio nuncupatur; de qua re alias dicetur.

IX. Præter hos majorum, ut ita dixerim, gentium, ac proprie dictos Apostolos, in quos solos notæ illæ, proprietatesque competunt, eodem appellati nomine, inæquali tamen et dignitate, et potestate fuerunt minoris ordinis Apostoli, hoc est discipuli cæteri Christi, vel Apostolorum, qui, quod idem importandi ubique Evangelii munus obirent, sive instinctu Spiritus sancti, sive majorum auctoritate Apostolorum ac mandato, Apostoli et ipsi vocati sunt. Theodoretus Pauli verba ista declarans [8]: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas*, etc. observat, « non solos dici duodecim, sed et septuaginta, et eos omnes, qui eamdem postea gratiam consecuti sunt [a], » ut inter alios Epaphroditum Philippensium episcopum [9]. Chrysostomus quoque, quod Paulus *ad Corinthios* scripsit, Christum apparuisse Jacobo [10], deinde *Apostolis omnibus*, per Apostolos septuaginta discipulos significari putat [b]. Œcumenius non omnes istos, sed quosdam eorum, quibus similis, atque veris Apostolis, erat commissa functio. Multum tamen ab primariis Apostolis distabant, non missione, sed potestate; non enim omnia poterant, quæ majores Apostoli. Philippus unus ex septem diaconis [11], cum Christianam fidem longe lateque prædicando circumtulisset, et Samaritanos baptismo initiasset, Spiritum sanctum iisdem dare per impositionem manuum non potuit. Itaque profecti eo sunt Apostoli, qui hoc sacramento illos impartirent. Ita vis omnis Apostolatus, et οὐσιώδης proprietas, ac τὸ τί ἦν εἶναι, non in missione, aut in prædicandi officio consistebat, sed in jure, ac potestate, sive a Christo *immediate* tradita, sive per hominem, et impositione manuum accepta. Utroque enim modo potestas illa est a Deo; quemadmodum in sacramentis omnibus interventu hominum, ac ministerio divina vis operatur, et ad Deum, tanquam ad auctorem, causamque primariam efficientia omnis illorum refertur.

Essentialis. *Quidditas.*

a Theodor. *in Comm.* Οὐ μόνον λέγει τοὺς δώδεκα, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἑβδομήκοντα, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα τῆς χάριτος ταύτης τετυχηκότας.

b Chrys. hom. xxxviii, in I *ad Cor.* Ἦσαν γὰρ καὶ ἄλλοι Ἀπόστολοι, ὡς οἱ ἑβδομήκοντα.

1 *Act.* xiii, 31. — 2 I *Cor.* iv. — 3 *Joann.* xx, 21. — 4 *Mar.* xvi, 15. — 5 Lib. I *de Rom. Pont.* cap. xii. — 6 Secr. II tom. IV conc. — 7 Lib. *de unit. Eccl.* — 8 *Cor.* xii, 28. — 9 *Phil.* ii, 25. — 10 I *Cor.* xv, 28. — 11 *Act.* viii.

CAPUT VI.

De falsa Apostolatus nota ab Salmasio tradita; ut nusquam certo in loco pedem figerent Apostoli. Ea multis argumentis refellitur. Neque Apostolos ex vi nominis, et officii sui necessario vagari: neque episcopos una in urbe defixos teneri. De Apostolis secundi generis ab eodem Salmasio allata confutantur. De Jacobi Apostolatu, et episcopatu obiter actum.

I. Constituta hunc in modum Apostolatus propria conditione, et ab Catharorum præstigiis explicata, multiplex in illo declarando Salmasii lapsus, velut infusa luce detegitur, ac sponte in omnium incurrit oculos. Ex innumeris autem erroribus, quibus singulæ propemodum dissertationis illius refertæ sunt paginæ, primus ille procedat in medium, in quo præcipuum robur argumentationis suæ collocasse videtur. Certe hoc velut fundamentum jecit, cui totam disputationis machinam superstrueret. Apostolatus igitur id esse proprium censet, vagari, et huc illucque discurrere, neque in certo loco consistere. « Apostolatus, inquit [1], ex vi nominis, et officii sui ambulat, et vagatur. Episcopatus proprie sumptus, stabilis est, ac fixus. » Quo tanquam principio posito, concludit, Apostolorum ætate neminem ulla in ecclesia singularem episcopum fuisse, sed presbyteros, et eosdem episcopos numero complures, qui rem in commune curarent; indeque successionum illarum, quarum ex antiquis auctoribus seriem accepimus, fidem elevare conatur. « Hæc enim, ait [2], Apostoli propria missio, ac vocatio, ex ipso nomine munus ejus, et officium testificans, quo sedes uno in loco figere non debent, sed orbem peragrare, et perlustrare, ad Dei verbum prædicandum, et Evangelium prædicandum. Hinc factum, ut qui fixam, stabilemque sedem in aliqua provincia, vel civitate haberent, populoque ejus provinciæ, vel civitatis docendo vacarent, nec alio vagarentur, Apostolorum nomine vix essent nuncupandi. » Hanc etiam fuisse causam existimat, cur « Jacobus Domini frater, et Apostolus, quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit, episcopus a veteribus appellatus est. « Imo » hac eadem de causa Joannes, inquit, qui nec ipse orbem obambulavit, prædicandi Evangelii gratia, sed uno in loco manens, ac præsens præsentibus illud exposuit, πρεσβύτερον se potius, quam Apostolum inscripsit. » *Presbyterum.*

II. Quocirca peculiarem hanc Apostolatus utriusque tam majoris, quam minoris, notam Salmasius pro suo jure statuit, ut nusquam certo in loco consistant Apostoli, sed vagandi, errandique finem nullum faciant. Quod commentum et ipsum per sese ridiculum est, ac frivolum; et quas eidem fulciendo conjecturas adhibet, eæ mendacissimæ sunt, ac sine ullo plane judicio confictæ. Quis illum docuit, Apostolo nefas fuisse, *sedem uno in loco figere?* Unde habet, neminem Apostolum fuisse, neque majorum gentium, neque secundi ordinis, *qui non orbem peragraret, et perlustraret?* Aut *eum Apostolum vix nuncupandum fuisse, qui fixam in aliqua provincia, vel civitate sedem haberet?* Sane hæc commentitia sunt.

Christus ex numero discipulorum elegit duodecim, *quos et Apostolos*, inquit Lucas [3], *nominavit.* Usitatum hoc erat vocabulum apud Judæos, qui Hebraice שלותין, vel שליתין appellabant certis officiis, ac ministeriis destinatos; nempe qui vel cum mandatis aliquo mitterentur, vel ad curationem aliquam, et functionem obeundam. Cujusmodi legatos, vel nuntios Romanus pontifex sæpe mittere consuevit. Hujusmodi *missorum* crebra est in *Digestis Talmudicis* mentio. Post excidium urbis Hierosolymitanæ, Judæi per orbem dispersi, et in *lacinias* divisi, et ἀποδασμοὺς, suos habebant Patriarchas. Horum assessores Apostoli dicebantur. Epiphanius in hæresi xxx, de Josepho Comite: « Hic Josephus, inquit, ex illorum erat ordine, qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent. Qui secundi sunt a Patriarcha, et Apostoli nominantur. Continue adsunt illi Patriarchæ, et cum eo sæpius diu, noctuque versantur, quod eidem a consiliis sint, ac de iis ad illum referant, quæ ad legem per-

1 Salm. cap. iv. — 2 Ibid. cap. i. — 3 *Luc.* vi, 13.

tinent[a]. » Nomen illis inditum videtur, quod ad synagogas ordinandas identidem mittebantur, et ad decimas et primitias a provincialibus Judæis exigendas, ut idem paulo post scribit Epiphanius[1]. « Qui ad exigendum aurum, atque argentum, a Patriarcha certo tempore diriguntur, » ait Codex Theodosianus[2]. De his vide, quæ in *Animadversionibus ad Epiphanium* adnotamus[3].

Quænam Apostoli officio contineantur.

III. Quo primum tempore Christus Apostolos elegit, ac misit, nonnisi ad prædicandum Evangelium ire jussit, tanquam nuntios, et anteambulones, sine ulla curatione, aut præfectura. Proprie ergo et φερωνύμως ἀπόστολοι, id est *nuntii*, vel *missi* tunc vocati sunt. Neque tamen hoc in munere, ac gradu sistere illorum dignitatem voluit. Sed eos jam tum ad majora quædam destinabat, ut illo perfuncti velut tirocinio, et experimento amplissimam potestatem, et spiritualem in omnes fideles jurisdictionem acciperent, quæ post resurrectionem iis est ab Christo tributa, quando non prædicandi solum, id est nuntiandi per totum orbem Evangelii mandata illis est provincia, sed etiam spiritualis exercendæ potestatis, baptizandi, remittendi peccata, ligandi, atque solvendi, Ecclesiæ denique ubique terrarum collocandæ, ac regendæ, certisque legibus, ac ritibus ordinandæ. Hæc enim omnia Apostoli officio continentur, cum ab sola missione nomen illud petitum videatur. Quanquam *missio* ista sic intelligi, explicarique potest, ut sit injunctio quædam muneris ac functionis, etiam, si ita res tulerit, statariæ. Mittebantur enim non solum ut ambularent ipsi, et huc illucque cursitarent, si negotii gerendi opportunitas id postularet; sed etiam ut, si magis expedire videretur, uno in loco consisterent; quemadmodum Paulus triennium Ephesi[4], ac vicinis in locis hæsisse legitur. Nec minus appellari *missi* poterant, si in una civitate, aut provincia perpetuo manerent, quam si varias et longinquas regiones peragrarent. Non enim *missio* illa tam loca respicit, quam muneris gestionem, quam perinde una in provincia exequi poterant, ut in diversis, ac procul dissitis. Nam quod Christus ire ad omnes gentes illis imperavit, et in mundum universum proficisci; nemo tam vecors sit, qui hoc mandatum ad singulos pertinere putet; alioqui nemo illorum vel Christi præceptum implesset, vel Apostolus reipsa fuisset. Nisi forte civitates omnes, aut provincias, loca denique terrarum omnia singulos adiisse, ac perlustrasse credibile est. Quod adeo manifeste est absurdum, ut quamplurima esse regna constet, ac terræ spatia, quo nec Apostolorum, nec longe post illorum obitum Christianorum quispiam penetravit.

Apostoli ex officio non necessario vagantur.

IV. Ire ergo jussi sunt in mundum universum, eo videlicet sensu, ut plena, et sine loci ullius, ac gentis exceptione, prædicandi ubique, et ad fidem adducendi potestas fieret; non ut olim ad certum populum Prophetæ mittebantur, ut Chrysostomus observat, tum ut Apostoli ipsimet initio ad oves solas Israeliticæ domus allegati sunt[5], interdicto gentilium, et Samaritanorum aditu. Quod si quis nullam non orbis plagam ab aliquo saltem Apostolorum peragratam esse finxerit, nihilominus neque singulas obiere singuli, et Christi præceptum illud non ab unoquoque singillatim, sed ab omnibus collectim, universeque perfectum fuerit; ac falsum erit denique, vi illa Dominici mandati nusquam Apostolos hærere permissos. Certe Apostoli Judæorum illi, qui Patriarchæ præsto erant, et ἀπόστολοι censebantur, et a Patriarchæ tamen latere non discedebant, sed in eadem cum eo urbe morabantur, nisi cum ab ipso ad certi temporis functionem gerendam peregre mittebantur, προσεδρεύουσι, inquit, τῷ πατριάρχῃ, quod est, *continue adsunt*, *affixi sunt Patriarchæ*. Quemadmodum episcopi certo in loco diœcesis suæ sedem collocant, etsi ad eam lustrandam, et invisendam ordinandamque passim per oppida discurrunt; quod proprie est ἐπισκοπεῖν, hoc est *inspicere*. Hoc enim nonnisi ab coram intuentibus, ac præsentibus potest fieri. Itaque cum episcopus non unius tantum urbis, in qua sedem habere dicitur, sed totius etiam συνόδου, vel diœceseos suæ sit episcopus; cur in vocabulo potius τοῦ ἀποστόλου, quam τοῦ ἐπισκόπου, illud inesse Catharus existimat, ut

Apostoli quam episcopi.

a Epiph. hær. xxx, num. 4. Οὗτος γὰρ ὁ Ἰώσηππος τῶν παρ' αὐτοῖς ἀξιωματικῶν ἀνδρῶν ἐναρίθμιος ἦν· εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην Ἀπόστολοι καλούμενοι. προσεδρεύουσι δὲ τῷ πατριάρχῃ, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις καὶ ἐν νυκτὶ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμβουλεύειν, καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον.

1 Num. ii. — 2 Lege XIV *de jud.* — 3 Ad hæres. xxx. — 4 *Act.* xx, 31. — 5 *Mat.* x, 6.

nullibi sedes certa constituatur, sed huc illucque cursitetur? Num episcopus longissime dissitas interdum ab illa urbe, cujus est Præsul, regiones inspicere non potest, si non *extra eam urbem pedem movet?* Satin' putidum est ob id Jacobum dicere, non Apostolum esse nominatum, sed episcopum, *quod Hierosolymis non abstitit,* neque Nomadum more passim est vagatus? An non Jacobus diœcesim suam, si urbis illius episcopus fuit, ut fuit revera, et fuisse ab Salmasio dicitur, *inspiciendi* causa peragravit? Hoc si non fecit, nihilo magis episcopus dici meruit, qui non *inspexit*, quam Apostolus, qui non excurrit. Quanquam in Apostoli nomine nulla vagandi, aut sine certa statione currendi notio est; in episcopi propria est *inspectionis*, quæ nulli satis convenit, qui non in rem præsentem venerit. Itaque insignis est stupor. Sed de Jacobo postea pluribus.

V. De Joanne vero quid dicam? Hunc enim Apostolum et fuisse revera, et appellatum esse quis neget? Et « is tamen non orbem obambulavit prædicandi Evangelii gratia, sed uno in loco manens, ac præsens præsentibus illud exposuit, » ut scribit Salmasius ex Œcumenii *Scholiis;* qui causam hanc reddit, cur se Joannes in epistola secunda presbyterum, non Apostolum inscribat. Sed neuter est audiendus. Etenim cujusmodi tandem istud est? « Præsens, inquit, præsentibus Joannes exposuit Evangelium, » quod tanquam contrarium opponitur ei, « quod est orbem obambulare prædicandi Evangelii gratia, » quod fecerunt cæteri. Ridicule vero. Sume enim ex Apostolis, quem voles ambulatorum, ac vagantium. Paulus ecce, quibus prædicabat Evangelium, num aliter, quam *præsens præsentibus exponebat?* Ephesiis, ut jam dixi, et Asianis triennio prædicavit coram, ac præsentibus præsens. Corinthiis item, et Thessalonicensibus, ac Philippensibus; Atheniensibus etiam, etsi obiter, *præsens certe præsentibus* prædicabat Evangelium, Quid igitur Jacobus meruit, aut Joannes, cur minus cæteris vel haberentur, vel nominarentur Apostoli? Melius idem Œcumenius Joannem ait πρεσβύτερον appellare se vel propter ætatem, vel quod πρεσβύτερος tunc episcopus etiam diceretur, tanquam se vocaret episcopum. Sed prior ratio magis arridet, ut ad honestam, et charam sibi matronam, cui fortassis Electa nomen fuit, familiariter scribens, *Seniorem* se potius appellarit, quam alio vocabulo, quod auctoritatem præ se ferret. Verum, sepositis conjecturis, quid, sodes, affert argumenti, ut illud suadeat, in quo cardinem, ac summam constituit ariolationis suæ, neminem Apostolum certo in loco sedem sibi fixisse?

Presbyterum. Presbyter.

VI. Joannem certe, nisi risu omnium, et conviciis obrui malit, Apostolum, et quidem ex primariis, fuisse diffiteri non potest. Hunc porro in uno loco constitisse, item etiam affirmat. Quanquam si, unde hoc habeat, de illo percontere, nihil erit, quod respondeat. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* scribit[1], Joannem a Domitiano relegatum in insulam Patmon, inde sub Nerva rediisse Ephesum. Antequam vero in eam insulam deportaretur, Romæ illum fuisse, ibique *in oleum igneum demersum* fuisse, testis est Tertullianus[2], ex eoque Hieronymus[3]. Ephesum ab exilio reversus, « ibi usque ad Trajanum principem perseverans, totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias, » ut idem refert. Quod sane tempus commorationis Asianæ non longum fuit. Itaque, cur se presbyterum, non Apostolum vocet, non est illa certa causa, quam Salmasius affert, *quod uno in loco maneret*. Verum demus illi hoc ultro, quod probare non potest; certe vehementius ex eo ipso revincetur. Nam si unus ex Apostolis *uno in loco mansit* indeque *totas Asiæ fundare*, *ac regere* potuit ecclesias; cur non idem et alii facere potuerunt, saltem secundi ordinis Apostoli, qui ex discipulis fuerunt, aut majorum Apostolorum συνεργοὶ, quo in numero Jacobum Hierosolymorum primum episcopum reponit? Habet igitur, quod se invenisse negat, quemadmodum episcoporum singulis in civitatibus singulorum series, ac successio et inchoari ab Apostolorum tempore, et deinceps propagari potuerit. Nec ei jam obstat Apostolorum illa cursitatio, cum ex secundis saltem Apostolis aliqui certis in sedibus hærere, collocarique potuerint.

Joannis exemplum Ephesi commorantis.

Coadjutores

VII. Sed ut accuratius, et subtilius cum portento erroris isto certemus, age posterius genus Apostolorum constitutum ab illo videamus. « Hi secundi Apostoli, inquit, quasi coadjutores, et συνεργοὶ fuere Apostolorum in ædificandis ecclesiis, in quibus ex præcepto, et mandato eorum, a quibus mittebantur, presbyteros, eosdemque episcopos constitue-

1 Cap. XIX. — 2 Lib. *de Præser.* cap. XXXVI. — 3 Lib. I *cont. Jovin.* et Com. ad cap. XX *Math.*

bant. Tales fuere Paulo Timotheus, Titus, Linus, etiam Clemens. » Hos secundos Apostolos, quos majorum *coadjutores* vocat, nego omnes ab Apostolis primariis fuisse missos, quod ex capite antecedente constat; in quo demonstravimus, nec omnes primi ordinis ab Christo ipso missos, vel ordinatos Apostolos, et complures secundi, non ab Apostolis, sed ab Christo missos fuisse. Ut de Philippo, ac septuaginta discipulis ibi dicta non repetam, Apollo unus secundorum illorum [1], si quis alius, fuit, vir doctus, et Scripturis apprime versatus, et *fervens spiritu*, qui Evangelium studiose prædicabat adeo, ut in hoc prædicandi officio cum magnis Apostolis, ac Paulo etiam ipso certaret, et in ecclesia Corinthiorum illi auctorem illum fidei suæ præ se ferrent, alii Cepham, alii Paulum [2]. Et Paulus ipse *Ego plantavi*, *Apollo rigavit*, *Deus autem incrementum dedit* [3]. » Hunc tamen neque a Paulo, neque ab ullo Apostolorum altero missum esse possis ostendere. Imo ab ipso Deo esse destinatum Paulus significat, cum de eo sic scribit : *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus*, *cui credidistis*, *et unicuique sicut Dominus dedit* [4]. » Quinetiam ita in Pauli Apostoli potestate non fuit : quales esse *coadjutores* illos Salmasius docuit; ut ne multum quidem roganti illi auscultare vellet. *De Apollo autem fratre*, inquit, *multum rogavi eum*, *ut veniret ad vos cum fratribus*; *et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret. Veniet autem quum ei vacuum fuerit* [5].

VIII. Ex istorum συνεργῶν, et, ut Salmasius loquitur, *coadjutorum* grege Jacobum primum Hierosolymorum episcopum fuisse placet eidem, ac proinde Apostolum esse nominatum; nam *coadjutores* isti vocabantur Apostoli. Quorum ideo proprium « ex ipso nomine munus, et officium *erat*, sedes in uno loco non figere, sed orbem peragrare. » « Hi συνεργοὶ Apostolorum, ait Salmasius, qui et Apostoli quodammodo eorum, nulli civitati erant affixi, et addicti, sed pro arbitrio Apostolorum, quibus ad hoc munus subserviebant, in varias civitates mittebantur. » Qui ejusmodi non erant, ut ultro citroque peregrinarentur, sed in statione certa residebant, vix Apostolorum nomine censebantur. Atqui Jacobus iste ipse neque peregrinabatur, sed uno in loco manebat, Hierosolymis affixus, ut Salmasius dejerat, (quod an verum sit postea videro) et tamen Apostolus passim, atque insigniter nominatur. Paulus certe scribens *ad Galatas* Apostolum hunc vocat [6], et quidem unum ex primoribus: *Jacobus*, inquit [7], *et Cephas*, *et Joannes*, *qui videbantur columnæ esse*, *dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis.* » Cur autem Apostolus dicitur, si Apostolus non fuit? Non fuit autem, si eo caruit, quod Apostoli proprium est, et sine quo Apostolus esse nemo potest. « Propria est, inquit, Apostoli missio, ac vocatio, sedes uno in loco non figere; quo fiebat, ut qui fixam, et stabilem sedem alicubi haberent, nec alio vagarentur, Apostolorum nomine vix essent nuncupandi. »

De Jacobi Apostolatu et episcopatu agitur.

IX. Quid causæ est igitur, cur Jacobus, qui quod proprium Apostoli erat, non habuit, Apostolus tamen vocatus est, et quidem a Paulo, qui vim illius nominis, et officii nec ignorare potuit, nec ei falso debuit imponere? Atqui Timotheum, Titum, Linum, Clementem, quos in eodem cum Jacobo τῶν συνεργῶν, et *coadjutorum*, hoc est Apostolorum secundi ordinis numero Salmasius reponit, nusquam Apostolos nominavit. Age novo se aliquo commento, si potest, iis angustiis explicet Salmasius; et quos ipse sibi laqueos innexuit, eos solvat, aut abrumpat. Timotheus, Titus, et cæteri itidem, ut Jacobus, Apostoli fuerunt; imo vero meliori, quam hic, illi jure censentur, utpote qui nominis, et officii fidem impleverunt; nec in uno constiterunt loco, sed passim sine certa sede vagati sunt, quod Jacobus non fecit, et idcirco *vix Apostoli nomine nuncupandus* fuit; ut est opinio Salmasii. Potin' ergo comminisci causæ aliquid, cur Paulus Timotheum, ac Titum, quos tam sæpe commemorat, ad quos epistolas etiam scripsit, ne semel quidem Apostolos vocavit, cum id sibi ipse perpetuo nomen assumeret, idem Jacobum vix illo dignum nomine, et Apostolum nuncupavit, et inter principes ejus nominis, atque ordinis recensuit? Sed conflictum et jactationem sic, quasi temulenti capitis in Jacobo illo, vide, lector, et ride potius, quam mirare. Jacobum fratrem Domini *vix Apostoli nomine nuncupandum*, propterea dicit « Episcopum a veteribus appellatum, quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit. » Nempe quia Apostoli est currere, quod ille non fecit; episcopi vero est statariam agere. Etsi ridicula ista sunt, et falsa, tamen

1 *Act.* XVIII, 24. — 2 I *Cor.* I, 12. — 3 Ib. cap. III, 6. — 4 Ib. III, 5. — 5 I *Cor.* XVI, 12. — 6 *Gal.* I, 19. — 7 *Gal.* II, 9.

porro videamus. Paulum deinde refert *ad Galatas* scribentem, *Jacobum Apostolum vocasse, non episcopum*. Si seipsum refellere, ac mendacii convincere vellet, num aliter disputaret? Quid enim hoc posterius aliud ostendit, quam id esse falsum, quod ante dixit; Jacobum ob id episcopum vocatum esse, *quod vix Apostoli nomine nuncupandus esset*?

X. Ecquis vero est veterum, quos nominat, qui Jacobum « ideo episcopum appellare se significaverit, quod Hierosolymis non abstiterit, neque quoquam extra eam urbem pedem moverit? » Quis hoc unquam illorum dixit? Dixit autem? Nonne constanter illum Apostoli nomine omnis antiquitas Christiana celebravit? Clemens Alexandrinus apud Eusebium Jacobum istum cognomento *Justum* inter primos Apostolos collocat. Epiphanius hæresi XXIX itidem sentit. Et Chrysostomus, Græcique omnes interpretes, qui epistolam Pauli *ad Galatas*, vel *Apostolorum Actus* enarrarunt. Hieronymus item in commentario in epistolam ad Galatas, et in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, non alium ab Paulo commemorari Apostolum, quam fratrem illum Domini cognomento Justum asserit, et Hierosolymorum episcopum. Quinam ergo vix Apostoli nomine nuncupandus ille Salmasio videtur, quem nemo non antiquorum, qui quidem alicujus nominis sit, Apostolum vocavit?

XI. Nam quod episcopus a veteribus appellatus est, num eo minus aut Apostolus fuit, aut ab illis ita dictus est? Illi ipsi veteres, qui episcopum appellant, nonne Apostolum nominarunt? Non igitur propterea nomen illi tributum est episcopi, quod « Apostoli nomine vix nuncupandus esset, aut quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit. » Quid enim commento hoc obtusius? Ecquid in episcopi appellatione est, quod eum uno in loco, una in urbe, velut *Scythica religatum in rupe Prometheum*, ac defixum teneat ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις; atqui ob id episcopum dici Jacobum ab antiquis illis putat, quod non extra urbem discurreret, quasi episcopus non omnem diœcesim suam, et omnia ejus oppida pervagari, et obire necesse habeat, quod supra memoravi. Unde autem de Jacobo ista illi oblata divinatio est, non solum Hierosolymis nunquam abstitisse, sed etiam extra diœcesim suam, nusquam vel ad tempus abiisse? Non enim episcopi primis illis temporibus sic una in urbe considebant, ut non interdum alio sese conferrent, quocumque illos charitatis officia vocabant, aut procurandi Evangelii ratio ire compelleret. Ac multo id consentaneum minus est persuasum isti fuisse, Jacobum nunquam Hierosolymis migrasse, qui hunc non episcopum ejusmodi fuisse credit, quales nominati postea sunt, hoc est certo in loco unicum, ac singularem, cujus propterea necessaria magis præsentia fuerit, sed unum de presbyteris, « eoque cœtu, cui Apostoli gubernandam ecclesiam Hierosolymitanam commiserant; » ut tanto facilius abesse, et primarium Apostoli munus exequi potuerit, hoc est ambulare, et per urbes ac provincias divagari ex instituto, ac præscripto Salmasii, qui nullum, nisi vagum, et erronem, jure Apostolum nominari patitur.

Adamantinorum vinculorum in infrangibilibus compedibus.

Sane Chrysostomus Timotheum ac Titum inter eos numerat, qui uni affixi loco, minime cursitarent. « Quid igitur? ait, an pastores et doctores minores fuerunt? Fuerunt plane iis, qui circumcurrebant, et evangelizabant, ii, qui sedebant, et in uno loco erant occupati, ut Timotheus, Titus[a]. » Hoc modo nutat illa Salmasiana ratio; Apostolorum professioni οὐσιῶδες hoc fuisse, uti nunquam certo in loco fixam sedem haberent.

Essentiale.

[a] CHRYS. hom. II, in epist. *ad Ephesios*. Τί οὖν; οἱ ποιμένες, καὶ οἱ διδάσκαλοι ἐλάττους; καὶ πάνυ τῶν περιϊόντων, καὶ εὐαγγελιζομένων οἱ καθημένοι, καὶ περὶ ἕνα τόπον ἐσχολημένοι, οἷον Τιμόθεος, Τίτος.

CAPUT VII.

De Jacobo Apostolo accuratius disputatur. Utrum Apostolus fuerit unus e majoribus, an, ut Catharo Trapezitæ visum est, e minoribus. Variæ Pauli profectiones Hierosolymam, ex quibus liquido probatur, Jacobum unum e summis, et quidem duodecim Apostolis fuisse. Eumdem primum fuisse Hierosolymorum episcopum.

Postulat institutæ disputationis series, ut de Jacobo, quem *minorem* vulgo nuncupant, ejusque tam Apostolica, quam episcopali dignitate nonnihil dicamus, ut et absurdæ de eo conjecturæ Salmasii refellantur, et ab ejus obtrectatione vindicetur argumentorum vis illorum, ac pondus, quibus ab Apostolorum ætate singulos præfuisse singulis ecclesiis episcopos in *Dissertationibus* ostendimus. Etenim ex illis probationibus validissima, et antiquitatis testimonio munitissima est, quæ ex episcopalium successionum laterculis sumitur, ab Apostolorum temporibus per insequentes annos continuata serie productis. Quarum successionum prima et antiquissima in Hierosolymitana ecclesia fundata est, principe illius episcopo pariter, et Apostolo Jacobo. De hoc igitur ante alios inquirendum videtur. Ac duplex est inquisitionis forma : altera, utrum Apostolus : altera, utrum episcopus Hierosolymorum fuerit.

De Apostolatu Jacobi non id solum controversum est, an unus e duodecim illis primis fuerit, sed multo magis an Apostolicæ dignitatis rem, ac nomen sortitus sit eo jure, quo qui optimo, hoc est an duæ illæ notæ veri, summique Apostolatus in eum convenerint, quas capite quinto complexus sum, ut et *prædicationis usum, et magisterium* (ita enim ab Gregorio Papa vocatur[1]) per totum orbem in potestate habuerit, et fundandarum ubique ecclesiarum, ac spiritualium exercendarum functionum sine exceptione jus penes illum fuerit. Nec interest, a quo sit ordinatus, et utrum ab ipso Domino, an hominum interventu, et ministerio dignitatem eam acceperit. Non enim minus Apostolus, isque primarios inter Matthias fuit, ut de Paulo et Barnaba nihil dicam, quam Petrus, et Andreas, ac cæteri, quos per semetipsum Christus elegit.

II. Hac prescripta definitione, quod ad Jacobum spectat, gravis et impedita quæstio est, an ex duodenario illo numero sit habendus, et ab Christo ipso factus Apostolus*. Sed non valde necessaria est, quia magis ad historiam facit, quam ad susceptæ controversiæ disceptationem, quæ in eo solo vertitur, unusne sit e majoribus, an inter minores, et secundæ notæ Apostolos referendus. Quanquam etiam illa perstringetur obiter, sed ut præcipua in eo constituendo opera ponatur, an primi ordinis Apostolorum Jacobus iste fuerit.

De hoc igitur ut breviter dicam, quod sentio, prorsus eum arbitror e primariis fuisse, ac majoribus Apostolis; nec temere, et quasi vaticinando istud loquor, sed magnis adductus rationibus, ac prope necessariis, quæ tum ex Epistola Pauli *ad Galatas*, tum ex *Actis Apostolorum* suppetunt. In capite primo illius epistolæ Paulus triennio circiter postquam ad Christum conversus est, scribit, Hierosolymam venisse se, ut videret Petrum[2]. *Alium autem Apostolorum*, ait, *vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*[3]. Quibus in verbis quantum momenti sit ad id quod quærimus, intelligetur, ubi de profectionibus Pauli variis Hierosolymam pauca dixerimus. Eas quinque numero sacræ litteræ commemorant, ut alibi demonstravimus[4], e quibus tres tantum hoc loco notandæ sunt; nam cæteræ nihil ad negotium nostrum pertinent. Jacobus unus e primariis Apostolis.

III. Prima est illa, quam Lucas in *Actis* refert[5], quando Damasco clam elapus, postea Hierosolymam venit, ubi cum disciputi omnes suspectum illum haberent, neque cum eo congredi auderent, a Barnaba deductus est ad Apostolos, et pro Christiano commendatus. De hac eadem profectione loquitur Quinque peregrinationes Pauli.

* Aliter a viro summo Petavio opinamur quod ad Jacobi Adelphathei apostolatum; quamobrem dissertationem in calce hujus libri dabimus, qua conati sumus ostendere, Jacobum Hierosolymorum episcopum e duodenario apostolorum numero esse secludendum. Z.

1 Lib. XXIII *Moral.* cap. xi. — 2 *Gal.* i, 18. — 4 Cem. 19. — 4 Lib. XI *de Doct. Temp.* cap. xii. — 5 *Act.* ix, 26.

necessario Paulus ipse in eo, quem citavimus, loco epistolæ *ad Galatas*. Ibi enim primitus se Hierosolymam, et Apostolos vidisse significat, post susceptam Christi fidem. Cum igitur nec ante profectionem illam, quam Lucas in *Actis* memorat, Paulus jam Christianus Hierosolymam venerit, nec ante istam ipsam, de qua scribit *ad Galatas*, prorsus necesse est unam et eamdem utrobique narrari. Quare ex utriusque loci comparatione sic ordinanda res erit. Paulus post conversionem egressus Damasco non statim Hierosolymam adiit, ut ex Luca colligi videtur, sed quod epistola *ad Gatatas* docet, in Arabiam fugit. Inde Hierosolymam petiit post annos a conversione tres, quando Barnabas eum ad Apostolos perduxit. Secunda profectio Pauli *Actorum* undecimo capite continetur. Nam cum Hierosolymis quindecim, ut scribit *ad Galatas*, diebus hæsisset, concitatis in eum Judæis, ac de nece illius conspirantibus, Cæsaream[1], et inde Tarsum confugit. Postea missus Antiochiam Barnabas[2], Tarsum abiit, unde Saulum Antiochiam secum abduxit, quo tempore Agabus Propheta imminentem famem prædixit[3], quæ Claudio Imperatore contigit, anno ante mortem Agrippæ, hoc est decem fere annis post conversionem Pauli, ut pluribus in illo libro *de Doctrina temporum* ostendimus. Tertia profectio post annos quatuordecim ab adita primum Hierosolyma contigit, hoc est post septemdecim ab suscepta Christi fide; cujus in capite II epistolæ *ad Galatas* meminit.

IV. Redeo nunc ad priorem Apostoli profectionem, ex qua perspicue, ac certo constat, Jacobum ex primariis Apostolis unum fuisse. Etenim duo genera Salmasius Apostolorum constituit[1], unum primorum, « quos a Christo missionem suam accepisse dicit, et immediate ab ipso missos, » alterum secundorum, qui *ab ipsis Apostolis missi*. Hujus ordinis fuere Timotheus, Titus, Linus, etc., etc,, ut Chrysostomus supra a nobis citatus asserit[4], Discipuli septuaginta duo; ex quibus erat Barnabas; qui postea cum Paulo unus ex majoribus est factus, ut ex Chrysostomo ibidem docuimus. Hactenus ergo minorum gentium Apostolus erat, quemadmodum et Ananias ille, qui ad Paulum curandum baptizandumque divinitus est missus[5]. Quare antequam cum Petro, et Jacobo conveniret, quod *ad Galatas* primo capite memorat, Ananiam et Barnabam viderat Apostolos ipsos ex Salmasiana descriptione. Præter quos etiam ex veteribus Christi discipulis Hierosolymis tum fuisse, et Paulo conspectos esse, prorsus ineptus sit qui dubitet. Cum ergo neminem alium Apostolorum, præter Petrum, et Jacobum fratrem Domini, in prima illa profectione visum a se dicat Hierosolymis; imo ex quo Christo nomen dederat, nullum hactenus vidisse se, quocum de Evangelio conferre, et ab eo discere aliquid posset, non debent *Apostolorum* nomine secundi illi, ae minores intelligi, quos utique viderat, sed primores, et qui in duodenario illo principum numero censebantur. Unde consequens est, Jacobum fratrem Domini non inter secundos numerari, ut Salmasius asseverat, verum majorum unum fuisse, et ex duodecim illis, quorum numerus Matthiæ subsortitione completus est.

V. Rursus in capite secundo epistolæ *ad Galatas*, scribit se divino accepto mandato Hierosolymam venisse ad Apostolos, ut cum iis Evangelium conferret, ac tum *Jacobum, et Cepham, et Johannem, qui videbantur columnæ esse, dextras dedisse sibi, et Barnabæ societatis*[6]. Jacobum hunc commentarius, qui falso Ambrosii nomen præfert, cum esse dicit, qui cum Petro et Joanne secretorum Christi semper erat particeps, et in monte cum iis Christi gloriam conspexit. Inepte prorsus, et ἀνιστορήτως. Nam Jacobus iste pridem ab Herode Agrippa erat occisus, ante annos sex, aut septem, quam Hierosolymam tertio veniret Paulus. Quippe circa annum a Christi passione duodecimum obtruncatus est Jacobus Zebedæi filius; Paulus vero post annum 17, a conversione sua, a passione Christi 19, venit ad Petrum. Itaque Jacobus ille idem est, de quo capite antecedenti locutus est, frater Domini, et episcopus Hierosolymitanus, quem vides inter summos Apostolos, id est columnas ejus ordinis referri, ut unus fuerit ex duodecim; alioqui hæc in illum tam honorifica neutiquam caderent. Fuerit ergo Jacobus Alphæi, quemadmodum complures veterum opinati sunt, et omnes adeo, qui illum inter primos Apostolos recensent, ac nominatim Hieronymus in libro *contra Helvidium* ! ubi omnia illa commemorat, quæ de loco illo epistolæ ad Galatas posui; Jacobum ibi designari fratrem Domini Apostolum, Alphæi filium, qui idem et Cleophas dictus

Invita historia.

1 *Act.* IX, 3). — 2 *Act.* XI, 22 et 25. — 3 Ibib. com. 2. — 4 Cap. V. — 5 *Act.* IX. — 6 *Gal.* II, 9.

sit, aut si qua alia causa est diversæ hujus appellationis. Epiphanius quoque Jacobum hunc Domini fratrem et Apostolum, et episcopum fuisse testatur [1]. Scio quibusdam antiquorum visum aliter fuisse, qui Jacobum episcopum Hierosolymorum ab Apostolo cognomine distinguunt Alphæi filio. Sed probabilius est eumdem esse, idque Paulo consentaneum magis est; qui de Jacobo ita loquitur, tamquam haud dubie Apostolo uno de duodecim.

Adde jam et alia, quæ in *Actis* de eodem narrantur, ac non vulgaris notæ fuisse prædicant [2]; ut quod Petrus e vinculis elapsus, ad domum rediens, nuntium statim ad illum mittit; quod in Hierosolymitano concilio post Petrum sententiam dicit [3], et in ejus verba decretum ac synodicum rescriptum concipitur. Quæ quidem alterius etiam dignitatis indicio sunt, hoc est episcopatus, de quo aliquid est dicendum.

VI. Hierosolymorum episcopum fuisse Jacobum fratrem Domini, cognomento Justum, constans est omnium sententia ex antiquis orta temporibus. « Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, ait Hieronymus [4], in quinto commentariorum libro, de Jacobo narrans ait : Suscepit ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater Domini Jacobus, cognomento Justus. » Clemens Alexandrinus in secto *Hypotyposeon*, ut refert Eusebius [5], eumdem ait a Petro, Jacobo, et Joanne Hierosolymorum creatum episcopum, ac duos fuisse Jacobos commemorat; alterum, qui ab Herode capite truncatus est; alterum Justum, ac fratrem Domini, cujus Paulus meminit in capite primo epistolæ *ad Galatas*. At Clementis alterius Constitutiones (etsi supposititius auctor est, tamen est antiquus) episcopum illum tam ab ipso Domino, quam ab Apostolis, Hierosolymorum esse factum asserunt [a]. Accedunt iis deinceps cæteri omnes, ut Eusebius et Hieronymus in *Chronico*, Epiphanius paulo citatus ante, Cyrillus ejusdem [6], hoc est Hierosolymitanæ sedis episcopus, Chrysostomus [7], et quicumque Hierosolymitanorum episcoporum mentionem attigerunt. Neque vero multum ad historiæ fidem interest, utrum ab Christo Domino constitutus sit, quod Epiphanius, Chysostomus, aliique perhibent, an ab Apostolis ipsis. Utrovis enim modo ad Christum illius ordinationis auctoritas refertur, quemadmodum Saul rex ab ipso Deo Israelitarum electus est, etsi illius creationem popularibus suffragiis committi voluerit. Et utcumque factus est, episcopus tamen fuit, idque adeo testatum, ac veterum asseveratione comprobatum est, ut de hoc controversiam facere, aut negare audere, nimium temerarii sit hominis, ac parum pudentis. Quo in numero jure censendus est Salmasius, qui obdurata contra veritatem fronte, inanes fabulas, et ineptissima commenta adversus tantæ molem auctoritatis opponit. Cujus quæ sunt de hoc Jacobo reliqua (nam haud pauca jam libavimus) sequenti capite pertexam.

CAPUT VIII.

Rursus de episcopatu Hierosolymitano Jacobi. Æstus in eo, et inconstantia Salmasii. Ridicula ejusdem ex Pseudoclemente disputatio. Refelluntur illius argumenta omnia. Jacobum fuisse episcopum, e Scripturis ostenditur. In quo repugnat sibi ipse Salmasius. Ordinatio, et χειροτονία *varie accepta. Hegesippus illustratur.*

I. Episcopum fuisse Jacobum partim præfracte negat Salmasius, partim titubanter, ac timide fatetur, neque constat sibi. Apostolum, ut paulo ante memoravi, nonnisi secundi ordinis illum facit, et unum e presbyterorum corpore, qui Hierosolymitanam ecclesiam in commune regebant, et iidem episcopi vocabantur; sed ita, ut presbyteris istis *cum auctoritate majore præesset*. De episcopatu Jacobi animadvertenda sunt hæc illius verba. « Ideo et Jacobus, inquit, Domini frater, et Apostolus, quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit, episcopus a veteribus appellatus est, et quidem episcopus episcoporum, id est primus presbyterorum, sive episcoporum, qui erant

a CLEM. VIII const. cap. XXXV. Ἐπίσκοπος δὲ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου, καὶ τῶν ἀποστόλων Ἱεροσολύμων χειροτονηθείς.

1 Hæres XXIX num. 3 et hæres LXXVIII, num. 13 et 14. — 2 *Act.* XII. — 3 *Act.* XV. — 4 Lib. *de scrip. Eccl.* cap. IV. — 5 Lib. II *Hist.* cap. I. — 6 Catec. IV et XIV. — 7 Hom. XXXVIII in epist. I *ad Cor.* et hom, III *in Acta* et hom. XXXIII.

Hierosolymis; ut vocatur in epistola Pseudoclementis. Non quod episcopus ab Apostolis in ea civitate constitutus sit, ut alter Clemens scripserat, sed quia non ut cæteri Apostoli, convenienter suæ missioni et appellationi peregrinatus sit. » Verum quod de peregrinatione, ac vagatione Apostolorum occinit, tanquam re ad illam dignitatem, et functionem necessaria, jam supra refutavimus, ut illud etiam, Jacobum Hierosolymis nunquam pedem extulisse; quod et temere confictum, et procul dubio falsum esse demonstravimus.

II. Vide nunc pusilli æstum ingenii. Hierosolymitanæ ecclesiæ non unum præfuisse Jacobum episcopum, adversus antiquissimam traditionem asserit, sed presbyterorum collegium, et eorumdem episcoporum præpositum illi fuisse. « Porro episcopos illos, presbyterosque simul dictos, quales olim constituebant in singulis civitatibus Apostoli, pares inter se omnes fuisse, neminem superiorem agnovisse, » idem Salmasius docet. Tum istud: « Jacobum inter eos fuisse, qui episcopi præsidebant, Hierosolymitanæ ecclesiæ. » Ecquid aliud ex hac oratione sequi oportet, nisi Jacobum pari, ac collegas presbyteros auctoritate, ac dignitate fuisse? Atqui paulo ante scripsit, eumdem « cœtui presbyterorum illic constitutorum, quos et episcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præfuisse, » Si omnes pari jure, ac potestate fuerunt presbyteri illi, et iidem episcopi, qui tandem unus eorum Jacobus *præeminentiam* nescio quam *supra cæteros habuit?* Ita enim post elegantiæ Latinæ parentem Salmasium nobis opicis, ac rusticanis loqui licebit. Dicet Jacobum illis eo nomine præsedisse, quod Apostolus erat, non qua presbyter, aut episcopus, quod et illi fuerunt. Atqui non primi ordinis Apostolum fuisse patitur, sed in secundis jubet consistere. Ejusmodi autem nec omnes presbyteri, hoc est sacerdotes erant, ut Philippus ille diaconus, et alii qui et missi ab veris Apostolis, et Evangelium ubique disseminantes, secundi illius Apostolorum ordinis numeros omnes impleruut. Tum ejusdem gradus, et nominis Apostolos in illo cœtu presbyterorum Hierosolymitanæ ecclesiæ fuisse nullos, qui tandem probat? Aut cur uni Jacobo eam dignitatem attribuit? Præsertim si absque peregrinatione uno in loco consistens ille, Apostolatum nihilominus obtinere potuit. Quod si plures alii, præter Jacobum, Apostoli in Hierosolymitano presbyterio fuerunt, quanam iste *præeminentia* (delectat enim nos nitor ille Salmasianæ Latinitatis) supra reliquos Apostolos sese extulit?

III. In quo portenti similis est hominis levitas, et inconstantia. Nam cum Jacobum probat episcopum non fuisse Hierosolymitanæ ecclesiæ, eo utitur argumento quod « ea dignitas Apostolorum episcopum eum fecisset; quia *Apostoli presbyterium Hierosolymitanæ ecclesiæ constituebant.* » Igitur si presbyterii illius pars erant Apostoli, et quidem majores, et idcirco episcopus ecclesiæ Hierosolymitanæ esse Jacobus non potuit, ne Apostolorum esset episcopus; nonne eadem causa prohibere debuit, ne iisdem *Presbyteris majori auctoritate præesset?*

Age vero quantus iste sermonis, ac judicii conflictus: imo vero quanta communis sensus inopia! « Jacobus, ait, episcopus a veteribus appellatus est, et quidem episcopus episcoporum, id est primus presbyterorum, sive episcoporum, qui erant Hierosolymis, ut vocatur in epistola Pseudoclementis. » Hoc si verum est, primus ergo fuit Apostolorum, « quia Apostoli presbyterium Hierosolymitanæ ecclesiæ constituebant. » Explica te ex hac salebra, si potes. Sed illud primum dicito : quis te hoc docuit, vel *episcoporum episcopum* a veteribus appellatum esse Jacobum; vel ideo sic dictum, quod cum Apostolus esset, tamen id, quod erat Apostoli, minime præstabat, ut peregre vagaretur? Hoc sane posterius frigidum jejunumque commentum est sine ratione, nullo judicio confictum, ut supra demonstravimus. Judicii conflictus et sensus inopia Salmasii.

Prioris autem illius cedo vel unum auctorem ex veteribus istis, quos ita Jacobum appellasse memoras. Neminem tu quidem profers alium, quam *Pseudoclementem*, hoc est ementitum Clementem. Et homo acutus tantum habes prudentiæ, ut cujus unius testimonio uteris, ei fidem deroges hoc mendacii prænomine; et in eamdem te falsi suspicionem sciens, volensque conjicias. Sed si momentum aliquod statuis in Pseudoclemente isto, cur non audis eumdem reliqua in epistola, cum se a Petro [1], paulo ante mortem, designatum refert Romanæ urbis episcopum, cum quidem *honorem illum cathedræ, ac potestatem declinaret?* Credes itidem et illi *Episcopos*, *Archiepiscopos*, *Prima-*

[1] Clem. ep. *ad Jacob.*

tes, *Episcoporum primates*, ac *Patriarchas nominanti*, et alia ejusdemmodi; quæ tibi probari nimium velim ea mercede, ut ridiculum illud de episcopo episcoporum impune per nos habeas.

IV. Atenim episcopum non fuisse creatum Hierosolymorum Jacobum, argumentis aliquot suadet Salmasius. Quæ sunt illa tandem? « Si episcopus tum Hierosolymitanæ, inquit, ecclesiæ fuisset ab reliquis Apostolis creatus, certe non aliter eum vocasset Paulus, quam episcopum. Hanc ejus dignitatem ab Apostolis ei collatam non reticuisset. » Sed nec Lucas, addit postea, prætermisisset *. Futilis ratio. Jacobum ecce *primum episcoporum*, *qui erant Hierosolymis*, fuisse narras, « et episcopum episcoporum, ut cœtui presbyterorum illic constitutorum, quos et episcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præesset. » Nuncubi hoc Apostolus Paulus, aut Lucas *in Actis* retulerunt? Certe digna memoria res illa fuit, ut sexcentas alias omittam, quæ in historia ecclesiastica proditæ, ab scriptoribus Canonicis prætermissæ sunt. Age vero, quod tu Jacobum nusquam extra Hierosolymam pedem movisse narras, ac reliqua ejusdem farinæ, quæ otiose comminisceris, quo tu in Scripturæ libro legisti? Sed de Scriptura remitto. Doce id ab veterum aliquo memoriæ traditum. At non potes, et qui te tam multis temere, ac sine auctore pronuntiandi licentiam usurpas, hanc nobis conditionem feres, nihil ut, nisi expressum in Scriptura sit, in medium afferamus? Præsertim cum et plurimi, et antiquissimi scriptores hoc ipsum, quod de episcopatu Jacobi defendimus, graviter, et constanter affirment.

V. Quid quod etiam Scripturæ sacræ (ut paulo ante dicere cœpi) non levem, aut obscuram episcopatus ejusdem conjecturam offerunt? dum et in prima synodo Hierosolymis habita [1], in qua plures erant Apostoli, primus post Petrum omnium principem Jacobus sententiam dicit, et in eam synodale decretum conficitur. Certe Chrysostomus eam causam affert, cur post Petrum ibi locutus sit, quod Hierosolymorum esset episcopus [a]. Deinde quod emissus e carcere Petrus [2], nuntium statim ad illum misit, qui certiorem eum faceret. Addam et ex tuo aliquid. « Cum alii tunc essent Hierosolymis Apostoli, cum Paulus secundo in eam urbem venit, *neminem eorum se vidisse dicit præter Jacobum* [3]. » Quanquam illud tuo more, id est temere asseris, neminem, præter Jacobum, Apostolorum illic tunc fuisse, cum non *secundo*, ut tu ais, sed primo post conversionem eo Paulus accessit; tamen hoc, quod tu ipse concedis, in te retorquebitur, ut vel inde causæ aliquid Jacobo fuisse fateare, cur præcipua in illis ratio tum ejus habita sit, cujusmodi præter episcopatum nullam, vel certe commodiorem excogitare potes.

VI. Sequitur argumentum alterum Salmasii longe stupidissimum, in quo misere seipsum conficit, ac jugulat. Si episcopus Hierosolymorum factus esset Jacobus, « ea dignitas, inquit, Apostolorum episcopum eum fecisset, quia Apostoli presbyterium Hierosolymitanæ ecclesiæ constituebant; saltem maximam, quandiu ibi vixere, in eo presbyterio auctoritatem habuere. » Sed respondet sibimet ipse paulo post, et vim istius argumentationis infringit. « Quia semper, inquit de Jacobo scribens, in ea urbe mansit, et presbyterio, hoc est cœtui episcoporum, sive presbyterorum in illa civitate constituto, absentibus cæteris Apostolis præfuit. Quasi episcopus habitus est illius civitatis, vel saltem primus episcoporum, qui eam ecclesiam curabant. » Nihil ergo jam obstat, quod objiciebat Salmasius, inter presbyteros Hierosolymæ numeratos esse Apostolos, quominus episcopus fuerit Jacobus. Si quidem conciliari istud hoc modo potest: ut *absentibus cæteris Apostolis præfuerit*. Præsertim cum Apostoli, quorum munus, et institutum est

a. Chrysost. homil. xxx *in Acta*. Ἐπίσκοπος ἦν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας οὗτος. διὸ καὶ ὕστερον λέγει.

* Samuel Basnagius, qui in *Annalibus politico-ecclesiasticis* ad ann. 33, n. 182 contrita jam Salmasii arma iterum strinxit, Scripturarum silentium et ipse urget de Jacobi episcopatu, illud etiam animadvertens, diaconorum ordinationem a Luca in *Actis* non fuisse prætermissam. Quo equidem argumenti genere quid sibi velit Basnagius, non video. Nam certe Romanum Petri iter, quod non negat Basnagius, dignum saltem erat æque atque ordinatio illa diaconorum, quod commemoraretur. Atqui tamen scriptores sacri, qui hanc narrant, illud silentio præteriere. Confer Mamachium *Orig. & Antiquit. Christian.* t. II. Z.

1 *Act.* xxv. — 2 *Act.* xii 17.— 3 *Gal.* i, 19.

vagari, nec uspiam consistere, ut doctissimo Salmasio placet, Hierosolymæ non manerent, nec singularem Jacobi præfecturam, et auctoritatem interpellarent.

VII. In quo rursus admiratione pariter ac miseratione digna est homine in isto paucis in paginis pugna sententiarum, ac cæcitas. Nam presbyteros, qui iidem erant et episcopi, proprium hoc habuisse vult, ut in eodem hærerent loco, nec extra urbem evagarentur, in quo ab Apostolis discrepabant, quorum officium fuit semper ambulare, nec ullibi manere. Quam etiam ob causam Joannem Evangelistam ait, « πρεσβύτερον se potius, quam Apostolum inscripsisse, quasi unus esset presbyterii, sive cœtus, a quo Ecclesia regebatur. » Tum vero Jacobum ipsum, qui alioqui erat Apostolus, quia « non ut cæteri Apostoli convenienter suæ missioni, et appellationi peregrinatus est, et semper manserit Hierosolymis, ex eo creditum esse quasi unum presbyterorum, vel episcoporum illius cœtus, cui Apostoli gubernandam ecclesiam Hierosolymitanam commiserant. » Hæc cum tam asseveranter, et enixe Salmasius toto fere libro contendat; cum in eo robur omne disputationis, opinionisque suæ constitutum habeat, ut presbyteros eosdemque episcopos certam in uno loco sedem fixisse, Apostolos orbem peragrasse dicat; qua tandem vertigine tactus, sequente mox pagina scribit, « Apostolos presbyterium Hierosolymitanæ ecclesiæ constituisse, et illius presbyterii partem fecisse? » Nonne hæc aperte pugnantia, et tamen falsa utraque sunt, et conficta? Etenim falsa non modo veris, sed etiam falsis contraria sunt. Siquidem ambo hæc enuntiata vera non sunt, et sunt contraria : Nullum animal est rationale, et omne brutum animal est rationale. Sic illa duo et a Salmasio posita sunt falsa, et invicem nihilominus repugnant : alterum, tam presbyteros, sive episcopos, extra urbem evagatos non esse, sed in uno loco mansisse, quam Apostolos nullam fixam ac stabilem sedem habuisse : alterum, Apostolos e presbyterorum numero fuisse. Quod posterius Scriptura ipsa convincit. Nam synodica Hierosolymitani concilii aperte Apostolos a presbyteris secernit. Et passim *in Actis* ita distinguuntur. Expecto quem huic manifestæ, turpissimæque dictorum inconstantiæ, ac conflictioni colorem Catharus obducet, ac quemadmodum salvo se honore iis e laqueis expediet.

VIII. Nam usque adeo *Hierosolymitani presbyterii partem Apostolos fecisse* credidit, ut ex eo concluderet, Jacobum, si episcopus Hierosolymitanus fuit, « Apostolorum episcopum fuisse, » idque testari Clementem Alexandrinum illis ipsis verbis, quibus electum ab Apostolis episcopum Jacobum esse dixit. Verba Clementis e sexto libro *Hypotyposeon* sic ab Eusebio referuntur : « Petrum, ait, et Jacobum, et Joannem, post assumptionem Salvatoris, tanquam cæteris antelatos a Domino, de gloria minime contendisse invicem; sed Jacobum justum Hierosolymorum episcopum elegisse [a]. » Ex quibus colligit ita Salmasius : *Ergo etiam supra se eum posuerunt.* Quod ideo consequens putat; quia paulo ante presbyterii Hierosolymitani partem Apostolos fecisse dixerat. Ita miserrime incurrit in sese, et contrariis opinionibus, quasi vinculis, et compedibus implicatus hæret. Est autem per se ineptum illud, et ἄλογον : Idcirco supra Apostolos fuisse Jacobum, quia ab iis electus est episcopus. Hoc enim modo Metropolitani episcopi, si quem suæ diœceseos episcopum eligant, vel ordinent, eum supra se constituent. Ecquid putet ineptiæ?

Addit Catharus : « Ita interpretatum esse Ruffinum, qui sic vertit : Apostolorum episcopum statuunt. » Verum quis non videt mendosam hanc esse lectionem, et *Hierosolymorum*, ut est in Græco, substituendum esse?

IX. Non minus imbecilla, et nugatoria ejusdem est argumentatio : « Si Apostolus fuit Jacobus, non necesse habuit episcopi ordinatione speciali designari præsidens Hierosolymitani presbyterii, et ecclesiæ, cum Apostolatus major esset episcopatu. » Atqui Jacobum eumdem unum fuisse dicit ex illo presbyterio, « sive cœtu presbyterorum, et episcoporum, cui Apostoli gubernandam Hierosolymitanam ecclesiam commiserant; » quibus et ille præfuit, ut episcoporum esset episcopus. Quamobrem si presbyteri illi ab Apostolis constituti sunt; si iis ipsis præpositus est Apostolus Jacobus, eoque nomine dictus est episcopus,

a Euseb. II *Hist.* cap. i. Πέτρον γὰρ φησὶ, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ σωτῆρος, ὡς ἂν καὶ ὑπὸ τοῦ κυρίου προτετιμημένους, μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης· ἀλλ' Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι. Quod et apud Nicephorum extat lib. II, cap. iii.

1 *Act.* xv, 23.

quod presbyteris præesset; quid aliud sequitur, quam episcopum Hierosolymitanæ ecclesiæ ab Apostolis Jacobum fuisse factum? Adeo versutus, ac metuendus est disputator iste, ut argumento illo ipso, quo contra nos utitur, suam ipse labefactet opinionem; nec quid sit ex eo, quod affirmat, consequens, videt. Quocirca si quid in eo est, quod objicit, difficile, quod profecto nihil est; sed si responso ad id ullo est opus, quoniam perinde contra ipsum illud facit, pro se ipse sibi respondeat. Nam ordinari tam cum multis episcopis Jacobus, quam solus Hierosolymorum episcopus debuit. Sed ordinatio ista nonnisi electio, et designatio est habenda, non autem consecratio; qua jam Apostolo ab Christo constituto nova nulla opus illi fuit.

X. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Jacobum ait ab Apostolis *ordinatum* episcopum[1]; quod idem est ac *constitutum* dicere. Et ita Sophronius Græce vertit *Hierosolymorum constitutus episcopus*[a]. Ordinationis nomen interdum pro consecratione sumitur, cum sacramento Ordinis initiatur aliquis per manus impositionem; alias nuda est electio ac designatio. Ut si quis jam consecratus, et episcopatu suo pulsus, alium in locum transferatur, non denuo consecrandus, sed *constituendus*, et eligendus est: quod ut dixi, καταστάθῆναι Græci vocant, et ἐνθρονισθῆναι, ut loquitur Socrates libro VII, capite XXXVI. Sic nomen χειροτονίας ambigue usurpatur; ac sæpe ordinationis Sacramentum, id est *consecrationem* significat. Interdum nudam electionem, quæ popularibus suffragiis olim fiebat, ut in Laodiceni concilii canone quinto: « Quod non oporteat ordinationes sub conspectu audientium celebrari[b], » ut vertit Dionysius Exiguus. Zonaras, et Balsamo χειροτονίας dicunt hoc loco *electiones* esse, ac ψήφους, id est *suffragia*. Vetare igitur canonem, ne coram catechumenis ordinationes istæ, id est electiones fierent, quod in instituendo delectu, multa de candidatorum moribus, ac vita proferuntur, quæ teneros adhuc, nec dum satis in fide confirmatos alienarent, et offenderent. At iidem observant, alibi, ut in primo canone Apostolorum, et sequentibus, χειροτονίαν accipi pro χειροθεσίᾳ, id est *impositione manuum*, quam et καθιέρωσιν, id est *consecrationem* appellat Zonaras *ad Canonem primum Apostolorum*, ubi de utraque illa notione nonnulla digna scitu adnotat*.

Inthronizar

XI. Porro Jacobum fratrem Domini refert Hegesippus, *cum Apostolis*, sive, ut Hieronymus legit, *post Apostolos*, Hierosolymitanam ecclesiam suscepisse. Verba Hegesippi ex Ruffini translatione: « Suscepit Ecclesiam cum Apostolis frater Domini Jacobus[c]. » Verum Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* eumdem Hegesippi locum describens, *post Apostolos*, non autem *cum Apostolis* legit, ut et Sophronius, qui Græce librum Hieronymi interpretatus dicitur, μετὰ τοὺς Ἀποστόλους vertendo posuit. Nec dubitandum est in exemplari suo ita scriptum invenisse sanctum Hieronymum; cui haud paulo major habenda fides est, quam Ruffino, aut Ruffini defensori Salmasio. Hujus vero Critici mira hoc loco est ἀκρισία, qui quod Jacobus « cum Apostolis suscepisse ecclesiam Hierosolymitanam dicitur, enarrat sic: Nempe quia ipse non Apostolus. Ut Apostolus fuerit, non certe unus ex duodecim. » Itaque scriptum ab Hegesippo Catharus Messalianus existimat, Jacobum, qui unus ex secundi ordinis Apostolis fuit, et majorum *coadjutor*, (ut iste loquitur) cum duodecim Apostolis regendam illam ecclesiam suscepisse. Quod pro cætera opinione Cathari nimis absonum videtur. Minorum gentium Apostoli, cujusmodi fuisse Jacobum falso, imperiteque dicit Salmasius, sed tamen dicit; nonnisi administri fuere majorum, et ad eorum nutum, ac mandatum parati, ut Thimotheus, Titus, Linus, Clemens Pauli erant συνεργοὶ et *coadjutores*, Qui « omnes nulli civitati erant adfixi, et addicti; sed pro arbitrio Apostolorum, quibus ad hoc munus subserviebant, in varias civitates mittebantur. » Quinam ergo consen-

Judicii labes.

a SOPHRON. Ἱεροσολύμων κατασταθεὶς ἐπίσκοπος.

b Περὶ τοῦ μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι.

c HEGESIP. in V *Comment.* apud Euseb. lib. II, *Hist.* cap. XXIII. Διαδέχεται τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος.

* Sunt tamen veteres Patres, et hi quidem magni nominis, qui Christi voluntate Jacobum dictum fuisse aiunt Hierosolymorum episcopum. Neque tamen pugnant hi cum cæteris, qui illum ab Apostolis ordinatum aiunt. Apostoli enim dici possunt solemni cæremonia, quod erat a Christo decretum, celebrasse; ut monet *Tillemontius* t. I *Monument. eccles. in vita S. Jac. min.* art. 4. Z.

1 Cap. IV.

taneum sit, Jacobum hujus generis Apostolum cum majoribus exæquari? Nam qui asserit Jacobum cum Apostolis præfecturam illius ecclesiæ sumpsisse, parem eum, et æqualem in eo munere facit duodecim illis, quorum administer erat. Ac duodecim quidem « pari omnes potestate, et honore, ut et pari missione » fuisse censet, atque ab iis « per singulas orbis provincias, ac civitates presbyteros plures regendis particularibus ecclesiis in commune cum pari auctoritate præfectos. » At non pari cum duodecim, ac majoribus illis auctoritate fuerunt isti, et unus horum Jacobus. Quare non debuit cum Apostolis dici gubernasse Hierosolymitanam ecclesiam.

XII. Quocirca sive μετὰ τῶν Ἀποστόλων, sive μετὰ τοὺς Ἀποστόλους scripserit Hegesippus, non multum dissimilis est sensus, sed longe tamen abhorrens ab Salmasii commento. Si priorem lectionem adhibemus, subaudiendum erit ἄλλων. *Aliorum.* Cum reliquis Apostolis statim post ascensum in cœlum Christi Jacobus Hierosolymitanam rexit ecclesiam. Etenim aliquanto post tempore duodecim Apostolis Hierosolymis, et in Judæa remanserunt; et quamvis identidem per urbes excursiones facerent, eo tamen postea revertebantur. Interim tamen communi decreto, sive, ut Chysostomo placet, ex mandato Christi, electus ab illis est Jacobus, qui peculiarem illius ecclesiæ curam gereret, id est ἐπισκοπήν. *Episcopatum.* Neque illud obstabat, quominus aut ipse nonnunquam procurandi Evangelii gratia Jacobus peregre proficisceretur, aut cæteri Hierosolymis cum essent Apostoli, curam illam cum eo participarent. Ac cum presbyteris, sive episcopis Hierosolymitanis præpositum ab Apostolis esse Jacobum Salmasius affirmet; nihil contra nostram, hoc est veram antiquorum omnium sententiam de singulari Jacobi præfectura opponitur ab eo, quod non in ipsum recidat, et eadem, qua nos teneri putat, absurditate constringat.

Quod si μετὰ τοὺς Ἀποστόλους, id est *post Apostolos*, cum Hieronymo mavis apud Hegesippum legere; nihil intelliges aliud, nisi post cæteros huc illucque dispersos Apostolos, Jacobum Hierosolymis resedisse, tanquam ordinarium, et stabilem illius ecclesiæ curatorem, ac præsidem. Quo in sensu nihil est, quod vellicare Catharus possit, quin perinde τῇ πρωτοκαθεδρίᾳ, et *presbyterii præfecturæ* ab ipso eidem impositæ Jacobo repugnet.

XIII. Sed graviora sunt in reliqua de Jacobo disputatione illius flagitia, et in ea quidquid attigeris, ulcus sentias. Jacobum Hierosolymorum episcopum non esse factum probat hoc argumento, quod « hoc plane caret ratione, ut ex majore gradu in minorem aliquem provectum putemus. Hæc promotio non est, sed regradatio. » Deinde, « Apostolus, inquit, ipse, vel Apostolis majoribus æquiparandus ὁ ἀδελφόθεος, si in episcoporum ordinem, *Frater Domini.* quales tunc ecclesiis regendis præficiebantur, presbyterorum ecclesiæ nomine, cooptatus esset, non ascendisset, sed descendisset, ut ex majore gradu in minorem detrusus. Non cresceret ex parvo, sed decresceret ex alto. In Apostolatu etiam episcopatus est, sed non in episcopatu Apostolatus. » Quid hoc homine mobilius, et inconstantius? Nam Vertumni omnes præ illo Vertumni non sunt. Jacobum quarta ante pagina negabat Apostolum fuisse; et ideo scriptum ab Eusebio, « suscepisse ipsum Ecclesiam cum Apostolis, nempe quia ipse non Apostolus. » Nunc quod negarat, eo sic utitur, tanquam haud dubio, et confesso. Quidquid enim ad id probandum assumitur, quod in quæstionem venit, certum esse debet, et extra controversiam positum. Id autem inter nos quæritur, utrum Jacobus episcopus sit creatus. Salmasius ut creatum non fuisse demonstret, ait Apostolum fuisse; neque qui Apostolus esset, episcopum fas esse fieri. Atqui hoc vel præcise negarat, vel pro incerto habuerat, Apostolum fuisse Jacobum. Quid obtusius hac ratiocinandi formula? Age vero, nonne idem, Jacobum ab Apostolis presbyterorum, sive episcoporum collegio Hierosolymitano præfectum esse dixit? Etenim, cum duo fuerint, ut idem asserit, Apostolorum genera, ut alii primi essent, alii secundi, et illi *a Christo missionem*, id est Apostolatum *acceperint*; alii, id est *secundi ab ipsis Apostolis*; Jacobus autem ex his secundis fuerit; prorsus missionem et Apostolatum, si quem habuit, ab Apostolis duodecim accepit. Ergo ab iisdem Apostolis primatum illum Hierosolymitani presbyterii, ac præfecturam adeptus est, et *Episcoporum Episcopus* est factus. Quo concesso, duorum alterum sequitur: aut episcopum ab Apostolis creatum esse Jacobum, cum nec episcopus esset antea, nec Apostolus: aut, si Apostolus jam erat, regradatum eum fuisse, hoc est ex Apostolo constitutum episcopum, et presbyterorum principem. Quod utrumque iisdem propemodum in paginis et negatum est, et affirmatum a Salmasio.

A numine immissum stuporem.

XIV. At rursus majorem, ac vere θεήλατον ἐμβροντησίαν in sequentibus intueri licet. « Jacobus, inquit, ab Apostolis ordinatus potestatem accepisset ab illis, a quibus ordinatus fuerat, quasi delegatam. *At par a pari non mutuatur, nec accipit auctoritatem, ut par in parem non habet imperium.* Eam habet ex sese, ac per se, ac suo jure utitur eodem modo, quo et collegæ suo. Nihil igitur ineptius et indoctius illa fabula, quæ Jacobum finxit ab Apostolis ordinatum fuisse specialem Hierosolymorum episcopum, qui et ipse fuit Apostolus.» Apostolum fuisse, deinceps probat Hierosolymitani concilii actis, in quibus post Petrum sententiam dicit. « Et ex ejus sententia demum formatum est et pronuntiatum concilii decretum, τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ Πρεσβυτέροις, σὺν τῇ ἐκκλησίᾳ. *Tunc visum est Apostolis, et presbyteris cum ecclesia.* Hinc igitur Apostolum fuisse Jacobum demonstrat, et quidem parem duodecim primoribus. Obsecro, apud te eras, cum ista scriberes ? Ergone par Jacobus fuit primariis Apostolis? Et ubi est discrimen illud primi ac secundi ordinis Apostolorum? Ubi συνεργοὶ illi, et *coadjutores* Apostolorum, quorum e numero Jacobus fuit, quem unum fuisse negas e duodecim? Secundi illi Apostoli missionem a primariis, et potestatem acceperunt, « ut a Paulo Timotheus, Titus, Linus, etiam Clemens. *Hi pro arbitrio Apostolorum, quibus ad hoc munus subserviebant, in varias civitates mittebantur.*» Ecquis illa conciliare poterit? Dic, sodes, Timotheus, ac Titus pares Apostolo Paulo fuerunt? *non ab eo auctoritatem acceperunt?* Non Timotheum Paulus Ephesi cum potestate manere; non Titum in Creta ad ordinandas ecclesias hærere jussit? Hoc tu ipse doces, et hanc utriusque ἀποστολὴν fuisse prædicas.

Apostolatum.

XV. Tum de secundis istis Apostolis scribis sic : « Hi sunt ergo Apostoli, quales Titus, et Timotheus fuere, quos vult Theodoretus Apostolorum ævo vice episcoporum hodiernorum fuisse, quia et Apostoli tunc nominabantur, et revera erant episcopi jure eodem, et ordine, quo hodie habentur, qui Ecclesiam regunt, et presbyteris præsunt, nisi quod uni civitati, vel ecclesiæ non essent alligati. Sic et illi presbyteris illius temporis præeminebant, quos et constituerant, et ecclesias sibi ab Apostolo traditas, ἐγχειρισθείσας gubernabant. Isti Apostoli, sive Apostolorum vicarii, et συνεργοί, etiam episcopi vocabantur earum ecclesiarum, quas ab Apostolo administrandas acceperant. » Num *discipuli Apostolorum, et vicarii*, qui ab iis *missi sunt*, et in certis ecclesiis *manere jussi*, et ab iisdem *ecclesias administrandas acceperunt*, et *pro arbitrio Apostolorum mittebantur*, et *illis subserviebant*, pares illis fuerunt, nec auctoritatem ab iis acceperunt? Prius tenebris cum luce conveniet, quam dictis tuis illis invicem, ac sententiis, quæ hostilem ac barbarum in modum seipsas conficiunt, ac jugulant. *Numquid fons de eodem foramine* (verba sunt Jacobi istius) *emanat dulcem, et amaram aquam* [1]?» Prorsus in te, Salmasi, quadrat, quod Martinus primus sanctissimus pontifex de tui similibus hæreticis in Lateranensi synodo dixit [2] : « Hic namque quomodo unquam nec phreneticus quisquam ex omnibus contra membra sua commotus est, per semetipsum propria consumens, atque interimens per dominantem ei errorem, atque dementiam. »

XVI. Nam illud cujusmodi est, quod addit, « Jacobus ab Apostolis ordinatus potestatem accepisset ab illis, a quibus ordinatus fuerat, quasi delegatam ? » Etiamne qui ordinantur episcopi, potestatem ab iis, a quibus ordinantur, accipiunt nonnisi delegatam? Hoc modo nullus in toto orbe Catholico episcopus ordinariam potestatem habet. Ecquis enim non ab aliis ordinatus est? Imo vero ne episcopus quidem erit ullus. Nam episcopus is est, qui ordinaria potestate præditus est; eamque proinde mandare, ac delegare potest alteri. *Delegatus non habet jurisdictionem propriam*, aiunt Jurisconsulti, *sed vice fungitur delegantis*; quod ex legis verbis hujusmodi colligunt : « Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet; sed et ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur [3]. » Porro, ut Paulus ibidem tradit, « Mandatam sibi jurisdictionem mandare alteri non posse manifestum est [4]. » Quocirca nemo jam, uti dixi, uspiam erit episcopus; quia delegatam omnes, et mandatam jurisdictionem habebunt, nec alteri eam delegere poterunt. *Nihil igitur ineptius, et indoctius* illa ratione, ut in auctorem convicia sua regerantur.

XVII. Quid quod in idem illud incurrat, quod pro absurdo veteribus objicit? Cum enim Jacobum asserat ab Apostolis presbyterio, sive episcoporum collegio, quod erat

1 *Jacobi* III, 11. — 2 Secr. IV tom. IV concil. — 3 *De officiis ejus cui mandatum est juris.* lib. I. — 4 Ibid. lib. V.

Hierosolymis, præfectum fuisse; si vere superiora ista collegit, necesse est delegatam in eum potestatem esse transfusam. Tum illud etiam admitti ab eo necesse est, quod « absurdum commentum vocat, Jacobum Apostolum, ac proinde universalem episcopum, in specialem, et localem transmutatum esse, et sic in ordinem coactum. » Qui enim Hierosolymis collocatus est ab Apostolis; et, quod συνεργῶν omnium, ac *coadjutorum* Apostolicorum proprium fuit, « pro majorum arbitrio manere jussus est ibidem : nonne in specialem, et localem episcopum transmutatus est?» Quod ipsum et de Tito, ac Timotheo, saltem ad tempus aliquod concedendum est Salmasio. Quorum hunc Ephesi, illum Cretæ *speciali* utique, *ac locali* præfecturæ Paulus addixit. Ita miser undique suapte voce, ac confessione circumventus, et irretitus tenetur; ut, qua elabatur, nihil sibi reliqui fecerit.

CAPUT IX.

De Marco Evangelista, et episcopo Alexandrino. Refelluntur inanes de eo Cathari Salmasii conjecturæ. Fuisse singulares in multis ecclesiis episcopos. Hieronymi de Marco testimonium. Non esse consequens, ordinandi jus penes simplices fuisse presbyteros, etsi Confirmationis sacramentum administrare permissum illis fuerit. Evodium Antiochiæ episcopum fuisse, necquicquam obstrepente Catharo : cujus fœdæ secum velitationes excutiuntur.

I. Post Jacobi minoris episcopatum, secundo loco Marcus in medium venit. In quo suum, et usitatum Catharus obtinet, ut quid dicat, et quam secum consentiat, pensi non multum habeat. Itaque simile in hoc, atque in Jacobo est animadversum, rationis humanæ, ac judicii naufragium fecit, « Non magis fuit specialis Alexandriæ episcopus Marcus (verba sunt Salmasii) quam Jacobus Hierosolymæ.» Quid ita porro? «Ex eo quippe genere Apostolorum erat, quos diximus generalem, et nulli sedi addictam curam ecclesiarum egisse.» Tum : « Ex ratione, inquit, officii, et muneris Apostolici, et Evangelistici, aliquo eum in loco residere minime oportuit, sed obire varias regiones, et Evangelium prædicare. » Jam hoc argumenti genus futile esse, ipsius, qui eo utitur, Salmasii testimonio convicimus. Jacobum ex eodem fuisse genere Apostolorum statuit, in quo Marcum reponit. Et tamen nusquam ex urbe Hierosolymitana pedem extulit, sed in ea constanter habitavit, eodem teste Salmasio. Joannes ipse citra controversiam unus e summis Apostolis fuit, qui tamen « nec ipse orbem obambulavit, prædicandi Evangelii gratia, sed uno in loco mansit. » Falso igitur, insulseque pertendit, ideo Marcum non potuisse Alexandriæ fieri episcopum, quod ex Apostolatus munere nullo in loco consistere debuit. Nam de Evangelistico munere quod ait, id in eo postulari, ut nuspiam hæreat, quis risum contineat? Marcus Evangelista idcirco ab Eusebio, et communi usu nominatur, quod Evangelium scripserit. Quid hic scribendi officio magis est adversum, quam huc illucque discurrere, nec in certa sede commorari? Itaque tantum abest, ut ex eo prudens aliquis colligat, Marcum assidue in peregrinatione, et itinere fuisse, ut ei potius quietem, et aliquanti temporis secessum necessarium fuisse putet, quo in illam scriptionem incumberet.

II. At ecce « cum Petro solitum περιοδεύειν (objicit Catharus) prima ejusdem epistola testatur, quæ significat, eum tum secum Romæ, an Babylone fuisse. » Nolo hic abs te rationem ejus reposcere, quod gratis assumis, Marcum illum, quem secum esse Petrus in ea epistola testatur, eum esse, de quo agimus, Evangelistam. Quod etsi complures asseverent, tamen si negem, unde tandem probabis? Illud malim respondeas, qui scis. Marcum solitum esse cum Petro cursitare, hoc est nihil in vita egisse aliud; neque tandem alicubi consedisse? Id neque tu ratione ulla potes ostendere, neque verisimile est. Habes enim qui contradicant, vetustissimos auctores, et gravissimos Eusebium[1], Hieronymum[2], ac plures alios; qui Alexandrinam ecclesiam a Marco fundatam esse perhibent, eique successisse dicunt Anianum octavo Neronis anno. Epiphanius Marcum ait post scriptum Evangelium, a Petro in Ægyptum esse missum[a].

Cursitare.

An Marcus de quo loquitur Petrus in Epistola idem sit ac Evangelista.

a Epiph. hær. LI, num. 6. Καὶ γράψας ἀποστέλλεται ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πέτρου εἰς τὴν τῶν Αἰγυπτίων χώραν.

1 Lib. II *Histor.* cap. XXIV. — 2 Lib. *de Script. Eccl.* cap. XVIII.

Hinc etiam Evangelicus thronus appellata est sedes Alexandrina, et *Evangelica successio*, ut ad Synesium olim adnotavimus[1], quod eam Marcus Evangelista fundaverit; et vero primus in ea episcopatum gesserit, ut ab antiquis accepimus, qui momenti plus afferunt ad promerendam fidem, quam Salmasii vel sine auctoritate ratio, si quam haberet, vel citra rationem auctoritas, quæ est in illo non exigua, sed nulla. Fuerit Marcus cum Petro aliquanto tempore, et cum eo civitates, ac provincias obeundo peregrinatus sit; nemo tamen hoc perpetuum fuisse demonstrat, et in Ægyptum postremo missum hunc a Petro, constans est veterum opinio. Quid hic tergiversamur? aut cur non præfecturam illius ecclesiæ mandatam esse Marco credimus, hoc est episcopum istius esse factum? Sane nihil obstat, quominus, et privatim urbis alicujus per sese curam susceperit, et toti nihilominus Ægypto præfuerit; quemadmodum Metropolitæ omnes, itemque Patriarchæ deinceps fecerunt; tum in provinciis ad Christianam religionem recens aggregatis Bonifacius Moguntinus, aliique plures instituerunt. Neque satis acute Salmasius, quod in uno; alterove contigisse legit, ut ad tempus allegarentur ad certas constituendas, vel ordinandas ecclesias, id valere putat in omnibus. Ut enim de Timotheo, vel altero aliquo concedam, de Marco et similibus, argumento quopiam, si potest, a nobis exprimat, nec sola sit affirmatione contentus.

III. Qui « constituebant ecclesias, inquit, vel per se, vel ex præscripto majorum Apostolorum, non ipsi earum erant episcopi speciales, quia episcopos in iis ecclesiis ordinabant, id est presbyteros. » Quam hoc facile dicit, tam a nobis facile contemnitur. Quid autem ineptius quam illud ipsum ad probandum afferre, de quo inter nos controversia movetur? Duo enim asserimus, et Marcum a Petro Apostolo missum Alexandriam, ut ecclesiam ibi constitueret, indeque, tanquam ex arce, pristina per Ægyptum expugnata superstitione, Christi fidem importaret, et ibidem episcopalem sibi sedem jussum esse capere. Salmasius, ut hoc posterius evertat, sumit id, quod negamus, nemini, qui ad constituendas ecclesias destinabatur, specialem loci illius episcopum licuisse fieri. Atqui non nos ambo ista temere, et a nobis ipsis, tanquam ariolando dicimus, ut sunt pleraque Cathari, sine auctoritate ac ratione conficta; sed quæ ab sanctissimis, et gravissimis auctoribus memoriæ prodita sunt, ex Ecclesiæ, ac venerandæ antiquitatis archivis promimus. Contra quæ iste nihil aliud nisi φλυαρεῖ, καὶ πτερυγίζει, « Mens enim non sanari, sed vincere cupiens, aversa ab his, quæ dicuntur, ad nihil aliud intenta est; nisi ut inveniat, quod pro suis partibus eloquatur, » ut ait Maxentius[2]. « Contemptores auctoritatum veterum, quod recte scribit Hormisda Papa[3], novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam. »

Nugatur et conatur instar pullorum volare tentantium.

IV. Hieronymus ecce in epistola CXXVI auctor est, « Alexandriæ a Marco Evangelista, usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominasse. » Huic cum assentiatur Salmasius, nonne primum sedis illius episcopum fuisse Marcum fatetur? Nonne quod et falso, et pertinaciter asserit, ejurare cogitur, nullum, nisi post obitum Apostolorum, ulli ecclesiæ singularem episcopum præfuisse? Marcus enim Apostolorum vixit ætate, et, ut Hieronymus scribit ex Eusebio[4], octavo Neronis anno, ante Petrum, ac Paulum pro Christo mortuus est. Tum, iisdem testibus. Marco successit Anianus; isque post annos duos et viginti moriens successorem habuit Abilium anno 4 Domitiani, vivente adhuc Apostolo Joanne. Igitur superstitibus adhuc Apostolis, episcopus in una ecclesia unus est positus, ac supra presbyteros constitutus; neque verum est, « Apostolorum ætate in commune presbyteros Ecclesiam rexisse pares omnes honore, ac potestate. » Nam quisquis ille fuit a Marco, hoc est Apostolorum ætate cœptus in excelsiore collocari gradu, sub episcopi nomine; par utique non fuit honore ac potestate iis, quibus erat excelsior. Hæc enim duo invicem contraria sunt. Quæ tamen Salmasius, pro eo ac solerti, et acuto judicio est, ambo tuetur, et affirmat, dum et Hieronymo credit Alexandrinæ primatem ecclesiæ presbyteris excelsiorem cæteris, et episcopum asseveranti, et eumdem *pari* cum cæteris *honore*, *ac potestate* fuisse scribit.

Hieronymi de Marco testimonium

V. Atenim Ambrosii sæculo, « Alexandriæ presbyteri consignabant, si præsens non esset

1 Ad Ep. LXVI. — 2 Dial. II init. — 3 Ep. *ad Possess.* — 4 Lib. *de Script.*

episcopus. » Porro, « Si manus imponebant ad sacramentum Confirmationis dandum, etiam verisimile est, imposuisse ad ordinationes faciendas. » Ita Salmasius ratiocinatur, ut nullum tunc specialem episcopum Alexandriæ præfuisse colligat. Sed cum Hieronymi testimonium approbet; neque falso eum dixisse putet, quæ de primatu Alexandrinæ ecclesiæ prodidit, cujus est judicii, conjecturis ac *verisimilibus* niti, ut nullum singularem fuisse probet Alexandriæ episcopum, presbyteris excelsiorem omnibus, cum aperte, ac diserte talem fuisse confirmet Hieronymus? Uno verbo, vel falso istud Hieronymus, vel vere asserit. Si falso; cur illum ipsum Hieronymi pro se locum adduxit? cur momenti in eo aliquid posuit? Sin verum est, ut est profecto, quod de Marco et Alexandrinorum successione præsulum ex hujus ecclesiæ laterculo ab Eusebio, et Hieronymo scriptum est; nugari Catharus desinat, et inanibus ac ludicris conjecturis contra fidem vetustatis obniti. At etiam imperite consignationem, quam post Baptismum, absente episcopo, usurpabant in Ægypto presbyteri, impositionem esse manuum existimat; in quo valde fallitur. Nam consignatio est chrismatio, sive unctio, quæ distingui solet ab impositione manuum, quam soli administrabant episcopi. Nec unquam Salmasius probare ullo exemplo poterit, manus ab alio rite, quam ab episcopo, in sacramento Confirmationis, ac secundum chrismationem, impositas fuisse; de qua re alias exquisitius agetur. Quare ludicra illius est argumentatio, non ab ea solum parte, quod presbyteros Alexandriæ manus imposuisse dicit « ad sacramentum Confirmationis dandum, » cum de sola *consignatione*, id est *chrismatione*, memoriæ proditum illud sit non ab Ambrosio, sed ab auctore commentariorum in epistolas Pauli, qui nec Ambrosius est, neque quod viri docti complures existimant, Hilarius diaconus ex Luciferianorum schismate, ut supra demonstravimus*. Verum non eatenus tantum frivola est Salmasii conjectatio, sed eo falsa, et insulsa, quod eamdem sumit rationem esse Confirmationis, et Ordinationis, ut si, absente episcopo, presbyteri prius sacramentum administrarint, posterius etiam contulerint; quod multis modis est absurdum, et non solum ab Catholico dogmate, sed ab omni insuper usu, ac more Christianæ vetustatis alienum, ut Ordinis sacramentum per impositionem manuum dederit alius, quam qui consecratus esset in episcopum.

VI. Quod « de Marco dixit, hoc idem de Evodio Antiochiæ dicendum, » ait Salmasius. Et verum est, idem de utroque dicendum, sed non quod ille dixit; quia verum non est, quod Christiana omnis antiquitas dixit, ac credidit, ut illum Alexandriæ primum, sic hunc Antiochiæ post Petrum episcopum fuisse. Quid autem nugacius hac illius disputatione? « Evodius ille, inquit, qui ei successisse dicitur in Antiochena ecclesia, discipulus aliquis ejus (Petri) ac συνεργὸς fuerit, cui curam demandavit ecclesiæ illius ordinandæ, et constituendorum in ea presbyterorum. » Age, quod ultro dat nobis, accipiamus. Fuerit Evodius unus ex *coadjutoribus* Salmasianis, itidem ut Jacobus. Certe quod huic concedit, illi negare non potest; nisi sortiri, quid dicat, potius velit, quam certa, et prudenti ratione duci ad asseverandum. Cum igitur Jacobus ille majorum Apostolorum συνεργὸς, et ex eorum nutu, et arbitrio pendens, Hierosolymitanæ ecclesiæ, ac toti presbyterio cum potestate et auctoritate præpositus sit; idem de Evodio fatendum illi erit. Etenim, si Jacobo nihil munus, et officium illud obstitit *coadjutoris* et συνεργοῦ, quominus certam Herosolymis sedem caperet, nec extra eam vagaretur, ut Salmasio placet; cur Evodium Antiochiæ resedisse, ob eam ipsam causam negat, quam in Jacobo dissimulat? Si enim *coadjutor* Apostolorum nullibi hærere potuit, neque certa in ecclesia præfecturam gerere; quid Hierosolymis Jacobus ille faciebat, aut cur presbyteris, et iisdem episcopis ibi præerat, episcopus ipse ac presbyter, adeoque episcoporum episcopus? quod idonei probat auctoris testimonio acutissimus Salmasius, Pseudoclementis in epistola *ad Jacobum*. Quod si συνεργοὶ illi ab Apostolis alicubi collocari poterant, et propriam sedem, ac præfecturam obtinere; quæ tandem invidia est, Evodium simili in officio, et gradu *coadjutoris* positum, cum eadem Antiochiæ potestate ex Apostoli Petri auctoritate constitisse? Quem quidem episcopum fuisse, et ita nominatum esse, non potest inficiari Catharus; siquidem presbyter fuit, et presbyteri omnes episcopi vocabantur, ut ille putat. Porro id supra

Evodium fuisse Antiochiæ episcopum nequicquam obstrepente Salmasio.

Coadjutor.

Coadjutores

* De hac Ægyptiorum presbyterorum *Consignatione* variæ sunt scriptorum sententiæ, quas Witassius recenset *de Confirmatione* p. II, quæst. II, artic. 5, p. 845. Venetæ editionis 1738. Z.

reliquos habuit Evodius, quod et Jacobus, ut omnibus præesset, essetque episcoporum episcopus, hoc est singularis episcopus; quia nullus alius pari jure ac dignitate in ecclesia illa fuit. Singularis ergo fuit, et ut presbyter, sic episcopus singularis; quomodo Latinos inter oratores, singularis orator Cicero dicitur, inter poetas, Virgilius. « Sicuti, ait Justinianus[3], quum poetam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius; » et tamen poetæ sunt omnes, sed inter omnes singularis est nonnisi unus.

VII. Neque vero, cum de prima illa Ecclesiæ orientis ætate quæritur, an per civitates singulas singuli fuerint præsides, ac præpositi, sive in quibusdam illarum; curandum istud est, an illis subjecti presbyteri episcopalem consecrationem habuerint, an simplices fuerint presbyteri. Nihil hoc enim ad præsentem controversiam spectat, quæ in eo tota vertitur, an unum per ecclesias caput, hoc est singularis antistes, et episcopus fuerit; *Polyarchia.* an ubique πολυαρχία constituta sit, et plures singulis presbyteri, et episcopi pari omnes potestate, et auctoritate præfuerint, quod Salmasius existimat; imo vero quid de eo liquido, ac bona fide sentiat, expiscari nemo possit; modo enim hoc, modo illud asseverat. Nunc, inquam, in ecclesiis omnibus plures eadem, ac pari potestate, et auctoritate rectores collocat. « Tunc temporis, inquit, id est, Apostolorum ætate, in commune presbyteri ecclesiam regebant, pares omnes honore, ac potestate. » Et postea, « In unaquaque urbe, Apostolorum ævo, plures semper constitutos esse episcopos, qui et presbyteri dicebantur, et communi tum eorum presbyterorum, sive episcoporum consilio gubernatas fuisse ecclesias. » Nunc vero unum aliquem localem et singularem episcopum presbyterio ab Apostolis fuisse præpositum asserit; velut Jacobum majorum Apostolorum συνεργὸν, et ex eorum auctoritate *Coadjutorem.* pendentem, Hierosolymitanæ affixum ecclesiæ fuisse. *Coadjutores* Cum enim συνεργοὺς istos, et Apostolos minores a majoribus « immediate missionem suam accepisse, et missos ab iis esse dicat, ut ex præcepto, et mandato eorum, a quibus mittebantur, presbyteros, eosdemque episcopos constituerunt; » Jacobus autem « Presbyterio, hoc est cœtui episcoporum, sive presbyterorum in illa civitate constituto præfuerit, » et ibi affixus manserit; nonnisi *ex mandato et præcepto Apostolorum* hæsit in illa urbe, et ecclesia, quandoquidem « hi συνεργοὶ Apostolorum, qui *Coadjutores* et Apostoli quodammodo eorum, nulli civitati erant adfixi, sed *pro arbitrio Apostolorum, quibus ad hoc munus subserviebant*, in varias civitates mittebantur. »

VIII. Igitur Jacobus *pro arbitrio Apostolorum*, et *ex eorum mandato* Hierosolymis resedit; et cum ex officio vagari, et quocumque vellent hi, *quorum* συνέργὸς *erat, et quibus* *Coadjutor.* *subserviebat*, proficisci deberet, ac missionem, functionem, et curationem exercere sibi a Majoribus impositam, et injunctam; plane singularis illa præfectura, qua presbyterio Hierosolymitano præfuit, et *episcopus episcoporum* fuit, de voluntate, et mandato, auctoritateque venit Apostolorum. Siquidem « Presbyterorum, vel episcoporum illi cœtui Apostoli gubernandam ecclesiam Hierosolymitanam commiserant, » nec Jacobus aut eamdem ecclesiam gubernare, aut iis ipsis presbyteris, et episcopis præesse potuit, nisi ab Apostolis iisdem esset impositus, atque destinatus Ecclesiæ, ab quibus missio illius, et officii, ac ministerii ratio tota pendebat. Age enim, cum Paulus Timotheum Ephesi, ac Titum in Creta insula manere jussit, et Apostolicum ibi munus, quod et episcopale Salmasius esse concedit, obire præcepit, a quo demum ambo episcopalem illorum locorum curationem, et præfecturam acceperunt, nisi ab Apostolo Paulo, cujus auctoritate ac mandato illorum est provinciis istis alligata, et circumscripta missio? Dubitabimus, igitur, quin iisdem argumentationis vestigiis eo perveniatur, ut ab Apostolis Jacobus Hierosolymitanæ ecclesiæ primatum, ac præfecturam acceperit; ac sit ab illis civitatis ejus creatus episcopus? Nonne, si Romanus pontifex episcopum aliquem ordinet, sive certæ cujusdam ecclesiæ, si nullius nominatim, sed ita, ut certam ei postmodum destinet, utroque modo ab Romano pontifice factus dicetur ecclesiæ illius episcopus? Nemo sit, opinor, tam ineptus, qui hoc negare audeat. Ergo, cum et Jacobus Apostolatum, id est episcopatum, *immediate* ab Apostolis acceperit, ut Salmasio placet; et, ut idem asseverat, et ex eorumdem arbitrio, Hierosolymitanæ ecclesiæ curationem, et præfecturam nactus sit; num aliud, quam valde insulsum

1 Lib. I *Instit.* tit. II.

ineptumque esse statuas, qui episcopum nihilominus neget Hierosolymæ Jacobum ab Apostolis esse factum? Mirum est cum hæc legerit, ac fœdam illam decretorum pugnam secum agnoverit, si non eum tantæ levitatis, et ἀκρισίας *inscitiæque* pudeat.

CAPUT X.

De Romana sede, et episcopis illius, quos a Petro singulares in ea præfuisse probatur. Variæ sententiæ veterum de Petri successore. Fuisse tamen unum certum, et singularem. Irenæi de eo testimonium, et aliorum antiquorum. Salmasii quoque consentiens de eo sententia; et mira ejus inconstantia, et implicata inscitia. Excutitur Clementis locus ex epistola ad Corinthios.

Cum Apostolicas traditiones ex earum ecclesiarum auctoritate, quæ ab Apostolis fundatæ sunt, probare vellet Irenæus[1], unam ex omnibus Romanam sumpsit ecclesiam, ex qua de reliquis, quas commemorare longum esset, certa fieri conjectura posset. Eadem nunc ad institutam disputationem valet argumentatio; et ex illius urbis episcoporum serie, vera, et Catholica contra Salmasium firmatur opinio : fuisse singulares in ecclesiis præsides Apostolorum tempore : neque πολυαρχίαν, id est ἀναρχίαν in illis esse constitutam.

Polyarchiam.... anarchiam.

In Romana sede singulares post Petrum demonstratur sedisse episcopos.

Quod ex Romana præ cæteris insigniter elucet; cujus a Petro, Pauloque ductam episcoporum successionem, et Christianæ antiquitatis memoria testatissimam, in dubium vocare sit imperiti, negare autem, præter modum impudentis. Id quidem supra capite secundo multis, et gravissimis testibus palam esse confido factum; qui accurate singulorum ad sua quique tempora numerum, ordinem, ac nomina perscripserunt. Et quamvis, ob sententiarum discrepantiam, haud plene constet, quinam proxime a Petro, ac deinceps per aliquot capita, pontificatum gesserint; illud inter omnes convenit, unum ibi, et singularem, toti non modo Clericorum collegio, sed etiam Ecclesiæ præpositum fuisse, sive simplex is hactenus presbyter erat, sive episcopalem consecrationem habebat, ut tunc moris fuit, plures in clero episcopos fieri, qui per Romani Pontificis absentiam, aut aliis de causis, quæ in amplissima, et principe omnium Ecclesia necessariæ esse solent, propria illius ordinis munera præstarent.

II. Hoc ne temere quispiam divinare nos existimet, testem dabimus idoneum rei hujus Epiphanium, qui in hæresi XXVII de hac ipsa Romana in ecclesia Pontificum successione accuratius disserens[2], ex Irenæi descriptione post Petrum et Paulum sedisse Linum ait; post hunc Cletum, deinde Clementem. Quem scribit Petri et Pauli tempore floruisse; neque tamen proxime ab illis sedem obtinuisse, sed quartum ordine; cujus rei causas affert duas. Aut enim, adhuc illis viventibus, impositione manuum accepta, usum officii detrectavit; aut a Clero demum ordinatus est. Tum addit, « Fieri potuisse, ut etiamnum superstitibus Apostolis Petro et Paulo, alii episcopi constituerentur, eo quod Apostoli sæpe prædicandi Christi gratia in alias regiones peregre proficiscerentur; nec posset Romana civitas sine episcopo esse [a]. » Plura de hoc apud Baronium leges in *Annalibus*[3]; neque enim instituti est nostri diligentius in hanc historiam inquirere. Et alioqui tritum illud est, et omnibus notum, in primariis ecclesiis, sub summo antistite, alios fuisse velut adjutores, qui illo vel absente, vel aliis negotiis implicato, vices ejus implerent. Quod illo maxime tempore usuvenit, cum et primi sedium episcopi, imprimisque Romanæ, Petrus et Paulus, varias in provincias prædicandi causa longius abirent, (ut nominatim refert Epiphanius) et in Clero sub initium Christianismi, complures essent episcopali consecratione præditi presbyteri; quod in primo libro *Dissertationum Ecclesiasticarum* contra Trapezitam Catharum ostendimus.

a Epiph. hær. XXVII, num. 6. Πλὴν ἀλλὰ, καὶ οὕτως ἠδύνατο (for. ἠδύναντο) ἔτι περιόντων τῶν Ἀποστόλων· φημὶ δὲ τῶν περὶ Πέτρον, καὶ Παῦλον, ἐπισκόπους ἄλλους καθίστασθαι· διὰ τὸ τοὺς Ἀποστόλους πολλάκις ἐπὶ τὰς ἄλλας πατρίδας τὴν πορείαν στέλλεσθαι, διὰ τὸ κήρυγμα τοῦ Χριστοῦ· μὴ δύνασθαι δὲ τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν ἄνευ ἐπισκόπου εἶναι.

1 Iren. lib. III, Vide supra cap. II. — 2 Num. 6. — 3 Ad ann. LXIX.

III. Nihil igitur Salmasius argumentatione sua promovet; qui propterea neminem ullibi singularem ecclesiæ rectorem fuisse dicit, quod constat plures in omnibus episcopos esse constitutos. Nam utrumque verum esse, persuadent ea, quæ hactenus diximus; et idem Salmasium postea confitentem audiemus. Cujus id esse proprium, sæpe testatus sum, ut neque pensi habeat, quam constanter, convenienterque scribat, et multa sibi adversantia in eamdem propemodum paginam includat. Hujus ergo contemnenda sunt ista : « Si Clemens Romæ specialem episcopatum post Petrum tenuit, plures Romæ eodem tempore episcopos exstitisse necesse est. Nam Linus, et Cletus etiam episcopi Romæ fuisse memorantur, et quidem omnes Petro vivente. Paulo ante obitum suum consecrasse Clementem traditur in libro de vitis Pontificum. Sic tres episcopi Romanæ ecclesiæ cum Petro fuere. » Ne puero quidem difficile est hunc nodum solvere. Nam illa sunt ejusmodi, ut sive neges, sive concedas, tantidem sint ad id, quod cupit, ratione concludendum. Epiphanius, ut paulo ante vidimus, rem in dubio ponit. Quod si quis Linum, et Cletum, imo et Clementem, vivo adhuc Petro, episcopos fuisse, id est manuum impositione consecratos esse defendat; poterit una singularem tueri unius Ecclesiæ præfecturam, cum supra plures summus emineret aliquis, cui post alios deinceps alii successerunt. Neque vero nominis interest, sive episcopus, sive episcopus episcoporum, sive aliud quodpiam genus appellationis habuit; dum de re ipsa constet. Quis illum vero cogit sic inepte colligere : « Omnem illam confusionem de primis Romæ episcopis non aliunde ortam esse, quam quod episcopi non fuerunt, quos fuisse dicunt? » Quid hoc imperitius? Eodem enim jure concluseris, si quid in Regum, aut Pontificum, aliorumve principum descriptionibus controversiæ sit, nullos omnino successores fuisse, quoniam qui fuerint, incertum habeatur. Cur non antiquos potius sequimur, qui et episcoporum illorum seriem perscripserunt; et cur diversi in serie ponerentur, probabilem reddidere causam?

IV. Nobis Irenæus satis dignus videtur, cui de rebus istis paululum ætatem suam antegressis fides habeatur. Magis hoc utique meretur, quam adulterini isti, ac suppositii, quorum ad auctoritatem, ubi commodum sibi putat, confugere solet Catharus. Irenæus ergo Lino « ab Apostolis episcopatum administrandæ Ecclesiæ traditum[a] » scripsit; cui Eusebius, aliique veteres assensi sunt, quos in capite secundo supra memoravi. Neque nos ab hac de singularibus Romæ, vel aliarum civitatum præsidibus, opinione dimovet commentum illud Salmasii, hujusmodi συνεργοὺς, quales Linus et Clemens fuere, nullius certi loci ab Apostolis ordinatos episcopos. *Coadjutores* Quod nec unquam ille probare potuit, certe hactenus non fecit; et nos in superioribus capitibus, ingenti mole, ac pondere auctoritatis elisimus. Etenim iidem illi falso, ac temere id esse confictum arguunt, qui singulorum in ecclesiis successiones episcoporum adnotant, Irenæus, Ignatius, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Optatus, Hieronymus, Augustinus, qui et quales viri! tum alii innumerabiles, quibus unicum opponere grammaticuli Cathari supercilium, id vero est non, ut ille de Scena, *cum ratione*, sed *sine ratione*, et communi sensu *insanire*, ac furere. Denique Jacobum iste Apostolum, et Apostolorum συνεργὸν, unumque de genere *Coadjutorem.* illo, cui vagandi, et ambulandi sine fine partes mandavit Salmasius, certo in loco mansisse vult, et Hierosolymis nunquam pedem extulisse; quod etiam de Joanne Apostolo docuit. Quod utrumque licet ariolando, ac sine teste sumit; tamen, quia contra se hoc imprudens posuit, ut alias fere consuevit, quid inde concludi possit, obiter videro, ut quam sit non Dialecticæ modo, sed etiam ratiocinandi rudis, agnoscat.

V. Etenim quis hoc ex primis elementis argumentandi non didicit, quod in libro I *Priorum Analyticorum* Aristoteles, et ante hunc sua cuique ratio præscripsit, cum universe, ac generatim aliquid enuntiatur, sive affirmando, sive negando; ut id falsi coarguatur, satis esse, si contrarium ejus, quod universe pronuntiatur, in uno aliquo monstretur? Ut si quis dixerit, *Omne animal est rationale*; vel, *Nullum animal est rationale*, statim ille convincetur, si et *aliquod animal non rationale esse* probavero, et *quoddam esse rationale*. Jam doctissimus Salmasius, ut illud contra antiquos omnes adstruat, nullum singularem episcopum Apostolorum ætate ulla in ecclesia fuisse, aut hoc etiam, Jacobum

a IREN. lib. III, cap. III, ita Græce apud Euseb. lib. V *Hist.* cap. VI. Θεμελιώσαντες οὖν, καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρησαν.

Hierosolymitanæ, Marcum Alexandrinæ ecclesiæ, vel si qui alii in singulis ecclesiis singulares fuisse perhibentur earum præsides, non singulares fuisse ; sic argumentationem suam instruit, ut certe facere debuit : Omnes et Apostoli, et Apostolorum adjutores, et συνεργοὶ, qui illis temporibus exstiterunt, varias urbes, et provincias obeundo paragrarunt. Vel ita : Nullus Apostolus, aut Apostolorum συνεργὸς certo in loco sedem, ac domicilium fixit. Tum ita nectit : Atqui Jacobus, et Marcus, et quicumque alii referuntur illarum ecclesiarum præsides, συνεργοὶ fuerunt. Neque igitur Jacobus Hierosolymitanæ ecclesiæ, neque Marcus Alexandrinæ, neque cæteri privatim ecclesiarum illarum, quibus præfuisse narrantur, præsides, ac rectores exstiterunt. Hæc tota vis est Salmasianæ argumentationis, imo dissertationis illius sub Messalini persona ab illo editæ, summa atque complexio. In hoc, inquam, uno argumento, ac syllogismo totus ille, quantus est, liber consistit. Eo detracto, et exturbato, ruit moles universa, et in pulverem, ac ruinas, collapsa dissipatur.

VI. Num igitur adversaria illi manus expectanda fuit, quæ structuram istam labefactaret, ac disjiceret? Prorsus hoc necesse non fuit. Nam ipsemet iisdem in paginis, quæ molitus erat, evertit; et, ut furiosus ille, ignem ædibus suis injecit, ac vineta sua, et arbusta cecidit. Etenim duo, quæ invicem contraria sunt, enuntiata isto in libro tuetur, ut et nullum affirmet ex ordinis secundi Apostolis certo in loco mansisse, aut ulli ecclesiæ singulari præfuisse, et Jacobum unum ex eodem secundo ordine Hierosolymitana in ecclesia mansisse perpetuo, nec ex ea pedem movisse, et eidem tamen præsedisse. Si Jacobus unus τῶν συνεργῶν, et *adjutorum* vacationem habuit laboriosæ functionis, neque vagari, ac peregrinari ex officio compulsus est ; si Joannes magnorum unus Apostorum idem jus impetravit ; cur non et Marcus, et Evodius, et Linus, ac reliqui omnes, quibus certarum ecclesiarum præfecturam omnis retro antiquitas adjudicavit? Aut qua fronte de istis argumentari poterit ex communi effato illo : Neminem istius generis in uno loco resedisse : si in Jacobo et Joanne falsum illud esse ipsemet fatetur ? Dicat colorem aliquem, si potest, quo se ab illa fœda, et indigna sano quovis, ac sobrio conflictione defendat.

VII. Quocirca puto neminem ignorare jam posse, qui antecedentem omnem disputationem legerit, nihil ratiocinatione ista futilius esse, quæ in tota tua, Messalino-Salmasi, dissertationis farragine regnat ac sola dominatur ; nec, ea tibi ingratiis excussa, restare aliquid non eruditi modo, sed humani quoque sensus, minimeque stupidi, ut ex ἀδολεσχίᾳ ista, cui te tua temere, ac falso quidvis asseverandi levitas, et βαττολογίᾳ obnoxium fecerat, in manifestam ἀλογίαν incideris. Itaque pessime te ratione usum esse, et tibimetipsi repugnare te, ne tu ipse quidem inficiari audebis, nisi te tui amor occæcavit. Quod autem ex Clementis epistola *ad Corinthios*, aut etiam altero quopiam ætatis ejusdem ea probare, quæ asseris, posse confidis, non minus hallucinaris. Sed antequam singillatim illa persequor, ac tibi nihil esse contra catholicam fidem, et opinionem meam, in antiquitate præsidii, demonstro ; prius illud volo universe de te prudens lector æstimet, cujusmodi tandem vis in te judicii sit, et quam in ista nostra concertatione tua sapiens, et bene provisa ratio. Tu cum habeas diserta, et expressa Scriptorum ejusdem propemodum sæculi, ætatisque testimonia, ut Irenæi, Ignatii, ac cæterorum deinceps, quos percensui, qui ex ecclesiarum singularum archiviis, et scriniis continuatam inde jam ab Apostolorum tempore seriem antistitum, et episcoporum singularium exhibent, tamenne tergiversaberis ? tamen obscuris, et incertis, nec minus pro nobis, quam pro te facientibus, minus certe, quam nostræ sunt, explicatis et apertis contra nos, et illos auctoritatibus abuteris ?

Garrulitate

Inanis loquacitas.

Absurditatem.

VIII. Age enim Clementis, quem unum ex antiquis testem pro te firmissimum habere te putas, verba ipsa spectemus, doceamusque, nihilo tuam illius auctoritate munitiorem esse pravitatem dogmatis, et inscitiam. Scribit Apostolos, « per regiones et civitates prædicantes, primitias earum, per spiritum approbatas, in episcopos, et ministros constituisse eorum, qui credituri erant[a]. » Ac ne « quis putet, eos episcopos accipiendos esse de isto genere episcoporum, qui hoc tempore ita vocantur, presbyteris majorum, sequenti capite πρεσβυτέρους illos appellat, et plures tam

Excutitur Clementis locus in epistola *ad Corinthios.*

a Clem. epist. I *ad Cor.* Κατὰ χώρας οὖν, καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους, καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.

in Corinthiaca ecclesia, ad quam scribit, quam in aliis per illa tempora fuisse significat, » ait Salmasius. Sed quid illud adversatur opinioni nostræ, aut contrariæ suffragatur, id est tuæ? Primum non hoc asserit Clemens, plures in singulis ecclesiis episcopos, et eosdem presbyteros fuisse pari omnes auctoritate, ac potestate, nec unum aliquem illis præfuisse. Quod si diceret, non nos magis, quam te ipsum læderet, qui idem nobiscum fateris, cum etiam contrarium eodem in libro doceas, nec, nisi doceres, tam loquax esse posses; quid enim diceres, nihil prorsus haberes. Hoc igitur detracto, quod Clemens non ait, plures eodem jure, auctoritate, dignitate, in omnibus ecclesiis fuisse semper episcopos; superiorem inter eos neminem μάτην κορυβαντιᾷς, καὶ σιβυλλᾷς, et, ut Sisyphus ille, frustra idem, quod assidue versas,

In vanum more Corybantum insanis et Sibyllarum.

« Saxum sudas nitendo, neque proficis hilum:

non solum contra me, ut dixi, sed etiam te contra, qui mihi assentiris. Nonne me affirmare scis, primis illis Ecclesiæ temporibus, quibusdam in civitatibus presbyteros plures cum episcopali consecratione creatos esse, eosdemque dictos episcopos? Huic tu illud adjungis, inter illos presbyteros unum aliquem primatum habuisse, utique dignitate cæteris antecellentem; quod non modo non repugnantibus nobis, sed etiam approbantibus dicis. Doce huic esse dissentaneum, quod ab Clemente in illa epistola scribitur. Nisi id agis, muto tibi esse præstat, quam incassum tantum verborum perdere.

IX. Atenim « de Petro nihil nominatim dicit, a quo constitutus Romæ episcopus dicitur, sed generatim de omnibus Apostolis,» eos, cum futuram prævidērent de episcopatu contentionem, hujusmodi Ecclesiæ presbyteros, et præfectos nomine episcoporum ordinasse. Verum non de sola ibi Romana loquitur ecclesia, sed universe de omnibus, quas Apostoli variis in locis instituerunt, idcirco Petri nominatim non meminit.

Sed nec illud majoris est ponderis, quod ecclesiæ Romanæ nomine concepta est hæc epistola Clementis: « Nec Clemens igitur fuit episcopus Romæ singularis et unicus, ait Catharus, nec Romano presbyterio præfectus; sed unus ex illis Apostolorum ministris, quorum opera uti solebant in ecclesiis constituendis. » Vana, et imperita collectio. Nam et ecclesiæ totius Romanæ nomine ad Corinthiacam scribere Clemens potuit; et illi ipsi Apostolorum ministri, quorum opera constituebant ecclesias, earum præfecti fuerunt, ut Catharus Salmasius affirmat, et Jacobi exemplo probat. Quare cum Clementem ejusdem, ac Jacobum ordinis fuisse censeat), non minus ille Romanæ ecclesiæ præfuit, quam iste Hierosolymitanæ. Quod idem de Corinthiaca ecclesia dicendum est, cui suus perinde primas, et præfectus tum fuerit ex Salmasii decreto; quanquam interregnum ibi per illud tempus esse potuit, cum ecclesiæ Romanæ nomine Clemens ad illam scripsit.

CAPUT XI.

Salmasii de singularibus per Ecclesias præfectis, et episcopis Apostolorum ætate, accuratius explicatur opinio, ac mirifica secum illius repugnantia convincitur. Dici ab illo fuisse per singulas Ecclesias singulares episcopos, presbyterii primates, qui nomine, dignitate, jurisdictione antecellebant cæteris; quod in eodem libro rursus negat. De Apostolis minoribus, et majorum adjutoribus, fœda illius conflictio. Jacobum, Marcum, ac cæteros Apostolorum ætate veros certarum sedium episcopos fuisse, eodem adstipulante Salmasio.

I. Volo nunc plenius illud exponere, quod superiori capite docui, Messalino-Salmasium istud ipsum, quod in nobis, et Catholicis omnibus reprehendit, sentire, ac libro in suo docere: Apostolorum ætate unum aliquem in ecclesiis fuisse præsidem, ac præfectum, qui non minus episcopus, quam presbyter appellatus fuerit; ex quo stupenda, prodigiique similis istius ἀκρισία, cæcitasque fiet, quo nemo inimicior est, ac magis adversarius, quam ipse est sibi.

Salmasius in capite quarto dissertationis ita scribit: « Antiquior, ac prior mos fuit ecclesiarum ab ipsis Apostolis institutus, ut primatus inter presbyteros non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Quod Hieronymi testimonio approbat, qui id a Marco institutum refert. At Salmasius etiam Marco id antiquius putat, et ab ipsis Apostolis profectum. Quod

Exponitur Salmasii opinio de successione episcoporum ejusque secum conflictus.

deinceps in sequentibus paginis explicare pergit : itaque censet, primatum illum Apostolorum institutione, ex ætate tributum esse, sive ordinationis tempore, ac « toto id primo sæculo, et ad initium secundi invaluisse. » Postea non ex ordinationis tempore, sed ex merito, et electione concessum.

Rursus in eodem capite, de illa ipsa primi sæculi institutione loquens, « Ita inter presbyteros, ait, prima sedes dabatur, sive πρωτοκαθεδρία ei, qui ordinatione antiquior cæteris esset. Qui successionem primorum in variis civitatibus episcoporum litteris consignarunt, dum ad suorum temporum consuetudinem respiciunt, episcopos nominarunt, qui primi erant ordinis ex tempore ordinationis, et qui primum in ordine officii gradum habebant. »

Per excellentiam.

II. Hactenus in presbyterio primatum Salmasius agnoscit Apostolorum tempore, et ab iis institutum ; hoc est unum aliquem in *priore, et altiore gradu constitutum :* Mox vero istos etiam concedit κατ' ἐξοχὴν episcopos esse dictos. Nam post illa verba, quæ proxime ante descripsi, in quibus asserit, eos, « qui successionem primorum in variis civitatibus episcoporum litteris consignarunt, eosdem episcopos nominasse, » subjicit hæc : « Fortasse etiam ita nominabantur κατ' ἐξοχὴν, quibus primatus eo modo delatus fuisset, cum cæteri nuncuparentur presbyteri. » Habemus igitur ex Salmasii confessione, singulares episcopos per civitates ab Apostolis factos, itaque nominatos. Saltem hoc probabile judicat, dum « fortasse ita, hoc est episcopos nominatos κατ' ἐξοχὴν putat, cum cæteri nominarentur presbyteri. »

Qua in re mirum in hoc homine conflictum opinionum, et inconstantiam licet animadvertere, qui illud idem, quod probabile ibi judicat, antea tanquam falsum absurdumque damnarat. Nam capite secundo sub initium, Græcos Apostoli interpretes refellit, qui dicerent, « tempore, quo scribebant Apostoli, presbyteros fuisse vocatos episcopos, episcopos vero presbyteros; nec tamen plures episcopos, sed unum singulis præfuisse civitatibus. » Et, « quomodo hæc, inquit, explicabimus, ut recta his sententia concilietur? » Mox illud redarguit eo argumento, quod, cum et « Episcopus ex consuetudine illius sæculi presbyter vocaretur ; et ipsi presbyteri, qui sub illo presbytero erant, episcoporum quoque appellatione censerentur, » si vera illorum esset sententia, « unus episcopus, qui et presbyter, pluribus presbyteris, qui et episcopi dicti, præfuisset. Hoc modo presbyter in presbyteros, id est pares, episcopus in episcopos summam habebat potestatem ; et nullum erat discrimen dignitatis. Quod in aliis corporibus, et collegiis nunquam usuvenit, ut fieret, aut audiretur. » Pergit deinceps in eadem disputatione latius explicanda, ut absurdum esse persuadeat, *tempore, quo scribebant Apostoli*, cum omnes et presbyteri, et episcopi nominarentur, unum aliquem inter plures exstitisse, qui peculiari appellatione diceretur episcopus, et dignitate præstaret. « Cum igitur presbyteri, inquit, omnes ex æquo vocarentur, et episcopi pariter omnes, nullum inter eos tum discrimen fuisse dignitatis, ex eo comprobatur, quia nullum esset appellationis. »

III. Quis hanc tantam, ac tam insignem decretorum repugnantiam vel mirari satis, vel castigare pro merito possit? Etenim quæ duo fieri istic potuisse negat, ut et unus aliquis præcipue, et κατ' ἐξοχὴν nominaretur inter episcopos episcopus, et dignitate præstaret; ea totidem in capite quarto, et in iis, quas adnotavi paginis, partim probabilia esse, partim vera certaque pronuntiat. De appellatione ipsa singulari unius e multis, « Fortasse, inquit, ita nominabantur (nempe episcopi) κατ' ἐξοχὴν, quibus primatus eo modo delatus fuisset, cum cæteri nuncuparentur presbyteri. » Et quamvis non minus ipse presbyter vocaretur, quam cæteri, tamen *in priore ac altiore gradu constitutus erat.* Tum addit, « Primo toto sæculo, et magna parte secundi, presbyterorum primates, quibus hunc primatum ordo tribuebat, in successionis episcoporum serie, *nomine episcoporum signati, et censiti sunt.* » Ergo nominatim *episcopi* vox, et appellatio uni alicui tributa fuit Apostolorum tempore. Hoc enim posterioribus hisce verbis affirmare dicit; quod paulo ante velut dubitabundus *fortassis* ita fuisse docuit. Fuerint igitur singulares aliqui in ecclesiis, et civitatibus singulis episcopi ab Apostolis instituti ; et falsum sit, quod alio in loco nullos ejusmodi exstitisse scripsit : sed commune tantummodo plures nomen istud habuisse.

IV. Quid deinde consequens erit ? quid ? Num aliud, nisi quod et ipse antea negabat, illos ipsos singulari episcoporum appellatione præditos, dignitate præstitisse reliquis, neque «pares omnes honore ac potestate» fuisse? Nam *primatem esse*, vel *primatum habere*, est *emi-*

nere, et *exstare* inter alios, iisque dignitatem habere majorem. Undecumque tandem *primatus* iste contigerit, sive ex ætate, id est ordinationis tempore, sive ex merito, et electione, nihil hoc ad rem facit. Nihilominus enim *primatus* fuit, id est, honor, atque dignitas potior. Nec vel fingi animo potest, *primatem* esse quempiam, qui par sit, et æqualis iis, quorum *primas* dicitur. Omnino etiam superiorem, et antecellentem esse eum oportet, quatenus primatum obtinet; et hoc ipsum πρωτοκαθεδρία, id est *prima sedes*, vel *primus gradus in ordine officii* significat, quæ Catharus Messalianus primatui illi Apostolorum ætate concedit. Quærendus profecto nobis est Œdipus aliquis, qui hoc ænigma illius explicet : « Verisimile ergo est, inquit, hoc idem institutum inter Ecclesiæ presbyteros, *qui omnes honore et potestate æquales erant*, obtinuisse primis Ecclesiæ temporibus.» Si omnes honore, et potestate erant æquales primis, et Apostolicis temporibus, quinam primatus inter ipsos honoris, ac dignitatis fuit? Fatetur id quod jam vidimus, et discrimen inter illos appellationis exstitisse, *quod unus κατ' ἐξοχὴν nominabatur episcopus ;* et eumdem hunc primatum habuisse ex prærogativa ordinationis. Alibi vero, *dignitatis discrimen* ibi nullum sit nominis. Quare si fuit Apostolorum sæculo, ac primis temporibus Ecclesiæ, *discrimen nominis* inter presbyteros, ut Salmasio placet; fuit etiam *discrimen dignitatis.*

V. Forsitan nominis, ac dignitatis discrimen tum fuisse concedet; potestatis, ac juris negabit; ut in turba presbyterorum, et eorumdem episcoporum unus excellens, ac *primus*, sive *primas* exstiterit, qui κατ' ἐξοχὴν *nominatus sit episcopus ;* ita tamen, ut pari omnes potestate fuerint. Hoc si dixerit; primum ne sic quidem effugiet, quominus turpiter a se ipso dissideat, qui, quod modo fatetur, id paulo ante pro falso, et absurdo repudiaverit : unum aliquem et nominis prærogativa, et honoris ac dignitatis fuisse singularem inter presbyteros; ac nobiscum, quos oppugnare instituit, invitus consentiet, qui primis illis temporibus, plures in quibusdam ecclesiis fuisse docuimus presbyteros episcopali dignitate præditos; nec tamen abnuimus, id quod apertius modo profitemur, et quod nobiscum Salmasius affirmat, unum inter illos fuisse primarium, et præpositum omnibus episcopum. Hoc vero posito, quid habet, in quo a nobis dissentiat? aut quid tandem in nostra opinione reprehendit? Nihil enim asserimus hac in re, quod non in dissertatione sua ille sit fassus ; etsi non liquida et sincera, sed turbida et confusa illius ex stylo manavit veritas, ut modo hoc, modo illud, et contrarium diceret ; dixit tamen hoc idem, quod nos defendimus, ut habent interdum amentes etiam, et furiosi quædam intervalla bonæ mentis. Quid igitur Messalino-Salmasius tam verbosa dissertatione sibi vult? aut in quo nos accusat? Dicimus, Apostolorum ætate unum aliquem fuisse in singulis ecclesiis episcopum, qui hoc sibi peculiare nomen haberet. Dixit hoc idem, qui nos reprehendit, Salmasius. Dicimus, singularem illum nihilominus episcopum esse dictum, etsi ii, supra quos eminebat, presbyteri nonnunquam episcopi vocarentur. Hoc idem Salmasius affirmat. Dicimus, honore ac dignitate presbyteris eumdem excelluisse cæteris. Hunc ipsum et ille primatum honoris, ac dignitatis agnoscit. Postremo præfuisse illum reliquis, et auctoritate, ac potestate præstitisse defendimus. Defendit hoc etiam Salmasius, ut ex superioribus consequens est, et deinceps disertius explicabimus.

VI. Nobiscum itaque hac illi in parte convenit ; nisi hoc uno forte distamus, quod nos uniusmodi sententiam tuemur, iste ab hac ad illam transvolat : et pugnantia invicem loquitur, et prout impetus eum animi tulerit, aut ut in locis communibus primum quodque scriptum a se, ac notatum invenerit; ita sine delectu, sine judicio, temere, ac tumultarie profundit. Hinc illud tanquam fatale huic accidit, nunquam ut scribat, quin contrariis tuendis, et affirmandis rebus in semet incurrat. Certe quidquid librorum ab illo hactenus exiit, genii est istius, ac notæ ; nec plura contra quemquam, quam contra seipsum in illis omnibus scripsit. Atque ut nondum ab eo recedam, quod hic agitur, quod portentum conferri cum isto potest?

Dixit in Trapezitico libro, et in dissertatione postrema contra nos acriter elatravit, unum et commune presbyteri et episcopi vocabulum omnibus fuisse Apostolorum tempore ; nec unum insigniter hoc sibi nomen usurpasse. Nec tantum dixit, sed eo insuper usus est argumento, nullum ut ostenderet fuisse discrimen dignitatis, cum non esset appellationis. Verba sunt illius : « Cum igitur presbyteri omnes ex æquo vocarentur, et episcopi pariter omnes, nullum inter eos tum discrimen fuisse dignitatis ex eo comprobatur,

quia nullum esset appellationis. » Quod *Præsidum* in Senatu, et *consiliariorum* exemplo probat sic : « Etiam hodie in senatu, quod Parlamentum est, ubi qui præsidet, non tali pollet supra senatores, qui consiliarii dicuntur, auctoritate, qualem nunc episcopus supra presbyteros habet. Præses tamen vocatur, non consiliarius ; et consiliarii quibus præsidet, sic appellantur, non Præsides.» Quocirca ubicumque dignitatis est discrimen, id est ubi unus supra reliquos eminet, et in altiori est gradu, ibi necesse est nominis esse discrimen, ex Salmasii regula. Ut in Senatu, sive *Parlamento*, Præses, quia dignitate cæteris antecedit, qui *consiliarii* dicuntur, non vocatur *consiliarius* ; sed proprium habet *Præsidis* nomen, quod non usurpant *consiliarii.*

VII. Hæc cum ibi tantopere affirmet, quanam ictus vertigine scripsit postea, in ecclesiis omnibus, tempore Apostolorum, « inter præsbyteros primam sedem, sive πρωτοκαθεδρίαν datam ei, qui ordinatione antiquior cæteris esset? » Item, cum omnes presbyteri nuncuparentur, sive episcopi, quemdam tamen episcopum nominatim κατ' ἐξοχὴν, cui primatus eo modo, id est, ex ordinationis tempore, delatus fuisset, cum cæteri nuncuparentur presbyteri. Sed nec minus et ille primus etiam Πρεσβύτερος vocabatur, quamvis primus esset presbyterorum, ejusdem utpote ordinis cum presbyteris; *sed in priore, et altiore gradu constitutus.* » Ergo inter presbyteros, et episcopos plures in eadem ecclesia dispar unius dignitas fuit sine appellationis discrimine, ut *et in priore, et altiore esset gradu constitutus*, et tamen eodem vocabulo censeretur. Ac ne dubitare possemus, in priore illo dicto eum esse mentitum, addidit insuper ad posterius istud, et contrarium probandum, de Atheniensium magistratibus exemplum, quos

Archontes. ἄρχοντας vocabant, e quorum numero unus fuit primus, et antecellens reliquis, qui et ἐπώνυμος dictus, quod ab eo fasti, annique signarentur, ut unumquemque annum ita distinguerent, ἐπὶ ἄρχοντος τοῦ δεῖνα, *Prætore N.* vel ἄρχοντος τοῦ δεῖνα : ut apud Athenæum libro quinto, sub finem, Ἄρχοντος Ἐπαμείνονος, *Prætore Epaminone*, Perdiccas Macedoniæ rex obiisse dicitur. In quo obiter est notanda Messalino-Salmasii puerilis hallucinatio in Solino-Plinianis exercitationibus, eaque duplex; tum quod negat dici Græce Ἄρχοντος τοῦ δεῖνα, sed addendum esse ἐπὶ, alioqui ἄρχοντος Ἐπαμείνονος significare, *Epaminone regnante;* tum quod Ἐπαμείνονα non putat appellatum esse Prætorem illum, sub quo Perdiccas obiit, sed Ἀμείνονα. Quod ex Athenæi loco illo refellitur; et nos plura de utraque labe judicii disputavimus[1] alibi, quæ hic obiter ad castigandam illius temeritatem, et in tuendis erratis pervicaciam adnotamus. Ut igitur Archontes illi novem, quos τοὺς ἐννέα nominabant, et omnes vocati sunt ἄρχοντες, et unus tamen inter illos insigniter id nomen habuit : « Eodem prorsus modo (verba sunt Cathari) primo toto sæculo, et magna parte secundi presbyterorum primates, quibus hunc primatum ordo tribuebat, in successionis episcoporum serie, nomine episcoporum signati, ac sensiti sunt. »

VIII. Redeo ad id, quod probare instituebam, Apostolorum sæculo unum in ecclesia qualibet episcopum, ex Salmasii sententia, fuisse, non solum vocabulo, et dignitate, sed etiam potestate præstantem cæteris. Quod de primis singulorum episcopatuum auctoribus, et conditoribus si demonstrare potuero, rem plane confecero. De his enim tota fere est orta controversia, qui ordinem ducunt, et ab Apostolis ipsis instituti feruntur. Nam de consequentium annorum præsidibus, post Apostolorum ætatem, non diffitetur Salmasius, jus illos et potestatem in clericos habuisse. *Unus in ecclesia qualibet episcopus ex Salmasii sententia asseritur.*

Primos itaque cujusvis ecclesiæ, ac sedis episcopos, quales Irænéus, Ignatius, Tertullianus, aliique memorant, potestatem in cæteros habuisse illius ecclesiæ ministros, et clericos, ex Salmasio sic efficitur. Hic enim duo censet Apostolorum fuisse genera, uti supra memoravi. Nam alios majores facit, « qui ab Christo missionem suam acceperunt, immediate ab ipso missi : » alios minores, qui ab majoribus Apostolis missi sunt. Hos vero ad constituendos episcopos, sive presbyteros, et fundandas ecclesias circumquaque destinari solitos affirmat. Atque illos demum « Apostolorum ævo vicem episcoporum hodiernorum fuisse, quia et Apostoli tunc nominabantur ; et *revera erant episcopi Jure eodem et ordine, quo hodie habentur, qui Ecclesiam regunt*, *et presbyteris præsunt* : nisi quod uni civitati, vel ecclesiæ non essent alligati. »

IX. Hujusmodi Apostolos, quos et συνεργοὺς, id est *coadjutores* vocat majorum Apostolo-

[1] In *Misc. Exdrc. ad Ju.* cap. VIII.

rum, recenset istos; Primum Jacobum minorem, deinde Timotheum, Titum, Linum, Clementem, Marcum item Evangelistam, et Evodium. Hos ergo Salmasius *præfuisse* putat ecclesiis et presbyteris, et *eas rexisse*, *ac revera episcopos fuisse jure eodem*, quo hodie sunt, qui episcopi vocantur, et de quibus inter nos orta est contentio. Sic Jacobum « cœtui episcoporum, sive presbyterorum Hierosolymitanorum præfuisse » scribit. Sic

Presbyter. « cum Πρεσβύτερος ex sæculi illius more, idem esset cum episcopo, hujusmodi episcopos, id est Apostolos minores, et coadjutores summorum, episcoporum directores et judices fuisse asserit. » Ita « Timotheus episcopo major, utpote qui Apostolica auctoritate, et appellatione jurisdictionem in ipsos episcopos haberet. » Quibus ex locis, verbisque Salmasii evidens est, Apostolorum ætate fuisse quosdam singulares episcopos, qui dignitate, potestate, auctoritate, jurisdictione, præsidentia ecclesiis, ac cœtui presbyterorum antecellebant; qui hoc tamen uno ab hodiernis distabant episcopis, quod hi certam sedem habent, cui sunt alligati, illi pluribus ecclesiis cum potestate præerant, ad quas mittebantur. Quocirca si hoc demonstrari potest, priores illos, et proprie dictos episcopos Apostolorum sæculo, uni alicui ecclesiæ affixos fuisse; nihil amplius requiri poterit, quominus tales episcopi sub Apostolis per ecclesias fuerint, cujusmodi deinceps ad hoc tempus usque propagati sunt, ac per illos, antiquorum testimonio, continuata successio veros episcopos, et singulares ecclesiarum rectores exhibeat; quod Salmasius negat, et asseverantem me quam potuit longissima, et odii, fastidiique plenissima disputatione refellere est aggressus.

X. Undenam igitur, unde id efficere, ac probare poterimus? Nempe, quod prodigii in altero simile esset, in Salmasio propter assiduitatem mirum jam videri desiit: ex ipsomet Salmasio, et Opere ipso, in quo contrarium affirmare se, et adversum me tueri professus est. Ex illa, inquam, ipsa dissertatione Messaliano-Salmasii *de Episcopis, et Presbyteris*, cujus argumentum hoc est, ostendere, Apostolorum ætate non fuisse singulares in ecclesiis episcopos, qui presbyterio præerant, cujusmodi hoc tempore sunt; probabo, singulares ecclesiarum rectores, et episcopos fuisse constitutos, eosdemque presbyteris potestate superiores. Etenim presbyterium suæ cuique attributum ecclesiæ, hoc est presbyterorum cœtum et collegium, arbitratur Salmasius; nec, itidem ut vagos illos, incertarumque sedium Apostolos, Apostolorumque *coadjutores*, per orbem ambulasse. Hinc enim Joannem, ait, Evangelistam, quod non, ut cæteri Apostoli, « prædicandi Evangelii gratia orbem obambulabat, sed uno in loco manebat πρεσβύτερον se potius, quam Apostolum inscripsisse. » Ac passim constitutos in ecclesiis presbyteros esse scribit, qui, ibi, ubi collocati erant, perpetuo manebant. Rursus e numero presbyterorum istorum unum aliquem fuisse, qui primatum obtineret, et episcopus κατ' ἐξοχὴν nominaretur, scribit idem Salmasius; eosque *Presbyterorum primates* appellat, *quibus hunc primatum ordo tribuebat*, quam πρωτοκαθεδρίαν, id est *primam sedem* nuncupat. Atque hos esse dicit, qui in episcoporum catalogis per singulas ecclesias ab Irenæo, Tertulliano, Optato, Eusebio, Hieronymo, aliisque describuntur. « Primo, inquit, toto sæculo, et magna parte secundi, *Presbyterorum primates, quibus hunc primatum ordo tribuebat*, in successionis episcoporum serie, nomine episcoporum signati, ac censiti sunt. » Postremo ex illorum genere primatum episcoporum fuisse scribit Linum, et qui ei successerunt, Anacletum, et Clementem. « Scio quidem, et Lini episcopatum eum agnovisse (de Irenæo loquitur) libro III, capite III, cui Dei Ecclesiam administrandam crediderunt Apostoli Petrus et Paulus, cui successerit Anacletus, et isti Clemens. Sed episcopatus ille eo tempore nihil aliud fuit, quam primatus in ordine, vel principalis consessio. »

Presbyterum. Per excellentiam.

XI. Ex omnibus his Salmasii decretis, ac sententiis directe, et ἀποδεικτικῶς illud sequitur, quod probandum sumpsimus, Apostolorum tempore fuisse per ecclesias singulares episcopos, qui dignitate, id est honore, ac potestate anteibant cæteros, et in eos jurisdictionem habebant. Etenim Apostolorum discipuli, quos συνεργοὺς, id est *coadjutores* vocat Salmasius, « et Apostoli tunc nominabantur, et revera erant episcopi, jure eodem, et ordine, quo hodie habentur, qui ecclesiam regunt, et presbyteris præsunt. » Et « directores, ac judices erant *Presbyterorum*, et in eos jurisdictionem habebant. » Atqui Linus, Clemens, Evodius, aliique, et qui presbyterii primates erant, et ex ordinationis tempore eum gradum assecuti fuerant, inter minores illos Apostolos,

Demonstrative.

et majorum συνεργοὺς ab eodem Salmasio ponuntur. Iidem igitur veri, et hodiernorum similes erant episcopi; nimirum ita nominati κατ' ἐξοχὴν, et potestate ac jurisdictione præstantes reliquis, et uni alicui loco affixi, utpote presbyterii partes, et ex eo ad primatum jure ordinationis assumpti. Quod autem de Lino, Clemente, Evodio, aliisque scriptum ab eo, non aliis, quam ipsius verbis notavimus, hoc idem de Jacobo, Marco, et similibus, qui principes certarum sedium habentur, ex illius dictis ostenditur.

Per excellentiam.

Etenim Jacobus, et Marcus ejusdem gradus, atque ordinis fuerunt, cujus Linus, et Clemens, et alii. Pertinent enim omnes ad secundum Apostolorum ordinem, qui primariorum Apostolorum συνεργοὶ, id est, ut interpretatur Salmasius, *coadjutores*, et administri erant, ab iisque mittebantur. Cum igitur minores isti Apostoli veri episcopi fuerint, et nostratium similes ; « Episcopatus autem ille eo tempore nihil aliud fuerit, quam primatus in ordine, » sive, *prima sedes*, et πρωτοκαθεδρία inter presbyteros ; hujus porro gradus, et ordinis presbyterii proprium fuerit, in uno loco consistere, in quo constituti erant ; apparet, Jacobum, et Marcum veros certarum sedium episcopos fuisse, ac presbyterii sui primates.

XII. Quod de Jacobo diserte Salmasius fatetur, dum asserit, eum « Hierosolymis non abstitisse, nec quoquam extra eam urbem pedem movisse, et episcopum a veteribus appellatum esse; et quidem episcopum episcoporum, id est primum presbyterorum, sive episcoporum, qui erant Hierosolymis. » Quocirca Jacobus primas fuit presbyterii Hierosolymitani « in illa civitate constituti cui et præfuit, major quolibet presbytero, vel episcopo. » Tum « Jacobus, ait, qui semper Hierosolymis permansit, nec usquam inde pedem extulit, curam ita egisse illius ecclesiæ peculiarem videri potuit, ut cœtui presbyterorum illic constitutorum, quos et episcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præesset. » Cæterum qui sic præcellebant presbyteris, iisdemque episcopis unius certæ ecclesiæ, illis primates erant, et κατ' ἐξοχὴν episcopi dicebantur ; idque *primo toto seculo, et magna parte secundi* obtinuit. Inde ergo conficitur, Jacobum presbyterii Hierosolymitani primatem fuisse ; adeoque verum, et nostrorum similem episcopum, et uni sedi affixum Hierosolymitanæ, in qua constitutum erat presbyterium. Ejusdemmodi vero tum Marcus, tum Evodius, tum reliqui omnes habendi sunt, « qui in successionis episcoporum serie nomine episcoporum signati, ac censiti sunt, nempe presbyterorum primates, quibus hunc primatum ordo tribuebat. » Omnes itaque veri, et nostrorum similes episcopi fuerunt; neque quidquam controversiæ reliquum est, sed, plane quidquid voluimus, ab ipso concessum Salmasio, et expressum habemus.

XIII. Atque hoc illud est, quod portenti, et prodigii dixi esse simile, cum tantam libri molem contra nos ediderit, ut hoc probaret, falsos esse nos, qui Apostolorum ætate diximus episcopos singulares, et suæ quemque civitatis, ecclesiæque fuisse, hoc est unum aliquem clero, et presbyterio cum summa potestate, auctoritate, ac nominis etiam prærogativa præfuisse ; cumque innumera in nos convicia, et maledicta propterea conjecerit, idem ipsum tamen, quod nos affirmabamus, tota illa Dissertatione sua palam, et diserte, et uberrime docuisse. Quid enim præter illius sententias, et verba ad eum convincendum attulimus? aut unde ratiocinatio, argumentatioque nostra profecta est, nisi ejus ex enuntiatis, ac propositionibus? quæ cum duæ in omni syllogismo esse debeant, unde conclusio colligitur; hoc in nostra disputatione admirabiliter contigit, ut non ambæ illæ tantum totidem ab illo scriptæ verbis haberentur, sed ipsa quoque ex illis ducta conclusio. Adhibeat quos volet ex illo suo grege laudatorum, et amicorum, qui dissertationem istam tantopere prædicant, si qui sint ratiocinandi non plane rudes ; cujusmodi se fatetur esse, et nisi diceret, satis suo se stylo, ac scribendi genere proderet. Horum ergo, quem dialecticæ peritum esse sciet, quem volet consulat, utrum legitima, et ex artis principiis, imo ex communi sensus humani ratione ducta sit argumentatio nostra. Profecto nihil ille, quisquis est, labis ac vitii in ratiocinatione illa reperiet, quam istius ex sententiis, ac dictis integram confecimus.

CAPUT XII.

Reliqua de eodem argumento Salmasianæ conflictionis monstra procurantur, nempe de Marco, et Alexandrina ecclesia. Ridicula illius argumentatio, qua probat, presbyteros eumdem cum episcopis ordinem constituisse; quæ ex Hieronymo, et Ambrosio refellitur. Ejusdem æstus et contradictio. De Pseudoambrosio, qui commentarios ad Paulum scripsit. Non eum esse Hilarium Luciferianum, ut plures existimant. Salmasii ἀκρισία in deligendis auctoribus, et repugnantia. De vocis presbyteri significatione, necnon sacerdotis. Senior pro domino, et potestatem habente.

Contradictionis. I. Nunc Salmasianæ illius stragis, ac ruinæ, hoc est pudendæ, et horribilis ἐναντιολογίας reliqua persequamur. De Marco agens ille capite quarto dissertationis suæ, « Tantum abesse ait, ut Alexandrina ecclesia aliquem Marci tempore, vel eum ipsum, unicum, et specialem habuerit episcopum, ut certum sit, diutius pristinam in ea ecclesia durasse presbyterorum æqualitatem, quam in alia qualibet. » Primum negare non potest, quod superiori capite ipsiusmet ex verbis ostensum est, et Marcum ipsum, et deinceps cæteros, Alexandriæ præsbyterorum primates fuisse, eosque præcipua episcopalis gradus appellatione; tum honore, potestate, ac jurisdictione præcessisse. Etsi igitur in quibusdam æquales illis fuerint; in aliis, et eo maxime, de quo inter nos agitur, superiores fuerunt, qui « et episcopi κατ' ἐξοχὴν nominabantur, et primates presbyterorum erant, et in successionis episcoporum serie nomine episcoporum signati, ac censiti sunt. » *Per excellentiam.* Certe hodie presbyteris æquales sunt presbyterii ordine ac sacramento episcopi; episcopis Romanus Pontifex, tum presbyteratus, tum vero episcopatus ordine, ac charactere. Neque tamen absolute dici æquales illi omnes invicem possunt. Et quamvis Romæ complures habitent episcopi, non ideo nullus inter eos est summus, ac primus omnium, et singularis Ecclesiæ illius episcopus.

II. Jam ut probet, æquales omnes Alexandriæ fuisse presbyteros, nec unicum, et specialem ibi episcopum exstitisse, ac diutius in illa, quam in alia qualibet ecclesia perseverasse æqualitatem istam; ut hæc, inquam, non magis contra nos, et catholicam causam, quam contra semetipsum approbet, quid tandem rationis affert? *Futilibus rationum momentis probare conatur Salmasius omnes Alexandriæ presbyteros æquales fuisse.* Nempe quod ad infringendum labefactandumque id, quod demonstrare vult, quam ad persuadendum, longe sit aptius. Imprimis futile illud occurrit, quod et supra confutatum est: « Si manus imponebant, ait, ad sacramentum Confirmationis dandum, etiam verisimile est imposuisse ad ordinationes faciendas. Atqui hoc unum est, quo episcopalem ordinem, et gradum a presbyterali suo tempore discretum fuisse Chrysostomus, et Hieronymus asserunt. » Quid hac argumentatione stupidius? Episcopatus a presbyteratu nulla distet alia re, quam ordinandi potestate. Etsi non omnino verum istud est; et sunt episcopalis ordinis aliæ notæ, quibus a presbyteratu secernitur, de quibus alias dicetur. Sit ita tamen. Ergo id probandum superest, et ratione colligendum aliqua, ordinandi potestatem etiam in presbytero fuisse simplici. Nam si de eo, qui episcopus una fuerit, probare id instituat Catharus, nihil agat. Gradus enim cum gradu confertur, ordo cum ordine, neque id modo quæritur, unusne ordo ambo fuerint, sed utrum æquales. Æquale autem nihil sibiipsi dicitur, sed ei a quo distinguitur. Deinde inter presbyterum, et episcopum, cujusmodi Ambrosii, et Hieronymi erant ætate, disputat Salmasius, cum jam diversus ordo et gradus esse, eodem affirmante, cœperat.

III. Hoc igitur, si potest, demonstret, quod omnino debet: presbyterum simplicem ordinandi jus et potestatem habuisse. « Potuit, inquit, manus imponere ad sacramentum Confirmationis dandum. » Quanquam imperite manus impositionem cum unctione, vel chrismatione confundit; nec illud scit, nunquam presbytero simplici priorem fuisse concessam, sed soli reservatam episcopo; unctionem vero presbytero nonnunquam esse permissam. Sed hoc omittamus in præsens, et quid sibi velit, porro videamus. Unde ergo persuadet, Ordinationem itidem, ut Confirmationem, a simplici presbytero administratam fuisse? *Verisimile est*, ait. Hoccine est argumentari, et id rationibus, ac probationibus evincere, de quo cum adversario confligas; an pueriliter nugas agere? *Verisimile est*, inquis? Imo ergo falsum, et confictum esse defendo, ac mecum Christiana, et catho-

lica omnis antiquitas, nunquam licuisse, nunquam, nisi non modo nefarie, sed incassum, et nullo effectu tentatum esse confirmat. Et quamdiu stertentem istum, ac temulenti more, quid agat, nescientem ferimus? Obsecro enim, quid tandem contra catholicam professionem obtinere vult Salmasius? Nempe istud, æqualem episcopo fuisse presbyterum Ambrosii, et Hieronymi tempore. Quinam hoc probat? Utriusque illius testimonio. Atqui iis ipsis amborum verbis, quæ citat, contrarium prorsus ostenditur, episcopum a presbytero discrepasse, et hoc illum gradu, ac potestate superiorem fuisse. De ordinandi jure, ut primo loco dicam, nonne hoc nominatim excipit Hieronymus in epistola *ad Evagrium*[1], unde auctoritatem Salmasius repetit, ut ne par omnino episcopo presbyter habeatur? « Quid enim facit, inquit, excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? » Si excepta erat ordinatio tempore Hieronymi, non igitur Hieronymi testimonio conficitur, ordinationem perinde, uti Confirmationem, presbytero tributam fuisse. Adde etiam æqualem utriusque Ambrosii, et Hieronymi S. Epiphanium; qui in Aerianorum hæresi graviter affirmat, nunquam licuisse presbytero, quod episcopi proprium est, ordinare Clericos.

IV. Quonam itaque Cathari mens avolavit, cum « verisimile esse dixit, presbyteros manus imposuisse ad ordinationes faciendas, » deinde, quasi hoc esset argumentari ac probare, dicere *esse verisimile*, ac tanquam confecta res esset, inde, quod consequens est, colligit: nulla re igitur presbyterum ab episcopo distare? Hujusmodi est enim forma Salmasiani syllogismi:

Manuum impositio ad ordinationes faciendas unum est, quo episcopalem ordinem, et gradum a presbyterali suo tempore discretum fuisse Chrysostomus, et Hieronymus asserunt.

Atqui verisimile est presbyteros manus imposuisse ad ordinationes faciendas, si manus imponebant ad sacramentum Confirmationis dandum.

Igitur nulla re distabat episcopus presbytero. »

Prorsus in his duabus vocibus, *verisimile est*, tota vis collectionis Salmasianæ consistit; hoc robur argumentationis; hoc Dissertationis et loquacissimæ, et inertissimæ caput est, ac summa. Age vero, si Hieronymo credit paululum ab episcopo distare presbyterum asserenti, cur non eidem assentitur differre hoc ipso monenti, quod ordinare potest episcopus, non potest presbyter? Hinc enim gradu et ordine superiorem episcopum esse constat. Cur non et Ambrosium audit? (et si non Ambrosius iste est, cui totus innititur, sed ignotus quispiam, nec magnæ auctoritatis scriptor.) Sed cur ex illo ipso qualicumque teste non intelligit, haud æqualem fuisse presbyterum episcopo, cum nec unctionem Confirmationis, id est *consignationem*, nisi absente episcopo, presbyterum usurpasse; nec alibi, quam in Ægypto, id factum scripserit? Cur non ab eodem didicit, ne sic quidem Alexandriæ, aut in Ægypto pares et æquales invicem illos fuisse, etsi Confirmationis sacramentum administrarent interdum presbyteri, quod *primus esset inter presbyteros episcopus*, ut iste alibi auctor affirmat[2]?

V. Animadvertat denique lector Cathari verba; et vel scintillam judicii communis in ejus argumentatione, si potest, inveniat. Unicum Alexandriæ, ac specialem episcopum fuisse defendimus Apostolorum tempore. Hoc ille scilicet negat, et refellit sic: « Tantum abest, inquit, ut Alexandrina ecclesia aliquem Marci tempore, vel eum ipsum, unicum, et specialem habuerit episcopum, ut certum sit, diutius pristinam in ea ecclesia durasse presbitorum æqualitatem, quam in alia qualibet. » Ut igitur, quod nos asserimus, falsi convincat, ac redarguat, necesse est, æqualitatem illam inter clericos, et presbyteros in Alexandrina ecclesia fuisse demonstret. Quam quia non aliunde, quam ex Ambrosii auctoritate probat, dici hoc ab Ambrosio, et in hujus loco illo, quem citat Catharus, contineri istud oportet: æquales Alexandriæ presbyteros omnes inter se fuisse, nec ullum gradu ac potestate cæteris præstitisse, non minus ætate sua, quam Apostolorum. Nisi enim hoc dicit Ambrosius, eamdem suo tempore perseverasse in Alexandrina ecclesia presbyterorum æqualitatem, quæ sub Apostolis fuit, nemo ut inter illos primus, ac dignitate potior esset; frustra est, neque contra nos quidquam ex Ambrosio promovet. Quid ergo scriptum est ab Ambrosio? Verba hujus ab Catharo ista ponuntur: « Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens

1 Epist. LXXXV. — 2 In I *ad Thimot.* cap. III. col. 577.

non sit episcopus. » Hic de ordinatione litteram nullam facit Ambrosius, in qua unicum discrimen episcopi, ac presbyteri Salmasius ait consistere. Quare non ostendit ex Ambrosio, æqualem hactenus episcopo presbyterum fuisse; nec impositionem manuum ad ordinationes faciendas presbyteris omnibus promiscue esse concessam. Nam, quod presbyteros ibi consignasse Ambrosius affirmat; non ideo æqualitatem illam, quam ex eo probare vult Salmasius, adstruit; immo hoc ipso inæquales fuisse docet, et majorem presbyteris habitum episcopum, quod episcopus præsentibus presbyteris consignare potuit; presbyteri nonnisi absente episcopo. Certe nemo, cui cerebrum sanum sit, ex iis verbis concludat, æqualitatem ordinis, et gradus inter illos fuisse. Adde unctionem istam, sive chrismationem fuisse, quam presbyteri, ubi præsens non erat episcopus, administrarunt; non « *impositionem manuum ad invocationem Spiritus sancti*, ut loquitur Hieronymus; ad quam iis impertiendam, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos baptizati erant, episcopos excurrisse, » ille scribit in dialogo *contra Luciferianos*.

VI. Deinde qualecumque tandem præsidium habet in illo Ambrosii loco, totum abs se subinde Salmasius abjudicavit, dum ista pertexuit : « In ea deique ecclesia usque ad Heraclam et Dionysium, Hieronymo teste, hoc est circa annum 250 solebant presbyteri unum ex suo corpore eligere, hoc est presbyterorum, qui episcopus fieret. » Si ex suo corpore unum aliquem elegerunt jam tum ab Apostolorum tempore presbyteri, quem episcopum facerent; profecto neque Apostolorum ætate æqualitas inter illos fuit, neque deinceps *in ea Ecclesia duravit*. Quinetiam cum Hieronymus « A Marci usque temporibus hunc morem Alexandrinæ ecclesiæ repetat, Salmasius veretur, ut hoc verum sit. Antiquior enim, ac prior mos fuit ecclesiarum, ab ipsis Apostolis institutus, ut primatus inter presbyteros, non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Postea institutum ait, ut eligeretur episcopus ex presbyterorum corpore, « qui primam sedem episcopatus teneret; » ac demum obtinuisse, « ut non tantum ex presbyterorum numero eligeretur episcopus, sed etiam ex quolibet alio ecclesiastico ordine, ut diaconorum, imo etiam ex laicorum, ut in Ambrosio factum est Mediolani, et in Nectario Constantinopoli. » Vides incredibile, et stupendum verborum, sententiarum, decretorumque certamen. Etenim Alexandriæ « unicum ac specialem episcopum non fuisse, ibique diutius pristinam durasse presbyterorum æqualitatem, quam in alia qualibet ecclesia, » ea ratione, eoque Ambrosii testimonio probare contendit, quibus efficitur *unicum et specialem episcopum fuisse*, et non æquales inter se fuisse presbyteros. Obsecro, quod monstri genus istud est? Episcopum nullum Alexandriæ fuisse *unicum et specialem* dum probas, asseris *unicum et specialem fuisse;* æqualitatem inter presbyteros ibidem extitisse ab Apostolorum ætate ad Ambrosii usque tempus inde confirmas, quod inæquales inter se fuerint, et unus inter illos cæteris præstantior fuerit, episcopus nomine, primam sedem obtinens, primatum gerens, dignitate, potestate, jurisdictione, presbyteris omnibus antecellens.

VII. Ita proprio ac domestico seipsum teste condemnat, Ambrosio illo; qui Ambrosius non est, neque ullius auctoritatis esse debet, quia incertus, ignotusque auctor est. Hunc esse Hilarium diaconum Luciferiani schismatis columen, complures arbitrantur, ut Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, et ante hunc Lovanienses Doctores in *Scholiis* ad Augustini tomum VII. Etenim Augustinus in libro IV, *contra duas epistolas Pelagianorum*, capite IV, locum quemdam citat *Sancti Hilarii*, qui in Ambrosiastri illius commentariis legitur [1]. Cum ergo non sit ille Pictavensis Hilarius, neque Arelatensis, conjecturam faciunt, Luciferianum hunc Hilarium fuisse Liberii primum Papæ diaconum; qui cum Lucifero legatus ab illo missus ad Constantium, et quod damnationi Athanasii subscribere nollet, flagellis subjectus, in exilium pulsus est, ut in epistola *ad Solitarios* testis est Athanasius. Atqui hic postmodum Luciferiani schismatis fautor vehemens a communione catholica descivit; addiditque hanc hæresim, ut hæreticorum baptismum admittendum esse negaret. Itaque quod illos rebaptizaret, *Deucalionem orbis* istum nominavit Hieronymus in libro contra Luciferianos. Verum hunc auctorem fuisse commentariorum illorum, quibus nomen Ambrosii præfigitur, nullo modo arbitror. Primum quod in tertium caput prioris *ad*

Pseudo-Ambrosium non esse Hilarium Luciferianum contra nonnullos defenditur.

[1] In c. V *ad Rom.* vers. 12, col. 269.

Timotheum, ad illa verba [1], *ut scias, quomodo oporteat, te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi;* hæc adnotat [1] : « Ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus[2]. » Potestne, qui hæc scripsit, ac sensit, ille Luciferianus haberi, ac schismaticus Hilarius, qui ab Romana utique communione, et Damaso ejus pontifice alienus esse debuit? Deinde contra rebaptizantes schismaticos luculentam dicit sententiam idem iste scriptor, in caput primum epistolæ primæ *ad Corinthios*, ad illa verba : *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi* [3], etc. « Per hoc, inquit ille, arguens et baptizantes, qui ad injuriam Salvatoris baptismatis, ejus gratiam hominibus deputabant, illis dissimulantibus gratiæ causa. Sic enim erant, sicut nunc Novatiani, et Donatiani, qui baptismum sibi vendicant, a nostris baptizatos reprobantes, et baptizati ab his gloriantur in personis eorum. Denique, Christi nomine abdicato, Novatianos, et Donatianos vocari se gloriantur. »

VIII. Quæ verba catholicæ communionis, ac Romanæ cupidum, et retinentem cumprimis arguunt, et ab suspicione schismatis alienum. Non est igitur commentariorum auctor habendus illorum Hilarius Luciferianæ partis antesignanus; sed alius quidam fortasse cognominis, et hactenus ignotus; nisi falsa nominis inscriptione deceptus, uti fit, Augustinus Hilarii Pictavensis illos esse putaverit. Cujuscumque vero sunt, in vulgari sunt dignatione apud doctos, prudentesque theologos, nedum anteponi possunt magnis illis, ac per totam Ecclesiam in auctoritatem receptis doctoribus, quos *magistros probabiles*, sapiendi utique ac pronuntiandi fidei de rebus, appellat Vincentius Lirinensis. Quamobrem pro cætera sua prudentia, ac judicii gravitate facit Salmasius, ut scriptorem istum nescio quem pluris, quam Hieronymum, quamque veteres omnes consentientes Hieronymo faciat, ei fidem adhibeat uni, hujus assertione ac testimonio nitatur, hoc solo denique fidejussore fretus, ac subscriptore, credi postulet sibi de iis, quæ nescit, temere, absurdeque garrienti. Etenim præcipua pars divinationum, commentorumque, quibus πομφολυγώδης illa contra episcoporum ordinem dissertatio turget, pseudo-Ambrosii illius auctoritate fulcitur. Adeo nullus in Catharo isto judicii usus est, ac delectus auctorum, ut quatenus cuique credendum sit intelligat. Sed qualemcumque demum invenerit, qui ad nutum suum, ac placitum tinniat, et quod verum vult esse, significet, ad eum statim adhærescit, ac quantumvis contradicant, ac reclament omnes undique :

Bullis turgens.

« Non magis audierit, quam Fusius ebrius [olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille du- [centis
Mater te appello clamantibus. »

IX. Exemplo sit istud, ne hoc gratis expostulare videar, quod in ea re, qua de modo agitur, admittit. Scripsit Hieronymus in epistola LXXXV. « Alexandriæ, a Marco Evangelista, usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteros semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominasse, quomodo si exercitus Imperatorem faciat. » Qui locus evidenter arguit, ab Apostolorum tempore unum Alexandrinæ ecclesiæ præsedisse nomine episcopum, gradu et dignitate præstantiorem presbyteris cæteris, non iis æqualem, uti nec Imperator æqualis iis fuit, a quibus electus est; hujusmodi vero electione presbyterorum ad eam dignitatem pervenisse. Hæc Hieronymo plane, affirmateque docenti, Salmasius acerrimi homo judicii refragatur : « Antiquiorem enim, ac priorem fuisse morem ecclesiarum ab ipsis Apostolis institutum, ut primatus inter presbyteros, non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Ecquem moris illius affert auctorem, quem Hieronymo præferat? Ambrosium, inquit. At iste non est Ambrosius, sed Pseudoambrosius; quo mendacii prænomine delectari Catharum ostendimus supra. Certe libenter utitur tali genere testium; et eorum fide multa nova, et inaudita profert, et mentitur scilicet. Quid enim aliud ab mendaci, quam mendacium expectes, cum itidem ut *mendacii pater, ex propriis loquitur* [4]? Sic Jacobum « Episcopum episcoporum, qui erant Hierosolymis, a veteribus appellatum esse dicit, quia ita vocatur in epistola Pseudoclementis. » Et alias passim ex hoc *Pseudoclemente*, ejusdemque genii scriptoribus commenta sua nobis obtrudit. Verum cujusquemodi est scriptor ille falso inscriptus Ambrosius, hunc neque ab Hiero-

1 I *Tim.* III, 14. — 2 Col. 379. — 3 I *Cor.* I, 14. — 4 *Joann.* IX, 44.

nymo diversa sentire, neque ab Salmasio intellectum esse, postea demonstrabimus. Interim sic agemus, et ita cum isto depugnabimus, tanquam inter se contrarii illi ambo sint.

X. Ergo iste Pseudoambrosius quid meruit, cur anteponeretur Hieronymo? « Primum, inquit [1], presbyteri episcopi appellabantur, ut, recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum. » Hæc falso illi, id est ψευδωνύμῳ, scribenti, qui credam potius, quam Hieronymo? Certe non est *verisimile*; sed *falsi simile*, ex nominis auspicio, quod ementitus iste narrat. Verum autem, quod Hieronymus explicat, electione subrogatum episcopum Alexandriæ fuisse, quemadmodum in cæteris ecclesiis, in quibus longe postea mos idem perseveravit, ut eligerentur, non ordine succederent episcopi.

Ut autem verisimile sit illud Ambrosii suppositii, sequitur, id esse non falsi simile sed falsum, quod Catharus asseverat, Apostolorum tempore fuisse presbyteros pares invicem, et æquales; nec unum altero superiorem gradu, appellatione, potestate : neque porro episcopi nomen privatim uni alicui tributum. Quanquam ille non expectat, dum suam alius opinionem impugnet, et evertat, qui eodem in libro, et iisdem in paginis contra quam scripsit, asserit mox, unum aliquem exstitisse tum et gradu, et vocabulo insigniter ab aliis distinctum, ut supra demonstravimus. Quem æstum alternantis, ac tumultuantis ingenii non aliud efficit, quam doctrinæ, ac judicii penuria, nulla certa re nitentis, et obvia quæque temere arripientis. « Hoc enim, ut verissime scriptum est a Theodoreto, proprie illis accidit, qui ab recta via deflectunt. Huc enim et illuc oberrant, eo quod trita via non ambulant [a]. »

XI. Eat nunc Catharus, et inconstantiam, ac sententiarum repugnantiam aliis exprobret, qui tam fœde a seipso dessidet. Nam quo mens ejus avolaverat, cum in nos invectus ita provocabat? « Potés, inquit, etiam unam aliquam ecclesiam ab Apostolis fundatam commemorare, in qua ab uno aliquo Apostolo episcopus singularis cum multis presbyteris collocatus sit? Fabulam de Jacobo ἰδικῷ illius ecclesiæ episcopo jam supra satis confutavimus. Ephesina, Corinthiaca, Philippensis, Cretensis ecclesiæ sub pluribus presbyteris fuere, nullo eis præsidente, aut præeminente episcopo, quia omnes episcopi erant, ac dicebantur. » Atqui tute ipse Salmasi, nullam Apostolorum tempore constitutam ecclesiam fuisse, in eadem doces dissertatione tua, ubi non unus aliquis præfuerit episcopus, ex ordinationis prærogativa aliis in aliorum locum succedentibus. Tu eosdem singulares ecclesiarum præsides, et πρωτοκαθέδρους, gradu et auctoritate toti collegio præpositos esse vis; ac jus in cæteros, et potestatem habuisse, quod ex superiori capite cognosces. Tu indidem scies, a te istos ipsos singulares rectores nominari etiam κατ' ἐξοχὴν episcopos; quod in Jacobo, Marco, Lino, alisque demonstravimus, non aliis, quam tuis ipsis rationibus, atque verbis.

Proprio.

Per excellentiam.

XII. Disces itidem a temetipso, nihil nobis, id est mihi, ac tibi, hoc obstare, quod tum presbyteri vocabantur illi ipsi singulares, et eminenti in gradu, et auctoritate positi præsides, hoc est episcopi; quia « non minus et ille primus, et, ut proxime ante probasti, episcopus, etiam πρεσβύτερος vocabatur, quamvis primus esset presbyterorum, sed in priore, et altiore gradu constitutus; » quemadmodum inter novem cognomines ἄρχοντας Athenis unus tamen insigniter ὁ ἄρχων vocatus est. Agnoscis, opinor, verba tua, quæ te misere confodiunt paulo ante sic argumentantem, Apostolorum ætate nullos alios rectores ecclesias habuisse, præter presbyteros plures, « nullo eis præsidente, aut præeminente episcopo, quia omnes episcopi erant, ac dicebantur. » Pudeat te saltem adeo manifestæ contradictionis, ad quam, convincendi tui gratia nihil a quoquam necesse est adjici πρεσβυτέρου vocabulum, et πρεσβυτερίου universe nonnunquam sumitur, estque dignitatis proprium, et honoratiores omnes Ecclesiæ gradus complectitur hoc est episcopum, et qui proximi ab eo sunt, ac *simplices* nominantur *sacerdotes*, aut presbyteri; eique res-

Presbyter.

Archontas.

Archon.

Presbyteri.

Presbyterii.

[a] Theod. dial. I qui est Immutab. Ἴδιον τοῦτο τῶν τῆς εὐθείας ἐκτρεπομένων ὁδοῦ. τῇ δὲ γὰρ, κἀκεῖσε περιπλανῶνται, ἀτριβῆ πορείαν ὁδεύοντες.

[1] In ep. *ad Eph.*

pondent ex adverso οἱ διάκονοι, hoc est *ministri*, et inferiores clerici. Hoc adeo non primis tantum illis, et Apostolicis temporibus factum est, et ubi plures in ecclesiis constituebantur presbyteri episcopali dignitate præditi ; sed etiam deinceps, et eo tempore, quo jam episcopum presbytero superpositum agnoscit Salmasius, nempe secundo desinente, et ineunte tertio sæculo.

XIII. Clemens Alexandrinus in sexto *Stromateo* de Matthiæ cooptatione disserens : « Licet igitur, inquit, nunc eis quoque, qui se Dominicis exercuere mandatis, et perfecte secundum Evangelium vixere, atque ut gnosticum, et spiritualem virum decet, in numerum Apostolorum allegi. Hic est revera Ecclesiæ presbyter, et verus minister divinæ voluntatis; si quæ Domini sunt, faciat, et doceat, non ab hominibus ordinatus, neque eo, quia presbyter est, justus habitus, sed quia justus est, inter presbyteros adscriptus; tametsi non in terris primæ sedis honorem adipiscatur, in uno ex viginti quatuor thronis sedebit[a]. » Hoc loco presbyteri appellatione supremos ordines duos complectitur, episcopatum, et presbyteratum, quibus diaconos adjungit. At paulo post tres illos gradus distincte nominat : « Nam hic quoque in Ecclesia promotiones, et ordines sunt episcoporum, presbyterorum, diaconorum[b]. » Ubi presbyteri discernuntur ab episcopis, et suum, ac diversum ab his gradum constituunt.

Presbyteri nomen commune aliquando episcopis.

XIV. Minime itaque mirandum est, nec ad erroris argumentum ab Salmasio trahendum fuit, quod *presbyteri* nomen commune est interdum episcopis, et simplicibus sacerdotibus, tanquam inde consequens sit, nullum ordinis ac dignitatis inter ambos fuisse discrimen. Nam nihilominus primus omnium, ac primas erat episcopus, eodem assentiente Salmasio. Quemadmodum etsi *Sacerdotis* nomen tam summo, id est *Episcopo*, quam secundi ordinis, et simplicibus tributum postea sit; plerumque tamen absolute positum, singularem illum designat, qui episcopus vocabatur. Imo vero passim in Latinis canonibus sacerdos pro solo usurpatur episcopo; reliqui non sacerdotes, sed presbyteri nominantur. Ex pluribus exemplis unum, alterumve, quod occurrit modo, proferam. In Andegavensi synodo canone primo, episcopi promiscue sacerdotes dicuntur. « Primum ut contra episcopale judicium, ait, clericis non liceat prosilire, neque inconsultis sacerdotibus suis sæcularia judicia expetere. Sed nec de loco ad alium sine episcopi permissione transire; nec sine commendatitiis sacerdotum suorum litteris commeare. » Sequenti vero canone presbyterum vocat secundi ordinis sacerdotem : « Ut diaconi, inquit, presbyteris noverint omni humilitate deferendum. » Et in Agathensi, ut quidem citatur a Gratiano[1] : «Diacones, vel presbyteri in parochia constituti de rebus Ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res sacratæ Deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus Ecclesiæ sibi commissæ, ut superius comprehensum est, alienare præsumant. » Ubi sacerdotes episcopos appellat, et a presbyteris secernit.

XV. Sic Ambrosius in libro *de dignitate Sacerdotali*, capite tertio, sacerdotem pro episcopo sumit, et ab eo presbyterum distinguit. Ac longe ante illos Pontius diaconus in vita Cypriani Carthaginensis episcopi scribit, hunc primum *Presbyterium* accepisse; deinde *sacerdotium*. « Presbyterium, inquit, et sacerdotium statim accepit. » Ac subinde, «Multa sunt, quæ jam adhuc plebeius, multa quæ jam presbyter fecit. » Deinde promotionem illius ad episcopatum describens ait, « ad officium sacerdotii, et episcopatus gradum eum esse delectum. » Interdum presbyter simplex *Sacerdos secundi ordinis* vocatur, ut a Sidonio Apollinari[2]. Quinetiam *Sacerdotium* aliquando diaconis ipsis tribuitur. De quo insignis est locus Optati Milevitani in libro primo *contra Parmenianum*. « Quid commemorem laicos, inquit, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? Quid diaconos in tertio? Quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? » Ibi enim *Sacerdotii* vox late sumpta est pro *sacro ordine*, quam Græci vo-

a Clem. VI *Strom.* Ἔξεστιν οὖν καὶ νῦν ἐν ταῖς κυριακαῖς ἐνασκήσαντας ἐντολαῖς, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τελείως βιώσαντας, καὶ γνωστικῶς, εἰς τὴν ἐκλογὴν τῶν Ἀποστόλων ἐγγραφῆναι. οὗτος πρεσβύτερός ἐστι τῷ ὄντι τῆς ἐκκλησίας, καὶ διάκονος ἀληθὴς τῆς τοῦ θεοῦ βουλήσεως, ἐὰν ποιῇ, καὶ διδάσκῃ τὰ τοῦ κυρίου, οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων χειροτονούμενος, οὐδ' ὅτι πρεσβύτερος, δίκαιος νομιζόμενος· ἀλλ' ὅτι δίκαιος ἐν πρεσβυτερίῳ καταλεγόμενος· κἂν ἐνταῦθα ἐπὶ γῆς πρωτοκαθεδρίᾳ μὴ τιμηθῇ, ἐν τοῖς εἴκοσι καὶ τέσσαρσι καθέδειται θρόνοις.

b Ibid. Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ, ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων.

1 I II qu II Diaconi vel Presbyteri. — 2 Lib. IV epist ult.

cant ἱερατικὴν λειτουργίαν. Ex quo intelligimus, quo sensu in Ancyrano canone secundo diaconorum functio appellatur ἱερατικὴ λειτουργία, quod *Sacerdotale ministerium* interpretantur aliqui. Verum alii codices ἱερᾶς legunt, et ita in editione Tilii. Dionysius Exiguus, et Isidorus Mercator vertunt *sacrum ministerium;* quod utrique lectioni potest accommodari.

Presbyter. XVI. Olim itaque Πρεσβύτερος communis appellatio fuit summorum in Ecclsia ordinum, episcopatus et presbyteratus, cujus prima nominis impositio ab ætate fluxit. *Presbyteri significatio.* Æquum est enim, ut in honoribus, ac dignitatibus mandandis grandiores natu junioribus præferantur; quod ætas illa propter consilili maturitatem, ad providendum, et regendum natura sit aptior, Ex quo deinde factum, ut πρέσβυς et πρεσβύτερος non tam ætatis, quam gravitatis, et dignitatis esset vocabulum. *Senex et presbyter.* Augustinus, « Πρεσβύτης, inquit[1], dicitur gravis, et γεραιὸς senex. » Hesychius « Πρεσβύται, οἱ ἔντιμοι, id est *honorati*. Et πρεσβύτερος, μείζων, φρονιμώτερος, *Major est*, inquit, *et prudentior.*» Quod et ab Eustathio notatum ex Homero in vocabulo πρεσβυτάτην. *Honoratissima.* Sic idem Homerus πρέσβα usurpare solet pro eo, quod est ἐντιμοτάτη, vel ἔντιμος, *Honoratus.* ut Cyrillus notat in *Lexico*.

Item Senioris. Nec aliter *Senioris* vox apud Latinos ab ætatis notione ad honoris, et dignitatis appellationem transiit. Siquidem et inferiore sæculo Latine *seniorem* vocabant dominum, et principem suum, vel eum, cujus erant in potestate, ac jurisdictione. Et vox inde apud Francos, et Italos, aliosque tralatitia, *Seigneur*, et *Signore*. Ita Genesis IV. *Senior domus Abrahami*, *qui præerat omnibus, quæ possidebat* [a], est ὁ πρεσβύτερος. Et ita Ambrosius[2], « Ubi ergo charitas, ibi senioris nomine, de quo pendeant cæteri, domus omnis significatur. »

Unde futilis argumentatio Salmasii convincitur. XVII. Cum hæc sint de presbyteri significatione trita et quotidiana, nec ullus ambigat, quin eadem appellatio episcopis olim attributa sit; jejuna est, et futilis argumentatio Salmasii, qui pro magno nobis hoc intentat, *Presbyteros vocari Episcopos* a Pio, et Victore Romanis pontificibus; et ex amborum testimonio concludit, *a Presbyteris gubernatam esse Ecclesiam usque ad eorum tempora.* « Victor, inquit, vixit tempore Irenæi, et ad quem Irenæus scripsit, in epistola *ad Desiderium Viennensem*, quæ genuina auctoris videri potest, presbyteros vocat episcopos. » Sit certe *genuina* hæc Victoris epistola, de quo nihil hic disputo. Tibi vero ὦ κέπφε unde tandem hoc liquet? *O stolide.* Quod habes indolis illius argumentum? Non enim te Baronii, aut catholici cujuspiam auctoritate moveri dixeris. Verum omittamus de statu illius quærere. Tu quid inde conficis? *Presbyteros*, inquis, vocat eos, qui erant episcopi, et Ecclesiam regebant. Etsi hoc nihil est; tamen vide quam in multis a teipso dissideas dum ita ratiocinaris. Tu enim ille es, qui presbyteros eosdem cum episcopis fuisse sentis; ac plures communi jure ac potestate per urbes ecclesias rexisse, Apostolorum duntaxat tempore, hoc est primo circiter sæculo; postea vero desiisse plures esse et introductos singulares episcopos.

XVIII. Recognosce verba tua, quæ sunt in capite IV dissertationis. *Salmasii inscitia in deligendis auctoribus, et inconstantia.* Ibi de epistolis Ignatii ita scribis : « Epistolæ illæ natæ, et suppositæ videntur circa initium, aut medium secundi sæculi : *Quo tempore primus singularis episcopatus supra presbyteratum introductus fuit.* » Ergo deinceps unus singulis ecclesiis præsedit episcopus, et hoc per illud tempus obtinebat, quo ab Victore *genuina* scripta est hæc epistola; nam circa annum ducentesimum ea missa ponitur. Estne igitur in te vel tantulum judicii, ut quid dicas, intelligas, cum ex Victoris epistola ista probas, non unum præfuisse per ecclesias episcopum, sed a presbyteris pluribus administratas eas fuisse? Sumo enim, quod integrum mihi facis, ineunte sæculo altero Christi cœpisse singulares episcopos introduci. Falsum jam erit, quod tu Victorem velle ais, « usque ad sua tempora pluribus a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam; » quia ante centum annos id sit aliter institutum. Minus erit falsum, sed falsum tamen, si, quod alterum ponis, medio secundo sæculo invectum esse dixeris, singularem episcopatum. Quanquam tu longe tum in nos liberalior, tum in te ipsum implacabilior isto eodem in loco fuisti, ubi Victoris illo testimonio uteris; qui singulares episcopos jam tum ab initio Christianismi statuisti

[a] *Genes.* XXIV, 2. זקן ביתו המושל בכל אשר לו. Τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς οἰκίας αὐτοῦ τῷ ἄρχοντι τῶν αὐτοῦ πάντων.

[1] In *Psalm.* LXX. — [2] Amb. lib. *de Noe et arca* c. XVI.

primum ordine promotionis, deinde electione factos. Dic sodes cujusmodi tuum illud est; aut cui sano et sobrio tam unquam jocylariter, absurdeque dictum excidit? Tu cum paucis ante versibus *Episcopos* κατ' ἐξοχὴν *nominatos* esse scripsisses, ætate Apostolorum, et iis auctoribus, ut alibi fateris, cum iisdem ex ordinationis tempore *primatum* cum episcopi appellatione *delatum esse* dixisses, *cum cæteri nuncuparentur presbyteri;* mox oblitus tui demonstrare niteris ex epistola Victoris Papæ, presbyteros omnes promiscue appellatos, et *a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam;* quod nihil aliud est, nisi nullum singularem, et κατ' ἐξοχὴν appellatum episcopum fuisse, neque primatem, aut dignitate non æqualem cæteris.

Per excellentiam.

XIX. Nam nisi hoc intendis, quid tibi vis cum genuina tua Victoris epistola, aut quorsum testimonio ejus uteris? An ut nobis demonstres, presbyteros per illud tempus episcopos fuisse dictos? At hoc non negamus; neque de eo inter nos agitur. Sed tota videlicet in eo contentio nostra, et conflictio posita est, quod tu negas, Apostolorum tempore unum, et singularem in ecclesiis præsidem, et gubernatorem exstitisse, qui proprie vocaretur episcopus, sed e contrario pugnas, et asseris, plures in omnibus ecclesiis fuisse in commune rectores, et pastores, qui et presbyteri, et episcopi nominarentur, sine ullo vocabuli, aut dignitatis, ac potestatis, jurisque discrimine. Ego vero sic affirmo : Quanquam plures in quibusdam ecclesiis fuerint, qui presbyteratus, et episcopatus ambos in sese ordines habuerint, unum tamen exstitisse supra cæteros eminentem auctoritate, ac dignitate, qui ecclesiæ certæ præsideret, et ejus antistes, aut episcopus, aut primas, aut quocumque tandem voles nomine censeretur, dum et unum, ac singularem, et majorem cæteris jure, ac dignitate non neges fuisse. Hæc summa concertationis nostræ, et scribendæ tibi causa dissertationis; in qua meam te vicem ipse oppugnas, et conficis, ac meas partes agis. Nam quod probare contra te debueram, unum aliquem in singulis ecclesiis episcopum fuisse dignitate, ac potestate clericis antecellentem reliquis, et eorum primatem; tu idem et negas, et fateris, et fœdissime a te dissentis, ac temetipsum jugulas. Quod quidem et hactenus tuis ex verbis ostendimus, et deinceps in sequentibus probabimus sic, ut tibi ne mutiendi quidem cum homine digna aliqua ratione potestas futura sit.

XX. Victor ille in *genuina* epistola tua quid contra nos, id est me, ac te mecum sentientem, et tibi adversantem ipsi, dixit iis in verbis, quæ ex eo describis? Presbyteros ait *Ecclesiam rexisse.* Quid tum? Non enim soli neque αὐτοκέφαλοι, sed sub uno, quod et eadem ipse pagina doces, primate, et κατ' ἐξοχὴν episcopo rexerunt. Omitto, presbyteros ibi principes istos, et κατ' ἐξοχὴν a te, ac singulares nominatos episcopos intelligi posse; nam et sæpe πρεσβύτεροι singulares vocantur episcopi. Quod tu fateris ipse, dum et Irenæum, qui episcopus jam erat, presbyterum a Lugdunensibus Martyribus appellari vis; et ab eodem Romanos ipsos episcopos vocari presbyteros, « etiam postquam episcopatus apicem supra presbyteros consecuti sunt singuli in toto orbe episcopi. » Quibus verbis cum teipsum miserrime implicas, et evertis, tum quidquid ex illo Victoris testimonio, ac similibus ratiocinando colligere vis, effundis, et inane facis. Etenim « si singuli in toto orbe jam erant episcopi iique supra presbyteros episcopatus apicem consecuti erant. » Irenæi tempore, quo eodem vixit et Victor, ad quem Irenæus scripsit; ergo et illi, ad quos, et de quibus scribit Victor, episcopi, quamvis presbyteri vocentur, singulares fuerunt episcopi *supra presbyteros.* Non igitur æquales erant presbyteris dignitate, et auctoritate. Atqui, ut tu probes, *primos illos episcopos,* qui Irenæi, et Victoris exstitere tempore, *dignitate et auctoritate æquatos esse presbyteris,* Victorem, et postea Irenæum testes advocas. « Victor, inquit, qui vixit tempore Irenæi, et ad quem Irenæus scripsit, in epistola *ad Desiderium Viennensem,* quæ genuina auctoris videri potest, presbyteros vocat episcopos, et a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam usque ad sua tempora significat. » Mox Irenæum rursus in partes vocas, ac demum ita concludis : « Satisne hæc habes, ut jam fatearis, episcopos et presbyteros Apostolica dispositione eosdem fuisse, et diu post Apostolos ita mansisse ? » Hoc illud est, quod sæpius, quam vellem, cogor dicere, cum scribis, hoc te unum attendere, quam multa scribas, non quam vera et consentanea. Ac difficile est cum his nugis, et hac litteratorum fæce litigantem, stomachum tenere ; adeo supra captum, ac modum humani errati stupor istius assurgit. Quid enim agas in hac colluvie, aut quid potissimum arripias, cum eadem et affirmet, et neget, diruat, et ædificet, non in diversis tantum, ac longius distantibus pa-

Independentes.

Presbyteri.

ginis, ut oblivione id factum existimes, sed in eadem sæpe pagina, paucissimis subinde post versibus? Calumniari me lector, et mentiri putet, nisi hoc suis oculis ipse videat in eo, quo de modo agimus, loco, ubi *plures episcopos pari potestate regentes ecclesias* fuisse, non unum aliquem singularem, Irenæo probat auctore, qui quos presbyteros appellat, eos nonnisi singulares aperte designat, *et episcopatus apicem supra presbyteros consecutos.*

Male a Salmasio citatus Pius Rom. Pont.

XXI. Ejusdem nauseæ est, quod ex epistola Pii Romani Pontificis utraque *ad Justum*, et *genuina* videlicet, argumentum instruit. Quia « Presbyteros illos, qui ab Apostolis educati usque ad tempora sua pervenerunt, in cubilibus æternis clausos teneri, » Pius asserit; inde presbyteros nominari ecclesiarum rectores Salmasius probat. Hoc neque est necesse, illic episcopos intelligi, neque, ut ii fuerint, ad rem pertinet. Pius Papa vixit eo tempore, quo jam episcopi singulis singulas regebant ecclesias, ut Salmasius fatetur. Antiquiores autem istos presbyteros ab Apostolis educatos, nec episcopatu præditos fuisse dicit; et quamvis dicat, non plures ait in ecclesia quaque fuisse. Itaque nihilo armatior est testimonio iste. Sed illud obtuse, quod ex secunda Pii ejusdem *ad Justum* effici credit, « non esse majorem presbyteris episcopum, sed æque ministrum Christi censeri, ut ipsi sunt, » eo quod Justum sic hortatur: « Presbyteri, et diaconi, non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent. » Nihil vidi hac argumentatione jejunius. Quid enim? Num qui Regem, aut Imperatorem admonet, ut ne sceptro ac dignitate insolentior factus contemnat cæteros, sed hominem se, ac Dei servum meminerit; statim hic in ordinem cogere putandus est eum, cui ita præcipit? *Rectorem te posuerunt?* ait Sapiens [1] *noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis?* An qui rector est, supra alios non est quos regit, honore scilicet, dignitate, potestate, tametsi naturæ conditione par sit, et æqualis?

XXII. Nihilo majoris est judicii, quod ex priore Pii epistola Salmasius ariolatur. Cum enim scribat ille sic: « Salutant te Soter, et Eleutherius digni presbyteri, » consequens inde iste putat, « non electione, sed ordine ad primatum pervenisse illius temporis episcopos, cum recedenti primo sequens in ordine secundus succederet. » Quippe duo illi Soter, et Eleutherius ordine « eidem Pio successores exstiterunt. Nam post Pium Soter primatum, id est episcopatum, ut nunc nuncupatur, tenuit; post Soterem Eleutherius. » Nimirum hoc illud est, quod dicitur, *Sabini, quod volunt somniant.* Episcopos nonnisi electione suffectos in mortuorum locum, certissimum est; idque in sequenti capite demonstrabitur, ubi et otiosum illud inventum primatus ex ordinationis tempore, sine electione concessi, teste omni antiquitatis memoria confutabitur. Interim negamus, quod ex cerebro suo confictum protulit Salmasius, vel duos istos Romanos pontifices, Soterem, et Eleutherium, vel alios quoscumque tam Romæ, quam in aliis ecclesiis episcopos alio modo, quam electione creatos esse. Quinetiam suapte ipse Salmasius argumentatione convincitur, qui cum ista commentabatur, heluco laborabat, aut certe luscitiosus erat. Nam Pio successisse Soterem ait; huic Eleutherium. Quod ab eo dici, vis ipsa cogit argumenti. Siquidem cum Pius duos illos commemorat, « Ordine, inquit, ut apparet, eos nominat, ut duos presbyteris antiquiores. » Itaque proxime Pio subrogari Soterem et Eleutherium oportet, ut non ineptissime, ita ut fecit, argumentatus fuerit. Atqui Pio non Soter, sed Anicetus successit, teste Irenæo [2], et Eusebio tam in *Chronico*, quam in *Ecclesiastica historia*, ubi Irenæi verba describit [3]. Cujus etiam ille ipse locus, quem ex ejus epistola Salmasius refert, aurem ei vellere de Aniceto debuit. Nam Pio Anicetum proxime successisse docet. Quod si Pius, Aniceto prætertito, Soterem et Eleutherium tantum nominat, non igitur *ordine eos nominat, ut duos presbyteris antiquiores.* Siquidem ambobus istis antiquiorem esse oportuit Anicetum, ut qui ordinationis tempore Pio in primatum presbyterii successit, ex decreto Salmasii. Sic dum stylum animumque præcipitat, impingere solet, ac cespitare ἡ γὰρ κύων σπούδουσα καὶ τυφλὰ τίκτει. *Nam canis festina etiam cæca parit.*

1 *Eccl.* II. — 2 Lib. III, c. III. — 3 Euseb. l. V, c. VI.

CAPUT XIII.

De primatu, et πρωτοκαθεδρία *in Ecclesiasticis ordinibus, quæ inter presbyteros fuit. Episcoporum electio Cleri, ac populi suffragiis permissa. Cypriani locus insignis; in Occidentalibus ecclesiis præsertim populi consensum intervenisse. Utrum idem in Orientalibus observatum sit, quæritur. Videri illam ibi consuetudinem valuisse, maxime in Ægypto, et Alexandriæ. Synesii locus insignis, necnon Leonis. Explicatur Pseudoambrosii locus a Salmasio perperam acceptus; ex quo illustratur Hieronymus, et ambo inter se conciliantur.* Προεδρία, *inter episcopos, maxime Africanos: ubi ex ætate primates constituti. Eutychii cujusdam Alexandrini locus expensus de duodecim presbyteris, a quibus Patriarcha constitutus.*

Protocathedriam.

I. Jam quod ad πρωτοκαθεδρίαν illam attinet, ac *primatum honoris, et consessus* in ecclesiasticis ordinibus, ut pro ordinationis tempore suum quisque gradum obtineret, et qui reliquos antecedebat, is velut primicerius esset omnium; hoc in presbyteris, id est secundi ordinis sacerdotibus, et inferioribus clericis duntaxat usurpatum reperimus. In episcopis nunquam hoc omnino factum ex antiquitatis memoria constat: nec citra electionem quispiam sola temporis prærogativa, gradatim ad illam dignitatem provectus est. De presbyterorum ordine luculentum habes exemplum apud Leonem primum in epistola decretali quinta *ad Dorum Beneventanum episcopum.* Quem graviter incusat, quod Epicarpium novum quemdam presbyterum antiquioribus aliis per favorem, ambitionemque prætulerat, et in summo gradu collocaverat. « Libello etenim Pauli presbyteri tui, inquit, qui in subditis habetur, cognovimus, apud te novo ambitu, fœdoque colluvio presbyterii ordinem fuisse turbatum, ita ut unius festina, et immatura provectio, quædam eorum dejectio facta sit, quos ætas commendabat, et nulla culpa minuebat. Quod si ambientis intentio, aut imperita faventium studia id, quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, ut incipiens emeritis, et novellus præferretur antiquis, tuæ fuerat industriæ, atque doctrinæ, ut injuste petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in sacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum, quibus sociabatur, inciperet. »

II. Neque solum novellum presbyterum redarguit, qui per adulationem, et ambitionem ad supremum presbyterii locum obrepserat, sed etiam Primum, ac Secundum presbyteros, qui ignave illi honore suo cesserant. « Deformis autem, ait, et ignava subjectio bene sibi consciis, et non irritam facientibus gratiam Dei præjudicare non potuit, ut primatus suos quocumque commerito in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem, et quem ultimum sibi anteposuerant, cæteris præemineret. » Itaque pœnam in eos decernit: « Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam sacerdotio mererentur, tamen ut eis Apostolicæ sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur. Et ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. » Habes in hoc sane insigni ac memorabili exemplo primatum, et πρωτοκαθεδρίαν in presbyterorum ordine; quem solum unicuique ordinationis tempus attribuebat. Reliquorum ordinum non deerunt exempla; sed hæc, ac totius hujus rei diligentiorem tractationem in alium locum reservamus. In episcoporum promotione longe alia ratio temporibus illis exstitit; nam Cleri, ac populi suffragiis eligi solebant. Quem morem Cyprianus antiquissimum fuisse testatur, ac de *traditione divina, et Apostolica observatione* manasse. Hic vero Cypriani locus magnopere notandus est, et ad retundendam Cathari inscitiam longe præstantissimus; qui episcopos ait Apostolorum ætate, et aliquanto deinceps tempore, non electione creatos esse, sed ex antiquitatis prærogativa rato, certoque successionis ordine substitutos.

Episcoporum electio olim cleri ac populi suffragiis permissa.

III. Quem haud tolerabiliter errasse, omnis ecclesiastica memoria convincit; atque hic ille cumprimis Cypriani locus ex epistola LXVIII, ubi de episcoporum creatione disserit: « Propter quod plebs obsequens ait, præceptis Dominicis, et Deum metuens, a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa

maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio, ac testimonio comprobetur. » Mox Aaronis filii, ac successoris Eleazari id exemplo adstruit, qui coram omni synagoga in locum patris summus sacerdos constitutus est [1]; tum Matthiæ [2], de quo in locum Judæ, et Apostolatum subrogando Petrus ad Christianam plebem retulit : « Quod utique, ait, idcirco tam diligenter, et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet, etc. Propter quod diligenter de traditione divina, et Apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus diligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. » Ecce *traditionem* hanc vocant *Apostolicam* saltem. Nam divinam ideo nominat, non quod a Christo ipso præscripta sit; sed quod in veteri lege usurpata est, auctore Deo, in Aaronis posteris. Hanc igitur in Ecclesia ex Apostolis traditione receptam ait fuisse consuetudinem, ut episcopi non utique certum adipiscerentur ex ordinationis antiquitate jus, ac promotionem ad summum sacerdotium, ut quis mortuo episcopo successor dandus esset, jam inter omnes constaret ; sed ut incerta et expectatione suspensa omnium esset illius electio, quæ ex episcoporum, clericorum, ac plebis ipsius judicio, et suffragio penderet.

IV. Hoc ipsum in Cornelii Papæ, qui Fabiano successit, creatione factum esse testatur idem Cyprianus in epistola LII. « Factus est, inquit, episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, etc. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei, et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio. » Sic idem ipse Cyprianus, ut testis est Pontius diaconus, « Judicio plebis, et favore ad officium sacerdotii, et episcopatus gradum adhuc neophytus, et ut putabatur, novellus electus est. » Quinetiam « cum in dilectionem ejus, et honorem totus populus, aspirante Domino, prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans. » Itaque magno populi ardore, et consensione creatus est. Sunt et alia non pauca in historiis exempla moris ejusdem in primis Ecclesiæ temporibus; qui in jus deinceps, legemque transiit. Nam, ut ab episcopis, aut una etiam a Clero eligerentur episcopi, recepta per omnes ecclesias canonum decreta sanxerunt. Ut autem in iis renuntiandis laicorum insuper suffragia locum haberent, in Occidente potissimum lex et consuetudo tenuit.

Celebris de electione episcoporum Cœlestini primi canon

V. Celebris hac de re, ac frequenti deinde usu contritus est canon ille ab Cœlestino primo editus [3]. « Nullus invitis detur episcopus. Cleri, plebis, et ordinis consensus, ac desiderium requiratur. » Idipsum et Carthaginense quartum canone primo statuit, et Arelatense secundum, canone LIX, Leo Papa primus in epistola *ad Episcopos Viennensis Provinciæ*, quæ est LXXXIX. « Expectarentur certe vota civium, testimonia populorum ; quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt patrum regulas, custodiri, ut Apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, quæ præcipit, ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum) qui foris sunt, testimonio muniatur; neque ullius scandali relinquatur occasio, cum per pacem, et Deo placitam concordiam, consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est, ordinatur.» Et, « Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, et plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur ; » quod etiam in epistola LXXXIV, capite V præcipit. Quam consuetudinem revocavit Parisiensis synodus tertia anno 557, canone VIII. « Placuit ut juxta antiquam consuetudinem canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur episcopus, nisi quem populi, et clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel episcoporum comprovincialium ingeratur. » Et antea primum Arvenense, canone secundo : « Episcopatum ergo desiderans electione clerico-

1 Num 10. — 2 *Act.* I. — 3 Cœlest. ep. *ad Narb. episc.* cap. III.

rum, vel civium, consensu etiam Metropolitani ejusdem provinciæ Pontifex ordinetur. » Sed innumera sunt hujusmodi decreta de eligendis a populo episcopis Occidentalium ecclesiarum. In quo servandum id esse decrevit Arelatensis secunda synodus canone LIV, ut « tres ab episcopis nominarentur, de quibus clerici, vel cives erga unum eligendi habeant potestatem. » Quod tamen non ubique servatum. Nam populi suffragia præcedebant sæpius, quibus episcoporum, maxime Metropolitani, auctoritas succedebat. Quod in Oriente factum esse testatur Zonaras ad canonem VI Nicænum.

VI. De Orientalibus ecclesiis aliter usu receptum fuisse, doctissimis viris placuit, postquam Nycæna synodus canone IV et VI, Laodicena XII, et Antiochena canone XIX, episcopos, nulla cleri, plebisve facta mentione, ab episcopis provinciæ creari, et ordinari jusserunt; nam antea popularibus adhibitis suffragiis creari solebant. Habent, qui ita sentiunt, auctores Balsamonem in commentariis ad canonem IV Nicænum, et Laodicenum duodecimum, nec non Zonaram ad VI Nicænum; et XII ac XIII Laodicenum. Qui ad XII causam etiam adjicit, cur suffragium populo sit ademptum.

Verum, si quis diligenter canonum illorum verba perpendat, dubitabit, an ex iis satis probare possit, populo jus illud ereptum. Nam de episcopis tantummodo præscribunt, quæ sint eorum partes in episcoporum electione, præcipue Metropolitani; quorum utique prima, et præcipua erat auctoritas, et, ut Græci dicunt, τὸ κῦρος τῶν γινομένων. Itaque popularibus istis concionibus, et suffragiis præerant episcopi, sine quibus fieri nihil poterat. De his ergo canones illi statuunt, uti ex omnium consensu, vel saltem paucis exceptis, episcopus eligatur, præsertim vero Metropolitani. De populo nihil in utramvis partem definit; quia de solis episcopis agebatur. Quod ipsum et de canone XIX Antiocheno sentiendum est, ubi de populari suffragio nulla fit mentio.

Confirmatio eorum quæ fiebant.

VII. Quanquam Ferrandus *in Breviatione Canonum* sic ex Antiocheno isto canone refert[1] : « Ut nullus ordinetur, nisi probatus, vel episcoporum examine, vel populi testimonio. » Sed ad eam solam partem, quæ est de episcopis, Antiochena synodus pertinet. In Laodiceno canone XIII decretum est, « ut ne turbis permitteretur electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi[a]. » Ad quem Zonaras, et Balsamo adnotant, quemadmodum in antecedenti canone de episcopis cautum est, ut ne a populo deligerentur; ita in hoc sequenti de sacerdotibus, sive presbyteris idem esse constitutum[b]. Quod si verum est, ut de presbyteris canon iste sanciat; cum nec in superiori, nec in ullo alio canone nominatim populo adempta sint suffragia in episcoporum electione, hoc etiam argumento esse potest, nec in Orientali quidem ecclesia sublata fuisse, quod presbyterorum duntaxat electio sit excepta, Est enim vulgare hoc effatum; *Exceptio firmat regulam in non exceptis.* Quare si de eligendis presbyteris speciatim id cavetur, ne populus adhibeatur, videri potest non idem in episcopis fuisse prohibitum. Ego vero non de solis presbyteris hoc arbitror Laodiceno illo canone fuisse sancitum; sed etiam de diaconis, hoc est universe de sacris ordinibus episcopo minoribus. Nam et diaconi εἰς ἱερατεῖον καθίστασθαι dici possunt, hoc est ex versione alia, (prior enim, qua sum usus, quæ *sacerdotium* habet, Dionysii est Exigui) *qui sunt altaris ministerio applicandi.* Itaque in canone secundo ejusdem concilii diaconis tribuitur ἱερατικὴ λειτουργία, quod Dionysius *sacrum ministerium* vertit. Notum vero illud est, quemadmodum olim in eligendis presbyteris, aliisque minoribus clericis, populi consensus, ac testimonium peteretur, ut ex Cypriano, et plerisque aliis constat.

VIII. Nec desunt exempla popularis in eligendis episcopis suffragii, ac testimonii in Orientalibus ecclesiis, etiam post Nicænam usurpati synodum, cæterasve, a quibus illud interdictum putant Zonaras, et Balsamo. Luculentissimum vero illud est, quod in creando primum Synesio, tum ab hoc ipso jam episcopo, in aliis provomovendis editum est in Alexandrina diœcesi, quæ fuit Orientalis ecclesia. Etenim Synesius patria Cyrenensis, quæ erat Libyæ caput, a Ptolemæensibus unius e Pentapolitano tractu civitatis incolis ad episcopatum expetitus est;

Exempla popularis suffragii in eligendis episcopis

a LAOD. can. XIII. Περὶ τοῦ, μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.

b ZONAR. Οὐ μόνον ἐπισκόπων ἐκλογὴν οἱ ὄχλοι ποιεῖν ἐκωλύθησαν· ἀλλ' οὐδὲ ἱερεῖς ἐκλέγεσθαι παρεχωρήθησαν.

1 Num. 232

ut in epistola cv, testatur ipse. Deinde jam factus episcopus. Theophili Alexandrini episcopi jussu, cui subjectus erat, in vico quodam provinciæ suæ nomine Palæbisca, de ordinando ibidem episcopo conventum habuit clericorum, atque populi. Sed hoc imprimis reclamante, victus tandem ejus pertinacia ab incepto destitit, ac de tota re ad Theophilum retulit in epistola LXVII digna plane quæ legatur ob hoc ipsum, de quo modo agitur. Nam nusquam expressius invenies moris antiqui vestigium in creandis episcopis, et popularibus ad id celebrandis comitiis. Imprimis ergo « congregatum a se populum scribit, ac partim litteras coram illis legisse, partim iis reddidisse; priores quidem, quas Theophilus ad se de illis ; posteriores ad eos scripserat, ac sermonem instituisse, quo vel persuaderet, vel, si fieri posset, cogeret, ut de episcopo eligendo deliberarent. Verum populi studium in Paulum se non potuisse pervincere [a].» Cum autem vehementius instaret, ut, quod acceperat, in mandatis efficeret; majorem populi tumultum, vociferationemque coortam, præsertim mulierum. Itaque, ne commiseratione frangeretur, « concionem a se dimissam, ait, et in quartum diem indictam, cum severa denuntiatione, et dirarum imprecatione, si qui mercede conductus, aut privati commodi gratia, aut favore, aut ulla re alia ductus, quæ privatim sua interesset, quidquam adversus debitam Ecclesiæ obedientiam dicere auderet [b]. » Ubi dicta dies advenit, tum vero majores turbæ, ac contentiones exstiterunt, quando, et sacri præcones ægre silentium fecerunt. Demum « libellus publice prolatus, lectusque est, quo populus obtestabatur Synesium, ut vim multitudini desineret afferre, ac deliberationem tamdiu differret, dum ad Theophilum publicum de hac re decretum cum legatione mitteretur [c]. » De episcopo itaque creando conventum populi tum habuit, et ad eum retulit Synesius.

IX. In Alexandrina ipsa ecclesia eumdem morem obtinuisse, uti popularium ratio suffragiorum duceretur, indicat Julius Papa scribens ad episcopos Arianos, qui in Antiochena erant synodo, et Athanasio damnato successorem ei dederant Gregorium Cappadocem. Hoc enim factum illorum incusat ideo, quod, pulso legitimo episcopo, hominem ad illam sedem miserint, « neque postulatum a presbyteris, neque ab episcopis, neque a populis [d]. « Sed et Leo primus Romanus pontifex ad Thimotheum Solophaciolum scribens, qui ejecto Timotheo Æluro [1], Alexandriæ a Catholicis creatus erat episcopus, gratulatur, quod a clero, ac plebe sit electus : Unde de eo, inquit, quod instinctu fidei in fraternitatem tuam Cleri, et plebis, atque omnium fidelium egit electio, universam mecum ecclesiam Domini gaudere rescribo. » Et epistola CIII *totius civitatis electione* factum illum ait episcopum. Quin idem Leo in epistola *ad Anastasium Thessalonicensem episcopum* [2], « Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postularit, ita ut, si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus et studiis juvatur, et meritis, tantum ut nullus invitis, et non petentibus ordinetur, ne plebs invita episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa, quam convenit, cui non licuerit habere, quem voluit. » Erat quidem tunc Thessalonica Romanæ diœcesis, cujus episcopo vices suas in longinquis illis ecclesiis gubernandis committebant Romani Præsules, ut Anastasio tunc Leo fecerat. Tamen, quia Græciæ civitas illa fuit, verisimile est, eadem, ac reliqua utebatur Græcia,

a Syn. ep. LXVII. Ἐν αἷς τόν τε δῆμον ἐκκλησιάσας, καὶ γράμματα τὰ μὲν ἀναγνοὺς, τὰ δὲ ἀποδούς· τὰ μὲν γὰρ ἦν πρὸς αὐτοὺς, τὰ δὲ περὶ αὐτῶν πρὸς ἐμέ· καὶ λόγους διεξελθὼν ἐπιτηδείους εἰς ἀρχαιρεσίαν, εἰς τὸ καὶ πεῖσαι, καὶ, εἰ προχωροίη, βιάσασθαι προθέσθαι τὸν περὶ ἐπισκόπου σκέψιν, οὐκ ἐξενίκησα τοῦ δήπου τὴν περὶ τὸν εὐλαβέστατον Παῦλον σπουδὴν.

b Ibid. Ἔλυσα τὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς τετάρτην ἥκειν ἐπήγγειλα, ἐπαρασάμενος τὰς παλαμναιοτάτας ἀρὰς, εἴ τις ἐμμίσθως, εἴ τις κατὰ χρείαν, ἤ χάριν, ἢ ὅλως, ἰδίᾳ τὶ διαφέρον αὐτῷ, φθέγξαιτό τι τῶν ἡκόντων εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας παρακοήν.

c Syn. ibid. Ἐμοῦ δέ τι μεταξὺ λέγειν ἐπιχειροῦντος, ἀναδείκνυται γραμμάτιον ἐκ μέσου τοῦ πλήθους· καὶ ἐνεύχεταί τις εἰς κοινὸν αὐτὸ πᾶσιν ἀναγνωσθῆναι. τὸ δὲ ἦν ἐνορκισμὸς πρὸς ἐμὲ παύσασθαι σὺν βίᾳ τοῦ πλήθους ἀποπειρώμενον, καὶ ἀναθέσθαι τὸ σκέμμα, μέχρις ἂν αὐτοῖς γένηται πρὸς τὴν μακαριωτάτην σοῦ κεφαλὴν ὑπὲρ τούτου ψήφισμα πέμψαι, καὶ πρεσβευτήν.

d In epist. Julii apud Athan. *in Apol.* II. Μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρ' ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαῶν.

1 Leo papa ep. CI. — 2 Leo ep. CIII, c. IV.

illic instituta floruisse, generalis præsertim decreto synodi sancita.

X. Præter hæc alia quædam exempla, ac testimonia colligit R. P. Hugo Menardus in eruditis *Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* quæ postquam ista commentati sumus, in lucem prodiere. Velut est Sardicensis canon sextus ; qui de καταστάσει, id est *ordinatione* episcopi, ut vertit Dionysius, præcipit, ut is eligatur, quem plebs postularit in unum collecta [a]. Tum ex synodica concilii Nicæni, quæ Meletianæ partis episcopos jubet in mortui locum subrogare, « si tamen digni habeantur, et populus eligat [b]. » Quare, cum eadem synodus canone IV καθίστασθαι, id est *ordinari*, ut idem vertit Dionysius, episcopum mandat ab omnibus episcopis provinciæ, vel a tribus saltem, de consecratione ipsa loquitur, vel certe populi suffragia non excludit, uti supra meminimus. Affert et alia Orientalium ecclesiarum exempla, quæ eumdem morem popularis electionis confirmant, quæ apud illum legi poterunt.

Verum utut in orientali Ecclesia renuntiati sint episcopi, hoc est sive populi plerumque suffragiis expetiti, sive ab solis episcopis creati; primum ita constat, non eodem modo semper transactam rem fuisse ; sed Principum maxime jussu, ac potestate, præter canones, et consuetudines, episcopos civitatibus datos esse. Quod et in Galliis, primorum maxime regum tempore, sæpius usuvenisse in Annalibus proditum est, ut contra quam legibus ecclesiasticis cautum erat, atque usu receptum, electi, missique ab regibus caperentur, non liberis suffragiis episcoporum, nedum civium eligerentur Antistites. Deinde longe id certissimum est, falsum et ineptum Salmasii esse commentum ; qui « antiquiorem, ac priorem morem fuisse ecclesiarum ait ab ipsis Apostolis institutum, ut primatus inter presbyteros (hoc est episcopatus, ut in eadem pagina, et sequentibus docet) non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Si de solo presbyteratus ordine istud diceret, non esset arguendus. Nam paulo ante significavimus, in presbyterorum, ac clericorum adeo omnium collegiis, fuisse quoddam graduum, ac sessionum discrimen, et primatum ordinationis antiquitate tributum. At iste illos ipsos primates presbyterio præpositos, et « Episcopos nominatos ait esse κατ' ἐξοχὴν, quibus primatus eo modo delatus fuisset, ex tempore ordinationis. » Doceat igitur nos, quo auctore, quo argumento persuadere poterit, episcopos priscis illis, Apostolicisque temporibus, non electione creatos esse, sed ex tempore ordinationis suæ, quasi rata, et certa lege successionis esse suffectos; quemadmodum in locum primi presbyteri, vel diaconi, is qui proxime ab eo cooptatus fuerat, antiquitatis jure succedebat.

Per excellentiam.

XI. Operæ pretium est eruditi hominis, et critici in paucis acuti solertiam, ac judicium intueri, cujus in hac re singulare specimen dedit. Duos enim ante se positos auctores habuit, Hieronymum, et pseudo-Ambrosium, quos invicem pugnare credidit, et contraria dicere. Hieronymus in epistola LXXXV *ad Evagrium*, « Nam et Alexandriæ, inquit, a Marco Evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, » etc. Ab Apostolorum tempore, usque ad Heraclam, et Dionysium, hoc est usque ad medium sæculum fere tertium, morem hunc fuisse dicit Alexandrinæ ecclesiæ, ut e corpore suo presbyteri unum quempiam eligerent; post Dionysium, quid deinceps illi fecerint, quove modo episcopos creaverint, non explicat. Sed ex illo ipso, quem Hieronymo refragari putat Salmasius, pseudo-Ambrosio subinde declarabitur; quem ab Hieronymo neutiquam dissidere, in eoque falsum esse Salmasium, indidem constabit. Teneamus modo id, quod ex Hieronymo colligitur, Alexandriæ morem hunc in episcopis creandis jam tum ex Apostolorum tempore servatum esse, ut non ordinationis prærogativa succederent, sed electione presbyterorum qui, quem utique vellent, episcopum facerent. At pseudo-Ambrosius in commentario ad caput IV epistolæ Pauli *ad Ephesios*, « Primum, inquit, presbyteri episcopi appellabantur, ut, recedente uno, sequens ei succederet, etc. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum multorum sacer-

Salmasii commentum de episcopi Alexandrini electione.

a SARDIC. can. VI. Τὰ δὲ πλήθη συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίνεσθαι τὴν κατάστασιν τοῦ παρ' αὐτῶν ζητουμένου ἐπισκόπου, etc. Mox : Τὸ ἱκανὸν τῇ βουλήσει τοῦ πλήθους χρὴ γενέσθαι.

b Epist. syn. Nic. μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο.

dotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, et esset multis scandalum. »

XII. Arbitratur Salmasius scriptorem hunc ab Hieronymo dissentire, quod hic a Marco ad Heraclam usque electione factos ait episcopos Alexandriæ; pseudo-Ambrosius autem « prius ex ordinationis tempore delatum esse dicit primatum inter presbyteros; » postea electione creatos episcopos. Quod quidem verum si esset, ut ab Hieronymo dissideret iste, non esset, opinor, hæsitandum, utrius fides potior, et auctoritas major deberet esse. Adeo incredibiliter constat, longe digniorem esse cui crederemus, Hieronymum, quam illum nescio quem scriptorem, nec obscurum, ignotumque modo, sed infamem etiam vel schismatis invidia, ut cum plerisque Salmasius existimat, vel hæresis Pelagianæ, ut nonnullis videtur [1]. Verum non est ille, ut jam dicere cœpimus, adversus Hieronymo, ac tum pulchre cum illo convenit, tum ad eum interpretandum lucis etiam aliquid affert; ut in hujus usurpando testimonio duplici, vel etiam triplici erroris capite teneatur Salmasius : dum et Hieronymo pluris illum ad veritatis auctoritatem facit, et pugnare ambos inter se perperam existimat; et quemadmodum ex uno suppleri debeat, quod minus expressum est in altero, non vidit. Horum trium quod primum est, etsi per se est notum, tamen superiori capite satis exagitavimus ; nunc duo reliqua demonstranda sunt.

XIII. Scribit ementitus Ambrosius, primum ita creatos episcopos, *ut, recedente uno, sequens ei succederet.* Id sic accipiendum est, ut ex solo presbyterorum ordine tum episcopi Alexandriæ caperentur, hoc est *uno recedente*, atque e medio sublato *sequens*, id est alter ejusdem ordinis *succederet.* Ergo idem *sequens* est, atque *alter.* Ut ergo si ita dicam : Ex solo Cardinalium collegio pontificem Romanum ita fieri, ut, uno recedente, sequens ei succedat, nihil aliud significavero, nisi alterum ei Cardinalem substitui ; minime vero inde consequens erit eum , qui dignitate proximus sit ab summo pontifice, et cooptationis tempore totius collegii primus, sine electione succedere. Sic Optatus Milevitanus in libro II, cum de Constantini M, actis contra Donatistas locutus esset, mox de Juliano ita scribit : « Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus Imperator. » Eodem plane modo ex presbyterii corpore, et ordine creabatur Alexandrinus episcopus, idque ab ipsismet presbyteris, ut indicat Hieronymus. Ac tum *ordo, non meritum creabat episcopum*, ut ait Ambrosius ille. Nam fieri poterat, ut in presbyterio nemo esset episcopatu dignus, esset autem in diaconorum ordine, aut in hoc certe longe, quam in illo honore isto dignior. Et tamen, quia non alius, quam presbyter creandus erat episcopus, vel indignus, vel minus dignus erat eligendus ; hoc merito displicuit, et aliter instituenda res est visa. Itaque *multorum sacerdotum judicio constitui* placuit episcopum non ex ordine, sed ex merito, hoc est etiam ex alio, quam presbyterorum ordine. In quo duo novata sunt : alterum, ut alii, quam presbyteri creari possent episcopi : alterum ut non a solis presbyteris eligerentur, sed etiam ab sacerdotibus, id est ab episcopis, quos proprio vocabulo *sacerdotes* interdum appellatos esse supra meminimus ; et ita pseudo-Ambrosium usurpasse liquet ex eo, quod a presbyteris, quos paulo ante dixit, diverse illos appellavit. Potuit et ex eadem lege, populi in eorum electione consensus adhiberi, cum antea penes presbyteros tota potestas esset.

XIV. Utriusque novi decreti, ac mutationis, haud scio, an non in Athanasii creatione exstet exemplum ; nam videtur ex diacono post Alexandri obitum factus episcopus. Quippe Nicæno concilio cum illo interfuit adhuc diaconus, et post concilium in eodem gradu perseverasse videtur, ut ex synodica concilii Alexandriæ habiti in causa Athanasii colligitur [a] ; quæ refert, Eusebianos ab Alexandro reditum Arii frustra impetrare conatos, in Athanasium diaconum iram suam vertisse, cujus experimentum in Nicæna synodo ceperant. Hinc ergo verisimile est, post Nicænum concilium etiamnum diaconum illum fuisse, usque ad Alexandri obitum, qui quinto post concilium mense accidit, ut in eadem *Apologia* secunda scribit Athanasius.

a Synodica Alex. apud Athan. *in Apol.* II. Ἀλεξάνδρου δὲ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν μὴ δεχομένου τὸν ἀσεβῆ, εἰς Ἀθανάσιον τότε διάκονον ὄντα, ἐλυποῦντο, etc. Πεῖραν δὲ αὐτοῦ καὶ τῆς εὐσεβείας τῆς εἰς Χριστὸν λαβόντες ἐκ τῆς συνόδου τῆς κατὰ Νίκαιαν συγκροτηθείσης, ἐν οἷς ἐπαῤῥησιάζετο κατὰ τῆς ἀσεβείας τῶν Ἀρειομανιτῶν.

1 Bellarm. *de Ser. Eccles.*

Rursus populi suffragio eumdem creatum esse, post Alexandrum, episcopum testis est Gregorius Nazianzenus : « Sic igitur, inquit, et ob eas causas totius populi suffragio, non autem secundum perversum exemplum, quod postmodum inolevit, neque per vim ac cædem, sed Apostolice, et spiritualiter ad Marci thronum evehitur [a]. » Habes, nisi fallor, probabilem conjecturæ nostræ rationem. et interpretationis, qua cum Hieronymo Ambrosius ille conciliatur, contra quam temere

Absque iudicio.

et ἀκρίτως Catharus opinatus est. Qui et ex Marci throno, ut Gregorius illum vocat, nec non Synesius, aliique veteres, discere potest, falso abs se negari, Marcum Alexandrinæ ecclesiæ primum episcopum fuisse.

XV. Non opus est pluribus ad inanem illam confutandam fabulam antiquæ creationis episcoporum in Alexandrina ecclesia, tum vero in cæteris, ab Apostolorum tempore, quam ex pseudo-Ambrosio commentus est Salmasius, ut primatum episcoporum sola ordinationis antiquitate constitisse, sine electione, diceret. Quod ne fando quidem hactenus est auditum ; neque, uti spero, deinceps audietur. Invenio in Ecclesiæ veteris usu, ac

Primam sedem.

moribus primatum quemdam, et πρωτοκαθεδρίαν inter episcopos, sed longe dissimilem Salmasiani illius, et ementiti. Ac dupliciter ille procedebat. Nam et inter episcopos considendi locus ex ordinationis tempore dabatur ; et in quibusdam provinciis uni alicui, qui omnibus antiquior erat, primatus idem cum potestate, ac jurisdictione cedebat, ut Metropolitani instar esset.

Præsidentiæ

Prioris illius προεδρίας exempla, aut testimonia quærere supervacuum est, cum id ratio ipsa dictet, ordinem aliquem inter episcopos considendi, ac dicendæ sententiæ esse debere. Unicum tamen ad id expressum, et memorabilem Gregorii papæ locum omittere non possum ex epistola *ad Syagrium Augustodunensem episcopum*, cui pallium mittens, prærogativam insuper addit honoris, et ita scribit[1] : « Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, ut Metropolitæ suo per omnia loco, et honore servato, ecclesia civitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum, ac ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vindicare. Cæteros vero episcopos secundum ordinationis suæ tempus, sive ad considendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua adtendere loca decernimus, et suorum sibi prærogativam ordinum vindicare. »

XVI. Leo primus in epistola LXXXIX, de episcoporum in Galliis ordinatione loquens « Ordinationem sibi, inquit, ut jam ante diximus, singuli Metropolitani suarum provinciarum cum his, qui cæteros sacerdotii antiquitate præveniunt, restituto per nos sibi jure defendant. Alienum jus alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus. Et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit non licere. Quod si quis negligens Apostolicas sanctiones plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is, cui cesserit, sed is, qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem. » Hic ordinationis antiquitas jus quoddam episcopis tribuit in ordinationibus episcoporum cum Metropolitano totius provinciæ peragendis, de quo non est hujus loci agere.

Prima sedes

Posterior πρωτοκαθεδρία Africanæ ecclesiæ propria fuit, « cujus in singulis provinciis (verba sunt Leonis IX in epistola IV) antiquitus primates instituebantur, non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis ; quibus tamen præerat unus, scilicet Carthaginensis Archiepiscopus, qui etiam non incongrue dici potest Metropolitanus propter Carthaginem Metropolim totius Africæ. » Itaque nullus apud Afros Metropolitanus erat, hoc est sedes nulla, penes quam certus, ac fixus primatus esset præter Carthaginensem, quæ velut Metropolis fuit Africæ totius. Reliquæ primatum ex ejus, qui præerat, antiquitate vicissim sortitæ sunt ; isque *senex* appellabatur, et primas.

XVII. De qua re plenius scripserunt alii contra Salmasium[2] ; qui Africanarum eccle-

a NAZIANZ. orat. *in S. Athan.* Οὕτω μὲν οὖν καὶ διὰ ταῦτα ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, οὐ κατὰ τὸν ὕστερον νικήσαντα πονηρὸν τρόπον, οὐδὲ φωνικῶς τε καὶ τυραννικῶς, ἀλλ' Ἀποστολικῶς τε, καὶ πνευματικῶς ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται.

1 Greg. lib. VII ep. CII Ind. 2. — 2 Sirm. lib. II *Prop.* c. IX.

siarum morem istum nesciens, temere, uti solet, inficiari, et oppugnare est ausus. Quod sero tandem confessus est in illa dissertatione, quam contra modo scribimus; sed in hac Afrorum commemoranda consuetudine, seipsum imprudens jugulat. Nam exemplum ex ea capit πρωτοκαθεδρίας suæ, et commentitiæ, quam ab Apostolorum tempore fuisse, putat, ut in presbyteratu is primas, et episcopus fieret, qui ordinationis tempore præibat reliquis : Hæc eadem ratio, inquit, diu primatum inter episcopos in multis provinciis fecit non urbis primæ dignitas. Unde et primæ sedis vocabantur episcopi, cum alii omnes secundæ dicerentur. Ita inter presbyteros prima sedes dabatur, sive πρωτοκαθεδρία ei, qui ordinatione antiquior cæteris esset. » Ergo, si primatus ille, qui fuit in ecclesiis Apostolorum ætate, idem fuit cum isto quarumdam ecclesiarum, id est Africanarum, primatu inter episcopos; falsum est, quod alibi in eadem dissertatione sæpius ingerit, presbyteros *omnes* per illud tempus *honore*, et *potestate æquales fuisse*. Nam Africani illi primates instar erant Metropolitanorum, qui in aliis provinciis habebantur. Hi vero in cæteros episcopos potestatem aliquam, et jurisdictionem exercebant. Nam et synodis præerant, et episcopos ordinabant, et provinciam quisque suam administrabant, et honore anteibant cæteros. Quæ omnia longe absunt ab æqualitate illa, et ἰσονομίᾳ, quam Apostolorum tempore in ecclesiis gubernandis fuisse censet in presbyterorum ordine; et quam hodie Calvinianorum, Catharorumque factio, in quam juratus est Salmasius, quocumque pervasit, introducere conatur.

Primæ sedis

Quædam adduntur de electione episcopi Alexandrini

XVIII. Antequam caput hoc, librumque concludam pauca libet addere, quæ ad morem illum Alexandrinæ ecclesiæ, in eligendo episcopo spectant, quem ex Hieronymo, et falso Ambrosio supra retuli. Editus est nuper admodum ab viro docto Eutychii Alexandrini Patriarchæ libellus Arabicus, in quo ecclesiæ illius origines continentur, præsertim Marci Evangelistæ historia, et conditæ ab eo illic ecclesiæ.[1] Cujus nonnulla exstant in Historia vetere S. Marci, quæ post Abdiam Babylonium vulgo solet excudi. Velut est de calceamento ipsius rupto, cum Alexandriam ingrederetur, et de sutoris manu curata, qui in resarciendo calceo illam læserat. Cujus quidem calcei rupti meminit in *Policratico* Joannes Sarisberiensis. Hunc sutorem nomine Ananiam scribit Eutychius primum a Marco Patriarcham esse factum; adjunctosque illi duodecim presbyteros, qui cum eo manerent; « adeo ut, cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim presbyteris; cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, et Patriarcham cum crearent; et dein virum aliquem insignem eligerent, eumque presbyterum secum constituerent loco ejus, qui sic factus est Patriarcha, ut ita semper exstarent duodecim. » Quem morem usque ad tempus Alexandri, cui Athanasius successit, perseverasse ait; hunc vero, eo abolito, decrevisse, ut deinceps ab episcopis Patriarcha ordinaretur, sive ex duodecim illis presbyteris, sive ex aliis, ut res tulisset.

XIX. In hac Eutychii narratione, (cujusquemodi tandem est, de quo hic non disputo, et omnino bene credulum lectorem postulat) apparet vestigium aliquod consuetudinis illius Alexandrini presbyteri, cujus falsus Ambrosius meminit, nec non Hieronymus. Sed quod a duodecim illis presbyteris refert creatum, et in mortui locum suffectum esse patriarcham; (ita enim vocat) id si verum est, aut presbyteros istos episcopali ordine, ac potestate præditos fuisse necesse est, uti supra memoravi; aut sola ibi electio, et constitutio agitur non ordinatio, et consecratio. Quamvis de hac etiam persuadere conatur eruditus interpres in commentario ad Eutychium istum. Qui itidem, ut Trapezita Messalinus nulla re cum illo conferendus, imbecillo argumento nititur ex Judaico more ac Talmudicis ritibus sumpto, ubi impositio cæremonia est, neque spiritalis potestatis efficax; uti ritus omnes erant veteris legis etiam auctore Deo, ab ipso Mose traditi; nedum inanes isti, qui ab superstitiosa, et stolida gente vel instituti sunt, vel post abrogatum vetus Testamentum, sine ullo fructu retinentur.

Recordemur ejus, quod ante dixi : Christum ad novæ Sacramenta legis, ac mysteria condenda eas fere cæremonias usurpasse, quæ Judæis erant familiares, et usitatæ, ut in sacramento, et sacrificio Eucharistico; quod ipsum et in ordinatione, ac manuum impositione contigit. Ut igitur pessime ratiocinetur, qui in Eucharistico sacramento nihil esse præter nuda, et egena elementa concludat; quod nihil amplius apud Judæos illa

1 Lib. II, cap. I.

eadem habuerint; ita non melius probabiliusque de manuum impositione constat illis ratio, qui nihil in Christiana sanctius, aut efficacius putant inesse, quam Judaica fuerint, cum etsi ὕλη par utrobique sit, tamen εἶδος, et ἐνέργεια distet amborum. Postremo vetus historia Marci nihil aliud de Clero ab eo constituto refert, nisi et sutorem illum, quem « Anizanum vocat, Alexandriæ ordinatum episcopum, (non vocat Patriarcham, ut ille Eutychius) et tres presbyteros, et septem diaconos, et alios undecim ad ecclesiasticum ministerium pertinentes; » nec a presbyteris istis consecratum ait episcopum, quod frustra vir ille doctus non solum Eutychio suo imputat, sed etiam Walloni Messalino impostori temere asseveranti credidit. Vide quæ sequente libro, capite VI, de eadem re dicemus *.

Materia.

Species et efficientia.

* Blondellus, Salomon Deylingius, Chr. Matthæus Pfassius, ac novissime Jo. Georgius Walchius *in hist.* N. T. Eutychii fabellas iterum nobis obtrudunt. Sed vide, ne longior sim, Renaudotium *in hist. Patriarch. Alexandrin.* Sollerium t. V. Junii, ubi de patriarchis Alexandrinis, Morinum *de sacris Ecclesiæ ordinationibus* part. III, exercit. VII, c. VII, et Mamachium t. IV *Orig. et Antiquit. Christian.* Z.

P. F. A. ZACHARIÆ

DISSERTATIO

IN QUA CLARISSIMORUM VIRORUM FLORENTINII, HENSCHENII, ATQUE COMBEFISII SENTENTIA DE TRIBUS JACOBIS A PETAVII, NATALIS ALEXANDRI, TILLEMONTII, GARDEBOSCII, ALIORUMQUE OBJECTIONIBUS VINDICATUR.

CAPUT PRIMUM.

Quinam parentes, et fratres quæ tribus Jacobi Ierosolymorum episcopi?

Sententia fuit virorum eruditissimorum Florentinii *In Apostolorum Indiculum*, Exercit. I. et II; Combefisii *in Auctario Biblioth. Græcorum PP. in Notis ad Orationem de S. Jacobo Nicetæ Paphlagonis;* Henschenii tom. I *Maii ad diem 1. Comm. prævii* § 4. Valesii *in suis ad Eusebii Historiam adnotationibus*, Jacobum Ierosolymorum episcopum cognomento Justum, ac Fratrem Domini alium ab Jacobo Alphæi omnino fuisse, atque ea propter a duodenario Apostolorum numero secludendum. Hæc quidem opinio jam olim graves nacta est adversarios Dionysium Petavium, *de Eccles. Hier.* lib. I, cap. VII, et *Annalium Ecclesiasticarum* parentem Card. Cæsarem Baronium, quorum hic ad ann. Christi 44, imprudentiæ notam præterea ejus defensoribus inurit. Sed postquam Henschenius omnium fusissime, ac meo quidem judicio solidissime eam tuitus fuit sententiam, uti hæc asseclas nacta est eruditissimos, quos inter Mazochius commemorandus in Calendario Neapolitano, ita novos habuit impugnatores Pearsonium Lect. 4 *in Acta Apostol.* num. 4; Cotelerium Joh. Georgium Walchium *hist. Novi Testam.* pag. 257; P. Ursium *hist. Eccles.* lib. II, num. 7; P. Casinum in *Encyclopædia Biblica*, aliosque plures a Fabricio tum in notis *ad Abdiam*, , tum in *Salutari Luce Evangelii* commemoratos p. 104, quibus tamen omnibus palmam præripuisse videntur Natalis Alexander, sæc. I, cap. VIII n. 10; Tillemontius *Monum. Ecclesiast.* tom. I, pag. 618, et Gardeboscius *Hist. Eccl.* Sec I. parte I, lib. II diss. IV, quæst. II. Hoc igitur in hac dissertatione consilium meum est, hoc institutum, quæ hi invictis Bollandianorum argumentis satis futilia opposuerunt, pro viribus refellere. Sed ut hoc præstetur, ipsa Bollandianorum momenta proponenda iterum sunt, atque illustranda.

II Atque ut μεθοδικῶς res tota discutiatur, hoc primum capite disquirendum est, quinam fuerint Jacobo Ierosolymorum episcopo parentes, qui fratres, quæ patria. Ordior a parentibus, ac Jacobo non Alphæum, sed Cleopham patrem fuisse contendo. Ad Evangelium provoco. *Matth.* XXVII a morte Christi in monte Calvariæ *erant mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.* Peto nunc, cujusnam uxor fuit hæc Jacobi, et Joseph mater? Cleophæ. Id ex Johannis Evangelio conficio *Stabant*, ait ille cap. XIX, *juxta Crucem ejus, mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophæ; et Maria Magdalene.* Porro locus, et tempus idem est, de quo Matthæus; sed vero etiam, si Patres consulimus, Maria Jacobi, et Joseph mater, cujus Matthæus meminit, ipsissima est Maria Cleophæ, quam Johannes commemorat. Chrysostomus enim in caput I epist. *ad Galat.* Jacobum fratrem Domini bis appellat *Jacobum Cleophæ*, additque *hoc cognomen indicasse Evangelistam.* At ubinam? nisi in memorato Johannis loco. Neque aliter Theodoretus in eamdem *ad Galatas* epistolam. « Jacobus (hæc ille) vocabatur frater Domini, sed non erat natura; sed nec fuit Josephi filius, ut quidam existimarunt, ex

Cum methodo.

priore matrimonio natus, sed erat Cleophæ filius, Domini autem consobrinus habuit matrem matris Domini sororem. »

III. Favet etiam huic interpretationi magnus Hieronymus *de Scrip. Eccles.* cap. II. « Jacobus, quia appellatur Frater Domini, cognomento Justus; filius, ut nonnulli existimant, Josephi ex alia uxore ; ut autem mihi videtur Mariæ sororis Matris Domini, cujus Johannes in libro suo meminit : » quem autem librum intellexerit S. doctor, non video, nisi Evangelium. Hinc in manuscripto codice monasterii S. Cyriaci hæc leguntur: « Hieresolymæ passio Sancti Jacobi filii Mariæ, quæ fuit soror Mariæ matris Domini ; unde et Frater Domini dictus est. » Qui tamen Jacobum fratrem Domini, ac Jacobum Alphæi unum atque eumdem hominem faciunt, Jacobum fratrem Domini Alphæi filium esse statuunt, Ut vero ab argumento, quod nuper explicavimus expediant sese, mirum est quot et quæ sibi confingant optimi homines.

IV. Gardeboscius negat, easdem esse in Matthæi, et Johannis sententiis circumstantias; et Mariam Cleophæ a Maria Jacobi, et Josephi matre aliam esse contendit. Sed audiat primo omnium S. Hieronymum eo ipso in loco, in quo adversatur sententiæ nostræ, in libro scilicet *adversus Helvidium.* « Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur Maria Jacobi minoris mater, et hic Maria Cleophæ ; disce Scripturæ consuetudinem, eumdem hominem diversis nominibus nuncupari. » Deinde illud ex Gardeboscio quæro, undenam ea circumstantiarum diversitas confici possit? *Quod enim Johannes dicit*, ut opportune animadvertit Illustrissimus, idemque doctissimus Gandavensis episcopus Cornelius Jansenius comm. in *Concord. Evang.* c. 143. « Matrem Domini cum aliis mulieribus stetisse juxta crucem Jesu, nequaquam videri debet contrarium ei, quod alii (Evangelistæ) dicunt mulieres illas stetisse a longe. Nam ut habet Augustinus (l. III, *de consensu Evang.* c. XXI) aut intelligi potest in tanto illas fuisse intervallo, ut et juxta dici possent, quia in conspectu ejus aderant præsto : et a longe propter turbam propinquius circumstantem cum centurione, et militibus : Aut prius quidem illas propius cum Matre adstitisse, postea vero a densitate turbæ (Deipara tamen excepta) se subtraxisse, et a longe stetisse. »

V. Olim Hieronymus in laudato adversus Helvidium libro Mariam Jacobi minoris matrem *sive a Patre, sive a gentilitate familiæ* dictam fuisse *Mariam Cleophæ* scripserat. Sed quum a Baronio in *Appar. ad Ann.* n. 66, aliisque passim secus ac nos de Jacobi minoris Patre sentientibus deseratur ea Hieronymi opinatio, non est cur in ea refellenda diutius immoremur. Quamobrem ad Tillemontii sententiam examinandam accedo. Ait ille Mariam Jacobi minoris, et Josetis matrem prius Alphæo, Cleophæ deinde nuptam fuisse, atque idcirco *Cleophæ* dictam. Egregium enimvero systema ; sed quod Tillemontius ipse de Papebrochii, aliorumque Bollandianorum opinationibus non semel dicit optare se, ut antiquorum Patrum monumentis, ac solidis argumentationibus confirmari possent; nonne de ea Tillemontii propositione æquus judex asserat? Quid si præterea Patribus adversetur, ut profecto Chrysostomo, ac Theodoreto refragatur ? Imo etsi concedamus, Alphæo defuncto Mariam illam Cleophæ nuptam fuisse, qui Tillemontius probabit, aut hunc Alphæum ab Alphæo Jacobi patre alium non fuisse, aut non Cleophæ, sed Alphæo Jacobum minorem filium fuisse?

VI. Alii binominem Alphæum statuunt ; quod Evangeliis non satis cohæret. Namque Evangelistæ duplex hoc nomen profecto innuissent, quod in simili argumento fecerunt: *Simonem, qui vocatur Petrus*, Matth. IV, 18, *Simon qui dicitur Petrus Matth.* X, 2. Aut saltem aliquando Cleophæ nomen usurpassent, quemadmodum Lucas, et Marcus Matthæum modo *Levi*, modo *Matthæi* nomine designarunt, quod utrumque illi nomen esset. Ferri autem minime potest eorum sententia, qui cum du Pinio diss. prælim. *in Bibl.* lib. II, c. II, § 9, idem esse Alphæi, et Cleophæ nomen existimant, atque utrumque nomen in Syriaca lingua iisdem aiunt constare litteris. Nam præterquam quod non Syriacæ linguæ, in quam versa sunt, sed Græcæ, qua Evangelia conscripta sunt, habenda est ratio, falsum est easdem esse consonantes. Etenim (quod erudite adnotavit Cl. Vir Daniel Papebrochius T. 6. Maii pag. 356, num. 6,) juxta Syriacam versionem Alphæus scribitur *Chalphai* per unam gutturalium (scilicet Cheth) quales cum liquidis connecti initio alicujus syllabæ nec Hebraicæ nec Syriacæ linguæ proprietas tolerat ; ita autem connecti debuissent, ut concipiamus, aliquos pro *Chalpai* pronuntiasse *Chlopai.* Cleophas vero in eadem Syriaca versione scribitur per diversam plane consonantem (Koph

nimirum, quod venit post Tsade) *Klejoupha.*

VII. Scio ad id infirmandum (pergit idem Papebrochius) adferri a quibusdam Cludoechi, et Clodovæi, Hludovici, Ludovici, Lodoici, et Aloysii nomina, quæ nomen unum sunt. Sed facile equidem concipio, quomodo hujus Regis nomen a sua originaria duritie vetustis Franciscis nominibus propria paulatim deflexum lævigatumque fuerit, et quod scribenti ad ipsum Anastasio Papæ II, adhuc Clodoechus erat, uno post seculo, quum scriberet Gregorius Turonensis, Chlodovæus, aut Hludovicus sit pronuntiatum, ac denique initialem consonantem, vel aspirationem amiserit (si tamen absque illa, uti præsumitur, unum nomen est); sed quod uno eodemque tempore, quo Alphæi, et Cleophæ nomina scripta sunt, non solum ab Evangelistis variis, sed etiam ab eodem, scilicet Luca, unum nomen tam diversimode enuntiatum fuerit, ægre potest apud me fidem invenire.

VIII. Hactenus de Jacobi Patre. Fratres quod spectat, illos docet Matthæus XIII, capite Nazarethanos ita inter se contemptim de Christo quærentes inducens: *Unde huic sapientia hæc, et virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et frater ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Ut autem res clarius percipiatur, statuo 1° ex Hegesippo antiquissimo, et Apostolicis temporibus proximo scriptore apud Eusebium, Cleopham fuisse fratrem S. Josephi. Statuo II° cum Papebrochio in *Paralipom. ad conatum in Catalog. Pontif.* n. 48, Cleopham duas duxisse uxores, et primam quidem anonymam, ex qua genuerit Symeonem secundum Ierosolymorum episcopum, et Judam epistolæ Canonicæ scriptorem; alteram vero Mariam Deiparæ ex matertera sororem; idest consobrinam, quæ Jacobum nostrum peperit, et fratrem Josetem, ab Josepho Justo, et Barsaba diversum ob argumentum, quod adfert Petrus Boschius tom. V, Jul. die 20, pag. 23, n. 6, a Papebrochio non immerito hac in re dissentiens.

IX. Porro hinc duo colliges. Primum est, Jacobum et Joseph adelphotheos dictos fuisse

Antonomastice. ἀντονομαστικῶς præ aliis ex eodem Cleopha genitis, idque speciali aliquo præ illis jure, quod acceperint, non a solo patre (nam ex hujus capite omnes erant æquales) sed etiam a matre Deiparæ, ut indicavi, consobrina. Alterum est Judam Thaddæum, et Simonem Cananæum Apostolos ex duodecim ab Juda, et Symeone Jacobi, et Domini fratribus alios omnino fuisse. V. dissert. conjecturalem Danielis Papebrochii tom. III, Junii pag. 802 et seqq. Sane hisce præstitutis haud ægre intelligitur, quomodo post electionem duodecim Apostolorum, in quibus Jacobus Alphæi, Jacobus Zebedæi, Judas Thaddæus, et Simon Cananæus, imo anno jam tertio Christi prædicationis, et instante festo scenopegiæ « dixerint ad Jesum fratres ejus Johan. VII. *Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis.... Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres ejus credebant in eum.*» Atque his permotus Chrysostomus, ipso Tillemontio fatente tom. I Monum. in *Not. ad Judæ Apost. vitam* not. 2, fratres omnes Domini ab apostolatu excludit.

X. Notandus etiam est Theodoreti locus *in Ps.* LXVII, ubi illud, *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, et Principes Nephthalim,* ita exponit. « Ex his namque tribubus cæteri Apostoli originem duxerunt. Et illi quidem, qui vocabantur fratres Domini ex tribu Judæ plane genus duxerant. Petrus autem, et Andreas, et Jacobus, et Johannes, et Philippus ex vico Bethsaida fuerunt. Matthæus et Jacobus dicti sunt habitasse Capharnaum. Simon Zelotes Cananæus appellatus est. Omnia autem hæc loca Galilææ sunt. Zabulon autem, et Nephthalim ibi suam habuerunt sortem. » Vides hic utrumque Jacobum ex duodecim, uti et Simonem Cananæum a numero fratrum Domini expungi. Discis præterea fratres Domini ex tribu Juda fuisse; quamobrem ad eam spectat Jacobus adelphotheus. Illud tamen minime ex his verbis consequitur, ex Domini fratribus aliquem fuisse de numero duodecim Apostolorum; quos enim Apostolos hic omittit Theodoretus, uno Juda excepto, indubium est, fratres Domini non fuisse. Itaque *Apostoli* nomen ea latiore significatione a Theodoreto usurpatur, de qua mox agemus.

CAPUT II.

Jacobum adelphotheum non fuisse ex duodenario Apostolorum numero, gravissimis monumentis demonstratur.

Jacobum Ierosolymorum episcopum *Apostolum* fuisse vix salva fide negari potest. Illius enim, non vero Jacobi Majoris esse Canonicam, quæ sub Jacobi nomine legitur, epistolam, si Isidorum Hispalensem excipias in l. de *Vita et morte Sanctorum* cap. XXXVII : cujus tamen locus interpolatus videtur, paucosque Hispanos ab Ignatio Zuleta in comment. ad eam epistolam memoratos, nemo unus vel ex Antiquioribus, vel ex Recentioribus negat. Porro Jacobum Canonicæ epistolæ auctorem Apostolum fuisse quis inficiabitur? Ut enim Origenem in comm. epist. *ad Roman.* c. II, et cæteros passim Patres omittam, Augustinus l. *de fide et Operibus* cap. XIV. « Quoniam hæc opinio, ait, tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Johannis, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus non prodesse.» Clarius Hieronymus l. *adversus Pelag.* II, c. II. « Jacobus Apostolus scribit : *Si judicas legem* etc., et cap. VII. Jacobus Apostolus, *si quis*, ait, *servaverit totam legem* » etc. Imo Tridentinum concilium Sess. XIV, Can. I, Sacramentum extremæ unctionis *a B. Jacobo Apostolo promulgatum* pronuntiat, epistolæ nempe Canonicæ cap. V.

II. Verumtamen Tillemontius, Gardeboscius, aliique recentiores, qui in his verbis mirifice triumphant, animadvertere debuerant, aliud omnino esse, quempiam Apostolum dici, ac fuisse, aliud ex duodenario fuisse Apostolorum numero. Nonne Paulus *Apostolus* passim vocatur, passim Barnabas restrictione nulla adhibita, nulla limitatione? Silas quoque, seu Silvanus Pauli socius a Græcis scriptoribus, atque adeo a Latinis martyrologis, qui Baronium præcesserunt, Apostoli cognomento insignitur, ut plures alios prætereamn. Neque tamen crediderim, hosce a Tillemontio, ac sectatoribus ad duodenarium Apostolorum numerum referri. Itaque lubens fateor, Jacobum adelphotheum *Apostolum* fuisse, nego fuisse ex duodecim. Faciunt autem, ut ita sentiam, gravissima Patrum testimonia, quæ eludi quidem a pervicaci homine possunt, ab ingenuo tamen viro solvi, et explicari non possunt.

III. Probat id Henschenius § 4, n. 25, hoc argumento. Jacobum Alphæi, et cæteros ex duodecim Apostolos fide certum est, ab ipsomet Servatore hominum Christo fuisse episcopos consecratos. At Jacobum Adelphotheum ab Apostolis ordinatum fuisse primum Ierosolymorum episcopum luculentissimi omnium ætatum testes confirmant. Hegesippus enim, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, ut cum Eusebio loquar lib. II. *Eccl. hist.* Vales. edit cap. XXIII, in quinto *Commentariorum* libro de Jacobo præscripsit his verbis. « Ecclesiæ, inquit, administrationem una cum Apostolis (hæc Ruffinus sic vertit cum Apostolis, Hieronymus vero post Apostolos) suscepit Jacobus frater Domini, qui jam a Christi temporibus ad nostram usque ætatem Justus cognominatus est. Nam multi quidem eo nomine Jacobi vocabantur.» Illustre ejusdem rei testimonium servavit nobis Nicephorus, ex epistola Evodii, «qui et ipse Sanctorum Apostolorum successor fuit.» Igitur hæc habet Evodius apud Niceph. lib. II, *hist Eccl.* cap. III. « Jacobum justum primum Hierosolymorum episcopum Apostoli ordinarunt, et Stephanum cum reliquis diaconis legerunt. » Hegesippo, atque Evodio consentit Clemens, cujus verba inferius dabo. Consentit ipse Eusebius l. VII, c. XIX. « Sane, et Jacobi illius Cathedram, qui primus Ierosolymorum episcopus ab ipso Servatore, et ab Apostolis est constitutus, et quem fratrem Domini cognominatum fuisse divina testantur volumina, ad nostra usque tempora conservatam fratres illius ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia. » Consentit demum, ut Bedam in l. *de sex ætatibus mundi*, pluresque alios mittam, Hieronymus cap. II, *Catalogi* his verbis : « Jacobus, qui appellatur frater Domini.... post passionem Domini statim ab Apostolis Ierosolymorum episcopus ordinatus est. »

IV. Sciendum nunc ex Cl. Petavio *de Eccles. Hierarchia* l. I, c. 8, n. 10 *Ordinationis* nomen interdum pro consecratione sumi, quum sacramento Ordinis initiatur aliquis per manus impositionem; alias nudam esse electionem, ac designationem. Ut si quis jam consecratus, et episcopatu suo pulsus alium

in locum transferatur, non denuo consecrandus, sed constituendus, et eligendus est, quod καταστα θῆναι Græci vocant, et ἐνθρονισθῆναι, ut loquitur Socrates l. IV, c. 36. Sic nomen χειροτονίας ambigue usurpatur, ac sæpe *Ordinationis* sacramentum, id est *consecrationem* significat, interdum nudam electionem, quæ popularibus suffragiis olim fiebat, ut in Laodiceni concilii canone V, quem idem Petavius ibi expendit. Quamobrem nisi aliunde constet, id nominis in allatis textibus consecrationem significare, non video quid ad Jacobum Adelphotheum ab Apostolatu excludendum ex illis extundi possit. Profecto enim si nudam electionem significet, nihil exinde ad hanc rem conficietur; an non enim Apostoli coapostolum eligere poterant Jerosolymorum episcopum?

V. Quid autem, quæso, adsignari possit, quod ad nomen illud de consecratione intelligendum nos cogat? Scio equidem in epistola Anacleti Papæ secunda isthæc legi: « Hierosolymitarum primus Archiepiscopus Jacobus, qui justus dicebatur, et secundum carnem Domini nuncupatus est Frater, a Petro, Jacobo, et Johanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantibus formam eorum, ut non minus, quam a tribus episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, ullatenus episcopus ordinetur, et communi voto ordinatio celebretur. » Ubi ordinatio sane non nudam electionem significat, sed consecrationem, quidquid in comment. ad tract. Procli *de Tradit. Div. Missæ* scripserit Vincentius Riccardus, quem idcirco merito carpit Combefisius in notis ad librum S. Hippolyti *de* XII *Apost.* Quis enim non videat, formam ejusmodi ad consecrationem, non ad electionem spectare, neque ullum, ubi ordinationis mentio fiat, futurum locum, qui de electione intelligi non possit, si hunc de consecratione non explicemus? Verumtamen epistolas summorum pontificum usque ad Siricium, quas inter memorata S. Anacleti, viri paulo doctiores νοθείας arguunt; de quo vide sis Natalem Alexandrum in *hist. Eccl.* sæc. VII, et Petrum Coustantium T. I. *Epistolarum Roman. Pontif.*

Supposititionis.

VI. Sed vero etiam multa sunt, quæ suadent, in laudatis locis ordinationis nomine electionem designari. Etenim I° quod Hieronymus in *Catalogo* Jacobum ab Apostolis *ordinatum* episcopum dixit, Sophronius Græce vertit, *Hierosolymorum* κατασταθεὶς, nempe *constitutus episcopus.* Imo Eusebius lib. II, cap. XXIII, Jacobi martyrium describit, « cui ab Apostolis sedes episcopalis Hierosolymitana delata fuit; » quibus sane non Ordinis sacramentum, sed jurisdictio significatur. Quamobrem etiam in Chronico Alexandrino, quod Cl. du Fresne *Paschale* appellat, olymp. CCXII, dicitur ex ejusdem du Fresne interpretatione : « S. Jacobus Apostolus, et Hierosolymorum Patriarcha, quem S. Petrus in locum suum episcopum constituerat..... mortuus est. » II° veterum scriptorum non pauci Interpretationi illi adversantur, qui nimirum Jacobum Justum ab ipso Servatore ordinatum dixerunt. Ex his præter Eusebium, cujus verba recitata sunt num. 13, et Pseudo-Clementem lib. VIII *Constitut.* est S. Proclus, qui in tractatu *de Tradit. Divinæ Missæ* ita infit : « D. Jacobus, qui Hierosolymitanam ecclesiam nactus est in sortem, ejusque primus a primo, magnoque illo summo Pontifice Christo Deo nostro, fuit constitutus episcopus. » Adde Procopium Gazæum in cap. XVII *Esaiæ*, qui Jacobum memorat hoc elogio : « Domini frater erat, primus ab eodem Hierosolymorum creatus episcopus. » Neque absimilia reperies apud Cedrenum in *Nerone*, atque Œcumenium in caput *Actorum* XV.

VII. Itaque ipse aliud ex Hegesippi verbis argumentum duco non facile solvendum. Nonne Jacobum cognomento Justum ab Apostolorum numero excludit, qui susceptam *post Apostolos* ab Jacobo Hierosolymitanam ecclesiam scribit? Quid enim hoc aliud est, quam (quod de episcopis in universum declaravit Tridentina synodus sess. XXIII, cap. IV) de Jacobo speciatim dicere, eum *Apostolorum successorem* fuisse? An vero si dixero : *Post Austriacos suscepit Hispaniorum regnum Philippus Quintus*, quidpiam aliud ex hac propositione inferri possit, quam Philippum Quintum ex Austriacis non esse? Nec dubitandum est, Cl. Petavii sententia *de Hierarch. Eccl.* lib. I, cap. 8, num. 11, in exemplario suo ita scriptum invenisse sanctum Hieronymum : cui haud paulo major habenda fides est, quam Ruffino, aut Ruffini defensori Salmasio, aut novo Eusebii interpreti Valesio. Profecto, ut ibidem adnotat Vir doctissimus, etiam Sophronius, qui Græce librum Hieronymi interpretatus dicitur, μετὰ τοὺς Ἀποστόλους vertendo posuit.

VIII. Quod si tamen Ruffini interpretationem sequi malis, ac vertere *una cum Apostolis*, per me licet. An non enim inepte prorsus

dicatur exempli causa : *Papebrochius cum Bollandianis sententiam de morte Christi Coss. Geminis tandem propugnavit ?* Hæc sane locutio satis indicaret, Papebrochium Bollandi socium non fuisse, quum revera fuerit. An non si quem audias dicentem : *Fontaninus cum Benedictinis adversus Germonium quum decertasset, ab hoc egregie mulctatus est ;* non statim intelligas, Fontaninum Benedictinorum cœtui haud fuisse adscriptum? Vidit hoc Christophorsonus, qui ea propter in sua Eusebii interpretatione ita illud Hegesippi Latine reddidit, *cum cæteris Apostolis ;* sed contra Græci textus fidem, ubi dicitur μετὰ τῶν Ἀποστόλων. Neque vim argumenti effugies, si *ab Apostolis* vertas Valesio duce. Hanc enim enuntiationem velim, conferas cum iis, quæ S. Irenæus Apostolorum prope æqualis scribit lib. III, cap. 3. « Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis ut successores eorum usque ad nos. » Finge etiam tantisper incertum te esse, num Polycarpus ex duodenario Apostolorum numero fuerit. Numquid dubitationem omnem tibi non adiment hæc ejusdem Irenæi verba, quæ describit Eusebius lib. IV, cap. XIV. « Polycarpus autem... ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia constitutus (κατασταθεὶς) episcopus. »

IX. Sed quid plura? quum ex illis, quæ consequuntur, verbis Hegesippi res fiat manifestissima. *Nam multi quidem eo nomine Jacobi vocabantur.* His nempe verbis causam Hegesippus adsignat, cur Jacobus *Justi* cognomento notaretur. Quæro nunc: Jacobi hi Apostoline erant, an non? Si primum, igitur non Apostolus Jacobus, quum duos tantum Apostolos Jacobos nomine Evangelia recenseant. Si alterum, inepta prorsus est ratio, quam de Fratris Domini cognomento tradit scriptor accuratissimus. Cur enim et Apostolis cæteris cognomen aliquod non fuerit, quo ab aliis ejusdem nominis secernerentur? Nullusne præter illos Petrus, nullus Bartholomæus? Saltem Philippus Apostolus Philippum Diaconum habuit homonymum. Ea igitur Hegesippi mens fuit, nisi mea me fallit opinio, Jacobum *Justi* cognomen sortitum fuisse, ne cum Apostolis illis, qui eodem vocabantur nomine, confunderetur. Argumentum urgeo. Si Jacobus Justus Apostolus ex duodecim fuit; cur non, et Jacobus Zebedæi alio cognomine insignitus fuit, ut ab Jacobis, qui in Christianorum quidem, non tamen Apostolorum cœtu erant, distingueretur? Repones fortassis, *Zebedæi* cognomento satis ab cæteris distinctum fuisse. Egregie. Igitur et alter *Alphæi* cognomine distinctus satis fuisset. Cur igitur *Justi* cognomen ei tributum fuerit? *nam multi*, etc. Ecce tibi igitur multos Hegesippi Jacobos, Jacobum Zebedæi, Jacobum Alphæi, Jacobum Justum, qui invicem secernebantur, *Zebedæi* primus, alter *Alphæi, Justi* tertius cognomento. Neque autem ut verum sit *multos* fuisse Jacobos, plures fuisse necesse est, quam tres.

X. Hegesippus tamen non unus est, qui Jacobum Adelphotheum ab Apostolorum numero excludat. Innumera Patrum testimonia idipsum clare demonstrant. Primus sit Eusebius lib. I. *hist. Eccles.* cap. XII, ubi de Christi apparitionibus loquens, quas Paulus memorat I *Cor.* XV, 5, hæc habet. *Primo omnium Cephæ apparuisse* dicit, *deinde duodecim, et post hos plusquam quingentis fratribus simul....* Inde Jacobo illum apparuisse testatur. Unus hic ex septuaginta Discipulorum numero, ac præterea ex fratribus Domini fuisse perhibetur. » In codd. quidem Medicæo, Mazzarinio, Fuckeriano, et Savilii desunt postrema hæc verba. Verum in antiquissimo Francisci I. Codice, quem Regium vocant, ea legi testes sunt Robertus Stephanus, atque Henricus Valesius, qui propterea illa in suis Eusebii editionibus minime omittenda censuere, quemadmodum ne illa quidem prætererant Wolfgangus Mascilus in editione Basileensi Anni 1549, et Christophorsonus. Ne tamen cavillandi cuipiam præbeatur occasio idem Eusebius l. II, c. I, Jacobum Justum Josephi Deiparæ sponsi filium nominatum fuisse clare asserit, neque id improbat. Quamobrem quemadmodum ea verba *Unus hic*, etc., jugulum suum petere adversarii fatentur, etsi verbo *perhibetur* Eusebius utatur; ita licet l. II, c. I, non dicat Josephi filium fuisse Jacobum, sed nominatum fuisse; palam est, Eusebium a nobis stare. Quamvis enim erraverit cum suis Græcis Eusebius, dum Jacobum Josephi filium asseruit; tres tamen haud dubie Jacobos agnovit, nisi Evangeliis eum velis adversatum fuisse, Jacobum Zebedæi, Jacobum Alphæi, Jacobum Josephi, qui et justus, et Domini Frater.

XI. Nunc audiamus Cyrillum catech. IV, n. 28. « Animæ, inquit, tuæ cave, ne quid unquam edas eorum, quæ idolis oblata fuere; nam de hujusmodi cibis non mihi

solum hoc tempore, sed jam ipsis Apostolis, et Jacobo (Græcus textus habet ἀλλ' ἤδη καὶ τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ Ἰακώβῳ) hujus ecclesiæ olim episcopo studium, et cura fuit. » Tillemontius sibi videri ait, quemvis utut S. Jacobi Apostolatus assertorem acerrimum non aliis verbis uti potuisse. Miror hominis ingenium; sed pete ab illo, an non inepta vel ipsius suffragio foret propositio isthæc : *Et Pontificibus et Clementi XI de Janseniana hæresi profliganda studium et cura fuit.* Quære, an si Paulus Evangelista fuisset, dici posset : *Et Evangelistis, et Paulo de Eucharistiæ institutione scriptis consignanda studium et cura fuit.* Tum Criticum Patribus tam facile respondentem mone, eum, qui Jacobi Apostolatum propugnaret, *Apostolis, quos inter præcipue Jacobus*, aut quid simile dicturum esse. Quod quo facilius dici poterat, eo certius mihi est, Cyrilli mentem Tillemontium non fuisse assecutum. Eadem facilitate Gardeboscii responsum convello. Ait ille, ea Cyrillum dixisse, quod Jacobus Apostolorum decretis non ut Apostolus modo subscripserit *Act.* xv, sed etiam ut peculiaris Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopus decretum illud primus ecclesiæ suæ observandum proposuerit. Sed quamvis Tridentinus episcopus non ut episcopus tantum Tridentinæ synodi decretis subscripserit, sed ut peculiaris Tridentinorum Antistes, sanctiones illas ecclesiæ suæ servandas proposuerit; nonnisi inepte diceret, qui nunc Tridentinam regit ecclesiam, « non mihi solum hoc tempore, sed et Tridentinis Patribus, et Ludovico Madrutio hujus ecclesiæ tunc episcopo studium, et cura fuit v. g. de Eucharistia Laicis sub una tantum specie ministranda. »

XII. Accipe alium Cyrilli textum ex catech. xiv. Late ibi de Christi resurrectione disserit catechetes sanctissimus, et Paulum I *Cor.* xv, Servatoris apparitiones recensentem adfert his verbis : « Nunc vero Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, et apparuit Cephæ, postea duodecim Apostolis, si enim uni testi non credis, habes duodecim testes. Deinde apparuit plusquam quingentis Fratribus simul. Si illis duodecim non credant, quingentos testes recipiant. Postea visus est a Jacobo fratre, primo hujus paræciæ episcopo. Talis igitur episcopi, qui ipse coram vidit resurrexisse Jesum, tu quum sis discipulus, ne diffidas. Sed dices, quod Jacobus frater ad gratiam testatus est. Visus est postea et Paulo inimico : quale autem sit hostis testimonium scitis. » Quid his clarius ad Jacobum a duodecim numero secludendum afferri possit, equidem non video. At Tillemontius clamat, ex hoc textu inferri æque posse, Cepham ex duodecim non fuisse. Quid tum? Id ego cum Harduino acerrime propugnabo alio in loco. Quanquam ne hac quidem sententia opus est, ut ex his Cyrilli verbis argumentum ducas ad Apostolatum Jacobi negandum. Oratio enim Cyrilli, uti nemo prudens inficiabitur, gradatim crescit. Age nunc. Cepham esse Petrum, proinde Apostolum ex duodecim, habe, per me licet. Crescet tamen Cyrilli Oratio; vere enim dicet Cyrillus : *Si uni testi non credis, habes duodecim.* Quod si Jacobus ex duodecim sit, profecto decrescit oratio. Etenim quomodo assensum Resurrectionis mysterio extorquebit Jacobi unius testimonium, si illius Apostolis cæteris conjuncti auctoritas nulla sit? nullam autem esse permitteret Cyrillus, si Apostolum crederet Jacobum, dum ait : *Si illis duodecim non credant*, etc.

XIII. Cyrillo Epiphanium subjicio, qui l. III, c. LXXIX, adversus Collyridianos duodecim Apostolos enumerat, et in illis Jacobum Alphæi, verbisque clarissimis Paulum, Barnabam, et Jacobum fratrem Domini Apostolos fuisse negat. « Petrus, et Andreas, Jacobus, et Joannes, Philippus, et Bartholomæus, Thomas, Matthæus, et Jacobus Alphæi, et Judas Jacobi, et Simon Cananæus, et Mathias, qui in complementum duodecim electus est. Hi omnes electi sunt Apostoli, et sacram Evangelii functionem per orbem administrarunt, una cum Paulo, et Barnaba, ac cæteris (Hi omnes una cum Paulo, et Barnaba; non igitur ex duodecim Paulus, et Barnabas) iidemque mysteriorum auctores fuerunt una cum Jacobo fratre Domini, ac primo Hierosolymorum episcopo. Iidemque igitur hi omnes una cum Jacobo; » ex illis illis ergo Jacobus non fuit. Ex quibus tanquam notissimis, efficaciter probat Epiphanius, sacrum concionandi, et sacramenta, eorumque ritus constituendi, atque ea administrandi functionem, pro Pontificia, et Apostolica potestate ad solos viros spectare, nulla femina ad ejusmodi munia a Domino assumpta; quum in eorum primo Apostoli duodecim præcipuos sub adjutores adsciverint Paulum, et Barnabam, in altero Jacobum fratrem Domini, quem idcirco Liturgiæ alicujus auctorem fuisse inficiari non possumus, etsi quæ sibi illius nomine circumfer-

tur Liturgia, primum Ecclesiæ seculum viris eruditis non sapiat; de quo consule Nourry in *Appar. ad Bibl. Max. SS. PP.* et Eusebium Renaudotium.

XIV. Neque minus clara sunt pro nostra sententia Chrysostomi, et Nysseni testimonia. Primus enim in c. I epist. *ad Galatas*, Jacobum ea de causa a Paulo dictum Apostolum ait, « quoniam Paulus existimabat titulos Apostolorum esse proprios honoris, veluti se ipsum honorans, ita et illum veneratur. » Alter vero in caput *Marci* XV, hanc adfert rationem, cur Jacobus Alphæi *Magnus*, Jacobus Adelphotheus dicatur *Parvus :* « quoniam alter erat Jacobus Alphæi, *Magnus* idcirco, quia duodecim Apostolis connumeratus erat. Nam *Parvus* non erat de numero eorum. » Mitto Auctorem Vitæ S. Euthymii, a quo apud *Cotelerium Ecclesiæ Græcæ Monumentorum* tomo II, Jacobus dicitur *in choro Discipulorum* claruisse; hæc quippe inter consuetas Simeonis Metaphrastis lacinias (is ejus vitæ dubio procul scriptor est) a viris doctis collocantur; neque immerito, quum ea desiderentur in genuina ejusdem sancti vita a Cyrillo Scythopolitano composita, et a Maurinis vulgata T. I *Analectorum Græcorum*. Glycam quoque prætereo, qui quum recentior sit, ad summum ex ejus verbis conficias, traditionem posteriorum sæculorum traditioni priorum esse conformem. Nolim tamen prætermittere Æthiopum Missam T. VI *Bibl. Magnæ Patrum*, ubi in oratione pro absolutione celebrantium petitur, ut ministrantes absolvantur « Per os duodecim Apostolorum, et S. Jacobi episcopi Hierosolymitani, et S. Pauli, et omnium septuaginta duorum discipulorum. » Nolim, inquam, eam prætermittere; quamvis enim non eam a S. Marco profectam existimem, antiquissimam tamen esse, negari non potest.

CAPUT III.

Quibus monumentis Tillemontius, aliique Jacobum Theadelphum ex duodecim fuisse contendant : et quam facile refelli possint.

I. Probatum est hactenus, Theadelphum Jacobum ex duodecim non fuisse. Unum id superest, ut quibus innitantur momentis, qui nobiscum pugnant, videamus. Præcipuum quidem Tillemontii, et cæterorum argumentum cap. XI, n. 2, occupavimus. Alia sunt convellenda. At quænam sunt? Verba Hieronymi in lib. *adversus Helvidium*, ubi sic disputat doctor maximus. « Nulli dubium est, duos fuisse Apostolos. Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum Zebedæi, et Jacobum Alphæi. Istum nescio quem minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen Matris Domini, Scriptura commemorat, Apostolum vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi filius erit... Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus... quomodo tertius ad distinctionem majoris appellabitur minor? quum major, et minor non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam, et frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente (*Gal.* I) *Deinde post triennium veni Hierusalem videre Petrum, et mansi apud illum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Et in eadem epistola (cap. II). *Et cognita gratia, quæ data est mihi, Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse.* Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedæi, lege Actus Apostolorum (XII) Jam ab Herode fuerat interemptus. » Hæc Hieronymus.

II. Quid tamen, si dixero, S. Hieronymum palinodiam cecinisse? Ubinam, quæris? Aio duobus in locis, ac primo quidem dum Pauli epistolas explicavit. Exponens enim illud *ad Galatas* I, 19. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* « Memini, inquit, me dum Romæ essem, impulsu fratrum, librum de S. Mariæ Virginitate edidisse perpetua, in quo mihi necesse fuit, de his, qui fratres Domini dicti sunt, diutius disputare. Unde qualiacumque sunt illa, quæ scripsimus, his contenti esse

debemus. Nunc hoc sufficiat, ut propter egregios mores, et incomparabilem fidem, sapientiamque non modicam frater dictus sit Domini, et quod primus ei Ecclesiæ præfuerit, quæ prima in Christum credens, ex Judæis fuerat congregata. Quod autem exceptis duodecim quidam vocentur Apostoli, illud in causa est, omnes qui Dominum viderant, et eum postea prædicabant, fuisse Apostolos appellatos. » Quorsum hæc quæso de Apostoli nomine, ejusque significatione dixisset Hieronymus, nisi, quo id nominis sensu Jacobo Theadelpho convenire existimaret, docere nos voluisset? At his, quæ de Domini fratribus junior contra Helvidium disseruerat, jubet S. D. nos esse contentos. Non nego. Sed quænam illa? ea scilicet, quæ ad perpetuam Deiparæ Virginitatem tuendam necessaria sunt, ne scilicet Jacobum, cæterosque Adelphotheos Deiparæ filios credamus. Atque hinc novam illam causam assignat, cur Jacobus Domini frater dictus sit, ut magis magisque infigeret in omnium animis eum Mariæ Virginis filium non fuisse.

III. Mentem quoque suam clarissime retractavit Hieronymus in VII *Esaiæ* caput. Post ea verba versu 7. « *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient*, addit S. D. « Duas olivas, et tres, et quatuor, et quinque (de quibus actum antea) quatuordécim Apostolos interpretantur, idest duodecim, qui electi sunt, et tertium decimum Jacobum, qui appellatur Frater Domini, Paulum quoque Apostolum vas electionis. » Dices, eum hic ex aliorum sententia loqui. At quid si pro *interpretantur*, legendum esset *interpretamur*. Facillimum sphalma in tanta librariorum oscitantia, de qua eruditi passim queruntur. Utinam codicum ope conjectura firmari possit! Sed legamus *interpretantur*. Illud primo occurrit, eos, qui ita eum locum interpretati sunt, fuisse martyrem Victorinum e Latinis, e Græcis Origenem, Eusebium Pamphili, Didymum, et Apollinarium; hos enim in Esaiam scripsisse, et in aliquibus auctores sibi fuisse in Procemio generali ad Eustochium tradit Hieronymus. Quod si doctrina, et sanctitate clarissimi, atque Hieronymo vetustiores interpretes Esaiæ verba de quatuordecim olivis totidem Apostolis congruere existimarunt, utique rem notam, pluribusque probatam apposuisse fatendum est; alioquin quomodo obscurum illum Olivarum numerum cum ignoto alio, et inaudito Apostolorum calculo explicare prudenter potuissent? Id profecto commune est Interpretibus, ut quæ obscura sunt, claris, et apertis explicationibus enodent. Deinde quum eam interpretationem referat, non refellat S. D., eum ita sensisse exploratum esse debet, vel ex eo, quod in moris sit Hieronymo eas, quas ipse non probat interpretationes rejicere. Sic eorum opinionem confutat, qui Cepham illum, cui restitit Paulus, alium ab Apostolorum principe Petro fuisse arbitrati fuerant.

IV. Neminem autem mihi negaturum existimo, S. doctorem in Esaiam, et Paulum commentarios suos post *Apologiam adversus Helvidium* conscripsisse. De Pauli commentariis fidem faciunt, quæ num. 26 descripsimus. Quod vero ad Esaiam spectat, facile ostendi potest. Etenim in caput *Ezech.* XLIV Hieronymus ipse testatur, « Romæ adversus Helvidium illius temporis hæreticum in adolescentia non grandi librum scripsisse se. Finitis autem, ut in Procemio l. X *in Esaiam ad Eustochium Virginem* legimus, in Esaiam decem et octo explanationum voluminibus aggressus est Ezechielem Prophetam. » Imo in procemio Esaiæ ad eamdem Eustochium scribere se profitetur, *ætate et corporis imbecillitate confectum.* Quod autem Baronius ad ann. 44, n. 37, ait magis S. Hieronymo contra Helvidium scribenti, quam eidem Esaiam enarranti credendum esse, id tanti viri calamo excidisse miramur; postremas enim curas omnium calculo meliores esse nemo nescit. Quid? quod seu jure, seu injuria Hieronymus de sententia discesserit, satis esse debet, Hieronymum senem aliter sensisse, ac junior opinatus fuerat, ut Hieronymi auctoritatem adversarii opponere nobis nequeant.

V. Jamvero quæ adolescenti Hieronymo negotium facessivere, argumenta solvamus. Primum ex eo petebatur, quod Jacobus frater Domini dicitur minor, Jacobus Zebedæi major; ejusmodi autem comparatio nonnisi inter duos fieri solet. Verum hæc ratio facile corruit, si duo hæc diligenter perpendantur; primo scilicet, in Scripturis nullum reperiri Jacobum *Majorem* dictum : 2 verba illa *Marci* XV. *Erant* (Christo in cruce mortuo) *mulieres de longe adspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salomi*, Græce ita efferri ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ μήτηρ, quasi diceretur : *Maria, quæ erat mater Jacobi cognomine Parvi.* Ex quibus conficitur, nullam hic fieri compa-

rationem, quæ tertium Jacobum excludat. Cur autem *Parvus* Jacobus Theadelphus? An quia ex duodecim non fuit? ut explicat Nyssenus n. 24 laudatus. An quia parvus corpore? Quid si etiam *minor*, sed instituta inter ipsius matrem, et matrem Jacobi Alphæi, quæ Maria dicta fuerit, comparatione? Jacobus enim Zebedæi Salomen matrem habuit, non Mariam.

VI. P. Casinus in Romano gymnasio sacrarum litterarum paucis ante annis eruditus interpres, meusque olim magister hoc responsum acerrime exagitabat. Aiebat itaque primo Marcum scripsisse latine; secundo Græcos sæpe uti positivo pro comparativo; tertio tenendam esse lectionem Vulgatæ editionis; quarto antiquissimum esse duorum Apostolorum cognomentum *Majoris*, et *Minoris*; quinto, quia id probatum Hieronymo fuit. Gravibus tamen hisce momentis nihil ipse moveor. Nam quod primum spectat, ignorare non potuit vir Doctissimus, quot quantique viri in eam iverint sententiam, quæ Marci Evangelium Græce scriptum docuit. Sane Hieronymus epist. cxxv ad Damasum diserte tradit, totum novum Testamentum, excepto Matthæi Evangelio, Græca lingua esse scriptum; et Augustinus lib. *de Cons. Evang.* c. II ait, quatuor Evangelistas, excepto Matthæo, Græce scripsisse. Quare Dupinius in prælim. dissert. *ad Ecclesiast. Auctorum Biblioth. Novam*, quæ Parisiis Latina prodiit anno 1692, pag. 64 « dubitandum non esse ait, quin Marcus Græce scripserit æque ac Lucas, et Joannes. » Sed ne Venetus ipse Venetis videat adversari, qui ipsissimum Marci autographum apud se esse gloriantur (exemplar autem illud Latinum esse ea suadent, quæ Bollandiani t. III Aprilis proferunt monumenta, itemque quæ ex Fontanino describit Montfauconius Diar. Ital. cap. IV, pag. 56 et seqq.): latine scripsisse Marcum concedam. Qui tum? Num Latinum, quod habemus, Marci Evangelium illud est, quod Marcus scripsit, ut mox concessi? Minime vero. Audi Bellarminum *de Script. Eccles. in Marco.* « Satis constat, Latinam linguam veterem ut vulgatam editionem tam Matthæi, quam Marci ex Græca editione translatam. »

VII. Ad secundum dico, etsi id Græcis familiare est, eo tamen in loco non solum nihil esse, quo positivum pro comparativo usurpari statuamus, verum etiam Gregorium Nyssenum Græci utique sermonis peritissimum illi effugio locum omnem præcludere. Quod tertio loco dicitur, rudibus imponere potest, non viris rerum sacrarum peritis. Veneror et ipse, et exosculor ex Tridentinorum Patrum sanctionibus Vulgatam editionem. Sed quid vetat latinum Vulgatæ textum ex Græco interpretari? quum præsertim ab Latino interprete comparativum nomen pro positivo adhibitum fuisse innumera doceant exempla. Ad quartum dico, facilius asseri posse, quam probari eorum cognominum vetustatem; sed ne paulo difficilior videar, quam par sit, id mihi certissimum, ab illorum cognominum usu alienam fuisse omnibus pene sæculis Græcam Ecclesiam; et in Latinam ex Marci loco satis oscitanter lecto paulatim irrepsisse. Quintum vero argumentum occupavimus; probatum enim juniori Hieronymo fuisse ultro concedimus, modo seniorem Hieronymum aliter sensisse et ipsi adversarii fateantur. Vide tamen, quam liberaliter cum adversariis agam. Concedam, si volunt, Adelphotheum Jacobum *minorem* dictum, *Majorem* Jacobum Zebedæi. Nihil tamen in rem suam hinc extundere possunt. Quid enim si Jacobus Adelphotheus statura minor fuerit Jacobo Zebedæi, non item Jacobo Alphæi? At, inquies, eo cognomine distingui tum non potuisse ab Jacobo Alphæi. Verum est; sed primo confusionem auferunt verba quæ sequuntur, *et Josetis mater*: deinde aliis nominibus, puta Theadelphi ab Jacobo Alphæi distinguebatur. Nonne *Justus* dicebatur idem Jacobus frater Domini? Numquid Jacobus Zebedæi justus non fuit? Adeo verum est, nomina, et cognomina ex hominum consilio, atque arbitrio pendere.

VIII. Argumentum S. Hieronymi alterum ex verbis Apostoli ducebatur *ad Gal.* I, 19. *Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini.* Sed quum in suis ad illum locum Commentariis doctor ipse maximus Hieronymus, ut supra vidimus, hoc argumentum deinde solverit, mirari satis non possum, Baronium ad ann. 44, n. 37, eo in textu adeo triumphare, « ut plus satis hinc monstrari, Jacobum fratrem Domini unum ex duodecim fuisse, » affirmare non dubitaverit. Si tamen quod sentio, aperire mihi licet, Apostoli nomen honoris causa Jacobo tributum a Paulo asserere malim cum Chrysostomo, ac Theodoreto. Merito autem primoribus Apostolis adjungitur Jacobus, imo et *Columna* dicitur a Paulo *ad Gal.* II, v. 9, ut qui omnibus, quas Christianus orbis censet,

prioris ecclesiæ episcopus, qui Frater Domini fuit, quem Apostolatus munere æque functum ac cæteros constat, quo duce, uti ex Epiphanio supra didicimus, mysteria confici cœpere, qui Hieronymo teste in c, I ep. *ad Gal.* « vir tantæ sanctitatis fuit, et rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere.» Profecto non solum *Columna* a Patribus dicitur Paulus, qui tamen ex duodecim non fuit, sed ab ipso Paulo *ad Rom.* XVI, Andronicus et Junia dicuntur *Nobiles in Apostolis*, scilicet illustres, et insignes in Apostolatu ; quæ Pauli verba expendens Theodoretus, « Papæ ! inquit, quanta fuerit mulieris hujus philosophia, ut et Apostolica appellatione digna sit habita. »

IX. Atque ex his compertum cuique esse potest, quam longe a Salmasii deliramentis sententia hæc nostra distet. Non enim *Minorem* Jacobum eo sensu dici asserimus, quo homo hæreticus ipsum ad inferiora subsellia detrudit, tanquam majorum Apostolorum coadjutorem, et ministrum, cujusmodi SS. Clemens, Timotheus, aliique ipsorum discipuli passim a Græcis *Apostoli* nomine donantur ; sed id unum dicimus, e duodenario numero non magis ipsum fuisse, quam Paulus fuerit, extra ordinem post Christi mortem adscitus, et pari cum duodecim ad Ecclesiæ totius regimen potestate insignitus. Audio Tillemontium objicientem, nihil ejusmodi de Jacobo *in Actis Apostolicis* legi, in quibus tamen c. XIII, v. 2, Paulum et Barnabam ab ipso Domino *segregatos in opus, ad quod assumpserat eos* scribitur. Sed nihilne ad nascentis Ecclesiæ primordia pertinens admittet Vir hypercriticus, quod in novo Testamento consignatum non sit? Ubi symbolum Apostolicum ? Ubi episcopatus Hierosolymitani ab Jacobo gesti mentio? Ubi Antiochenus, et Romanus Petri episcopatus ? Sed nimirum Patrum perpetua traditio hæc omnia confirmat. Fateor. At eamdem esse de extraordinario Jacobi Apostolatu traditionem contendo. Eum enim Apostolum fuisse Græci omnes, ac Latini, qui quidem de ecclesiasticis rebus disseruerint, unanimi consensione docent. At Græcos eosdem omnes, et e Latinis Hieronymum in trium Jacoborum distinctione convenire vidimus hactenus, ac porro videbimus. Quamobrem hunc Jacobi Apostolatum, quemadmodum a nobis statuitur qua fronte Tillemontius *rem periculi plenam* definiat, equidem non percipio.

X. Quod si ad Apostolici muneris Jacobo nostro collati occasionem ac tempus assignandum nos Tillemontius provocat, viri eruditissimi Danielis Papebrochii in *Hist. Chronol. Episc. Hierosol.* t. III, Maii § 1, n, 1, conjectationem, quæ una in re incertissima locum habere potest, proponam. Sed repetendus hic est Eusebii locus l. VII *hist. Eccl.* c. XIX. « Sane et Jacobi illius Cathedram, qui primus Hierosolymorum episcopus ab ipso Servatore, et ab Apostolis constitutus est. » Hic quum dicitur, *ab ipso Servatore*, mihi videtur (verba sunt Papebrochii) indicari specialis Christi apparitio post ejus gloriosam ascensionem coram *plusquam quingentis fratribus* (uti passim interpretes intelligunt Paulum I *Cor.* XV, 8) facta *Jacobo*, ac deinde *Apostolis omnibus*, completo scilicet per Matthiæ subrogationem duodenario eorum numero. Quarum quidem apparitionum prima Jacobus sit creatus Apostolus eodem quo cæteri, jure ad totius Ecclesiæ regimen, æque ac postmodum Paulus Apostolus, uti *ad Galatas* scribit, *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum :* Secunda vero mandatum sit cæteris, ut per Palæstinam duodecim post annis (secundum Apollonii, et Clementis Alexandrini sententiam apud Bolland. t. IV Jul.) sese dispergerent, et Jacobus maneret Hierosolymis primogenitæ ibidem ecclesiæ episcopus. Huic autem Servatoris mandato Apostoli obtemperantes Jacobo sedem episcopalem detulerunt. Hactenus Papebrochius; in quo quidem systemate nihil est, quod Scripturis, aut Patribus adversetur ; imo Patres qui inter se dissentire videntur, dum ab Apostolis alii, alii a Christo Jacobum ecclesiæ Hierosolymitanæ præpositum dicunt, nullo negotio conciliantur.

XI. Sed ad Pauli textum *ad Galatas* I° revocant nos Tillemontii animadversiones. Primo itaque ait, Paulum de Jacobi apostolatu æque ac de Petri apostolatu loqui ; quum enim v, 18 dixisset ; *deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum,* subjicit e vestigio : *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* II° Paulus v, 18 ait, *et mansi apud eum* (Petrum) *diebus quindecim.* Numquid vero credibile est, tot dierum intervallo neminem ex quingentis fratribus, quibus Christus apparuit, a Paulo visum fuisse? III° Iter, quod hic Paulus describit, ipsum illud est, quod Lucas *Act.* IX, v. 26 refert. At Lucas v. 27 a Barnaba refert *apprehensum* Paulum, ductumque *ad Apostolos* ; at quum Paulus duos tantum fuisse Hierosolymis tes-

tetur, Petrum, et Jacobum, utique hic ex duodecim esse debuit ; Barnabam enim potiori jure quam cæteros, qui extra duodenarium numerum sunt, Ecclesia *Apostolum* compellat ; quamobrem (hæc enim vis est argumenti) si Jacobus æque ac Barnabas extra eum numerum fuisset, non diceretur Paulus ductus a Barnaba *ad Apostolos*, sed *ad alios Apostolos.* Addit Vir clarissimus, quem suppresso nomine supra laudavi, ex eo pronomine *alium* dicendum esse Paulum loqui de illis Apostolis, e quorum numero erat Petrus. Præterea Paulus ait v. 17. *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos ;* ubi utique loquitur de duodecim, etiam quod LXX Discipuli jam omnes Jerosolymis multo ante discesserant, ut *Act.* VII, 1 dicitur.

XII. Miror autem, hæc viris ingenio præditis fucum facere potuisse. Primum enim corruit, si dicas, Petro Jacobum a Paulo comparari, quod uterque ex primoribus Apostolis fuerit ; potuit autem Jacobus quemadmodum Paulus ex primoribus esse, quin fuerit ex duodecim. Neque quidquam amplius ex iis verbis extundet Tillemontius, nisi etiam velit Petro Jacobum ibi æquiparari : quod quam a Petri dignitate absit, nemo Catholicus non intelligit, qui solum Petrum Apostolorum Principem fateri debet. Alterum Chrysostomi sententia refellitur ; neque enim ea de causa dictum putamus *Apostolum* Jacobum, quod Christum viderit, uti quingenti Fratres, sed *honoris* causa, quemadmodum supra explicuimus. Tertium ridiculum est ; tunc enim Barnabas nondum ex primoribus Apostolis erat ; tum enim hujusmodi cœpit esse, quum *Act.* XIII, una cum Paulo segregatus est ; quod anno 44 factum alibi ostendemus, quum secundum nostram supputationem iter hoc Pauli anno 33 vulgaris æræ consignandum sit. Caveat etiam Tillemontius ab iis verbis : « Barnabam potiori jure quam cæteros qui extra duodenarium numerum sunt, Apostolum Ecclesia compellat ; » ea enim S. Paulo injuriam inferunt, imo et Ecclesiæ tum Orientali, cum Occidentali, quæ ante Florum, ut ostendit Papebrochius ad diem 11 Junii initio *Comm. Præv. ad Acta S. Barnabæ*, fastis suis Barnabæ memoriam non consignavit.

XIII. Quod autem ad ea pertinet, quæ adduntur, solutione vix egent. Nam pronomen *alium* significat quidem Jacobum fuisse Apostolum non quemcumque, sed ex primoribus, quemadmodum Petrus erat ; non tamen evincit ex duodecim fuisse, sicuti fuit Petrus. Quod vero, dum Paulus scribit se venisse Jerosolymam *ad antecessores suos Apostolos*, de duodecim loquatur, negari eadem, qua affirmatur, facilitate potest. Imo quum Paulus non ex duodecim fuerit, nonne vero est similius, et verbis ipsis, quibus utitur, consentaneum magis, locutum ipsum fuisse de primoribus, ex quibus ipse erat ? Demum omnes septuaginta discipulos Jerosolymis discessisse ante Pauli adventum nego, pernegoque ; neque id *Acta* docent. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ, et Samariæ præter Apostolos.* Hoc *Actorum* VIII, I scribit Lucas. At ex hoc solum evincitur, discipulos omnes Jerosolymis profugisse, qui Apostoli aut ex duodecim aut duodecim illis potestate pares non erant ; cujusmodi Jacobum non fuisse centies diximus. Quid ? quod sicuti quamvis Lucas cæteris fugientibus Apostolos Jerosolymæ mansisse scribat, tamen duos tantum Paulus ibi reperit ; ita etsi soli Apostoli ex duodecim in illa persecutione morati Jerosolymis fuissent, redire tamen potuissent, saltem aliqui, saltem Jacobus, antequam Paulus illam urbem repeteret. Sane trium annorum spatium inter persecutionem illam, quæ sub finem anni 29 excitata fuit, et Pauli adventum, quem 33 anno consignandum monuimus, intercessit.

XIV. Non abjicit animos Tillemontius, novumque contra nos telum intorquet. Nimirum Judæ Apostolo Jacobum adelphotheum anteponit Lucas tum in Evangelio c. VI, 16, cum *in Actis* I, 13 quum *Judam Jacobi* vocet. An autem qui ex duodecim non fuisset, uni ex duodecim præferretur ? Verum hoc jamdudum solverat Cl. Florentinius exercit. IV, in *Indic. Apostolorum*, ubi ait : « Probabile admodum est, Jacobum cæteris Fratribus, et patre ipso Cleopha celebriorem fuisse, tum ex vitæ honestate, propter quam Justus a Judæis universis dicebatur, tum ratione sacerdotii, quod illi tribuit Epiphanius. » Quod quidem in omnium sententia locum habet. Sed si Papebrochii conjectationibus supra expositis, probatisque assentimur, Tillemontii argumentum evanescit, difflatur. Aio enim Judam, de quo in indicatis locis Evangelista, Apostolum quidem esse ex duodecim, sed alium ab Juda Jacobi Theadelphi fratre, et Canonicæ epistolæ Scriptore. Judas Thaddæus est, quem a Patre Judam *Jacobi* appellat Lucas, quemadmodum iisdem locis Jacobum a Patre *Alphæi* vocat.

CAPUT IV.

Martyrium Jacobi Theadelphi describitur, et in diem ejus nomini sacrum inquiritur.

I. Jacobum Theadelphum episcopum quidem Hierosolymitanum, et ex primoribus Apostolis unum fuisse confecimus hactenus, non tamen Apostolum ex duodecim. Nunc de ejus obitu disserendum. Eum sic describit Hegesippus in quinto *Commentariorum* libro apud Euseb. l. II, c. XXIII edit. Vales. « Quidam autem ex septem sectis, quæ apud Judæos erant... interrogarunt eum, quodnam esset ostium Jesu. Quibus ille Jesum esse Servatorem respondit. His auditis, nonnulli eorum Jesum revera Christum crediderunt. Quum ergo multi ex ipsis etiam primoribus crederent, tumultuari cœperunt Judæi, et Scribæ, ac Pharisæi... Proinde in unum congregati Jacobum adeunt, hisque eum verbis compellant. Hortamur te, inquiunt, ut populi errorem comprimas, qui falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi Christus esset. Persuade igitur omnibus, qui festo Paschæ die huc conveniunt, ut de Jesu recte sentiant. Tibi enim omnem fidem habemus... Ascende igitur in fastigium (πτερύγιον) templi, ut in sublimi loco positus ab omnibus conspici, et exaudiri facile possis.... Post hæc supradicti Scribæ, et Pharisæi quum Jacobum in fastigio templi collocassent, contenta voce sic eum alloqui cœperunt. O Juste... doce nos... quod sit ostium Jesu suffixi Cruci? Tunc Jacobus edita voce iis respondit : Quid me, inquit, interrogatis de Jesu filio hominis? Ipse sedet in cœlo a dextris summæ Virtutis, et venturus est in nubibus cœli. Quumque multi hoc Jacobi testimonio glorificarent Jesum dicentes : Osanna filio David : Tunc iidem scribæ, ac Pharisæi... conscendentes, eum præcipitem egerunt. Et quoniam præcipitatus non statim obierat... illi inter se dixerunt : Lapidemus Jacobum Justum. Cœperunt igitur lapidibus eum impetere. Quumque hominem saxis obruerunt, unus e Sacerdotibus, ex filiis Rechab filii Rechabim, qui Jeremiæ suffragio commendati sunt, contenta voce : Parcite, inquit, quid facitis? Justus orat pro vobis. Interim unus ex eis fullo arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Justi percussit. Atque ita felici martyrio vitam finiit. Sepultus est in loco, manetque adhuc cippus illius prope templum. » Hæc Hegesippus.

II. Haud aliter Clemens Alexandrinus apud eumdem Eusebium cit. l. II, cap. I, vel potius, uti infra dicemus, Eusebius ipse. « Cæterum duo fuere Jacobi; alter cognomento Justus, qui ex templi fastigio præcipitatus et a fullone fuste percussus interiit. » Ex his profluxere, quæ in antiquis Græcorum Menologiis legimus. Describam hic cæteris omissis, quæ in Menologio Basilii Porphyrogeniti reperio ad diem 23 Octobris sub hoc titulo : *Certamen Sancti Hiero-Martyris et Apostoli Jacobi Fratris Christi.* « Jacobus sanctus primus Hierosolymorum episcopus ab ipso Christo renuntiatus et primus ab eodem edoctus, divini sacrificii rationem composuit : quam latius fusam postea Basilius Magnus, et post hunc Chrysostomus, hominum infirmitati consulentes compendiariam reddidere. Jacobus autem, quum non contemnendam tam Judæorum, quam Græcorum manum secum ad Christi cultum traheret, præsenti Judæos iracundia exardescentes in se adeo concitavit, ut coacti in unum e templi fastigio deturbatum necaverint. » Hæc ibi ex translatione Petri Arcudii, et editione Ferdinandi Ughellii tomo X Ital. Sacr. Venetæ Noviss. edit. al. Tom. VI. In eodem Basilii Menologio extat ejusdem Jacobi elogium aliud 30 Aprilis, ipso die, quo alii Græcorum libri habent Jacobum fratrem Joannis. Sed hoc postremum, quod ad calcem tomi I Aprilis Henschenius edidit, et inconcinnum est, et errore non uno inquinatum.

III. At Josephus, citato cap. XXIII, l. II, apud Eusebium, in vicesimo antiquitatum libro mortem illius commemorat his verbis. « Comperta morte Festi, Cæsar Albinum Procuratorem in Judæam mittit. Interea Ananus junior, quem Pontificatum accepisse jam diximus, vir audax imprimis, ac temerarius, et qui sectam Sadducæorum sequebatur..... opportunum sibi tempus adesse ratus, eo quod Festus quidem obiisset, Albinus vero adhuc iter faceret, consilium Judicum cogit. Inductoque in judicium Jacobo fratre Jesu, ejus, qui dicitur Christus, et cum eo quibusdam aliis, crimen illis violatæ legis impegit, statimque lapidandos tradidit. Sed quicumque inter cives modestissimi, legisque observandæ

studiosissimi habebantur, graviter id factum tulere. Itaque clam legatos ad Regem mittunt hortantes, ut Anianum per litteras monere vellet, ne deinceps talia gereret..... Quin etiam nonnulli eorum Albino ab urbe Alexandria iter facienti occurrerunt eumque monuerunt non licuisse Aniano absque ipsius consensu concilium Judicum convocare. Quibus auditis, Albinus litteras plenas furoris, et iracundiæ ad Anianum scribit, minatus se de illo pœnas sumpturum. Proinde Rex Agrippa, adempto ei Pontificatu, quem per tres menses gesserat, Jesum Damnæi filium Pontificem constituit. »

IV. Mirum est, quam acriter Hegesippi historiam de Jacobi martyrio *insectatus* sit Scaliger in *Animadversionibus in Chron.* Eusebii ad annum MMLXXVII. Sed insanos hujus hypercritici clamores risu excepere, et castigarunt Clarissimi Viri Petrus Halloixius T. II Illustrium Ecclesiæ Orientalis scriptorum in *Not. ad* c. III. *Vitæ S. Hegesippi*, Dionysius Petavius in *Notis ad Hær.* LXXVIII S. Egiphanii, Henricus Valesius in notis ad c. XXIII, l. II Eusebii, Henschenius in sæpius laudato Commentario prævio, ac Tillemontius T. I, in *Not. ad Vitam S. Jacobi Min.* not. 10. Apud hos soluta invenies, quæ Scaliger tanto hiatu declamavit, ut *cervicosos, qui hæc tam crassa defendunt*, non erubuerit pronuntiare. Scaligeri cramben recoxit Basnagius Annal. Politico-Ecclesiast. T. I ad an. Domini 60, n. 6 et 7, una, alterave conjectatione addita, quam Halloixius, et Henschenius jamdudum occuparunt. Severissimum Hegesippi mastygem dedit novissimis temporibus Gallia. Is est Arnaldus, qui prolixam æque ac cruentam scripsit hac super re ad Tillemontium epistolam. Edita est ad calcem tomi I. Tillemontianorum monumentorum editionis Parisiensis 1701, cum ejusdem Tillemontii animadversionibus. Nostrum non est, hic Hegesippum defendere. Satis mihi est in præsentia, Jacobum Theadelphum lapidibus obrutum Hierosolymis fuisse, quod non Hegesippus solum, sed et Josephus, Epiphanius, Hieronymus in catalogo tradit. Solum moneo, Josephum, si bene perpendatur, Hegesippo non adversari, sed quæ in Hegesippi historia desiderantur supplere.

V. Diem Jacobo sacrum quod spectat, eum apud Græcos fuisse 23 Octobris, discimus ex *Menologio* Basilii, quod n. 2 recitavimus. Eadem, quæ ibi, leguntur in *Menæis* excusis, et in antiquis MSS. Codd. quatuor Bibliothecæ Ambrosianæ: item in MS. Florentino Monasterii S. Marci, Parisiensi Cardin. Mazarinii, denique ἐν βίοις ἁγίων Maximi Cytherorum episcopi, et *Anthologio* novo Petri Arcudii. Accedit pervetustum Synaxarium Græcum Constantinopolitanæ ecclesiæ Claromontani collegii, in quo multo plura, quam in Basilii Menologio, legi ex Hegesippo exscripta testatur Henschenius. In vetusto etiam *Martyrologio* Arabo-Ægyptio, quod Hagiographis Antuerpiensibus in Latinum transtulit Gratia Simonius Maronita, celebratur ad eumdem 23 Octobris diem *Certamen S. Apostoli Jacobi Fratris Domini.* In *Kalendario* Syro-Caldaico Romæ anno 1624, excuso, eodem die memoratur *S. Jacobus frater Domini,* quibus verbis additur in Kalendario Syrorum apud Genebrardum *Hierosolymorum Episcopus.* Item in *Kalendario* secundo Ægyptiaco per Johannem Seldenum in libro *de Synedris Veterum Hebræorum* edito, in *Kalendario Ruthenico* apud Possevinum, et in MS. Moscovitico, refertur ad eumdem diem *Jacobus frater Domini.*

In vitis sanctorum.

VI. Ad Latinos transeamus. Apud hos Jacobi Fratris Domini Passio die 25 Martii celebrabatur. In *Apographo Martyrologii* Hieronymiani Epternacensi legimus « 8 kalendas Aprilis Hierosolymis Dominus crucifixus est. Passio Jacobi Justi fratris Domini : » quæ aliquanto latius in *Apographis* Lucensi, et Corbeiensi exponuntur his verbis. « In Hierosolyma Dominus Noster Jesus Christus crucifixus est, et Passio S. Jacobi Apostoli, qui et frater Domini, sicut in Actis Apostolorum continetur. » Eadem de Jacobo nostro in *Martyrologiis* Rabani, et Notkeri ita indicantur : « Et Passio S. Jacobi Fratris Domini, qui in Paschæ solemnitate Judæis Christum testificans, de templi est culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus. » Ejusdem S. Jacobi Fratris Domini memoriam ad dictum 25 Martii recolunt pervetusta MSS. Constantiense, Augiæ divitis, Augustanum S. Udalrici, Trevirense S. Maximini, Coloniense S. Mariæ ad Gradus, Leodiense S. Lamberti, Ceatulense S. Richardi, et alia. Iterum ad diem 15 Martii legitur in prædictis apographis Martyrologii Hieronymiani, et alio MS. Monasterii S. Cyriaci, nomen *S. Jacobi Fratris Domini ;* sed mendum id esse Amanuensium ex eo suspicor, quod fere immistum sit martyribus Karthaginiensibus. Nunc quidem colitur Kalendis Maii ; sed qui id acciderit, capite sequenti docebo.

VII. Dixi autem, *Passionem S. Jacobi fratris Domini a Latinis celebratam fuisse* 25 *Martii*. Etenim Ordinatio ad diem 27 Decembris colitur in pluribus *Martyrologiis*. De ea sic in pervetustis quatuor Martyrologii Hieronymiani apographis, quibus Lucense, et Brumianum, uti et MS. Corbeiense Parisiis excusum consentit. « Ordinatio S. Jacobi Apostoli Fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Judæis Hierosolymis est episcopus ordinatus. » Sed quoniam 27 Decembris dies sacer est S. Joanni Apostolo, et Evangelistæ, et sequens sanctis Innocentibus pueris pro Christo occisis, solemnis veneratio dictæ Ordinationis S. Jacobi ad diem 29, ejusdem mensis translata est in Mediolanensi ecclesia ad normam, et institutionem S. Ambrosii episcopi: atque ita præscribi in Missalibus ejusdem Ecclesiæ anno 1532, et anno 1560, excusis, et in Breviariis, quæ anno 1530, et aliis, quæ jussu S. Caroli Borromæi anno 1582, impressa sunt testatur Henschenius. Quin etiam pervetusto marmoreo *Kalendario* Neapolitono 29 Decembris inscriptum legimus *Natale S. Jacobi Apostoli*. Confer Mazochium in hoc Kalendar. p. 283.

CAPUT V.

Jacobum Alphæi ab Jacobo adelphotheo alium esse aliquibus argumentis ostenditur.

I. Sed jam tandem ad præcipuum Dissertationis nostræ caput, cujus causa cætera hactenus disputata sunt, deveniendum est. Sit itaque primum, quo Jacobum Alphæi ab Jacobo fratre Domini alium omnino esse colligamus, argumentum a Patre desumptum. Patre Cleopha natum esse Jacobum Adelphotheum cap. I, num. 2 ad 8 ostendimus. At non Cleopham, sed Alphæum Jacobo ex duodecim fuisse Patrem docent Evangelia, in quibus quum Jacobus alter a Zebedæo Patre *Zebedæi* dicatur, dubium esse non potest, quin ab Alphæo item Patre Jacobus *Alphæi* cognomentum sit nactus. Sed alterum a fratribus duco. Quos fratres habuerit Jacobus Theadelphus, ex iis constat, quæ ibid. num. 8, exposuimus. Neque ullum invenias, qui ejus fratrem Matthæum Publicanum, atque Evangelistam dixerit. Porro Jacobus Alphæi Matthæum fratrem habuit.

II. Ad Euthymium provoco, cujus hæc sunt verba c. XIX, in X *Matthæi* caput. « Jacobus hic frater erat Matthæi, siquidem Matthæus quoque Alphæi filius erat, non solum dictus Matthæus, sed et Levi. *Vidit*, inquit, *Levi filium Alphæi sedentem in telonio*. » Nimirum *Marci* II. « Jesus post sanatum paralyticum, *quum præteriret*, *vidit Levi filium Alphæi*, *qui sedebat in domo vectigalis;* » filium autem illum Alphæi Matthæum fuisse tradit Matthæus ipse in suo *Evangelio* cap. IX. *Et quum transiret inde Jesus*, *vidit hominem sedentem in telonio*, *Matthæum nomine*. Infelix porro effugium illud est, quod excogitavit Gardeboscius diss. VI, q. I, duos nempe fuisse viros Alphæi nomine compellatos, unum quidem Jacobi, Matthæi alterum genitorem. I, enim, quo hæc fundamento dicuntur? Deinde non Euthymio solum, sed Chrysostomo, imo Orientali universæ ecclesiæ id adversatur. Quid enim Chrysostomus hom. XXXIII, in cap. IX *Matthæi*? « Animadvertamus, quo, et quos misit. *Istos*, inquit Evangelista, *duodecim misit Jesus*. Quos istos dicit? Piscatores scilicet, et Publicanos. Quatuor enim erant Piscatores, Petrus, Andreas, Jacobus, et Johannes: duo publicani, Matthæus, et Jacobus. Unus etiam proditor. » Quam facile intelligimus, publicanum fuisse Jacobum, si Matthæi fratrem dicimus, tam ægre id potest, si duos cum Gardeboscio Alphæos distinguimus.

III. Sed Ecclesia Orientalis dubitandi locum omnem præcludit. Nam in Basilii *Menologio* 9 Octobris hæc leguntur. « Jacobus Christi Apostolus filius Alphæi, et Matthæi publicani, et Evangelistæ frater. » Similia ex Synaxario Cp. Ecclesiæ describit Henschenius. « Certamen S. Apostoli Jacobi Alphæi. Erat hic Frater Matthæi publicani, et Evangelistæ. » Consentiunt cæteri codices tum MSS. cum excusi, quos superiore capite nominavimus. His adde MS. Taurinense Regis Sardiniæ. At, inquit Gardeboscius, de tribu Nephthali Matthæus fuit: Jacobus vero Alphæi de tribu Juda. Hoc enimvero pura puta est, ut aiunt Scholastici, *principii petitio*. De tribu Juda fuerunt, ut ex Theodoreto docuimus cap. I, n. 9, fratres Domini, quos inter Jacobus cognomento Justus: at Jacobus Alphæi non fuit frater Domini, quemadmodum Matthæus non fuit. Fuit igitur de tribu Nephthali etiam Jacobus Alphæi. Utrumque

sane habitasse Capharnaum disertis verbis tradit Theodoretus. Atque hinc tertium ad rem nostram cudi potest argumentum. Si enim de tribu Juda Jacobus Justus fuit, de tribu Nephthali Jacobus Alphæi, duo profecto homines sunt.

IV. Ex Apostolatus munere quartum petitur argumentum. Capite II et III Jacobum Theadelphum ex duodenario Apostolorum numero seclusimus gravibus sane momentis. At ex duodecim fuisse Jacobum Alphæi, is solum neget, qui Evangeliis non credat. Palmare et illud discriminis momentum esto, quod ex genere, et loco martyrii Bollandiani desumpsere. Quo mortis genere, atque ubi ad cælos migrarit Jacobus Justus, superiori capite exsecuti sumus. Nunc de Jacobo Alphæi agemus, et res palam fiet. Nicetas David Paphlago Photii adversarius seculi IX scriptor, cujus meminerunt Georgius Cedrenus, et Johannes Curopalates, uterque initio operis, plures illustres sanctorum vitas conscripsit, e quibus Raderus Noster vitam edidit S. Ignatii Patriarchæ Cp. Orationes quoque Sanctorum Apostolorum encomiasticas habuit. Inter has *laudatio Sanctissimi, ac celebratissimi Apostoli Jacobi Alphæi*, ex Bibliotheca Card. Mazarini eruta, et latine reddita a Francisco Combefisio exstat in hujus Auctario novissimo Bibliothecæ Græcorum Patrum parte I. In præcipua vero Orationis parte, quam recudit Henschenius T. I. Maii pag. 30, narrat Nicetas, Jacobum Alphæi Gazæ primum, deinde Eleutheropoli, et in vicinis ibi eorumdem populorum civitatibus Apostolatu functum esse : Post hæc ad Ægyptios, extremamque eorum regionem quum devenisset, Ostracinam tandem adiisse, Urbem episcopalem sub Patriarcha Alexandrino, et Metropoli Augustamnicæ Primæ Pelusio, sitam ad mare, in confinio Ægypti Arabiæ Petreæ, et Palæstinæ ; hic tandem Cruci a quibusdam, qui verbo fidei adversabantur, adfixum occubuisse. Fusius ista persequitur Nicetas, eademque ex Niceta contraxit deinde Nicephorus l. II *Hist. Eccl.* c. XL.

V. Consonat pervetustum Synaxarium ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi sic ad 9 Oct. « Certamen Sancti Apostoli Jacobi Alphæi. Erat hic frater Matthæi Publicani, et Evangelistæ. Hic divino zelo inflammatus, egressus ad prædicandum Evangelium, omnia Idolorum fana igne succendit, morbos curavit, dæmones ex hominibus ejecit, et alia infinita miracula patravit. Qua de causa multitudo paganorum ipsum appellavit divinum Germen. Itaque percurrens Orbem, ut verus Christi amator, ejusque passionis ac mortis æmulator, indociles Judæorum populos arguebat : a quibus varias insidias passus, tandem captus, et in cruce suffixus, suum Deo Spiritum reddidit. » In *Menæis* suis ad diem prædictum canunt etiam Græci :

« Qua tulit Jacobus alacris crucem
Constantia, Salvator ipse prodidit,
Ut dignus ipse te fieret : passus crucem
Jacobus occidit nona die. »

Fuit is Matthæi Publicani, et Evangelistæ frater. Divinus hic Apostolus ad prædicationis munus exiens, divino succensus zelo, omnia idolorum delubra evertit, fugans morbos, ac malignos spiritus. » Hactenus Menæa apud Florentinium pag. 155, et Combefisium in notis ad Hippolytum *de XII Apostolis*, de quo paulo inferius. Nec dissimilia sunt, quæ in ecclesiæ Græcæ Martyrologio Metrico exhibet L. Urbanus Godof ad eumdem diem 9 Oct.

« Suam Jacobus fortiter tulit crucem,
Seseque Salvatore dignum præbuit. »

VI. Respondent Natalis, et Tillemontius, Nicetæ fidem non habendam esse, quum nemo illo antiquior isthæc tradiderit. At Nicetæ auctoritatem neuter elevabit, dum Græcam universam ecclesiam turpiter sibi a Niceta imponi sivisse, gravi aliquo fundamento ostendant, iis potissimum accedentibus, quæ hactenus demonstrata sunt. Quod vero nemo antiquior hæc referat, ne Eusebius quidem, argumentum negativum est, cui nulla hic vis esse potest. Etenim (ut cætera mittam, atque illud etiam, quod paucorum martyrum, et Apostolorum certamina indicaverit Eusebius) Nicetas ea in oratione veluti de re auditoribus omnibus notissima loquitur : quod argumento est, aliquam Apostolatus, atque martyrii ab ipso descripti viguisse apud Græcos traditionem. Objicit etiam Tillemontius, in Menologio Basilii ad diem 9 Octobris nihil esse, quod Jacobi Theadelphi martyrio aptari non possit, nullam fieri Ostracinæ mentionem, nullum crucifixionis vestigium. Illud quoque in Nicetæ historia carpit Vir criticus, Judæos Jacobum crucifigendum mandasse ; neque enim Ostracinæ dominabantur Judæi.

VII. Verum perperam hæc animadvertit superciliosus Censor. Etenim quum iidem Basilii Menologium ad diem 23 Octobris Jacobo Adelphotheo novum, ac plane diversum elogium contexat, utrumque invicem aperte distinguit. Neque vero martyrii genus, quod in eo Menologio describitur, quidquam evincit. Quod enim *scipionibus cæsum* obiisse Jacobum ibi legamus, non probat, crucifixum non fuisse; potuit enim de more, antequam crucifigeretur, scipionibus seu fustibus cædi. Quid etiam vetat, quominus eum patibulo suffixum fustibus, seu crurifragio interemptum intelligamus? At Crucifixionis nulla fit mentio. Sed ne in elogio quidem Jacobi fratris Domini, quod cap. IV, n. 2, descriptum est, ulla lapidum mentio, quibus eum obrutum antiqui PP. ac vetera Martyrologia asserunt. Dico igitur, crucifixionem tacite indicari iis verbis, quæ ibi legimus, « comprehensum, et varie, crudeliterque cruciatum, demum scipionibus cæsum interemere. » Quod additur, Judæos Ostracinæ non dominatos fuisse, id concedam, modo Tillemontius Judæos in ea Urbe Palæstinæ contermina omnino fuisse non neget. Quid vero hinc colligat. An Hierosolymis dominabantur Judæi, dum coegerunt concilium in Jesum? Dominabanturne tot aliis Christianorum civitatibus, in quibus Fidelium infantulos aliquot a perfidis illis trucidatos fuisse, memoriæ proditum est?

VIII. Nemo autem opponat Hippolytum martyrem in libello *de XII Apostolis* dicentem : « Jacobus Alphæi prædicans Hierosolymis lapidatus a Judæis occiditur, illicque prope templum sepelitur. » Putat quidem Combefisius (cum Cupero loquor T. IV, Julii ad d. 15, § 3, comm. *de divisione Apostol.*) hujus scripti, quod copiosis notis illustrare conatur, auctorem esse S. Hippolytum martyrem, qui initio sæculi tertii floruit. Verum huic opinioni severiores critici non immerito contradicunt, aliis illud opusculum Hippolyto cuidam multis sæculis posteriori tribuentibus, aliis istud omnino tanquam supposititium repudiantibus. Quod si ad apocryphos libros confugiamus, profecto de Baronii, et Sectatorum sententia actum erit. Nam, ut omittam Synopsim, seu libellum de LXXII discipulis Dorothei Tyri in Phœnicia episcopi nomine perperam insignitum, nonne *constitutiones Apostolicæ* l. VI, c. XII et XIV, et Pseudo-Clemens *Recognitionum* l. I, a nobis stant? Certe id adversarii adeo non negant, ut Baronius, Natalis, Pearsonius ex his fæcibus haustam esse nostram sententiam clament; quod quam jure dictum sit, in præsentia non disputo, id solum cum Combefisio monere contentus rationem profecto non admodum efficacem videri, quia in illis libris dictum sit aliquid, eo posteros omnes inde hausisse. Duo tantum adversarios obsecro; primo ut diligenter inquirant, an omnia, quæ in Constitutionibus Apostolicis, et Recognitionibus ipso secundo sæculo Clementi suppositis, nugas esse, atque quisquilias pronuntiare merito possint: 2, ut Hegesippi, et Cyrilli testimonia cum iis conferre velint horum librorum verbis, quibus nostram sententiam confirmari ipsi ultro concedunt. Nobis id non vacat.

CAPUT VI.

Postremum, quo Jacobum Alphæi ab Jacobo fratre Domini diversum esse evincitur, argumentum proponitur : Contraria quoque ad examen vocantur.

I. Itaque ad novum pro nostra sententia argumentum proponendum transeo. Ex eo hoc petitur, quod diversis diebus Jacobi Alphæi, et Fratris Domini memoria in Martyrologiis recolatur. Qanti ponderis hoc argumenti genus sit, nemo nescit, quum Viri Clarissimi Jacobus Sirmondus in Dissert. *de duobus Dionysiis*, Hadrianus Valesius apud Papebrochium in respons. ad exhibit. errorum resp. ad artic. XI. §. 4. Rosweidus apud Sollerium tom. VII Junii ad textum Usuardi sub die 3 et 9 Octobris, Launoyus, aliique vel id unum censuerint efficacissimum ad Areopagitam Dionysium a Parisiensi distinguendum. Age jam. Cap. VI vidimus, quem diem Orientalis, atque Occidentalis ecclesia Jacobi Theadelphi memoriæ sacraverit. Nunc de Jacobo Alphæi disseramus. Atque, ut ordiar a Græcis, diem 9 Octobris sacrum apud illos fuisse Jacobo Alphæi, ex iis, quæ diximus n. 49 compertum esse debet, atque exploratum. Neque Mediolanensis codex, in quo 9 Novembris Jacobus Alphæi recolitur, aliis Ecclesiasticis Græcorum libris obesse

debet ; quanquam quod nostram sententiam spectat, idem sit.

II. Latinos vero Jacobo Alphæi diem 22 Junii dicasse assero. Eo sane die consignatur in antiquis Hieronymiani Martyrologii apographis tribus, Epternacensi ante 1000 circiter annos transcripto, Corbeiensi, et Lucensi, quod illustravit vir doctissimus Florentinius: item in vetustis MSS. Martyrologiis Aquisgranensi Ecclesiæ Majoris, Trevirensi S. Maximini, Constantiensi monasterii Richenaugiensis, et alio Corbeiensi in Galliis ante 800 annos scripto ; demum in Bedæ Martyrologio, quod habes apud Martene *Collect. Ampliss.* tom. VI. « In Perside Natalis (in aliquibus Natale) S. Jacobi Alphæi. » Nullo autem loco designato celebratur ad eumdem diem in *Martyrologio* Rabani ; item in MSS. Augustano Monasterii S. Udalrici, Parisiensi Labbei Lucensi Canonicorum, Neapolitano sub Usuardi nomine, et alio Monasterii S. Cyriaci, quo ad martyrologii Romani innovationem usus est Card. Baronius. Adde *Calendarium* Floriacense apud Martene, et *Martyrologium* Bellini de Padua secundum morem curiæ Romanæ, sed non mediocriter auctum et Parisiis anno 1521 excusum. Citat Henschenius etiam illustre *Martyrologium* Card. Barberini, et aliud Christinæ Reginæ Sueciæ n. 130 signatum, item MS. *Kalendarium* sub Hieronymiani Martyrologii finem in autographo Epternasensi adjunctum. In *Kalendario* tamen marmoreo Neapolitana 25. Maii natale hujus Jacobi celebratur. Causas prodit Cl. Mazochius.

III. At quis ille Jacobus, qui Kalendis Maii una cum S. Philippo tum in Martyrologiis, tum in Sacramentario S. Gregorii aliisque quarumcumque ecclesiarum Missalibus olim colebatur? Aio cum Mazochio p. 282 fuisse Jacobum Alphæi, non autem Jacobum Fratrem Domini, cui 25 Martii fuisse dicatum cap. VI demonstravimus. Atque hinc in Kalendario monasterii Stabulensis apud Martene 25 Martii Jacobus frater Domini legitur, et Jacobus Apostolus semel tantum cum Philippo ipsis Kalendis Maii. Cur autem Jacobus Alphæi, qui 22 Junii celebrabatur, iterum 1 Maii coleretur, si petas: dico cum Henschenio, ad diem 22 Junii peculiarem Jacobi Alphæi memoriam factam fuisse ; solemnissimum vero cultum peractum Calendis Maii, quemadmodum SS. Petri, et Pauli 29 Junii, et SS. Simonis, et Judæ Thaddæi 28 Octobris, et sic ista paria Apostolorum conjunctim in Litaniis Ecclesiasticis invocantur, ut nullus alius inter singula paria collocetur. Facile autem intelligo, recentioris ævi Martyrologos, quum insigne Jacobi Adelphothei elogium in libro Hieronymi *de Scriptoribus* invenissent, Jacobo, qui cum Philippo Kalendis Maii colebatur, illud oscitanter aptasse ; atque hinc in alios ecclesiasticos libros eumdem errorem profluxisse.

IV. Ut invictissimum hoc argumentum eludat Natalis : « Exemplaria, inquit, tria Hieronyminiani Martyrologii Natale S. Jacobi Alphæi Apostoli in Perside consignant. In MS. Romano Ducis Altempsii loco Persidis scribitur Galla. Adeo incerta est fides monumentorum, quibus nititur trium Jacoborum assertio. » Mirarer profecto ob leve adeo argumentum incertam, videri viro clarissimo assertionem nostram, nisi experientia compertum haberem, Natalem Alexandrum pro libito Martyrologiis modo tribuere, modo demere auctoritatem, prout scilicet sententiis suis vel favent, refragantur. Quid enim? Levis aliqua mutatio, quæ in Martyrologiis occurrit, unanimem omnium consensionem in adstruenda Jacoborum distinctione elevabit? Sed scire debuerat Vir eruditissimus ex iis ipsis Bollandianis, quos oppugnare adgressus fuerat, nullum Martyrologium Jacobum *in Perside* vita functum dicere, sed duntaxat solemnia, sivo Natale in Perside celebratum illa die recolere. Quid autem in eo absurdi, quod Jacobi Ostracinæ martyrio affecti natalis dies fuerit in Perside solemniore cultu celebratus? Fortasse tamen (quod pag. 156 opportume animadvertit Florentinius) incuriosi librarii vitium pro Persa oppido Syriæ, aut si Stephano assentiri malis, Samariæ, vel pro Persei specu in Ægypto Persidem reposuerit, Altempsii Martyrologium quod spectat, id factum credere par est, ut ait Henschenius ob reverentiam in Gallia corpori S. Apostoli illuc translato adhibitam.

V. Videamus, quid alii excogitaverint, ut ab hoc argumento sese expediant. Provocant hi ad Sacramentarium S. Gregorii Magni, in quo duo tantum Jacobi locum habent ; item ad Canonem Missæ, quem Ambrosiaster *Ecclesiasticam regulam compellat*, in quo etiam duo solum Jacobi memorantur. Porro quis credat, Jacobum Adelphotheum in Romana ecclesia inglorium fuisse? Fuisset autem; quum duo illi Jacobi, qui apud Romanos cultum habuere, Apostoli fuerint. Huc spectat, quod Gardeboscius opponit, nimirum

nihil aut in Scripturis aut in antiquioribus Patribus de Jacobo Alphæi dictum nos habituros, si eum ab Jacobo Fratre Domini distinguinus: at Apostolum ex duodecim a Patribus, et Canonicis scriptoribus silentio prætermissum, eosque in illius, qui ex duodecim non fuerit, laudes effusos fuisse, vix credi potest. Ego autem, nisi vehementer fallor, nihil in his incredibile reperio. Nam neque in Geegorii Sacramentario, neque in Canone Missæ exstat festum, ac nomen S. Josephi, qui Christi nutritius fuit, ac Pater habitus. Si quid mirandum in re nostra, multo majorem sane admirationem sibi vindicat sæculis pene octo, S. Josephum in Romana ecclesia nullum habuisse cultum, nullam illius in ecclesiasticis tabulis mentionem fieri.

VI. Eadem vero causa, quæ Josephum, Jacobum Fratrem Domini videtur primis illis temporibus a solemniore cultu prohibuisse Nempe periculosum videbatur rudibus ad fidei mysteria gentibus Josephum magnopere prædicare, cujus commendatio frequens virginei partus fidem posset utcumque labefactare. Quam verosimiliter idem de Jacobo dici possit ea potissimum de causa, quod Helvidius Deiparæ integritatem vel ex hoc oppugnare impius homo ausus fuerit, quod Christus in Evangeliis fratres habuerit. Gardeboscii conjectura falsitatis nullo negotio convinci potest. Jacobum enim Alphæi Evangelia, et Actus Apostolorum non semel memorant, ut eos canonicorum scriptorum locos prætercam in quibus communia Apostolis omnibus facta describuntur. In Patribus vero nihil amplius de Josepho, nihil amplius de Simeone, ac Bartholomæo reperias, quam de Jacobo Alphæi.

VII. Age jam, quæ adversus nostram de tribus Jacobis sententiam opponi possunt, expediamus. Primum est. Eusebius lib. II *hist. Eccles.* cap. I, Clementem Alexandrinum laudat, qui lib. VII ὑποτυπώσεων duos tantum adstruit Jacobos his verbis: *Duo fuere Jacobi.* Alterum est, Chrysostomus hom. XXVI in *Act. Apost.* Jacobum Joannis Fratrem a S. Luca majorem vocari notat, quoniam alter Domini frater erat, neque tertium commemorat. Accedit Isidorus in l. *de vita et obitu Patrum.* Demum Lorinus ait, se non morari Græcos scriptores, quos pro nostra sententia solum afferri posse contendit. Quid ad hæc? Ad primum, qui nobiscum sentiunt, Eusebium fragmenta Clementis aliquot produxisse respondent, non tamen ei consensisse. Toti deinde in eo sunt ut Clementis elevent auctoritatem, quam post Baronium Græcis omnibus Patribus potiorem esse non dubitavit Gardeboscius asseverare. Quod quidem facile esse sibi suadent, tum Gelasius summus Pontifex Clementis libros ad apocryphos amandarit, tum quod Hegesippo antiquiori, imo Evangeliis, ex quibus cap. V arguebamur, magis, quam Clementi standum sit, tum demum quod quantævis sit auctoritatis Clemens, nimis durum in ipsius gratiam videatur, omnes Patres, et universam Græcam ecclesiam erroris insimulare.

Hypotyposeon.

VIII. Hæc quidem magni ponderis sunt; sed nisi mihi blandior, his opus non est, Itaque nego verba illa esse Clementis. Ad Eusebium provoco. « Clemens certe (inquit loco laudato Cæsariensis historicus) in sexto *Institutionum* libro ita tradit. Ait enim, post Servatoris assensum, Petrum, Jacobum, et Joannem, quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum episcopum elegisse. Idem in septimo ejusdem operis libro hæc de illo etiam dicit. Jacobo, inquit justo et Joanni, et Petro Dominus post resurrectionem scientiæ donum impertivit. Quod illi cæteris Apostolis, hi vero 70 Discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt. Cæterum duo fuere Jacobi » vel secundum Christophorsoni interpretationem, *duos item Jacobos fuisse fertur.* Jam vero quis cæcus adeo ut non videat, Clementis textum ab Eusebio descriptum cum verbo *tradiderunt*, desinere; cætera ipsius Eusebii esse? Quæ enim præcedentium verborum cum hisce connexio, ut ab eodem auctore eodem in loco dicta fuisse arbitrari possimus? Deinde ea verba Eusebii *hæc de illo etiam dicit*, adnotari velim. Nam quod duo Jacobi fuerint, estne aliquid, quod ut *de illo dictum* ab Eusebio recitari potuerit? Hæc mihi tam clara sunt, ut mirari satis non possim, id a nemine hactenus animadversum fuisse.

VIII. At inquies, saltem ea Clementis sunt: « quod illi cæteris Apostolis hi vero septuaginta Discipulis. » Concedo, equidem; sed Apostoli nomen quo a Patribus sensu Jacobo Justo tribuatur, alibi monuimus. Adde, nihil propositionis veritati decessurum, etsi non Jacobus, sed Petrus, et Joannes cæteris Apostolis scientiæ donum impertivissent. At Eusebius adversabitur. Nego, nisi antilegomena scripsisse Eusebium velis. Vide quæ cap. II n, 10 dicta a nobis sunt. Quid ergo?

Quum in primo Clementis textu duo occurrant Jacobi, de utroque aliquid innuere voluit Eusebius, ut Clementis verba dilucidiora essent; neque erat, cur de Jacobo Alphæi mentionem hic faceret. Dum igitur duos dici, tertium non excludit, quemadmodum sane a Clementis verbis, quorum gratia ea ab Eusebio adduntur, non excludi perspicuum est.

IX Chrysostomum non satis accurate describit Tillemontius, et perperam objicit. Perperam quidem. Numquid enim omnia omnibus in locis dici debent? Vide cap. II. n. 9. Non satis accurate. Audi ipsa S. doctoris verba. « Quoniam autem et alius Jacobus erat frater Domini, propter hoc adsignavit dicens, Fratrem Joannis. » Ubi hic *Majoris* cognomen? Isidorum fateor, contra nos stare. Sed Hispani patiantur, nos ab Isidoro tantisper recedere. De Lorino autem est, quod querar. *Græcos non moror.* Audax dictum! Quis enim nesciat, primos quos habemus, ecclesiasticos scriptores non Latinos, sed Græcos fuisse? Unde ergo, si Græcos contemnimus, traditiones probabimus? Quod si in aliis utimur Græcis, cur hic tantummodo eos censoria virga notabimus? Præterea non de aliquibus, sed de omnibus Græcis omnium omnino sæculorum, atque in ea quidem re, quæ ad Orientales spectat, sermo hic est. Quæ, et cujus, obsecro, Ecclesiæ traditio pondus deinceps habitura est, si adeo constantem Græcæ ecclesiæ traditionem deserimus? Natalis Alexander, qui Gallicanæ ecclesiæ de Areopagitæ Dionysii in Gallias profectione traditionem tantopere jactat; Hispani, quorum potissimum pro Jacobi Majoris, ut vocant, in Hispaniis prædicatione fundamentum est suæ Ecclesiæ traditio; Itali, qui peculiarium urbium martyres, Apostolos, episcopos vulgari suarum ecclesiarum traditione comprobant, ut nodum hunc solvant, etiam atque etiam rogo. Quid si, ut ostendimus, perpetua fuerit non Græcæ solius ecclesiæ, sed etiam Syræ, et retroactis sæculis Latinæ traditio, tres fuisse Jacobos? Sed de his satis.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

LIBER SECUNDUS

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

IN QUO THEODORETI, CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, ET ALIORUM PATRUM SENTENTIÆ AC TESTIMONIA DE EPISCOPO, ET PRESBYTERO DECLARANTUR, ILLUSTRANTUR ET AB CATHARORUM CALUMNIA VINDICANTUR.

CAPUT PRIMUM.

De Theodoreti sententia, et interpretatione Pauli. Illum videri non satis constare sibi. Ejus opinio perperam ab Salmasio accepta, et tricis atque involucris obducta panditur. Ejusdem Salmasii pugna secum. Episcopatum includere sacerdotium, sive presbyteratum: non tamen vicissim omnem presbyterum esse episcopum.

I. Nunc ad illa Salmasii convertendus animus est ac stylus, quæ de antiquorum aliquot opinione Patrum et Apostolicarum de episcopis ac presbyteris sententiarum interpretatione contra nos scripsit, Theodoreti, Chrysostomi, Hieronymi, et si quis alius est, quorum de controversia hac opiniones non satis probari mihi dixeram. Iste autem ut se ex iis salebris expediret, multum nugarum commentorumque in eum locum contulit. De Theodoreto primum agamus. Hic in commentario ad epistolam priorem *ad Timotheum*, ejusque caput tertium, ubi Paulus præcepta dat primum episcopo, deinde diacono, prætermissa mentione presbyteri, rationem hujus reddens, asserit « eosdem olim presbyteros appellatos, et episcopos. Quos autem episcopos hodie nominant, tunc Apostolos vocasse. Procedente deinde tempore, Apostolatus nomen iis, qui vere Apostoli dicti sunt, reliquerunt: episcopatus autem appellationem iis imposuerunt, qui quondam Apostoli nominabantur[a]. » In hoc Theodoreti loco dixi quædam parum videri scripta probabiliter[1]. Quod nondum Catharo Trapezitæ persuadere potui. Neque hoc valde miror. Qui enim hoc genio, et ea indole factus est, ut nihil cohærens, nihil consentaneum loquatur, aut scribat unquam: sed in omnibus fœde a se ipse dissideat, et contraria invicem, ac pugnantia proferre soleat, frustra hoc ab illo exigas, ut quæ dissona sunt, aut consequentia discernat. Sed jam manu sic eum deducam, ut quod videre se negat, id videat, si quibus ista videntur oculis, eos habeat, καὶ εἰ μὴ λῆμα̃ κολοκύνθας. Theodoreti sententia et interpretatio Pauli.

II. Age enim cum ita scribit Theodoretus. « Olim eosdem vocabant presbyteros, et episcopos: qui autem nunc nominantur episcopi, eos appellabant Apostolos: » vox *olim* nonne tempus illud significat, quo vivebant Apostoli, et Paulus illa scribebat? Non negat Catharus. Jam hoc etiam fatebitur, episcopi et presbyteri nomina dupliciter usurpari: ut non eodem modo Theodoreti tempore, atque *olim* accepta sint, Apostolo vivente, ac scribente. Nam sub Apostolis ejusdem dignitatis appellationes erant. Ea porro dignitas vel episcopalis fuit, qualis Theodoreti sæculo, ac deinceps exstitit, et hodieque perseverat; quæ summum in eccle-

a Theodor. Ἀλλ', ὅπερ ἔφην, τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ Πρεσβυτέρους, καὶ Ἐπισκόπους· τοὺς δὲ νῦν καλουμένους Ἐπισκόπους, Ἀποστόλους ὠνόμαζον. τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος τὸ μὲν τῆς Ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς Ἀποστόλοις κατέλιπον· τὴν δὲ τῆς Ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν.

1 Lib. I *Dissert.* cap. I.

siastica Hierarchia gradum obtinet, et a presbyteratu simplici diversum; qui episcopatu inferior est. Vel hic ipse presbyteratus ordo simplicis, episcopatus quoque nomen obtinuit. Qui autem Theodoreti tempore episcopi vocabantur, in primo videlicet gradu constituti; eos olim Apostolos fuisse dictos testatur idem.

Ecquis ergo consequens esse non videt, ut, ex mente Theodoreti, *olim*, id est, Apostolorum sæculo, *Episcopi* vox *Presbyterum* significaret simplicem; non episcopum, cujusmodi præ oculis Theodoretus habebat? Huic enim nomen impositum erat Apostoli. Atque hoc Salmasius diserte scribit. « Nusquam enim, inquit, ille prodidit episcopos istos, qui et presbyteri vocantur apud Apostolum, summum gradum tenuisse. » Si olim *episcopi* vox simplicis *presbyteri* nomen fuit, ut opinatur Theodoretus, non eadem notione sumebatur, ac postea Theodoreti tempore. Atqui ex ipsius confessione Theodoreti paulo post ostendetur, episcopum a Paulo usurpari de summa dignitate, quæ sit presbyteratu simplici major. Igitur si Apostolo vivente iidem et episcopi vocabantur et presbyteri : sequitur utrumque vocabulum attributum fuisse summo gradui et ordini. At ex adverso Theodoretus utrumque tunc nomen ad secundum gradum restrictum fuisse significat, qui est simplex presbyteratus.

III. Justa ergo de Theodoreto quærendi ac dubitandi causa fuit : immo conflictus illius notandi, quo secum et cum Apostolo pugnat. Uno verbo : cum scribit Theodoretus, olim nomina hæc duo, *Episcopi*, et *Presbyteri*, iisdem imposita fuisse, vel sic intelligendus est, ut dicat, secundi ordinis sacerdotes vocatos esse tam episcopos, quam presbyteros, vel sic, ut primi ordinis sacerdotes utroque illo nomine designatos fuisse velit. Hoc nemo nisi Salmasius, aut Σαλμασιοειδὴς inficiari poterit.

Salmasioides.

Ambigua Theodoreti opinio, quæ explicatur.

Quocirca jure a nobis de Theodoreti mente quærendum fuit, quæ in tam ancipiti significatione nominum nonnisi ambigua videri potuit. Et quamvis exerte explicateque doceat, secundi duntaxat ordinis sacerdotes ab Apostolo duplici illo nomine vocari, episcopi, ac presbyteri; tamen ex oratione sua, et Apostoli testimoniis, quæ ad probandam opinionem suam attulit, eorumque, quam affert, interpretatione imprudens agnovisse convincitur, presbyteros, quos et episcopos appellavit idem Apostolus, primi ordinis extitisse, quales consequens ætas proprie nuncupavit episcopos. Etenim, qui episcopi simul, et presbyteri intelliguntur a Paulo capite tertio prioris *ad Timotheum*; iidem sunt prorsus, quos *Actor.* xx, idem Paulus duplici hac appellatione designat, ut Theodoretus in commentario ad primum caput epistolæ *ad Philippenses* asserit. Atqui ex eodem Theodoreto colligitur, presbyteros illos, et episcopos, qui in *Actis* ita vocantur, veros episcopos fuisse, primique ordinis et gradus Sacerdotes, *quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere, vel pascere*, ποιμαίνειν, *Ecclesiam Dei* [a]. Nihil enim aliud videntur esse Theodoreto primi ordinis, ac veri episcopi, quam rectores Ecclesiæ, ac Dominici gregis pastores.

IV. Velut etiam cum Apostolus in illo loco primæ *ad Timotheum*, episcopos iisdem lineamentis designat, ut Ecclesiæ præsint, tanquam rectores, et moderatores. Idque ex illa similitudine colligitur, quam ibi posuit, cum inter alias idonei episcopi dotes hanc præscribit, *suæ domi bene præpositum.* Ex quo deinde ratiocinatur ita : *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam* (id est *curam*) *habebit* [b]? Ubi comparatio quædam instituitur, ac proportio inter domum, sive familiam privatam, et domum Dei, quæ est Ecclesia, tum inter utriusque præpositos, hoc est patremfamilias, et episcopum. Ut igitur paterfamilias suæ domui præest, ejusque rector ac moderator, et caput est, non herili, sed liberali imperio, ac potestate; sic episcopus Ecclesiæ, quasi cuidam Dei familiæ, ac domui, præpositus est. Quæ potestas ab Apostolo his vocabulis exprimitur, προστῆναι, ἐπιμελεῖσθαι, ποιμαίνειν, οἰκονομεῖν, quæ sunt, *præsse, curam gerere, pascere, dispensare.* Quod postremum exstat in epistola *ad Titum. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem* [c].

a Act. xx, 28. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ.

b I *Tim.* III, 5. Εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας θεοῦ ἐπιμελήσεται;

c Tit. I. Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι, ὡς θεοῦ οἰκονόμον.

Œconomus. Sed et οἰκονόμος figurate ab Christo vocatur Ecclesiæ præfectus [1]. Tales etiam sunt, quos in epistola *ad Hebræos* Apostolus ἡγουμένους nominat [2], hoc est *præpositos*, quos Theodoretus προστατεύοντας interpretatur [3]. Certe Chrysostomus de episcopis loquens, eorumque functionem, et gestionem describens, eam nominat προστασίαν, et οἰκονομίαν in homilia LXX, tomi quinti, quæ est *de S. Ignatio* episcopo Antiocheno. Quocirca, cum hoc Theodoretus presbyteris illis a Paulo nominatis tribuat, ut et episcopi sint, et οἰκονόμοι, nonne ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν iisdem tamquam functionem propriam assignat? *Episcopalem Dispensationem.* Atqui hanc ipsam ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν notam, et characterem constituit veri episcopatus, qui in primo gradu collocatur; quod inde constat.

V. In commentario ad caput tertium primæ *ad Timotheum* scribit eos, qui primi ordinis sunt sacerdotes, et episcopi ætate sua dicebantur, olim Apostolorum tempore non episcopos vocari solitos, sed Apostolos, ut Titum, et Timotheum, et Epaphroditum; qui cum veri essent episcopi, non episcopi, sed Apostoli nuncupabantur. Porro de iisdem loquens in commentario ad caput primum epistolæ *ad Philippenses*, ac nominatim de Epaphrodito, quem Paulus diserte nominavit Apostolum [4], « Manifeste, ait, docuit, episcopalem dispensationem ei fuisse creditam, cum appellationem haberet Apostoli. [a] » Ecce veri et summi ordinis episcopi, qui tunc vocati sunt Apostoli, propriam et peculiarem hanc habebant administrationem, quam vocat ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν. *Episcopalem œconomiam.* Ergo et presbyteri illi, atque episcopi in epistolis *ad Titum et Timotheum* ab Apostolo nominati, eademque nota et functione præditi, ut testatur Paulus, adstipulante Theodoreto, prorsus veri episcopi fuerunt, et in primo gradu reponendi. Dissentit igitur a seipso Theodoretus, et contra atque ex ejus sermone colligitur, verbo asserit episcopos et presbyteros apud Paulum pro secundi ordinis accipi sacerdotibus. Quinetiam ad illa verba Pauli: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere*, etc. Presbyterum videri potest pro summo ordine, id est episcopo sumpsisse. Sic enim rationem illius Apostolici mandati reddidit: « Contigit enim ipsum Ecclesiæ præfecturam gerentem peccantes aliquos offendere: ob idque nonnullos infesto in illum animo calumniam machinari [b].» Cum ergo προστασία τῆς ἐκκλησίας, ut paulo ante diximus, pro episcopatu ab Chrysostomo sumatur, verisimile est ex aliis ejusdem Theodoreti locis, quæ attulimus, presbyterum ibi primi ordinis sacerdotem intellexisse. Quas omnes ob causas scripseram, non satis consentaneum sibi videri Theodoretum.

VI. At Salmasius, dum propositam a me quæstionem eludere, ac Theodoretum explicare studet horrendum in modum et se ipsum, et Theodoretum implicat; ac per anfractus et circuitus orationem contorquens, cum multum loquatur, nihil omnino dicit. Quid autem homine hoc facias, qui eadem de re ait, ac negat; et secum magis, quam cum adversario tumultuatur, ac rixas agit? Hoc igitur in loco, et in Theodoreti exponenda sententia sic a seipso dissidere dico Salmasium, ut cum Theodoretum propugnandum susceperit, ejusque, contra quam fecimus, interpretari sententiam velit, duo illi affingat contraria, invicemque pugnantia. Nam et ab eo constitui ait episcopos et presbyteros ab Apostolo memoratos in secundo gradu, proque simplicibus haberi sacerdotibus; et hos ipsos nihilominus asserit ab eodem Theodoreto primo in gradu collocari.

Pagina 32 *Dissertationis*, Messaliano-Salmasius asserit Theodoretum, cum ait, « eosdem tunc appellatos esse episcopos, et presbyteros, non aliam tunc subjectam notionem utrique nomini fuisse, quam nunc est. Nec aliter, inquit, eas voces sumpsit Theodoretus, quam quomodo sua ætate accipiebantur. Quid igitur opus quasi in re incerta et ambigua dubitare, ac titubare? » Vide ergo quid ex eo sequatur. Ætate Theodoreti ea notio erat *Episcopi*, ut primi, summique ordinis sacerdotium significaret: quod hodieque perseverat. *Presbyteri* autem vocabulum secundi erat ordinis, hoc est sacerdotii simplicis. Igitur, ex opinione Cathari, Theodoretus putavit, Apostolorum tempore, atque a Paulo ipso nomina hæc sic usurpata esse, ut *Episcopus*, summum antistitem, *presbyter*, sacer-

a THEODOR. Σαφῶς τοίνυν ἐδίδαξεν, ὡς τὴν ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν αὐτος ἐπεπίστευτο, ἔχων Ἀποστόλου προσηγορίαν.

b THEODORET. ad I *Tim.* cap. V, ver. 19. Συμβαίνει γὰρ ἐκκλησίας ὑτὸν απροστασίαν πεπιστευμένον, καὶ λυπῆσαι τῶν ἁμαρτανόντων τινὰς, εἶτα ἐντεῦθεν ἐκείνους δυσμενῶς διατεθέντας συκοφαντίαν ὑφῆναι.

1 *Luc.* XII, 41. — 2 *Hebr.* XIII, 7, 17, 14. — 3 Com. *ad Hebr.* XIII, 14. — 4 *Phil.* II, 25.

dotem simplicem significaret. Quod aperte est falsum. Nam non diversa, sed una, et eadem notione ambo illa nomina Theodoretus accepit, cum scripsit, olim eosdem et presbyteros vocatos, et episcopos : idque postea mutatum fuisse. Quinetiam rationem adjicit [1], cur non possint *Episcopi* vocabulo apud Paulum intelligi primi ordinis, ac veri *Episcopi*, nempe quod plures in una ecclesia presbyteros, et eosdem episcopos fuisse demonstrat : non possunt autem plures esse in eadem urbe, et ecclesia vere ac proprie dicti episcopi. Unde planum est, Theodoretum episcopi nomine simplicem a Paulo designari putasse presbyterum.

Salmasii pugna secum.

VII. Nec longe postea Salmasius, imo in eadem pagina, prius illud rescidit, et contrarium ei statuit : *Episcopi et Presbyteri* vocabula non duos significare, sed unum tantum ordinem, eumque cujusmodi Apostolorum ætate fuit, videlicet summum, in quo veri sunt episcopi. Atque in me propterea impotentius effervescit, quod inquirendum putaverim, « utrum episcopi nomine intellexerit Theodoretus eum, qui sic hodie vocatur; an presbyterum eo sensu, quem hodierna novit Ecclesia ; cum scire debuerim, utriusque appellationis eamdem vim, potestatem, dignitatem, ac functionem fuisse. » Mox : « In synonymia, inquit, harum duarum vocum, cum idem utraque sonet ac valeat in Apostolorum scriptis, et ejusdem personæ utraque munus eorum temporibus designaverit, qui tibi libet quærere, an alterum significaverit quæ utrumque significavit? » Hic episcopum et presbyterum de uno eodemque gradu apud Apostolum interpretari vult, qualis erat, cum Paulus ista scriberet, nimirum ut ambo summum designarent Ecclesiæ præsidem. In quo superiora illa sua refellit, et a Theodoreti sensu nihilominus aberrat. Tandem pag. 48 at 49, utrumque a se positum retexit, et aliter Theodoreti mentem explicat, asseritque, « Apostolos episcopali gradu fuisse præditos ; episcopos vero pro sacerdotibus secundi ordinis habitos.» In quo, fatetur « ita sentientem Theodoretum cum Apostolo pugnare. Sed falsum esse, *quod dixeram*, a seipso dissentire. Nusquam enim ille prodidit, episcopos istos, qui et presbyteri vocantur apud Apostolum, summum gradum tenuisse. » Vides balbutiem hominis, ac desultoriam levitatem.

VIII. Cum hæc unus omnia dicat Salmasius tam dissona, tamque invicem abhorrentia; tum in eo potissimum illius hæret, habitatque disputatio, quod secundo loco dictum ab illo posui, et quod ejusmodi esse dicit, ut, «si sic Theodoretum interpretemur, ut omnino necesse est, tum locus, qui *mihi* videbatur prorsus inextricabilis, omnino extricetur. » Videamus, id cujusmodi sit. Profecto meras tricas, et labyrinthos, ac bonæ sanæque mentis inanes gerras, et offutias audiemus. « Episcopus, inquit, ac presbyter unius atque ejusdem curationis et functionis nomina fuere synonyma sub Apostolis, quam eadem persona sustinebat. Diversa tum erant unius rei, et officii nomina in eamdem personam congruentia. Postea divisa sunt munia, et officia, et in duos distributa, quæ unus gerebat. Sic etiam distincta nomina sunt, quæ rem unam, et unum munus antiquitus designabant. Ita alius factus est episcopus, alius presbyter, cum olim unus et idem esset presbyter, et episcopus. Cum igitur doceat Theodoretus, olim eosdem vocatos esse presbyteros, et episcopos, stultum est quærere, utrum episcopum intelligi oporteat, qui hodie ita vocatur; an ista duo vocabula, episcopus et presbyter, eum significent, qui nunc presbyter solet vocari. » Atqui tantum abest, ut hoc pacto Theodoreti locum extrices, ut impediorem reddas, et affingas illi eorum, quæ scribit, sentitque, contraria.

IX. Nam Theodoretus, quod nemo, qui attente legerit, in dubium vocet, quos Apostolus promiscue episcopos et presbyteros appellat, eos ipsos putat non primi ordinis fuisse sacerdotes, quos sua ætate proprie ait episcopos vocari, et quales ad hanc diem in Ecclesia perseverant, sed inferioris, ac secundi, ut paulo ante probavimus, et tute ipse fateris. Quod si est ita, falsum est quod ait, Thodoretum existimasse, episcopi, et presbyteri nomine tam episcopum verum, ac primi gradus, quam presbyterum secundi intellexisse Paulum. Quod et pessime argumentando sic conaris ostendere : « Si illa duo quippe vocabula Apostolicorum temporum, quæ unum, idemque denotabant officium, appellationes fuisse dicamus unius illius presbyteri, qui nunc sic vocatur, et post episcopum secundas obtinet ; ex eo sequitur, nullos Apostolica tempora novisse episcopos, sed solos presbyteros, quales hodie sunt, in se-

[1] Theodor. in cap. I *ad Phil.* et cap. I *ad Tit.*

cundo ordine positos. Sin vero episcopi nomine, antiquo et Apostolico intelligamus ejus generis episcopum, qualis hodierno tempore notus est; ex eo consequenter dicetur, nullum fuisse Apostolorum ævo presbyterorum ex illo genere, qui nunc in ordine constituti sunt. Atqui certum est, eo tempore cum episcopi, tum presbyteri nomina in usu fuisse. At ergo diversorum munerum appellationes fuere, aut unius et ejusdem. At constat, unius et ejusdem cum muneris, tum personæ fuisse nomina, quæ postea factæ sunt duorum munerum, et duarum personarum diversæ appellationes. Aut igitur, cum Apostoli vivebant; inania illa nomina sine re fuerunt; aut presbyter ac episcopus in una persona ex vero fuit, qui nunc est verus in duabus diversis personis. Concludamus itaque, non horum alterutrum existimasse Theodoretum, necesse esse, sed utrumque. » Hæc Salmasius, quæ si vel ipse, vel quisquam alius capere potest, ego me victum fatebor.

X. Enimvero talia ista sunt, quæ ad extricandum Theodoreti locum attulit, ut ab omni destituta sensu, impediant magis et irretiant lectorum animos. Vide enim, quanta sub illis portenta lateant. Duo illa, quorum alterutrum dici a Theodoreto necesse esse scripseram, cum ait: *Olim eosdem presbyteros appellatos, et episcopos*, hujusmodi sunt: aut episcopum eum, qui primi ordinis est et gradus, etiam presbyterum ab Apostolo vocari, ita ut vocabula ista unum illum significent primi ordinis sacerdotem; aut episcopum et presbyterum nominari unum et eumdem sacerdotem, qui est secundi ordinis. Salmasius utrumque ait existimasse Theodoretum, non horum alterutrum. Igitur ab Apostolo credidit eum nominari episcopum et presbyterum, qui primi esset, ac secundi ordinis. In quo primum habet contradicentem Theodoretum, qui scribit, Apostolorum tempore, cum iidem vocarentur episcopi et presbyteri, eos, qui nunc episcopi nominantur, non episcopos appellari solitos, sed Apostolos; postea vero nomen Apostolorum relictum esse veris proprieque dictis Apostolis; eos autem, qui hactenus dicebantur Apostoli, et primi erant ordinis sacerdotes, nuncupari episcopos cœpisse, quod ipsum ætate perseverasse sua significat. Tum addit ad illud probandum, non posse veros episcopos intelligi ab Apostolo, quos episcopos pariter et presbyteros appellat, quia in una civitate plures esse nequeunt episcopi; at Paulus in una plures fuisse demonstrat. Quin et Salmasius ipse, quod jam dixi, Theodoretum fatetur *Episcopos affirmare pro secundi ordinis sacerdotibus apud Apostolum haberi*, in eoque *cum Apostolo pugnare;* non tamen secum, quia nusquam aliter sentit. Qui hoc dicit, profecto, si quod dicit, intelligit, non potest arbitrari, utrumque velle Theodoretum, ut Apostolus episcopi nomine verum episcopum significet, et presbyteri nomine verum item, simplicemque presbyterum, hoc est τοὺς νῦν, ut ille loquitur, et quales erant *ipsius ætate;* et tamen ambobus istis nominibus solos ordinis secundi sacerdotes expresserit. Hæc enim ἀσύστατα sunt, et se mutuo collidunt.

XI. Ac si paulo attentius, quam fecit ipse, Cathari verba, et propositum, ac progressum argumentationis inspicias, simile quiddam in iis ostenti reperies. Etenim cum adversum nos ista scriberet, eum opinor, quæ a nobis erant posita, oppugnare, ac convincere voluisse. Nostra porro sunt hæc. Aiebamus, Theodoretum, cum olim episcopos ac presbyteros eosdem vocatos ab Apostolo scribit, vel episcopos intelligere in primo gradu sacerdotii positos, quales erant ætate Theodoreti; ut hos ipsos promiscue episcopos et presbyteros dici a Paulo crediderit; vel utroque vocabulo intellexisse secundi ordinis sacerdotes, cum, qui in primo ordine censentur, Apostoli ante, ac Paulo vivente, nominati fuerint, nondum episcopi; quod nomen postea sunt adepti. Salmasius ex adverso contendit, non *horum duorum alterum existimasse, sed utrumque.* Hoc vero nihil aliud est dicere, nisi Theodoretum putasse, episcopos, qui apud Apostolum nominantur, episcopos fuisse, et non fuisse episcopos; item presbyteros fuisse, et non fuisse presbyteros. Etenim duo illa membra nostræ disjunctionis opposita invicem, et contraria sunt; quorum prius episcopus continet, qui in primo gradu sunt, hoc est non simplices sacerdotes; qui quatenus presbyteri vocati sunt, hæc ipsa *presbyteri* vox, non simplicem, sed primi perinde gradus sacerdotem designat; posterius vero simplices tantummodo sacerdotes, sive presbyteros secundi gradus, non autem primi, id est proprie dictos episcopos complectitur. Quocirca Salmasius, qui utramque divisionis partem copulat, et a Theodoreto simul affirmari statuit, hunc illi putidum, barbarumque sensum opinionis affingit, ut ab Apostolo nominatos episcopos existimet veros fuisse, et non fuisse veros, id

est primi gradus et ordinis episcopos; itemque simplices fuisse, et non fuisse simplices presbyteros.

XII. Nam ut si dicenti cuipiam Socratem vel esse ratione præditum animal, vel irrationale, contradiceret, non alterutrum esse, sed utrumque asserens; is Socratem et hominem esse diceret, et non esse hominem; esse rationalem, et non esse; quoniam in utraque specie inest alterius negatio. Sic in nostra disjunctione, quandoquidem duæ illæ velut oppositæ ponuntur species, episcopus primi ordinis sacerdos, sive non simplex presbyter, et sacerdos, sive presbyter simplex, ac secundi ordinis, non primi; qui commemoratos ab Apostolo episcopos et presbyteros non unius definiti gradus, sed utriusque fuisse vult, hic in illud incurrit absonum, et inextricabile, quod dixi. Ac licet episcopus verus etiam sacerdos sit, non tamen est simplex; sacerdos enim simplex non est episcopus. At in nostra divisione non episcopo præcise sacerdos opponitur, sed idem qua simplex est; quemadmodum sub eodem animalis genere homini brutum opponitur, non qua animal est, ac sensus particeps, sed quatenus irrationale est. Hæc si discernere ipse propter judicandi ratiocinandique inscitiam non potest, adhibeat, quos volet, ex amicis dijudicandi peritos; nihil hic a me callide, ac sophistice esse positum inveniet; sed aperte, plane, sine fuco et fallacia, quod ejus verbis, ac decretis consentaneum sit, esse conclusum.

Æquivocatione. XIII. Ac ne fortassis erret, et in ὁμωνυμίᾳ vocum latebram quærat, scire volo lectorem meum, vel potius recordari, quod antea scripsi πρεσβυτέρου vocabulum dupliciter usurpari: primo ut sit honoris, ac dignationis vox, in hunc usum et significationem ab ætate translata: deinde ut certi ordinis et gradus ecclesiastici propria sit. Priore modo cum est accepta, cum summo gradui tributa est, imo vero quando huic cum secundo communis fuit; ut tam episcopi, quam simplices sacerdotes presbyteri vocarentur, quod etiam post Apostolorum tempora perseveravit. Posterior vero modus tandem invaluit, ut presbyteri soli simplices appellarentur sacerdotes, qui episcopi non erant; ac tum communis utrique ordinis nomen non presbyteratus, sed sacerdotium esse cœpit. Jam vero in hac nostra controversia dum quæritur, iidemne fuerint Apostolorum ætate presbyteri, et episcopi, non de solis vocibus agitur. Siquidem extra controversiam est, presbyteros et episcopos passim vocatos esse summi, atque primi ordinis sacerdotes. Sed de ordinibus ipsis, et gradibus inquiritur, quocumque tandem vocabulo designati fuerint. Itaque, cum in disceptationem ambo illi gradus veniunt, et presbyterum ab episcopo discernimus, presbyterum simplicem sacerdotem intelligimus, et hujusmodi, qui non sit episcopus, hoc est qui sic in primo gradu censetur, ut in secundo neutiquam habeatur; non quod sacerdos et ipse non est, sed quia non est sacerdos simplex. At presbyter in hac disputatione non universe sacerdotem significat, sed simplicem, et qui non est episcopus. Inest igitur in alterutro remotio quædam alterius, ac negatio.

Presbyteri.

CAPUT II.

De episcopo rursus, ac presbytero; quomodo hic in illo contineatur, et quatenus invicem distent. Salmasii in eo falsa ratio. De Theodoreto rursus agitur quem iste explicare studens intricat. De Apostolis Judaicis, et secundi ordinis post majores ab Christo institutos. Epaphroditus quo sensu Apostolus dicatur a Paulo.

I. Hoc vocabuli *presbyteratus* animadverso usu, ac discrimine, tota Salmasii contentio in fumos, ac ventos abibit. Cujus illud imprimis confutatum jam a nobis est, quod in eadem episcopi persona diversos ordines intelligere, ac distinguere nequiverit; sed quod in unum convenirent, idcirco unum et eumdem ordinem per se omnes esse crediderit. « Diversa tum erant (ait in eo dissertationis loco, ex quo priora illa citavimus) unius rei, et officii nomina in eamdem personam congruentia. Postea divisa sunt munia et officia, et in duos distributa, quæ unus olim gerebat. Sic etiam distincta nomina sunt, quæ rem unam, et unum munus antiquitus designabant. Ita alius factus est episcopus, alius presbyter, cum olim unus, et idem esset presbyter, et episcopus. » Possunt ista vera esse, si ad eam formulam exigantur, quam paulo ante posui. At ex Salmasii instituto, et scopo falsa sunt. Presbyteri vox, si honoris ac dignitatis est, unius ejusdemque rei, et officii nomen esse potuit, hoc est episcopalis, ac primi ordinis; *Quomodo presbyter in episcopo contineatur, et quatenus invicem distent.*

quanquam subinde cum secundo ordine communicatum est. Sin est, ut omissa verbi controversia de re ipsa loquimur, tres in Ecclesia, dico, ex Apostolica, divinaque institutione, primarios esse ordines sacros; diversos invicem, et separabiles, sive reipsa, et *actu*, ut loquuntur, disjuncti sunt, sive in unam, eamdemque personam simul omnes confluunt. Ex quibus totidem hierarchici, et ecclesiastici βαθμοὶ, id est *gradus* constituti, episcopus, presbyter, et minister. Episcopus omnes in se, uti dictum est, ordines continet, hoc-est sacramentum, et characterem in se habet inferiorum omnium. Peculiarem tamen βαθμὸν, id est *gradum*, et *ordinem*, qua *ordo* non sacramenti, sed gradus, et partis appellatio est, occupat. Non enim secundi gradus, aut tertii dicitur episcopus, sed primi; quamvis eminentia quadam dignitatis, et δυνάμει (*Virtute.*) cæteros complectitur. Ita presbyter inferiores comprehendens, secundi proprie ordinis esse dicitur, non primi, quia non est episcopus; non tertii, quia, etsi hujus sacramentum et characterem continet, non tamen solum.

II. Quam ad rem explicandam non minus aptum, quam usitatum exemplum de viventium genere petitur. Tres enim gradus sunt τῶν ἐμψύχων, id est *animatorum*. Primus et infimus est eorum, quæ nonnisi vegetantia sunt, ut stirpes. Secundus est sensu præditorum. Postremus et summus est eorum, quæ rationem habent, ut sunt homines. Horum si quis absolute requirat, quis in secundo gradu sit, nemo esse dicat hominem; nam etsi sensu et ipse pollet, non tamen solo eo censetur. Quoties autem tres illæ viventium species inter se comparantur, excludunt se mutuo, et εἰδικαῖς διαφοραῖς, quas *specificas differentias* dialectici nominant, a se invicem separantur. Ita fit, ut *sensum habens*, quod est τὸ αἰσθητὸν, qua est in homine, cum ratione conjunctum, implicatumque sit; ut autem in brutis inest animantibus, ἄλογον sit, id est *rationis expers*. Ita secundus gradus *sentientibus* constat, non præcise, et absolute, sed quatenus ratione carent. Eodem modo episcopus et presbyter, qua graduum nomina sunt, invicem distant. Ac licet, quod in simplici est sacerdote, id est presbytero, id episcopatui insitum sit, nimirum sacerdotium ipsum, et in utrumque Christi corpus, verum, et mysticum; ordinis potestas (ut vulgo loqui solent) non est tamen *una res, et officium unum*, nisi κατὰ τὸ ὑποκείμενον, hoc est *subjecto*, et quod dici consuevit, *materialiter*, cum *formaliter*, (ut scholæ itidem usurpant, Græci vero, τῇ ἐπινοίᾳ, vel λόγῳ, id est *ratione*.) differant etiam in una, et eadem episcopi persona. Ex quo Catharus vapulat, qui sic de illis ordinibus loquitur, tanquam nihil præter munia quædam externa sint, et gestiones, sive curationes, quæ pro libitu modo uni plures, modo singulis singulæ mandantur. « Ita alius, inquit, factus est episcopus, alius presbyter, cum olim unus, et idem esset, presbyter, et episcopus. »

III. Homo minime malus, quod apud Catharos, et Calvinianos suos fieri vidit, et cui insuevit a puero, idem in catholica, et antiqua Ecclesia factum credidit. (*Salmasius deridetur.*) Illic enim ex sartore, aut veteramentario, vel fartore, cetario, aut vili quopiam opifice repente fit episcopus, quem *superintendentem* vocant; vel πρεσβύτερος, id est *senior*, aut *antiquus*, *et momento turbinis exit Marcus Dama*. Mox si sic visum erit, in ordinem cogetur, et ab hac curatione detractus, redibit ad pristinum. Ejusmodi ergo Salmasius negotium putat fuisse vetere in Ecclesia episcopatus, ac presbyteratus. Hinc fatua et ridicula ista comparatio, quam ad mentem suam explicandam adhibet: « Obvio exemplo id comprobemus, inquit. Hodie officium est, quod qui gerit, aquarum et saltuum magister nuncupant. Unus idemque has duas habet provincias, aquariam, et saltuariam. Si duæ fiant, ac dividantur, ut uni tribuatur aquaria, alteri saltuaria, efficientur duo officia separata, unum curatoris aquarum, alterum curatoris saltuum. Nunc duo sunt diversa munia episcopi et presbyteri. Ad episcopum ordinatio proprie pertinet. Ad presbyterum alia munia ecclesiastica. Olim unus hæc omnia obibat, qui et episcopus, et presbyter simul appellabatur; quia scilicet agebat unus, quæ duo nunc faciunt, sub diversis appellationibus. » Quam belle inter se ista congruant, ex eo potest intelligi. Sic idem est curator aquarius, et saltuarius, quomodo est idem falsamentarius, exempli causa, et *superintendens*, sive *antiquus* in Calviniana parte. Utrobique duo illa sic in unum caput coeunt, ut a se divelli mutuo possint, neque necessario conjuncta sint. At episcopalis ordo sine sacerdotali ordine ac sacramento esse nequit; quo in sacramento presbyteratus natura, et οὐσία consistit; quamvis sine episcopatu presbyteratus, et sacerdotium constet. Non est igitur eadem ratio episcopi, ac presbyteri, quæ *Curatoris aquarii, et saltuarii*. Nam hæc duo, postquam divisa fuerint, non sunt invi-

cem conjuncta, quia neutrum in alterutro necessario continetur.

IV. Ad summam falsum est, quod Catharus iste Calvinianæ sectæ innutritus, ac dogmati, nihil esse putat aliud episcopatum, et presbyteratum, præter munia quædam externa, et officia; quæ pro hominum arbitratu in eumdem hominem conferri, vel in plures dividi possunt. Demonstratum enim est superiore in libro, capite tertio, duos illos ordines ex instituto Christi, ac jure divino esse diversos (tametsi in majore comprehendatur minor) et utrumque præter externum munus, et ministerium, internum quoddam habere sacramentum, et characterem, qui nullo scelere, ac pravitate deleri potest, ut ordinari de integro necesse sit; quod perinde in Ordinis, atque in Baptismi sacramento fieri, ex Augustino illic ostendimus. Non est igitur arbitraria utriusque functio, οὐσιώδης illa et διακριτικὴ, cujusmodi in episcopo est *ordinatio*, et χειροτονία, quam nemo sine episcopali consecratione nec administrare debet, nec potest. In sacerdote vero tam simplici, qui proprie presbyter dicitur, quam cum episcopatu conjuncto, ipsa Dominici corporis ac sanguinis est confectio, necnon peccatorum reconciliatio, quantum ad eam, quam vocant, ordinis potestatem attinet.

Essentialis.

Discernendi vim habens.

V. Redeo jam ad Theodoretum, in quo extricando tricatur, et nugatur Salmasius. Scripsit ille, Apostolorum ævo episcopi, ac presbyteri nomina uni et eidem attributa esse ordini, et gradui, qui secundus fuit, hoc est presbyteris simplicibus. Quod necessariis argumentis antea probavimus, et fatetur ipse Salmasius; qui hac ex parte repugnare illum Apostolo dicit; ac me adeo reprehendit, quod utrumque vocabulum pro summo gradu positum ab Theodoreto scripseram. Non negabit igitur Salmasius, Theodoretum in commentario ad caput tertium prioris *ad Timotheum*, affirmare, olim episcopos et presbyteros appellatos esse sacerdotes secundi gradus, non autem primi. Qui autem primo in gradu locabantur, et episcopi postea proprie vocati sunt, eos tunc Apostolos nominatos fuisse scribit idem Theodoretus. Quod si quispiam diceret, hunc ipsum episcopos, et presbyteros putasse olim vocatos primi ordinis sacerdotes; ex adverso illud objeceram, nihil jam relinqui Apostolorum vocabulo, quo eos nominari solitos scripsit, qui in primo erant gradu, et episcopi postea sunt dicti. Quod sane est invictum argumentum, quo efficitur, Theodoretum solos secundi ordinis sacerdotes existimasse nuncupari a Paulo presbyteros, et episcopos.

VI. At Salmasius et sui, et Theodoreti, et communis sensus oblitus, illud opponentibus nobis ita respondet, tanquam Theodoretus arbitretur Apostolos, episcopos, et presbyteros unum et eumdem significare primum ordinem et gradum. Rem incredibilem, et stuporis inauditi illius verbis exponam. « Pro Theodoreto nos tibi respondebimus, inquit. Sane voluerit ille, etiam episcopos, et presbyteros appellatos esse, qui nunc episcopi sunt, omnium ordinum primates. Quid inde absurdi consequetur ? » Quæris, quid ex eo sequatur absurdi? Hoc videlicet; quod a seipso turpissime dissideat; quod contraria dicat, et repugnantia; quo nullum absurdum majus, aut indignius homini bene sano et sapienti potest objici, cujus tu quidem vitii sensum ac pudorem propter assiduitatem jam in teipso capere desiisti. An tu negare potes, Theodoretum ita scripsisse, sacerdotes primi ordinis, qui episcopi postea nominati sunt, olim, id est Pauli ætate, vocatos esse Apostolos; episcopos autem, et presbyteros, qui in sacerdotio secundas tenebant? Nonne de episcopis et presbyteris tute illud ipse scripsisti? Quorsum igitur attinet probare, eosdem et Apostolos, et episcopos, et presbyteros ex Apostoli, et Theodoreti mente tum exstitisse ? Quid ista sibi vult ἀλογία, et colluvies orationis? Num vero dubium est cuiquam, an Apostoli Christi, episcopi omnes, et presbyteri fuerint? Aut non sæpius decantatum illud est, inferiores omnes ordines in summo comprehendi? Itaque, quod in illo demonstrando operam posuisti, hoc unum assecutus es, ut et frustra laborares, et teipsum refelleres, ac mentitum in aliis esse monstrares.

Salmasius Theodoretum explicare volens, intricat.

Absurditas.

VII. At etiam quod scribit Theodoretus, « Qui nunc vocantur episcopi, eos olim Apostolos esse dictos, » quam est Catharus absone interpretatus, et inepte! Hoc enim sensu dictum esse vult : Olim episcopos, quales Theodoreti sæculo, et hodieque sunt, qui singuli singulis præsunt ecclesiis, ignotos Apostolorum tempore fuisse. « Hæc mens est, inquit, Theodoreti : qui nunc sunt episcopi cum potestate et auctoritate supra presbyteros eminente, non tunc fuisse Apostolis notos, cum episcopi iidem et presbyteri essent, ac dicerentur. Episcopos enim illos, presbyterosque simul dictos, quales olim constituebant in singulis civitatibus Apostoli, pares

inter se omnes fuisse, neminem superiorem agnovisse. Eos igitur, qui nunc sunt episcopi cum hac præeminentia supra presbyteros, olim Apostolos esse nominatos.» Mox Apostolos ait esse duum generum; alios primos, secundos alios. Illi ab Christo missi et electi; secundi ab ipsis Apostolis. Qui, prout necesse videbatur, varias illos in provincias, civitatesque mittebant, ad constituendas, vel ordinandas ecclesias. Neque vero certis illi sedibus, aut ecclesiis erant affixi, sed huc illucque destinabantur, ac totis provinciis ad præstitutum tempus præerant: quales fuere Timotheus, Titus, Linus, Clemens. Omnes enim isti συνεργοὶ, et *adjutores* verorum fuere, ac summorum Apostolorum; ac presbyteros, et eosdem episcopos ubique constituebant pari omnes potestate præditos, eaque non simplicium presbyterorum potestatem, ac jurisdictionem exercebant Apostoli secundi ordinis; quos idcirco Theodoretus ait, cum Apostoli tunc nominarentur, postea episcopos esse dictos. Hanc secundorum, et vagantium, nec hærentium usquam Apostolorum fabulam superiore libro confutavimus [1]. Hoc vero loco vix est credibile, quantum, et quam stupidum sit unius hominis a seipso dissidium.

VIII. Etenim Theodoreti utique declarare sensum in animo habuit. At ille primum Apostolos vocatos esse dicit τοὺς νῦν καλουμένους Ἐπισκόπους, *Episcopos eos, cujusmodi nunc vocantur*, hoc est quos præ oculis habebat; non itaque cursores, et ambulones nescio quos: quales non erant episcopi ætate Theodoreti; sed certæ sedis episcopos intelligi voluit.

Deinde, quod scribit Theodoretus, « procedente tempore, Apostoli nomen veris Apostolis esse relictum; episcopi vero iis impositum, qui quondam Apostoli dicebantur, » ridicula sententia depravat; tanquam ea mens Theodoreti sit, illos ipsos veteres sanctos, ut Titum, et Timotheum, et reliquos, qui Apostoli vocabantur primo illo sæculo, et episcopi erant, inferioribus presbyteris, iisdemque episcopis præsidentes, qui plures in singulis ecclesiis pari potestate constituebantur; istos, inquam, discipulos Apostolorum desiisse Apostolos vocari, ac deinceps nominatos episcopos. « Hinc ergo et Titum, et Timotheum, inquit, qui Pauli temporibus pro Apostolis erant, et sic nominabantur, episcopos posteritas appellare cœpit, posteaquam episcoporum dignitas supra presbyteros assurrexit. Sic ipse Theodoretus Titum episcopum Cretæ appellat, cui et episcopos ab eo ex mandato Pauli constitutos subjicit. Sic Timotheum episcopum Ephesi vocavit. »

Atqui joculare istud est putare ab Theodoreto veteres illos jamdiu fato functos, quasi regradatos esse, et in ordinem redactos, ut tanto eis intervallo prærogativa illa nominis, ac dignitas eriperetur, quam viventes obtinuerant, et in qua decesserant. Hoc esset mortuis, et cum Christo regnantibus invidere sanctis, et Catharos, hagiomachos, ac Salmasios imitari. Non hoc Theodoretus voluit, neque cogitavit unquam. Hoc ergo dicit: « Iis qui olim Apostoli vocabantur, cum reipsa essent episcopi, hoc est episcopali ordini, detracto Apostoli vocabulo, episcopi esse nomen impositum; Apostoli vero nomen solis illis antiquis relictum, » ut nemo deinceps episcoporum Apostolus vocaretur eo ipso, quod episcopus esset, quod in usu antea fuerat. Hæc est vera, et indubitata Theodoreti sententia.

IX. Nam, quod ad ἐπίστασιν illam approbandam, ait Titum episcopum Cretæ, Timotheum Ephesi episcopum nominari; ut hæc argumentatio pondus aliquod habeat, oportet Apostolos ab Theodoreto eosdem illos minime vocari. Nam si Apostolos non minus, quam episcopos appellat, non magis concludi ex Theodoreto debet, illos desiisse Apostolos nuncupari, quia dicuntur episcopi; quam episcopos non amplius dici, quia vocantur Apostoli. Atqui iidem illi ab Theodoreto Apostoli nominantur iis verbis, cum de Epaphrodito loquitur, quem Paulus Philippensium Apostolum vocat [2]. « Ita, inquit, et Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus Apostoli [a]. » Utrum autem episcopos duos istos nominet, quod affirmat Salmasius, equidem non memini. Neque tamen negare audeo, et locum, ubi ita vocet, indicari cupio. Ac tametsi alicubi sic appellet, nihil hoc ad ineptam conjecturam fulciendam valet; cujus insuper fidem elevat auctor ejus ipse Salma- *Observationem.*

[a] THEODOR. in cap. III, ep. I *ad Tim.* Οὕτω Κρητῶν ὁ Τίτος, καὶ Ἀσιανῶν ὁ Τιμόθεος Ἀπόστολοι.

1 Cap. v et seq. — 2 *Phil.* II.

Judicii absentiam.

sius, ac levitatem suam, et ἀκρισίαν insigniter traducit. Siquidem paucis ante paginis Timotheum et Lucam, adeoque vagos illos, et huc illucque discurrentes episcopos probat Apostolos a veteribus dictos esse. Quorum ex veterum numero solum Theophanem profert, qui scribit, anno 20 Justiniani celebrata « esse Encænia sacrarum reliquiarum Andreæ, Lucæ, ac Timothei sanctorum Apostolorum[a]. » Ad quæ Salmasius : « Vides, inquit, Lucam, et Timotheum Apostolos cum Andrea vocari. » At o bone! jam oblitus es non amplius vocatos illos Apostolos, *postquam episcoporum dignitas supra presbyteros assurrexit :* quod ex tua interpretatione asseveranti Theodoreto suffragator accedis, et argumentum insuper adjicis, « quod Titum et Timotheum, qui Pauli temporibus pro Apostolis erant, et sic nominabantur, episcopos posteritas appellare cœpit. » Atqui et Apostolos vocare perseveravit, ut tu ipse demonstras ex Theophane, qui multo Theodoreto posterior est; cui et Philostorgium, cum ista scriberem, adstipulari videbam in *Excerptis* libri tertii; uti Τιμόθεον τὸν Ἀπόστολον simpliciter nominat, ejusque, ut et Andreæ, ac Lucæ reliquias a Constantio translatas refert in magnam Basilicam Constantinopoli a se constructam. Numquid igitur causæ est, quin, et quid affirmes, negesve nescire te, et ad miraculum esse, non ἀειλόγον tantum fateare, sed ἄλογον, et βαττολόγον.

Timotheum Apostolum.

Loquacissimum. Irrationalem et battologum.

X. De Apostolis, eorumque tum appellatione, tum natura, et proprietate, quantum satis erat, exposui in libro superiore[1]. Erant illi apud Judæos in usu Christi tempore, a quibus nominis et functionis ille similitudinem transtulisse videtur in familiam suam, et Ecclesiam. Proprie nuntii in synagoga fuere, qui ad varia ministeria obeunda mittebantur, sive nuntiandi tantummodo gratia, ut qui ad novam lunam visam a speculatoribus per Judææ oppida nuntiandam, templo stante destinati sunt, quos שׁלוּחים, vel שלוחים vocabant, ut est in *Talmudicis Digestis*, tractatu *de Anni capite*, et apud Mosem Maiemonidem in eodem tractatu operis *Mischnech*, et ejus, quod *Iad* inscribitur. Sive cum aliqua curatione, ac munere gerundo, velut æris collatitii per synagogas exigendi, et in iisdem constituendæ disciplinæ; quales a Patriarchis *Apostoli* mittebantur, ut Epiphanius in Ebionitarum hæresi testatur. Horum igitur exemplo Christus tum Apostolos illos primarios duodecim, tum alios in ecclesia sua deinceps instituit cum potestate, jurisdictione, curationeque aliqua. Sed inter hos summates aliqui fuerunt, proprieque dicti, quibus a Christo amplissima est credita potestas. Alii minores et secundi, qui Christianæ importandæ fidei gratia civitates, ac provincias obibant, partim a Christo, ac Spiritu sancto destinati, partim ab majoribus Apostolis. Neque vero pari omnes potestate instructi erant, aut episcopali ordine, ac charactere præditi. Præsertim si verum est, quod Chrysostomus, ac Theodoretus, aliique sentiunt, ut capite illo quinto diximus, omnes Christi discipulos, etiam quos Septuaginta vocant, Apostolatus illo vocabulo, ac dignitate censeri. Quibus favet Eusebius in libro primo *Historiæ*, capite xii. Nam Septuaginta istos ab episcopis secernunt, et ad presbyteros simplices, quosdam etiam ad diaconos relegant veterum aliqui. Quos Petrus Damiani secutus[2], « Sicut episcopi duodecim, inquit, Apostolorum noscuntur obtinere primatum; ita et sacerdotes Ecclesiæ septuaginta discipulorum ordinem repræsentant. »

De natura et nomine Apostoli.

Non omnes Discipuli Episcopi.

XI. Quamobrem vacillat Salmasii fides asseverantis, omnes illos secundi ordinis Apostolos episcopos fuisse, et eos videlicet, qui ab Theodoreto designantur, cum ait, Apostolos olim dictos esse, qui ætate sua nominabantur episcopi. Quid quod Paulus ipse Titum discipulum suum, quem Salmasius unum facit ex minoribus illis Apostolis, et Theodoretus ipse Apostolum potius, quam episcopum vocatum esse docuit, Apostolum fuisse haud obscure negat, cum eum discernit ab Apostolis? *Sive pro Tito*, inquit[3], *qui est socius meus, et adjutor, sive fratres nostri Apostoli ecclesiarum gloria Christi.* » Nonne falsa ex eo Salmasii opinio convincitur, promiscue omnes Apostolos facientis, qui ad ordinandas, regendasque ad tempus ecclesias a primoribus Apostolis missi fuerunt?

De Apostolis Judaicis et secundi ordinis, post majores a Christo institutos.

Neque vero Apostolos illos secundarios nomen inde sortitos arbitror, quod a majoribus mitterentur; sed quod ministerii ac functionis genere ipso primores istos, ac

[a] Theoph. Τῷ δὲ Ἰουλίῳ μηνὶ, καὶ ἡμέρᾳ τρίτῃ γεγόνασι τὰ ἐγκαίνια τῶν ἁγίων λειψάνων, Ἀνδρέα, Λουκᾶ, καὶ Τιμοθέου τῶν ἁγίων Ἀποστόλων.

1 Cap. v et seq. — 2 Opus. xxvii, cap. vii. — 3 II Cor. viii, 28.

veros imitarentur, maxime in Christi prædicanda fide ac notitia, eoque munere extraordinariis factis, ac miraculis approbando. Nam et si quis ex plebe discipulorum ab Christo, et Spiritu sancto ad Apostolica ministeria peragenda destinaretur ἀμέσως, et sine interventu principum Apostolorum, dici nihilominus posset Apostolus; velut Philippus, qui ad eunuchum erudiendum baptizandumque missus est; ac pro eo atque potestas illa esset, quam acciperet, ita primi, aut secundi ordinis haberetur. Non enim missionis modo, sed ordinis, ac potestatis metienda est Apostoli dignitas, ut jam supra memoravi. Hinc est, quod episcoporum ordo nonnunquam apud antiquos Apostolicus vocaretur, et episcopi Apostoli; ut Valentinus ad Augustinum scribens, ejus vocat Apostolatum epistola CCLXI. Atque iidem successores Apostolorum esse dicuntur, quod in sua quisque diœcesi potestatem exercet Apostolicæ similem. Romanus vero Pontifex, qui unus per orbem terrarum plenam habet, et sine loci ac jurisdictionis exceptione integram potestatem, hodie solus fere et κατ' ἐξοχὴν Apostolicus, et sedes ejus atque functio Apostolica nominetur; non quod externa aliqua, et extraordinaria missione a Deo vel ab homine destinetur, ut olim proprie dicti Apostoli, sed ob potestatem, quæ penes Apostolos erat, et in eos *personali*, ut ita loquar, missione derivata fuerat*.

Immediate.

Per excellentiam.

XII. Hinc etiam complures sancti, qui primi gentibus ac populis quibusdam Evangelium intulerunt, eorum Apostoli passim nominantur, recentioribus etiam temporibus, et a primis illis Apostolicisque longius distantibus. Ut Bonifacius Moguntinæ primus sedis antistes Germaniæ Apostolus dicitur; et a Beda Gregorius M. Anglorum Apostolus, cum nunquam in eam insulam pedem posuerit. Adeo cum Evangelii prædicandi, et homines Christianam ad fidem adducendi officio, ac potestate, etiam per alios administrata, conjuncta vox est Apostoli potius, quam cum missione, a qua originem tamen accepit. Ob id Esaiam Prophetam Cyrillus Alexandrinus refert, « non Prophetica sola gratia fuisse præditum, sed Apostolicis etiam ornamentis insignem. Etenim simul et Propheta est, et Apostolus, atque Evangelicorum præconiorum neutiquam expertes in libro suo sermones instituet[a]. » Ut vel ex eo constet, falli opinione sua Catharum, dum nimis anguste, ac præfracte nominis aucupatur etymon, ut, quoniam a *missione* deducta est *Apostoli* vox, nullum appellari eo vocabulo patiatur, nisi missum, et quatenus secundi ordinis est, ad nutum et imperium majoris ambulantem, et tanquam cursualem nullibi consistentem, nec in una sede morantem. Quod otiosum, ineptumque commentum et exemplis antiquioris ævi, et communi ipso sensu ac judicio, et auctoritatum, argumentorumve, quibus nitatur, inopia damnatum, ac rejectum per seipsum concidit.

Nam quod Epaphroditum, quem Paulus Philippensium episcopum nuncupat, missu Pauli episcopos apud illos creasse scribit, ob idque vocari Apostolum; id ex cerebro suo, si ullum tamen habet in capite, confictum, non auctore ullo testatum attulit.

XIII. Majoris hoc et inscitiæ, et temeritatis est, quod ex Theodoreto de eodem Epaphrodito colligit, et suam videlicet illi hæresim affingit: « Apparet, inquit, eum existimasse, episcopos illius ævi non fuisse majores presbyteris, sed pares, et sub utroque nomine eosdem sic subditos fuisse Apostolis, ut postea presbyteri subjecti sunt episcopis. Quod etiam in eamdem epistolam ad caput secundum clarius significavit, ubi Epaphroditum Apostolum de eo genere Apostolatus exponit, cui ecclesiæ a majoribus et veris Apostolis gubernandæ credebantur. » Ac subinde Theodoreti verbis exscriptis, « Video, inquit, Apostolum Epaphroditum a Theodoreto accipi de eo genere Apostolorum, quos sub Apostolis vicem episcoporum habuisse dicit, cum tunc episcopi locum tenerent presbyterorum. » Theodoretus, ut supra necessariis argumentis evicimus, arbitratur ab Apostolo Paulo episcopi ac presbyteri nomina duo tribui sacerdotibus ordinis secundi, quos ætate sua presbyteros vocabant; ordinis vero primi sacerdotes, qui Theodo-

a CYR. Præfat. *in Esa.* in fine. Ὥστε μοι δοκεῖ στεφανοῦν εὖ μάλα τὸν μακάριον προφήτην Ἡσαΐαν, οὐχὶ τῇ τῆς προφητείας χάριτι μόνῃ, ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῖς Ἀποστολικοῖς αὐχήμασιν. ἐν ταὐτῷ γάρ ἐστι προφήτης τε ἅμα, καὶ Ἀπόστολος, καὶ τῆς τῶν εὐαγγελικῶν κηρυγμάτων φαιδρότητος οὐκ ἠμοιρηκότας τοὺς τῆς ἑαυτοῦ συγγραφῆς ποιήσεται λόγους.

* Confer Mamachium t. IV *orig. et Antiquit. Christian.* et *histor. litter. ital.* t. VI.

reti sæculo episcopi, ut et hodie, dicebantur, Apostolos nuncupatos esse tempore Pauli. Qui aliter de Theodoreto sentit, quantum ex verbis ejus et κατὰ τὸ ῥητὸν judicari potest, prorsus aberrat cum Salmasio. Quare ridiculum est, quod iste dicit, Theodoretum *existimasse, episcopos illius ævi pares fuisse presbyteris.* Nam par nemo est alteri, nisi ab eo distinctus. Ac presbyteri illi Theodoreti ab episcopis diversi non erant. Nam unus, et idem secundi ordinis sacerdos, presbyter, et episcopus appellabatur, ex Theodoreti sententia. Proinde non qui ætate Theodoreti sub iisdem appellationibus distincti erant ordine, Apostolorum ævo ejusdem fuisse ordinis ab illo dicuntur, sed nomine et re discrepasse, quod primi ordinis sacerdotes Apostoli, secundi ordinis episcopi, et presbyteri nominati sunt. Vide loca ipsa Theodoreti, quæ supra descripsimus.

Epaphroditus quo sensu dicatur Apostolus a Paulo.

XIV. An non ipse ad initium epistolæ *ad Philippenses*, Epaphroditum Apostolum ea de causa nominatum ait, « quod episcopale munus et administrationem sibi commissam habebat cum appellatione Apostoli[a]? » Et in eo loco, quem citat Salmasius, « Apostolum, inquit, Epaphroditum vocavit, eo quod ipsorum illi commissa cura fuerat. Ut ex eo manifeste constet, sub eo fuisse episcopos illos, qui in prooemio Epistolæ ita vocantur, utpote qui presbyteri ordinem implebant[b]. » In epistolæ prooemio et inscriptione, Paulus et Timotheus sanctos omnes salutant, σὺν ἐπισκόποις, καὶ διακόνοις, *cum Episcopis, et Diaconis*, nulla mentione facta presbyterorum. Salmasius ἐν τῷ προοιμίῳ ita reddit, ut sit *in principio;* quod ambiguum est, et falsum, si ad Apostolorum prima tempora referatur, ut videtur iste voluisse. Sed dixisset potius ἐν ἀρχῇ, vel ποτὲ, id est *olim*, si hoc Paulus intellexisset. Omnino epistolæ ipsius exordium Theodoretus significat; qui et aperte demonstrat, Epaphroditum idcirco Apostolum esse dictum, quod episcopale munus obiret, et tanquam pastor Philippensium ecclesiæ curam, et præfecturam gereret, sub quo erant episcopi (iidemque presbyteri vocati,) qui in exordio Epistolæ memorantur; a quibus, ut et a diaconis, reliquoque fideli populo missus erat ad Paulum Epaphroditus cum pecuniis, qui illius necessitati subveniret. Qua de causa Paulum, aiunt Græcorum interpretes, epistolam, quam per Epaphroditum redeuntem ad illos dedit, episcopis, id est presbyteris, et diaconis, non autem primario antistiti, qui tunc Apostolus nuncupabatur, inscripsisse; quod is ille ipse erat Epaphroditus, quem cum litteris ad eos mittebat.

XV. Atenim Salmasius « de Epaphrodito a Philippensium episcopis ad Paulum misso falsum esse » dejerat; et hunc errorem Græcos « ex loco Pauli perperam intellecto sumpsisse; ubi Apostolus Philippensium vocatur Epaphroditus, cum dicit, necessarium existimasse, Epaphroditum adjutorem suum, et commilitonem, eorum autem Apostolum, et suæ necessitatis administrum ad eos mittere. Dicit simpliciter, Necessarium putavi mittere ad vos; mittere, inquam, non remittere. Ita loquutus esset, si prius eum ad se misissent. » Quid impeditioribus in locis faciet, qui in tam plano ac facili totius corporis ruina provolvitur? Ergone missus ad Apostolum Paulum non erat Epaphroditus a Philippensibus? Ab iis, inquam, quibus istam epistolam scripsit? Qui sunt autem illi? Nonne ii, quos appellat *initio* epistolæ, hoc est ἐν τῷ προοιμίῳ, ut Theodoretus loquitur, et quibus inscribitur. *Paulus*, inquit, *et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, et diaconis : gratia vobis*, etc. Hi sunt, ad quos hanc Epistolam dirigit Apostolus. At eosdem illos per Epaphroditum ad se misisse pecunias, quo necessitati suæ subvenirent, testatur idem Apostolus sub epistolæ finem[1]. *Repletus sum*, inquit, *acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis.* Igitur missus est ad Paulum Ephaphroditus, ut pecunias ad eum portaret, ab episcopis et diaconis Philippensis ecclesiæ; vel solis, si est illa vera lectio, quam Chrysostomus, et Theophylactus sequuntur, συνεπισκόποις καὶ διακόνοις, *Sanctis coepiscopis et diaconis.* Vel ab his pariter, ac civibus aliis, si quod in vulgatis codicibus Græcis exstat, σὺν ἐπισκόποις legas, ut et *sanctis*, id est Christianis e populo, et episcopis, ac diaconis inscripta sit Epistola. Œcumenius

Cum episcopis.

a Theod. Σαφῶς τοίνυν ἐδίδαξεν, ὡς τὴν ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν αὐτὸς ἐπεπίστευτο, ἔχων Ἀποστόλου προσηγορίαν.

b Idem. Ἀπόστολον δὲ αὐτὸν κέκληκεν αὐτῶν, ὡς τὸν ἐπιμέλειαν αὐτῶν ἐμπεπιστευμένον. ὡς εἶναι δῆλον, ὅτι ὑπὸ τοῦτον ἐτέλουν οἱ ἐν τῷ προοιμίῳ κληθέντες Ἐπίσκοποι, τοῦ πρεσβυτέρου δηλονότι τὴν τάξιν πληροῦντες.

1 *Phil.* IV, 18.

priorem lectionem cum Chrysostomo amplexus videtur, etsi altera in illius contextu perperam habetur. Nam itidem ut Chrysostomus interpretatur, et quæ dicit, ad alteram minime congruunt. Ut cum rationem reddit, cur Paulus initio non se Apostolum nominet. Quod eo fecisse scribit, quod ad collegas suos[a], et ὁμοτίμους scriberet, id est ad clerum, a quo missus erat Epaphroditus. Prorsus itaque a clericis Philippensibus Epaphroditus episcopus allegatus erat cum ære collatitio. Quem et illorum episcopum fuisse voluut iidem Græci, maxime Theodoretus, sed sub Apostoli nomine. Propterea duplici vocabulo designatur a Paulo *Apostoli*[1], et *ministri necessitatis*. Nam *Apostolum* idem esse, atque *Episcopum* Theodoretus credidit. Ministrum vero necessitatis vocat, « quoniam per ipsum necessaria Paulo subsidia miserant, » ut ait Œcumenius[b].

CAPUT III.

De Chrysostomo propugnantur illa, quæ in Dissertationibus scripta sunt. Pessime ab Salmasio mens illius accepta. Presbyteros et episcopos apud Paulum interpretari ab eo de secundi ordinis sacerdotibus. Salmasii calumnia, et ἀπροσεξία. *De Epiphanio ejusdem hallucinatio. Recte illius a nobis explicatam esse sententiam. Salmasium vero a se ipso dissentire.*

Propugnatur secundum Chrysostomum Paulum loqui de sacerdotibus secundi ordinis.

Qui in explananda Theodoreti mente ac sententia tam futilem se probavit, non est, quod in cæteris feliciorem speremus fore. Ex quibus proxime ab Theodoreto positus a nobis est Chrysostomus in *Dissertationibus Ecclesiasticis*. Ubi ostendimus; hanc illius fuisse mentem, episcopos a Paulo memoratos in epistola *ad Philippenses*, simplices haberi, ac secuudi ordinis sacerdotes plane, ut Theodoretum intellexisse antea demonstravimus. Quod nondum Messalino-Salmasius capere potest; cujus tantus est stupor, ut cum eadem, quæ Chrysostomus ac reliqui post ipsum de presbyteris et episcopis prodiderunt, Theodoretus sentiat, cumque eodem, atque illi probet argumento, non significari apud Paulum primi ordinis antistites, quod in eadem urbe et ecclesia plures esse non debeant episcopi; tamen iste Theodoretum neget episcopos interpretari presbyteros simplices, sed vagos nescio quos, et errones episcopos simul, et Apostolos secundos.

At etiam inconstantiam nobis objicit homo dictorum[2], ac decretorum suorum apprime retinens, quod, cum « supra ex Apostolo defenderim, episcopi nomen, et episcopatus pro summo gradu poni, » cum de Chrysostomo ago, « ex eo probare contendam, episcopos Apostolo memoratos non esse episcopos proprie dictos, sed simplices presbyteros, quos tunc episcopos appellare mos fuit. » Hoc vero prorsus illud est, quod de homine isto animadverti sæpe, ac monui : nihil eum minus cum scribit, quam, quid scribat, attendere; adeo raptim et incogitans obvia quæque arripit, et infarcit; tum in legendo eumdem morem tenet. Eo fit, ut præ celeritate, et assiduitate currendi, hoc ipsum, quod leporibus evenire Xenophon ait, illi accidat; uti hebeti sit oculorum acie, nec plene, accurateque videat.

II. Omnino ut in cæteris, sic in hoc loco stultividum se esse probat, in quo de Chrysostomo nos arguit. Quid enim non constanter a me factum? aut in quo a me ipse dissentio? Episcopatum a presbyteratu, id est ordinem ab ordine, gradum a gradu et hodie discrepare, et ab Apostolorum tempore perpetuo discrepasse dixi semper, neque contrarium ullo loco docui. Dixi deinde, Chrysostomum videri episcopos ab Apostolo commemoratos pro simplicibus habere presbyteris itidem, ut Græcos interpretes reliquos; quos etiam singulos eo nomine redargui, quod Apostoli mentem aliter, ac res erat, interpretati sunt. Laudavi autem in eo, et approbavi, quod ordines illos duos non invicem miscerent, sed distinctos, ut erant, revera constituerent. Postremo conciliandi viam hanc inivimus, ut esse quidem per se

a OEcum. Ἐνταῦθα ὡς πρὸς ὁμοτίμους ἐπιστέλλων οὐ τίθησιν αὐτοῦ τὸ ἀξίωμα, τουτέστι τὴν ἀποστολήν. Mox : Τί δή ποτε ὧδε τῷ κλήρῳ γράφει, οὐκ ἔχων ἔθος; ὅτι αὐτοὶ οἱ κληρικοὶ ἦσαν τὸν Ἐπαφρόδιτον πεμψάντες σὺν τοῖς ἀναλώμασι.

b OEcum. in II *ad Philipp.* vers. 25. Δι' αὐτοῦ γὰρ ἦσαν αὐτῷ τὰ πρὸς χρείαν πέμψαντες.

1 *Phil.* II, 25. — 2 Salm. cap. III.

diversos illos gradus, ordinesque fateremur, sed in eamdem concurrisse personam, ac qui presbyteri ab Apostolo vocantur, iidem essent et episcopi, non vocabulo tantum, sed re ipsa quoque. Ita tum clerus in his ecclesiis, ad quas epistolas istas misit Apostolus, ex primi ordinis sacerdotibus constabat. Hæc nostra sententia fuit; cui tu meras nugas, et inscitas fabulas opponis. Ridiculum vero est, quod me ex Chrysostomo probare dicis, episcopos pro simplicibus sacerdotibus accipi; idque superiori opinioni esse contrarium. At ὦ κέπφε, num contrarius est sibi, qui sententiæ suæ adversam exponit alteram, et expositam mox refellit? Qui hoc putat, ἁλσί διασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί.

Stolide.

Salibus abstergi juvaret forsitan ipsum.

III. Ergo episcopos et presbyteros, quos Apostolus nominat, primi ordinis fuisse sacerdotes ratus est Chrysostomus, aliique Græci, ut Œcumenius, Theophylactus. Adde etiam Theodoretum, cujus verba non aliud significare, si ea intelligeres, mecum ipse faterere. Sed non intelligis. Quod cur miremur, cum ne te ipse quidem capias? Nisi forte capere istud est, et intelligere, quid dicas illa ipsa, quæ dicis, ubi dixeris, ibidem ut absurda damnare, ac refellere. Hoc enim illo in loco facis, in quo Chrysostomum, ac reliquos arguis. Reprehendis enim ipsos, non ea parte, qua peccarunt, in quo illos etiam notavimus, sed in quo verissime sentiunt, et cui tute postea subscribis. Quamobrem quidquid ad illos falsi convincendos accumulas, quod sane est levissimum, imo nullum penitus; id, si valeret, contra te primum valeret. Negas enim, verum hoc esse, quod asserunt, *Unum singulis præfuisse civitatibus Episcopum*; quod tu tamen ipse diserte postmodum doces. Presbyterorum collegio præfuisse unum aliquem scribis, primatum inter eos habentem, et κατ' ἐξοχὴν vocatum episcopum; cum nihilominus etiam reliqui presbyteri appellarentur episcopi. Quam tu rationem, et communionem nominis, ubi est dispar, et inæqualis dignitas, ac potestas, adeo judicas absurdam, et abhorrentem pagina 85, et sequentibus, ut eo utaris argumento ad Græcos convincendos, qui, cum presbyteros omnes vocari solitos episcopos putent, unum tamen aliquem supra cæteros auctoritate ac potestate excelluisse sentiant. Sed de hoc tuo conflictu, et horribili cæcitate, atque ἐμβροντησία supra est actum cap. XII, libri superioris. Itaque hoc loco *verbum non amplius addam*, teque tuis in nugis, ac titivillitiis volutari, et implicari sinam.

Per excellentiam.

IV. Jam quod, uti tecum pugnare te luce ipsa clarius ostendi, sic me vicissim a meipso dissidere clamitas; incredibiliter erras, et errandi causam habes illam eamdem, quam et repugnandi tibi, in tanta imbecillitate judicii inconsultam celeritatem, ac præcipitem. Non sunt, ὦ οὗτος, illa contraria duo, quæ tu adversari invicem putas, sed maxime consentanea, et cohærentia. Quorum alterum est, episcopos et presbyteros, quos Apostolus nominat, primi ordinis sacerdotes videri, ac plures in eadem ecclesia collocatos in quibusdam ecclesiis, sub ipsa Christianismi primordia. Alterum, episcopatum et presbyteratum, quo ordines sunt, ex se naturaque sua, et οὐσιώδει functione differre mutuo: et errare illos, hoc est te, tuique similes Catharos, et Puritanos, qui unum eumdemque βαθμὸν, et *Ordinem* ex Apostolorum, ipsiusque Christi Domini instituto esse prædicant; adeo ut duo non amplius sacri ordines sint, episcopi, sive presbyteri, et diaconi, contra quam vetera omnia concilia, et Apostolicis proximi temporibus Patres, et Catholici hactenus omnes arbitrati, atque usu ipso testati sunt.

Salmasii inscitia et calumnia.

Essentiali.

Disce iterum hic, quod et supra jam edoctus es: Primum vocem ipsam *Presbyteri* non sic a nobis accipi, cum dicimus, episcopatum, et presbyteratum distinctos esse ordines, ac cum Paulus, et alii deinceps presbyterum eum nominant, qui est episcopus. Illic enim ordinis et gradus esse vocabulum; hic autem reverentiæ, honoris, et dignitatis. Quare non sequitur, si Paulus, ac Lucas presbyterum appellant eum, qui revera esset episcopus, episcopatus, et presbyteratus ordines unum illos, et eumdem esse voluisse.

V. Sic, exempli gratia, Romæ *Prætor* olim commune fuit nomen majorum omnium magistratuum, « qui jure et exercitu præirent, » ut scribit Varro [1]. Vel ita dictus, « qui præiret exercitui Imperator ab imperio populi. » Unde et *Prætorium* in castris, ubi Imperatoris tabernaculum erat, et *Prætoria porta*, *cohorsque Prætoria*. Post vero peculiaris in magistratus vocabulum transiit. Nec recte ratiocinaretur, qui ex eo, quod illos, qui consules postea dicti sunt, olim prætores vocatos esse legeret, ut nominatim Festus

1 Lib. IV *de ling. lat.*

adnotat[1], concluderet, eumdem apud Romanos fuisse prætorem, et consulem. Nam prætor primo illo, et antiquiore modo, non certi magistratus nomen, sed universe, et infinite majoris omnis fuit : posteriore vero, in quo cum consule comparatur, unum et peculiarem aliquem designat, consulatu minorem. Non dispar est ejus ratio, de quo modo agitur; ὁ Πρεσβύτερος, qua dignitatis, et honoris duntaxat appellatio est, utrique communis fuit, hoc est primo et secundo ordini, sive in eadem persona reperirentur, sive in diversis. Quemadmodum etiam *Sacerdotis* nomen utrique ordini tributum est, ac diutius in primo constitit, quam *presbyteri*. Nam *presbyteri* vox tandem in solo resedit ordine secundo, cum *sacerdos* in primo perseveraret, nec minus tamen ad secundum pertineret; cum et vocabula ἱερεῖς, et ἱερωσύνη utriusque gradus *sacerdotio* convenerit. Ecquis autem, præter Catharos, impurosque Puritanos, quorum e grege Salmasius est, unum et eumdem dicat ordinem et gradum esse sacerdotem simplicem, et episcopum, ex ordinatione Christi, et Apostolica traditione? Idem est de *presbyteri* appellatione judicium; quæ vox ab communi ambobus significatione ad propriam ordinis secundi translata est, atque restricta. Neque propterea de natura ipsa, proprietateque duorum illorum ordinum decessit aliquid; nec eo minus distincti invicem sunt et ordinatione Christi, et Apostolica traditione, et usu, ac decreto catholicæ Ecclesiæ. Distincti, inquam, ex sese, naturaque sua, et κατὰ τὸ εἶδος, vel οὐσίαν; quamvis κατὰ τὸ ὑποκείμενον unum et idem sint in uno ac singulari ecclesiæ pastore, qui est episcopus, et olim in clero fuerint, cum sub exortum Christianismi, presbyteri iidem, et episcopi in eo censerentur.

Presbyter.

Ratione speciei vel essentiæ quamvis ratione suppositi.

VI. Hac luce distinctionis inscitiæ tuæ caligo discutitur, quæ in unius cavillatione voculæ miras, et pueriles tragœdias excitavit. Sed quid tibi, oro, venit in mentem, ut de me mentiri tam insigniter auderes? Scribis enim, concessisse me, « Consuetudine potius Ecclesiæ, et humano quodam jure, quam divino, presbyteri et episcopi constare differentiam. » Non te calumniæ, aut falsitatis pudet? Ubi enim scriptum a me istud est? Tu paginam *Dissertationum* mearum ostendis 44, et *quam ibi diversus sim ab eo, qui fui pagina* 43, jubes agnoscere. Ego vero, in utraque, et in cæteris idem constanter docui; nec ea, quæ ibidem dixi, quia capere non potes, ideo sum a te reprehendendus : « tanquam si lunam veterem, vel novam (ut cum Augustino loquar[2]) sidusve aliquod minime clarum velles videre, quod ego intento digito demonstrarem; tibi autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum, non propterea mihi suscensere deberes. »

Age vero in illa pagina 44, quid tandem diversum ab altera positum est? Nam in ea verba illa sunt, quibus *concessisse me* dicis, quod alio in loco negavi. Hic vero, tua hic, Salmasi, jocularis oscitantia tenetur. Nam quæ tu mihi objicis, non mea illa sunt, sed Hieronymi, et ejus doctrinæ consectaria, nec a me relata sic, ut probarem, sed ut refellerem, vel ut explicarem potius, et ad communem ac catholicam sententiam accommodarem. Hoc igitur non inter erroris argumenta mei, sed inter stuporis tui exempla numerare licet. Perinde enim hic in reprehendendo me facis, ac si Paulum illius dicti reum citares : *Faciamus bona, ut inde veniant mala*[3]. Quod totidem quidem verbis ab illo scriptum est, sed ex aliena persona, non ex sua.

Divini plane juris esse dixi semper episcopi, ac presbyteri discrimen, quæ nomina sunt ecclesiasticorum ordinum, atque graduum; idque in illa ipsa docui pagina, quam commemoras, quadragesima quarta; ubi « integram manere scripsi ordinum distinctionem, et quidem divinitus constitutam, non sola consuetudine; » eo quod etiam ex Hieronymo, « salva esset ordinandi potestas penes solos episcopos. » Quod autem « unus in singulis civitatibus, et ecclesiis esset episcopus, id non jure divino, sed Ecclesiæ auctoritate, conciliorumque sanctionibus decretum esse dixi. »

VII. Nihil igitur in Chrysostomo vidit Catharus; et ea, quæ non erant, in me vidit; ac, quod ei non insolens est, errore lapsus est fœdissimo. Nunc in Epiphanio similem eumdem fuisse sui monstrabimus. Credidit sanctissimus ille Pater[4] episcopum, et presbyterum apud Paulum sic usurpari, ut ætate sua fiebat, hoc est illum primi ordinis, hunc secundi significare sacerdotem; in quo ab superioribus dissentit. Porro Apostolos, idem existimat recenti adhuc Christianismo, non

Epiphanii mens recte ab auctore explicata; Salmasii hallucinatio

1 In voce *Prætorii porta*. — 2 August. prol. in lib. *de Doctrina Christ.* — 3 *Rom.* III, 8. — 4 Epiph. hæres. LXXV, § 5.

ubique justum clerum, ac suis constantem partibus instituisse; sed alicubi solos presbyteros, et diaconos sine episcopo, alibi unum episcopum cum diaconis absque presbyteris. Quam Epiphanii sententiam per seipsam dixi esse veram, quatenus de illis ordinibus absolute, ac præcise loquitur; sed non satis ad Paulum accommodatam videri. Omnino enim episcopos et presbyteros a Paulo nominari primi ordinis sacerdotes.

Sed eam narrationem, quam veram esse judicatam, ait esse falsissimam homo cumprimis gravis, et consideratus Salmasius. Quod cum dicit, tum se ipse falsi coarguit. Nam et idem asserit; et huic, quod asseverat, contrarium itidem affirmat; ut quocumque se vertat, hærere, constringique illum necesse sit, ac sua confessione jugulari. Expendamus singulas Epiphanianæ sententiæ partes.

VIII. Credere me dixeram [1], id quod scribit Epiphanius « pro multitudine populi plures, paucioresve sacrorum institutos ministros, ac nonnunquam solum impositum episcopum ibi, ubi grex pusillus erat. » Quærit Catharus, num efficiam inde, « distinctos tunc fuisse ordines episcoporum, et presbyterorum. » Stulta quæstio. Primum non eo citatus a me est Epiphanius, ut ex hujus auctoritate probarem. distinctos invicem istos ordines fuisse. Non quod non idipsum adstruat; prorsus enim hoc dicit; Sed

Supposito. quod personis, ac τῷ ὑποκειμένῳ diversos ibi esse putat, ubi unum esse videntur. Quos enim Apostolus nominat episcopos, et presbyteros, eos in clero disctincta tum fuisse capita censet Epiphanius; in quo illi non assentior. Quare non in eum finem Epiphanium citavi, ut inde colligerem, Apostolorum tempore duos illos ordines a se mutuo distinctos fuisse; sed ut ejus opinionem expenderem, docerenque, quatenus vera quidem illa sit, sed ad propositam ex Apostolo quæstionem explicandam non satis apta videatur. Deinde quod ab illo vere esse dictum asserui, falsissimum autem Salmasius vocat, id affirmat etiam iste ipse, qui falsitatis arguit, Salmasius. Etenim idem ex Apostolorum instituto presbyterum fuisse, quod episcopum, illius est sententia; hoc est unum esse ambos, et eumdem ordinem. Cum ergo in aliquibus locis « potuisse concedit, et presbyterum constitui unicum, si res ita tulisset, et conditio loci; » quid aliud, quam unum imponi potuisse dicit episcopum? Quod si idem ille locus numero Christianorum augeretur postea, ut unus ad ministerium non sufficeret presbyter, idemque, ut iste fatetur, episcopus; profecto plures alii adjungendi fuerunt presbyteri simul et episcopi. Sic enim nonnunquam evenisse legimus, ut in quibus ecclesiis propter paucitatem, initio nonnisi unus constitutus est prebyter, postmodum, crescente fidelium multitudine, tum plures annumerati sint Clerici, tum episcopalis ibi sedes instituta fuerit. Quid ergo habet iste, quod de Epiphanio queratur, aut de me, qui hoc idem, quod ille, dicimus, etsi, non ut ille, dissidemus ipsi a nobis, et pugnantia loquimur?

IX. Sed calcibus deinceps petere pergit virum sanctissimum, et inscitiæ, ac falsitatis reum peragere; hoc est quæ sibi propriæ, et germanissimæ notæ sunt, in eum conferre. Scribit Epiphanius, non potuisse Apostolos statim ad perfectum omnia constituere, id est universa, quæ ad absolutam formam pertinent ecclesiasticæ communitatis, ac reipublicæ omnibus in locis ordinare; sed paulatim ab inchoatis, et rudibus initiis ad ultimam operis expolitionem structuram Evangelicam esse perductam. Cum igitur episcopos alicubi constitui Christianorum paucitas nondum sineret, presbyteris fuisse contentos, aut unum duntaxat episcopum sine presbyteris ibi præposuisse. Hoc ego, cum alioqui verissimum sit, non tamen ad Apostolum, ac propositam quæstionem facere dixi. Sed instat Catharus, et otiosa percontatione moras injicit. Quærit, « cur Apostoli tunc non potuerunt omnia, quæ ad regimen Ecclesiæ optimum instituendum facerent, excogitare; » ac multa deinceps nugatur, ut solet, tanquam « in Apostolis defectus argui inde possit ad πολιτείαν perfectam instituendam. » En Salmasianum acumen, jecurque criticum. Quærendum vero *Politiam.* ab eo vicissim, cur haud rerum universitatem Deus non repente perfectam, et ad plenum elaboratam condiderit? cur molem initio confusam, et indigestam procreare maluerit? terram ornatu ac cultu carentem? aerem nulla luce vestitum? vastam, et per omnia diffusam aquarum voraginem? *An ergo facilius fuit* conditori inculta illa et horrida, quam elegantia, et perfecta fabricare? « Sed cur Deus tunc non potuit omnia, *quæ*

[1] Lib. II *Dissert.* cap. I.

ad mundi statum optimum instituendum facerent, excogitare? Quæ ratio potest afferri hujus illius ἀδυναμίας in optima, et perfecta forma invenienda, et statuenda? Voluisse eum, nec potuisse, quod vellet, efficere, quis credat? » Ad hæc [1], cur cæcum hominem oblatum sibi Christus non ex toto primum sanavit, sed ex dimidio : ut non penitus aspiceret, sed *homines* initio *videret velut arbores ambulantes?* Quid attinebat iterato illi manus imponere, et visum plene restituere, *ut clare videret omnia?* An non facile fuit Christo, cum primum *in illum expuit, et manus imposuit*, integram illi repræsentare sanitatem ? Cum mihi ad ista Salmasius responderit, tum eum dignum putabo, cui otiosa et ludicra sciscitanti pro Epiphanio respondeam. Sed hujusmodi contra communes notiones, humanumque sensum vitia rationis quotidiana sunt homini logistices imperito.

Impotentiæ.

X. Adscribatur et hoc ad cætera, quibus illius dissertatio scatet, ἐναντιώματα quod cum ita confidenter asseverasset. « Nullibi unum episcopum, et solum imposuisse Apostolos constare ; » postea « In pagis, inquit, aut vicis, vel pusillis oppidis, quales κώμας, aut κωμοπόλεις vocabant Græci, unum aliquem presbyterum per illa præcipuæ tempora, quibus non magnus erat numerus fidelium, suffecisse verisimile est. .« Quomodo in paganis ecclesiis unus presbyter fuit, quem et eumdem fuisse putat episcopum, si nullibi unus fuit episcopus? Nam pagorum episcopos illos, quos Græci χωρεπισκόπους vocant, *ab antiquo, et Apostolico sæculo* exstitisse, et inde appellationem episcopi traxisse, Salmasius idem asserit.

Secum pugnantia.

Salmasii secum conflictus.

Chorepiscopum.

Postremo de Epiphanii loco stulte et incassum ariolatur, tanquam fraudulenter, et nescio quid insidiarum struens, depravate verba illius exscripserim ex Hæresi Aerianorum ; ubi episcopi a presbytero discrimen in eo ponit Epiphanius, quod illorum τάξις sit πατέρων γεννητική. πατέρας γὰρ ἡ ἐκκλησία γεννᾷ. Ubi τῇ ἐκκλησίᾳ sine dubio scribendum, ut in Epiphanio olim edidimus. Verum pro eo, uti fit, in dissertatione mendum illud obrepsit, quod contextus vitium in extemporalem versionem, tum cum dissertationem elucubrarem, aliud agentibus nobis transiit. Hos incuriæ nævos, et papulas cupide delingit Salmasius, et Ἄλλους ἰᾶται αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. Cætera in Epiphanio παρεγχειρήματα Cathari postea resumemus.

Ordo sit patrum generator.

Patres enim ecclesia generat.

Ecclesiæ. Aliis medetur ipse ulceribus scatens.

Molimina.

CAPUT IV.

De Hieronymo : cujus sententiam depravat Salmasius. Quatenus idem cum Chrysostomo sentiat, aut ab eo dissideat. Duo illius loca proponuntur et explicantur. Salmasii abnormis a seipso dissensio. Hieronymi sententia plenius excussa in epistola ad Evagrium : et in commentariis ad epistolam Pauli ad Titum.

I. Ab Epiphanio itidem, ut in *Dissertationibus Ecclesiasticis*, ad Hieronymum transibimus ; quem *suum esse*, hoc est juxta ac se Catharum, et Puritanum, Salmasius affirmat, Hoc etiam restabat, ut post mortem vir sanctissimus tanto dedecore, et ignominia notaretur, et in communionem cogeretur sectæ fœdissimæ, quæ Deo, et hominibus exosa, nihil præter amborum odium spirat. Sed errat videlicet ὁ Καθαρὸς, et de Hieronymo nihilo plus veri sapit, quam de Epiphanio, Chrysostomo, ac Theodoreto, scriptoribus plerisque omnibus, quos commentando attigit ; quorum ad perniciem et noxam stylum inter Criticos pridem movere instituit. Hieronymus, inquam, totam Puritanorum nationem suo testimonio conturbat, et inter hos, præque omnibus Salmasium, triplici maxime capite. Primum quod « a Marci Evangelistæ tempore, Alexandriæ semper unum in excelsiori gradu collocatum fuisse ait episcopum [2]. » Deinde quod hunc eumdem a *presbyteris electum* scribit. Postremo quod penes solum episcopum *ordinationis* jus esse docet, quod presbyteri non habent. Hæc si tria fateri vult Salmasius, suum esse jactet Hieronymum. Tametsi de primo consentit interdum, et, ut in more habet, duo asserit contraria : fuisse olim, et non fuisse Apostolorum ætate singularem in unaquaque ecclesia præsidem, et episcopum. Quare, si hac omissa puerili, et indigna docto homine decretorum inconstantia, unum tandem aliquando sapere, id est resipiscere voluerit, qua parte καθαρὸς esse desinet, ea concordem habebit Hieronymum.

Hieronymi sensum depravat Salmasius.

Catharus.

Catharus.

1 *Marci.* VIII, 4. — 2 Hier, ep. LXXXXV.

Sed vereor, ut hoc a se impetrare possit. Mallet enim quidvis audire, ac loqui, quam ingenue confiteri, se esse deceptum. Itaque quod de se agnoscere non vult, hoc de eo persuadebimus aliis, et ab Hieronymi mente longe illum aberrasse monstrabimus.

Quatenus cum Chrysostomo consentiat, aut dissentiat Hieronymus

II. Scripseram in *Dissertationibus Ecclesiasticis* [1], Hieronymum consentire cum Chrysostomo in reddenda ratione, cur Apostolus ad Timotheum, et Titum scribens, postquam de episcopis egit, statim ad diaconos transeat, omissis presbyteris. Itaque quidquid contra Chrysostomum objici potest, cur ad Apostoli sensum minime congruat, id non minus valere adversus Hieronymum. Non dixi, quod me dixisse mentitur Salmasius, « Hieronymum nihil plus dicere de episcopis, quam Chrysostomum; et eamdem omnino hujus, atque illius esse sententiam. » Neque, hoc posito, conclusi, quod me concludere mentitur Salmasius : « Ideo dicit, ait, Hieronymum eodem modo explicare, et rationem eamdem reddere, cur Paulus, ubi de episcopis egit, omissis presbyteris, statim transeat ad diaconos, quam Chrysostomus reddidit. » Tolle illud *ideo*, quod falso ad meam sententiam affingis; et dixisse me, quod scribis, fatebor, « eodem modo explicare Hieronymum, ac Chrysostomum, cur Paulus ab episcopis statim ad diaconos labitur, non interjectis presbyteris. » Hoc vero non ideo dico, quod nihil plus sentiat de episcopis Hieronymus, quam Chrysostomus, et eadem sit utriusque sententia. » Falsarium te, et παραχαρακτὴν alienæ sententiæ, uti nummorum ἀδόκιμον Trapezitam, arguunt illa ipsa, quæ tu ex me verba describis. « Quinetiam quod Paulus in epistolis ad Timotheum, et Titum etc. » Vox *quinetiam*, additum, quod sequitur, ad antecedentia, non ex antecedentibus illatum esse demonstrat.

Adulterinum.

III. Duo scripta sunt ab Chrysostomo diversis in locis haud satis invicem consentanea, quæ in *Dissertationibus* posui. Primum in homilia prima in epistolam *ad Philippenses* rationem exponit, cur Apostolus solis episcopis, et diaconis epistolam inscripsit; ac docet presbyteros tunc et episcopos ordinis ejusdem nomina fuisse; et quidem secundi, non primi, penes quem vocabulum episcopi resedit; quod eo argumento probat, quia plures ordinis hujus, id est episcopi, in una civitate esse nequeunt; at Philippis erant plures. Itaque presbyteros et episcopos pro simplicibus accipi sacerdotibus ibi credidit : At in homilia xi, in epistolam primam *ad Timotheum*, causam itidem explicans, cur Paulus, post data episcopis præcepta, ad diaconos transiisset, omissis presbyteris; non unius ordinis episcopos et presbyteros constituit, sed diversi, et majoris ac dignioris episcopos; tametsi parvo discrimine separari eos adstruat, hoc est minore, quam ab episcopis diaconos. Ideo factum esse dicit, ut quæ documenta episcopis tradidit, ad presbyteros pertinere tacite voluerit Apostolus. Discerni autem hoc solo invicem ait episcopos, et presbyteros, quod illi ordinandi jus habent, isti non habent. Verba Chrysostomi : « Cur ita ? (hoc est cur prætermissis presbyteris, ab episcopis transilit ad diaconos?) Nimirum quia non latum est inter utrosque discrimen. Nam et presbyteri docendi suscepere munus, et ecclesiæ præfecturam. Ac quæcumque de episcopis dixit, eadem et presbyteris conveniunt. Sola enim impositione manuum superiores sunt episcopi, et hoc uno videntur excellere presbyteros[a]. » Hic non eadem est Chrysostomi, atque in priore loco de episcopis opinio. Nam illic manifeste secundi ordinis sacerdotes utroque appellari nomine censuit, nempe ejusmodi, qui plures in una ecclesia esse poterant, quod non poterant ordinis primi sacerdotes; at istic episcopos a Paulo primum in ordinem referri putat, presbyteros in secundum; quippe priores jus habere manus imponendi, et ordinandi, quod presbyteri non habent.

IV. His germana sunt, et consentanea, quæ in epistola LXXXV, scripsit Hieronymus, ubi presbyteros suppares episcopis facit; non eosdem tamen cum ipsis, neque prorsus æquales, sed illo ipso discrimine separatos, et inferiores, quod Chrysostomus refert, ordinatione scilicet, impositioneque manuum. « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, inquit, quod presbyter non faciat? » Tum causam affert eamdem, quam Chrysos-

a Chrys. hom. II, in I *ad Tim.* cap. III. Τί δήποτε; ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν, καὶ τῶν Ἐπισκόπων. καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς Ἐκκλησίας· καὶ τὸ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἁρμόττει. τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνῳ δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.

1 Lib. I, cap. I.

tomus, cur Paulus mentionem episcoporum duntaxat, et diaconorum faciat, non presbyterorum : « Unde et ad Titum, et ad Timotheum, ait, de ordinatione episcopi, et diaconi dicitur ; de presbyteris omnino reticetur, quia in episcopo et presbyter continetur. » Cum hæc luce ipsa clarius appareant, et in legentium oculos incurrant, qua fronte Salmasius vellicare hoc audet, quod « Hieronymum dixi eodem modo explicare, et rationem eamdem reddere, cur Paulus, ubi de episcopis egit, omissis presbyteris, statim transeat ad diaconos, quam Chrysostomus reddidit ? » Sane verissimum istud est, nec negare posset, si cor haberet cum oculis, quibus legeret illa Salmasius.

Neque vero propterea dixi Chrysostomum et Hieronymum episcopos, et presbyteros apud Paulum eodem interpretari modo. Nam ille utroque nomine, ut dixi secundi ordinis sacerdotes ibi significari credidit, homilia prima in epistolam *ad Philippenses*. At homilia secunda in priorem *ad Timotheum*, episcopos primi, presbyteros secundi ordinis esse sacerdotes asserit, in quo cum Hieronymo convenit. Quare eodem utrumque summoveri argumento dixi, quatenus presbyteros in ea ad Timotheum pro simplicibus usurpari sacerdotibus, communiter existimant, cum sit probabilius, primi ordinis esse non minus quam episcopos.

V. Quod cum dicimus, longe ego, et duo illi sanctissimi Patres ab Puritano fermento absumus, quo tota illa massa coacuit. Non enim unus et idem ordo cum episcopatu presbyteratus ab illis esse perhibetur, nec Apostolorum fuisse tempore, quamvis in unum congruerent. In quo fatali inscitia semper errat Salmasius. Uterque porro imponendi manus, et ordinandi jus in solo agnoscit episcopo, presbytero detrahit. Frustra est autem Catharus, et ad συκίνην ἐπικουρίαν respicit, dum hæc Hieronymi verba : « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat ? » ad ipsius ætatem Hieronymi contrahit ; tanquam Apostolorum tempore presbyteris ordinare licuerit. Sed inepta est ex vocis ambiguitate contentio. Presbyter enim aut ita sumitur, ut sit venerationis, ac dignitatis appellatio ; aut ita, ut gradum, ordinemque significet secundi sacerdotii, et episcopatu minoris. Si primo modo capitur, cum episcopus presbyter quo-

Ficulneum fulcimentum.

que diceretur, certum est, ordinandi jus fuisse penes presbyterum, quod idem est, ac penes episcopum. Sin posteriore usurpes modo, neque Apostolorum sæculo, nec ullo unquam deinceps alio, ordinare potuit presbyter ; et absoluta est Hieronymi sententia. Quod si ex instituto Christi, et propagata per Apostolos traditione divina, unus in Ecclesia tantum esset ordo duplici illi nomini subjectus ; nullus sine episcopali potestate, et ordinandi jure creari presbyter potuisset, ut supra demonstravimus. Quod ergo presbyterum ordinare posse negat Hieronymus, episcopum solum id posse confirmat ; diversos, et inæquales ordines ex sese, et auctore habitos Christo, perspicue declarat. Præterea, quod scribit Hieronymus, *excepta ordinatione*, nihil præcipuum episcopo inesse supra presbyterum, ad illud tempus convenire debet, quo episcopus presbytero major esse cœpit, et dignitate superior ; quod etiam Catharus affirmat. Atqui Apostolorum tempore Alexandriæ saltem unus semper e presbyterorum collegio electus est episcopus, qui iisdem illis præesset. Tum idem in aliis omnibus ecclesiis esse factum, Salmasius ipse alibi confitetur. Igitur Apostolorum etiam ætate penes solos episcopos, hoc est primi ordinis sacerdotes jus imponendarum manuum, et ordinandi fuit.

VI. Hoc loco necesse esse video de Hieronymi sententia paulo latius disserere, ut et tanti viri nomen ac decus contaminari non patiar sacrilega communione Puritanæ, ac Salmasianæ factionis ; et hujus ipsius Messaliano-Cathari garrulitatem, atque audaciam comprimam.

Duo præcipua Hieronymi loca expenduntur.

Duo sunt loca præcipua, in quibus Hieronymus de episcopi ac presbyteri discrimine ex professo disseruit : alter est in epistola *ad Evagrium*, quæ est octogesimaquinta : alter in Commentario ad caput primum epistolæ *ad Titum*. De utroque separatim, et ordine agemus, orsi ab eo, quem primum posuimus. Scribendi ad Evagrium occasio, quæ fuerit Hieronymo, multum interest scire. Eam sic initio exponit ipse : « Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est episcopis anteferret. » Quibus autem presbyteris? Hoc enim ante omnia constituendum est. Duplex enim genus presbyterorum ab Hieronymo statui, Salmasio videtur[1] ; quorum alios *antiquiores*

1 Cap. v.

vocat, *qui nihilo inferiores erant episcopis*, quales Apostolorum temporibus exstitere : alios recentiores; *qui inferiores erant episcopis*, uti postea esse cœperunt, cum jam unum eligi ex omnibus, et Ecclesiæ præfici placuisset. Horum igitur duorum generum utrum tandem intelligit Hieronymus, cum presbyteris diaconos anteferri queritur ? An hoc ridiculum est quærere, cum sit manifestum, de iis agi presbyteris, qui tum erant, et quibus anteponebantur ejusdem temporis diaconi ? Illi plane designantur ab Hieronymo presbyteri, quos videbat oculis, et quorum unus erat, si jam initiatus erat huic ordini, quales episcopi non erant, sed sacerdotes simplices. Hos, inquam, *Presbyteros* esse ait *Episcopos*, id est æquales episcopis , non antiquiores illos Apostolorum temporum; qui, cujusmodi eos facit Salmasius, non episcopis æquales, sed episcopi fuerunt.

VII. Quod si vel dubitare de eo ridiculum est, utros Hieronymus presbyteros intelligat cum tam aperta sit illius oratio; quanto ineptius est etiam illud affirmare, antiquiores ibi significari, et Apostolicæ ætatis presbyteros, non recentiores, quos præ oculis habebat Hieronymus ? Quæ est Salmasii acuti critici sententia ; qui tortuosa, et perplexa verborum interpretatione pueriliter illusit gravissimo, et eruditissimo Patri, ac totum depravavit illius epistolæ sensum. « Ut ostendat, inquit, quam sine ratione diaconi presbyteris se prælatos vellent, primo docet, presbyteros olim eosdem cum episcopis fuisse, nullo omnino potestatis, et auctoritatis inter utrosque interjecto discrimine. Ne tum quidem, cum distinctus esset ordo episcopatus, et presbyteratus , alio discrimine eam differentiam constitisse, nisi ordinandi potestate. » Quocirca duo ab Hieronymo discerni tempora putat ; totidemque presbyterorum genera, ut alios Apostolici temporis exprimat, alios recentioris, ac sui. De priori genere verba hæc illius accipit, quæ ex initio epistolæ retuli, in quibus « quemdam ait diaconos presbyteris , id est episcopis anteferre. » De posteriori vero, quæ interjectis aliquot sequuntur ; « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat ?» At est ejusmodi hæc expositio, ut vel ab Heraclito risum exprimat. Quid enim ? Ille nescio quis, cujus vecordiam notat Hieronymus, quod diaconos presbyteris potiores ducebat, num tandem iis solis diaconos anteferebat presbyteris , qui olim ante aliquot sæcula Apostolorum ætate vixerant, et qui tribus jam sæculis in rerum natura esse desierant ? Nam in illis ordinibus mutationem esse factam, et presbyteros infra episcopos redigi cœpisse sub initium secundi sæculi, Salmasius existimat, ut supra memini ; unde antiquiores illi primi generis presbyteri jam nusquam erant, cum ista commentabatur Hieronymus.

VIII. Quare, ut ad diaconos, cujusmodi temporibus erant Hieronymi, vecors ille respiciebat , cum eos anteponeret presbyteris ; sic presbyteros non alios cum illis contendebat, quam qui tunc in Ecclesia versabantur, non ignotos, et ex antiquitatis memoria repetitos, quasi cum larvis, ac lemuribus certare vellet. Nec dubium est, quin utrosque similiter, et eosdem, atque ille, quicum agebat, sibi proposuerit Hieronymus, hoc est sui temporis ut diaconos, ita presbyteros. Aut quid ineptius hac sententia fuerit, quæ ex Salmasii opinione apud Hieronymum concipienda sic esset ? *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam* , *ut diaconos presbyteris*, id est iis, qui episcopi olim ante trecentos annos fuerant, sed amplius non erant, *anteferret*. Nonne hoc ipsum, quod ab episcopali fastigio dejecti, et in inferiorem locum redacti, ac *regradati* fuissent presbyteri, plausibilem nebuloni isti argumenti speciem dedisset , ut illis diaconos anteferret, qui loco moti nunquam fuerant, sed ad majorem etiam dignitatem , splendoremque profecerant ? Ergo quibus presbyteris anteferebat diaconos hoc est præsentibus, et vivis, vulgoque cognitis, eos Hieronymus episcopos nominat, non *cascos* illos, et obsoletos, ac solis notos eruditis. Ad eosdem referri omnia illa credidit, quæ deinde ex epistolis Pauli *ad Philippenses*, *ad Timotheum*, *ad Titum*, ex *Actis*, ex Petri itidem, ac Joannis epistolis de presbyteris dicta commemorat. Tum eosdem presbyteros ait, « unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominasse Alexandriæ, a Marco usque ad Heraclam , et Dionysium episcopos. » De iisdem presbyteris et ista scribit : « Quid enim facit, excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter ? » De eodem postremo genere presbyterorum intelligendus est, cum dicit, idcirco Paulum, postquam episcopo præcepta dedit, ad diaconum transisse , « de presbyteris omnino reticuisse, quia in episcopo et presbyter continetur, » Non alia mens, et oratio esse potuit Hieronymi, nisi inconcinne ac putide sapere

illum, ac loqui putemus; quod de tanto viro suspicari dementis sit, ac sacrilegi. Quonam vero pacto sit intelligendum, quod ait, presbyterum ejusmodi, qui ætate jam ipsius erat, eumdem esse cum episcopo, dicam postea, ubi alterum locum illius ex commentariis in epistolam *ad Titum* exposuero.

IX. Hieronymus in commentariis istis, agens de eo, quod Paulus *ad Titum* scribens hortatur ipsum, ut presbyteros per civitates constituat, quos subinde episcopi nomine designat, primum adnotat, « Eumdem esse presbyterum, qui et episcopus est; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio ecclesias gubernatas esse. Postquam vero unusquisque, quos baptizaverat, suos putabat esse non Christi; in toto orbe decretum esse, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Deinde, pluribus allatis Scripturæ testimoniis, quibus presbyteros appellari episcopos affirmat, « Sicut ergo presbyteri sciunt, inquit, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere. » Hæc Hieronymi præcipua loca sunt, ex quibus Calvinus, aliique Romanæ communionis hostes, et horum pedissequus Salmasius ostendi putant, presbyterum, et episcopum unius, et ejusdem ordinis esse vocabula, nec ullum inter ambos esse discrimen. Quod Salmasius de solo Apostolorum tempore intellexisse putat Hieronymum, non de consequenti, cum jam supra presbyteros constitutus esset unus, qui episcopus vocabatur. Tum enim ordines cœpisse distingui. In quo, quam ad prodigium usque occæcata mens illius fuerit, et ut sibi ipse fœdissime contradicat, planum est ex iis quæ superius explicavimus[1]. Sed et nunc in isto ipso loco capitis quinti Dissertationis Wallomessalianæ, ad eumdem scopulum inscitiæ turpe naufragium fecit, cum adversum me de Hieronymi verbis, ac sententia contenderet.

X. Scriptum a nobis fuerat[2], Hieronymum indicare, « Presbyteros illos antiquiores nihilo fuisse inferiores episcopis; atque ex suo corpore unum aliquem elegisse, qui præesset omnibus; uti schismati obviam iretur. » Hoc Salmasius impugnans negat, eamdem fuisse rationem Apostolicorum temporum, quæ Hieronymi ætate postea fuit: « Dum antiquiores illi presbyteri fuere, qui nihilo inferiores erant episcopis *ex suo corpore nunquam unum eligere soliti sunt*, *qui præesset cæteris*. Ubi autem unus ex numero plurium eligi cœptus est, qui omnibus præponeretur, non amplius pristina æqualitas servata est, et ab eo tempore cœperunt presbyteri inferiores esse episcopis. » Hoc non alius, quam Salmasius ipsemet refellit proxime antecedenti capite, ubi Hieronymum redarguit, qui a « Marci temporibus morem hunc Alexandrinæ ecclesiæ repetit, ut presbyteri ex suo corpore eligerent, qui episcopus fieret, et cæteris præesset, cum antiquior ac prior mos fuerit ecclesiarum, ab ipsis Apostolis institutus, *ut primatus inter Presbyteros non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur*. » Tum postea conjecturam facit, electos illos ex presbyterorum corpore, « quibus primatus eo modo delatus esset, episcopos κατ' ἐξοχὴν nominatos esse, cum cæteri nuncuparentur presbyteri. » Imo et illos primos vocatos episcopos non minus appellatos presbyteros; uti cum Athenis novem essent ἄρχοντες, unus tamen insigniter nominatus est ὁ ἄρχων. De qua Salmasii repugnantia fuse in primo libro dictum est. Sane nihil de Hieronymi mente et interpretatione scripsit iste contra nos, cui non contrariis ipsiusmet sententiis, ac nostrarum, quibus pueriliter irascitur, insultatque, similibus occurri possit, ut non major illius sit mecum quam secum ipsius contentio. Sed hoc tantisper seposito nugatore, de Hieronymi mente dicamus, quæ nobis probabilia maxime videntur; quibus expositis, tum aberrantem illum in viam denuo revocare conabimur.

Per excellentiam.

Archontes. Archon.

1 Lib. I, cap. XIII. — 2 Lib. I *Dissert. Eccles.* cap. III.

CAPUT V.

Explicatur Hieronymi sententia de episcopis, et presbyteris. Episcopi nomen, et hujus origo diligentius exponitur. Certus Athenis magistratus ea voce designatus. Hieronymus cum episcopum, ac presbyterum eumdem dicit, solam externam Ecclesiæ gubernationem respicere. Multum ab hæreticorum opinione distare ipsum. Duplex ratio interpretandi Apostoli probabilis. Ridicula Salmasii quiritatio de institutione episcoporum ex Hieronymi sententia. Res interdum optimæ ex malorum occasione ortum accipiunt.

I. Diu est, quod catholicos theologos anxios et sollicitos habent Hieronymi loca illa duo, quæ antecedenti capite descripsimus. Ibi enim presbyteros inter et episcopos nullum videtur statuere discrimen, sed paris ambos ejusdemque ordinis, ac dignitatis esse velle. Quod quia falsum, et sanæ, orthodoxæque fidei, ac decretis conciliorum, et Patrum antiquorum placitis contrarium est: merito ab hujus contagione erroris, et invidia sanctissimum virum eripere pro se quisque operam adhibuit. Ita quippe de Ecclesia, et Christiano nomine ille meritus est, ut eum ab tali suspicione purum, et immunem reddi, Catholici ac veri dogmatis intersit. Quanquam enim uno in capite, quamlibet nobili et illustri, summa fidei, qua Christiani et catholici sumus, non vertitur; nec si paululum in ea re, qua de agitur, ab illius regula discedat Hieronymus, præponderare hujus, quantacumque sit, auctoritas debet; non est tamen facile deserendus; neque tolerandum nobis est, ut ob incerta, et ambigua illius dicta, certa nomini ejus invidia conflentur. Ut enim prudenter admonet Philippus Abbas Bonæ Spei[1], «Etsi ibi aliquid invenitur, quod per se consideratum debet forsitan accusari; potest, nisi fallor, consideratis præcedentibus, vel consequentibus excusari; et ad condemnandum quemvis librum, non est prætendenda duarum, vel unius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici, et sunt nonnulla, quibus singularibus potest merito contradici; sed cum omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumjacentium muniuntur.» Quo in genere Michaelis Medinæ merito notandam dixi esse temeritatem[2], qui non hunc solum, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Theodoretum, aliosque veteres in eamdem causam, ac damnationem includit cum Aerio, Waldensibus, ac Joanne demum Wiclefo; quibus adjungendus est Lutherus, Calvinus, eorumque posteri, et qui horum confidentissimus habendus est Salmasius. Nam nemo est istorum omnium, qui cum episcopalem ordinem nihilo majorem esse presbyteratu sentiat, ut ex institutione Christi, et Apostolica traditione unus idemque sit; tum hujus auctorem testemque sententiæ non subinde appellet Hieronymum.

II. Sed si accurate mentem ipsius, et menti consentanea verba spectemus, quod deinceps facere decrevi; minime dubitabimus, quin illorum de tanto viro vana sit, et falsa gloriatio. Non enim existimavit unquam, aut vero scripsit, unum et eumdem in Ecclesia institutum ordinem, aut ab Apostolis traditum fuisse, qui postea divisus, et in duos distractus sit, episcopatum, et presbyteratum; verum duos, ut sunt, et erant illius tempore, sic a Christo constitutos esse. Quatenus autem in unum conflasse, et pro eodem habuisse visus est, ejus nobis exponenda ratio est.

Duo in episcopali nomine ac dignitate discernenda sunt. Alterum ordo ipse, sive character, quo ad certa effecta potestatem accipiunt, præsertim ad ordinandos episcopos alios, et presbyteros. Ita enim Epiphanius discrimen hoc episcopatus presbyteratusque definit in hæresi *Aerianorum*; quod « prior ordo gignendorum patrum Ecclesiæ vim et potentiam habeat; posterior non patres, sed filios Ecclesiæ generet[a]. » Patres autem intelligit presbyteros, et episcopos etiam, qui ab episcopis ordinantur; filios vero Christianos, qui per Baptismum generantur a presbyteris. Alterum est regendi mystici, ut vocant, corporis Christi potestas, et jurisdictio, hoc est

Episcopi nomen et hujus origo diligenter exponuntur.

a Epiph. hær. LXXV. Ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις· πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ. ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ.

1 Phil. Ep. V. — 2 Lib. I *Dissert. Eccles.* cap. III.

Ecclesiæ gubernandæ, tam in iis, quæ ad disciplinam, legesque pertinent, quibus sacra respublica continetur, quam ejus ærario curando, ac bonis, et fortunis administrandis. Harum partium duarum, quibus episcopalis ordo constat, posterior, etsi est inferior, appellationi dedit originem. *Episcopus.* Nam ἐπίσκοπος proprie est curator rei cujuspiam, non sine potestate, ac functione aliqua circa rem illam. Quæ si est ratione prædita, tum ad *inspectionem* auctoritas accedit, et jurisdictio.

Certus Athenis magistratus hoc nomine designatus. III. Quare apud Hesychium ἐπίσκοπος dicitur, βασιλεὺς, et φύλαξ, tum *rex*, tum *custos*. Aristophanes quoque in *Avibus* ἐπίσκοπον pro magistratu quodam accipit, qui cum potestate mittebatur in provincias ad rerum statum inspiciendum, et ordinandum. Ibi enim inter Dramatis personas unus est ὁ Ἐπίσκοπος, ad novam inspiciendam civitatem sortito destinatus, qui sic loquitur :

Ἐπι. Ἐπίσκοπος ἥκω δεῦρο, τῷ κυάμῳ λαχὼν
Εἰς τὰς νεφελοκοκκυγίας.

Epi. *Episcopus ego huc venio, sortitu fabæ*
Ad Nephelococcygias[1].

Quem locum enarrans Scholiastes observat, « Eos, qui ab Atheniensibus ad civitates mittebantur imperio suo subjectas, ut rerum ibi statum inspicerent, Episcopos, et custodes esse dictos; quos Lacedæmonii Harmostas vocabant[a]; » quæ ex Harpocratione transcripsit, ut et Suidas *.

Harmostas. Jam illud notissimum est, Ἁρμοστὰς curationem habuisse cum amplissima potestate, qualem apud Romanos Proconsules, aut Proprætores habuere, qui stante republica in provincias mittebantur; vel ut Præsides, cæterique provinciales magistratus sub Imperatoribus. Harpocratio *Harmostas* exponit *magistratus, qui a Lacedæmoniis ad urbes sibi subjectas mittebantur*[b]. Hesychius *Harmostam* interpretatur *curatorem missum ad civitatem subjectam*[c]. Quinetiam Julius Pollux inter vocabula, quibus agonum præfecti nominantur, ἐπίσκοπον numerat[d]. *Episcopum.* Ex quibus ὁ θηρολέκτης, et *vocabulorum, ac syllabarum legulus*, Catharus Trapezita refellitur[2], qui Episcopos ex vi nominis, et proprietate, contendit non habuisse potestatem, aut dignitatem, sed solam curationem, et administrationem. Quem quidem in *Dissertationum* primo libro confutavimus[3], et rursus cum eo agemus postea.

Episcopi. Igitur qui Ecclesiæ præerant, ac tam ipsam, quam res ejus administrabant, ἐπίσκοποι initio vocati sunt, non qualescumque clerici, ac ministri, qui curationem, et præfecturam aliquam utique gerebant, sed sine jurisdictione ac potestate, quam in homines exercerent. *Presbyteri.* Nec minus etiam πρεσβύτεροι vocati sunt, non tam ab ætate, (etsi primaria inde nominis impositio ducitur) quam ab veneratione, ac dignitate.

Hieronymus cum presbyterum et episcopum eumdem esse dicit, solam externam gubernationem respicit. IV. Hieronymus qui episcopum et presbyterum eumdem esse scripsit, solam externam in episcopo curationem, potestatemque spectavit, hoc est administrandæ, ac gubernandæ Ecclesiæ functionem, non ordinem, et characterem; quo quidem differre hunc a presbytero, eoque longe præstantiorem esse non dubitavit. Quemadmodum episcopus, postquam sponte sede sua cessit, et in ordinem redactus est, jurisdictione caret, hoc est externa gestione, ac potestate pascendi gregis, et regendi, et si erret, ad officium suum pœnarum severitate revocandi. Non enim leges populo privatim præscribere potest, neque *censuris*, quas vocant, in delinquentes animadvertere; neque tamen propterea episcopus esse desinit; quo nomine presbyteris omnibus antecellit, etiam iis, qui externam habent jurisdictionem, ac potestatem, cujusmodi sunt parœci, quos *Curatos* nominant.

Legebat apud Apostolum sanctus doctor, episcopos et presbyteros promiscue nuncupari; tum ab iisdem numero pluribus in commune *regi Ecclesiam Dei*[4]. Utroque porro nomine designari ab illo pastores, et præ-

a Schol. Οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι, ἐπίσκοποι, καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο. οὓς οἱ Λάκωνες ἁρμοστὰς ἔλεγον.

b Harpocr. Ἁρμοσταὶ, οἱ ὑπὸ Λακεδαιμονίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἄρχοντες ἐκπεμπόμενοι.

c Hesych. Ἁρμοστὴς ὁ πεμπόμενος ἐπιμελητὴς εἰς ὑπήκοον πόλιν.

d Pollux lib. III, cap. III. Ἀγωνοθέται, ἀθλοθέται, ἀγώνων διαθέται, ἄθλων ἐπιμεληταὶ, ἔφοροι, ἐπόπται, προστάται, ἐπίσκοποι.

* Vide Passardum *de Republ. Atheniens.* cap. XXXV. Quam citat Mamachius t. IV. Adde et Ezechielem Spanhemium ad Callimachum, et Everhardum Ottonem *de Ædilibus Coloniarum.* Z.

1 Aristoph. in *avibus*. — 2 Lib. *defens. Trap.* — 3 Cap. IV. — 4 *Act.* XX.

sides Ecclesiæ. Quare id, quod erat consequens, ex eo conclusit, eosdem olim presbyteros, et episcopos fuisse, quod ad officium, et gubernandi potestatem attinet, non autem ordine ac charactere, et interiori potestate, quam in episcopo diversam, ac multo sublimiorem agnovit. Non enim, ut Salmasius putat, presbyteros, quos cum episcopis confert, episcopali ordinatione præditos fuisse voluit ; imo hanc nominatim excipit in epistola LXXXV. Restat igitur, ut solam in utrisque jurisdictionem, et externam administrationem respexerit.

V. Possunt hæc quæ dixi, ex Hieronymi verbis ipsis sine ulla ambiguitate monstrari. Imprimis presbyteros ab eo non episcopali charactere insignitos intelligi, sed sacerdotes simplices, jam antea probavimus ; et aliter sentientis Salmasii inscitiam convicimus. Hos enim presbyteros commemorat Hieronymus, quos diaconis ætate sua nonnulli posteriores habebant, hoc est qui tum erant in Ecclesia, cum ista scribebat, non antiquos illos, qui nusquam erant, ut cum iis de gradu, ac dignitate diaconi contenderent. Deinde veros, proprieque vocatos episcopos, etiam temporibus Apostolicis, non fuisse plures existimat in una ecclesia, cum plures fuisse fateatur presbyteros. Nam cum ad probandum, eumdem apud Paulum esse presbyterum et episcopum, attulisset *Actorum* locum ex XX capite, ubi presbyteri nominantur episcopi, statim ei, quod opponi poterat, occurrit : « Ac ne quis, inquit, contentiose in Ecclesia plures episcopos fuisse contendat ; audi et aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eumdem esse episcopum, et presbyterum. » Dicat, obsecro, Salmasius, si Hieronymo visum erat, presbyteros in eodem cum episcopis ordine ac gradu tum fuisse, et episcopalem characterem habuisse ; quandoquidem in una ecclesia presbyteri erant plures quod ex *Actorum* loco illo didicerat ; cur episcopos esse plures negaverit. Nonne sole ipso clarius lucet, presbyteros partim diversos, partim eosdem cum episcopis ab Hieronymo censeri, atque ordine quidem, et charactere distingui ; gubernandi vero et administrandi munere his illos exæquari ?

VI. In commentario ad caput primum epistolæ *ad Titum*, « Episcopum et presbyterum unum esse ait, et aliud ætatis, aliud nomen officii. » Episcopatum ergo officii nomen esse vult, hoc est curationis, et gubernationis. Ac principio quidem sub Apostolis Ecclesiam in commune administrasse putat episcopos, et presbyteros, hoc est utriusque ordinis sacerdotes, primi ac secundi, qui communi vocabulo a cura, inspectione, et administratione Ecclesiæ nuncupati sunt episcopi simul et presbyteri ; adeo ut ordinatione, gradu, et sacerdotii genere distarent. Cujus discriminis caput in eo constituit, quod in eadem epistola nominatim excipit ; nempe in *ordinandi potestate*, hoc est conferendi Sacramentum ordinis per impositionem manuum. « Quid enim facit, inquit, excepta ordinatione, episcopus, quod non faciat presbyter ? » Ergo in eo solo unum est cum episcopo presbyter, quod cum illo facere potest ; in eo vero diversus est, quod solus potest episcopus facere, presbyter non potest. Hoc itaque seposito, reliquæ partes episcopatus cum presbytero communicatæ sunt, ut putavit Hieronymus. Quanquam illud videri potest κατ' αὔξησιν, ut multa alia, dixisse, cum pleraque alia functionis episcopalis nunquam a presbyteris usurpata legantur. Sed quod præcipuum est illius ordinis, Ecclesiæ gubernatio, legum, decretorumque sanctio, sacramentorum administratio, quæ in usu erant quotidiano, et ordinatione, ut jam docuimus, excepta, scelerum coercitio, et ob ea pœnarum inflictio, ut excommunicationis, et rejectionis ab Ecclesiæ aditu, et similium ; hæc, inquam, et alia complura, quibus disciplina Christianæ communitatis, ac reipublicæ continetur, presbyterorum collegium curasse, ac totius Ecclesiæ rectionem habuisse, Hieronymus arbitratus est ita, ut nemo tum unus suopte nomine, et auctoritate illa præstaret, sed in commune omnia, deque totius collegii sententia fierent. Postea vero, cum in partes, et contraria studia divisus esset populus ; uti dicerent, « *Ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego autem Cephæ* [1], paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam[2]. »

Per amplificationem.

Hæc cum diserte scribat Hieronymus, non obscure significat, presbyteros, hoc est secundi ordinis sacerdotes, eatenus se episcopos fuisse dicere, quod τὴν ἐπισκοπὴν, id est ecclesiarum curam, et administrationem penes se haberent. De ordinandi potestate, ac præcipua, et οὐσιώδει episcopatus proprietate, conditioneque nihil dixit Hieronymus ; imo

Episcopatum.

Essentiali.

1 1 *Cor.* I. — 2 Hier. in cap. I *ad Titum* et Ep. CLXXXV.

expresse hanc excepit, ac presbyteris ademit, non aliis, quam quos episcopis pares, et eosdem visus est facere.

VII. Nos in eo dissentiebamus ab Hieronymo, quod presbyteros, eosdemque episcopos a Paulo nominatos, primi ordinis fuisse suspicabamur, non secundi, simplicive sacerdotio præditos. Utcumque vero res habet, perspicuum est, longo intervallo distare sanctum virum ab Aeriana, Waldensi, Wicletiana, Lutherana, Calviniana, et Salmasiana pestilentia; neque, ut illi faciunt, inter presbyteratum, et episcopatum discrimen omne sustulisse. Proindeque temere hanc labem adspersisse nomini illius, ut et aliorum veterum Patrum, Michaelem Medinam qui eamdem istorum, atque hæreticorum illorum causam esse falso credidit. Nec illud animadvertit, quanti ad eam diluendam suspicionem momenti sit, quod ordinandi potestatem solis episcopis vendicat Hieronymus, nec aliud in episcopatu proponit sibi, præter externam administrationem, et usum jurisdictionis. Quam penes unum residere, et ab eo duntaxat exerceri, non putavit juris esse divini, sed ecclesiasticæ consuetudinis. Ex quo ita conclusit[1]. « Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere; imitantes Moysem, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret. » Ex his verbis, et exemplo Mosis, quo utitur, evidens est, agi hic de episcopali tantummodo jurisdictione, ac judiciaria potestate, id est externa ordinis functione. Cujus cum minoris gradus sacerdotibus communicatio, amplissimi sacerdotii dignitati, ac majestati nihil detraxit. Quemadmodum, etsi Moses in consortium jurisdictionis, ac judiciariæ functionis septuaginta illos ascivit, auctoritatem tamen retinuit, ac potestatem tum in populum universum, tum in illos etiam, quos in collegium propemodum summæ illius potestatis assumpserat.

Quapropter etsi primis illis temporibus Apostolorum unum in singulis ecclesiis præsidem, ac principem fuisse demus, episcopum, ac presbyterorum συλλειτουργῶν caput; nihil huic obesset, quod Hieronymus asseverat, parem, et eamdem in omnibus fuisse potestatem eum appellatione communi, non divisis, ac seorsim sumptis, sed ut cœtum, ac collegium, id est presbyterium conjuncti facerent.

Comministrorum.

VIII. Mihi vero propius modo hanc in rem intuenti non improbabilis videtur illa Hieronymi sententia; et ad eam quæstionem, quæ ex Apostolo mota est, explicandam satis idonea. Ut cum illud in controversiam adducatur, idemne sit ex Apostolico instituto episcopus, et presbyter; eumque dubitandi causa ex eo justa sit, quod Apostolus maxime Paulus eosdem, quos presbyteros nominat, subinde vocet episcopos, ac pastores, Ecclesiæque præsides, et præpositos esse significet, duo sint probabiles respondendi modi, quibus catholico dogmati, quod distinctos a se invicem ordines illos statuit, nihil repugnare Apostolica illa dicta monstremus. Primus est ille, quem in *Dissertationibus Ecclesiasticis* exposuimus: presbyteros olim eosdem et episcopos, hoc est primi ordinis sacerdotes esse factos, ac plures iis in Ecclesiis positos, de quibus illis in Apostoli locis mentio fit. Quod neque diuturnum fuerit, nec ubique fortassis institutum. De quo vide quæ in illo libro disseruimus[2].

Duo probabiles modi explicandi Apostolici dicti, quo iidem nunc episcopi sunt appellati, nunc presbyteri

Posterior modus est, quem ex Hieronymi dictis, ac prudenti conjectura hoc in capite confecimus: presbyteros, quos Apostolus commemorat, non primi ordinis, sed secundi duntaxat sacerdotes fuisse; verum in gubernanda, et administranda Ecclesia episcopales implesse partes, et illam communi consilio, et auctoritate rexisse, eosdemque simul et presbyteros, et episcopos appellatos esse. Quod perinde, ut in priore sententia dixi, sub initium duntaxat Christianismi usurpatum esse verisimile est; cum paulo post, ipsisque adeo superstitibus Apostolis, id factum sit, quod Hieronymus indicat, ut ad vitandum schisma omnis in unum transferretur auctoritas, et gubernandi potestas.

IX. Neque vero mirum illud, aut incredibile videri debet, primo cujusque fundatæ ecclesiæ tempore nondum quempiam unum præsidem, ac proprie dictum episcopum ibi constitutum fuisse; sed presbyteros simplices, id est secundi ordinis sacerdotes tantisper impositos, qui Sacramenta ministra-

1 Hier. in cap. I *ad Titum.* — 2 Lib. I *Dissert. Eccles.* cap. II.

rent. Nam Samariæ, cum primum Christiana fides, et Ecclesia coaluit, Philippi unius e discipulis opera, nullus adhuc episcopus erat, cum « Apostoli , qui erant, miserunt ad eos Petrum et Joannem[1], » qui episcopale ibi munus implerent, hoc est sacramento Confirmationis baptizatos initiarent.

Ad hunc modum credibile est, Corinthi, Ephesi, et in aliis quibusdam civitatibus, et ecclesiis recens ab Apostolo Paulo, vel aliorum opera conditis, nullos interim veros institutos episcopos, sed presbyteros tantum, ac diaconos, atque ad ea munera, quæ primi ordinis antistitem postulabant, identidem Apostolos accurrisse ; vel ab illis ordinatos episcopos, perque varia loca dimissos, donec in una aliqua sede tum ipsi domicilium figerent ; tum alii per civitates episcopi crearentur. Quæ, ut dixi, minime diuturna, saltem plerisque in locis exstiterunt. In hanc opinionem, præter Hieronymum Chrysostomus etiam, Theodoretus, ac Græci plerique concurrunt Interpretes ; nec habet quidquam, quod merito displiceat antiquitatis ecclesiasticæ peritis, aut alienorum ab Catholica communione judicia reformidet.

Etenim quæcumque de episcopis, iisdemque presbyteris nominatis, Apostolus dixit, ea possunt probabili interpretatione de simplicibus accipi sacerdotibus, qui pro veris episcopis interim populos, atque ecclesias administrabant, et ea munera præstabant, quæ habet hic Ordo cum illis communia ; ut sunt hodieque quos *Parochos*, et a cura *Curatos* vulgo nominant. Nam et isti pro suo modulo populos pascunt, gregique Dominico præsunt, et pro illorum animis rationem reddunt ; et citra ordinationem, impositionemque manuum, quam *sacramentalem* vocant, aut si qua sunt alia, quæ sunt rarioris usus, et in episcopi adventum differri commode queunt, vicem episcopi supplere possunt.

X. Hujus gubernationis formulam in Alexandrina ecclesia observare licet, in qua præ cæteris Parœciarum ex antiquo usus obtinuit, ut scribit Epiphanius in Arianorum hæresi. Nam ecclesias in illa urbe complures presbyteris commissas esse refert, qui synaxes ibi celebrantes populum suum instituebant. Quinetiam per agros ecclesiæ nonnunquam ab simplicibus presbyteris regebantur : de quo postea, cum de Chorepiscopis agemus. Tales itaque pastores jure censentur ; et *Episcopi* nominati, possunt ab Apostolo videri, quasi *gregis inspectores*. Sane Leo primus simplicibus presbyteris curam minorum ecclesiarum committi jubet. « Illud, inquit[2], sane, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus, canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, et ubi ante non fuerunt, episcopi consecrentur, cum ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, presbyterorum cura sufficiat ; episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis, et frequentioribus civitatibus oporteat præsidere. » Multa de hoc argumento diligenter collecta videri possunt apud Joannem Filesacum theologum Parisiensem in libro *de Parœciarum origine*[3]. Quibus adjungi potest illud, quod de Alexandrinæ ecclesiæ Patriarchatu memoriæ prodit Eutychius nuper a Seldeno editus. Is auctor asserit, ab Hanania primo illius urbis episcopo, et vero Patriarcha, quem Marcus ordinavit, nullos deinceps in Ægypti provinciis episcopos fuisse usque ad Demetrium, qui Origenis tempore Alexandriæ præfuit. Quo intervallo solus Alexandriæ episcopus toti Ægypto præsidebat, rectores sub se habens singularum ecclesiarum presbyteros. Primum autem Demetrium ait tres episcopos creasse ; post hunc autem, Heraclam ordinasse viginti.

XI. Hoc si verum est, apparet quemadmodum Apostolorum ætate potuerint ecclesiis, recens præsertim constitutis, præponi presbyteri simplices, non episcopi ; eoque modo probabiliter explicari posse loca illa Scripturæ, in quibus presbyteri, iidemque episcopi dicti ecclesiarum pastores, et administri memorantur ; ut nonnisi secundi ordinis fuerint sacerdotes, qui plures in eadem ecclesia collocarentur, et presbyterium facerent.

Cæterum brevi, ut dixi, post tempore, rerum ecclesiasticarum cura, et gubernatio a pluribus ad unum translata est, cui et episcopi nomen attributum κατ' ἐξοχήν, ut vel ipse confitetur Salmasius, quando et ordine ab illo proximi presbyteri nominati sunt, et episcopi desiere dici ; cum tamen primi ordinis sacerdotes interdum etiam presbyteri vocati sint, ut ex Irenæo supra demonstravimus. Exstant veteres bene multi canones, quibus administrationis Ecclesiæ summa ad episcopum revocatur, tanquam supremum

Per excellentiam.

1 *Act.* VIII, 14. — 2 Leo Epist. LXXXVII. — 3 Cap. IV.

moderatorem, cujus injussu nihil a presbyteris, inferioribusque Clericis fieri liceat. « Presbyteri et diaconi, ait canon inter Apostolicos xxxix, præter episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipsi commissus est; et pro animabus eorum hic redditurus est rationem[a]. » Cujus canonis titulum ita Dionysius Exiguus concipit : « Ut tantum curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat. » Et canone xli. « Præcipimus, ut in potestate sua episcopus Ecclesiæ res habeat[b]. » Sunt et alii complures eadem de re canones editi, quibus ecclesiarum in solidum cura unicis committitur episcopis ac nominatim bonorum, et ærarii totius ecclesiastici. Vide quæ in *Dissertationibus Ecclesiasticis* de hoc argumento disputavimus[1].

Episcopi et presbyteri distantia ex Hieronymo statuitur.

XII. Quod autem Hieronymus scribit[2], episcopos eo more constitutos Alexandriæ, ut presbyteri de suo corpore quempiam eligerent, et in excelsiore gradu collocarent; tum quod omnino « unum ait electum esse, qui cæteris præponeretur in schismatis remedium; » ex eo constat, majorem illius opinione episcopum esse presbytero; neque præfracte ac rigide verba ejus accipienda, cum scribit : male *Diaconos presbyteris, id est episcopis anteferri*, tanquam idem inter se prorsus ambo sint. Etenim, quod in eadem epistola sub finem asserit : « Qui provehitur, de minori ad majus provehitur. » Quare si e presbytero ordinatus est episcopus, æquales inter se non fuerunt; sed hic illo sine controversia major. Restat igitur, ut presbyteros eosdem episcopos nominet, etiam ætatis suæ, propter antiquam prærogativam, ac functionem, quam Apostolorum tempore, et sub Ecclesiæ primordium habuerunt, ut Ecclesiam pari, atque episcopi deinceps fecerunt, potestate regerent. Quasi presbyteratus ex natura sua, et Ecclesiæ detracta consuetudine, juris illius, et officii capax sit. Hunc enim ordinem tum ratione solius externæ, ut jam diximus, administrationis ac regiminis, spectavit Hieronymus; tum ejus, quod illi per se convenire potest. Ita quidem ille; cui hac ex parte non consentio, quod vel regendæ Ecclesiæ potestatem, externamque gubernationem *sola consuetudine*, *non dispositionis Dominicæ veritate* episcopis tribuit. Hos enim divino jure præpositos Ecclesiæ arbitror, saltem in commune, ac generatim. De quo scio quæstionem agitari inter theologos, quæ est alterius loci. Sed qualiscumque de eo sententia sit Hieronymi, nihil ex eo detrimenti Catholica pars accipit; neque Puritanorum inde fit causa potior; quia certo liquet, non ea ratione conferri cum presbyteris episcopos, qua præcipue sunt episcopi, id est primi ordinis antistites; sed ea duntaxat, quæ inferior esse, nec tam proprie ad illius gradus essentiam pertinere visa est Hieronymo.

Ad hanc verissimam, et firmissimam interpretationem nostram, Cathari impetus omnes, et assultus fracti, illisique concidunt. Meminerit hoc unum Lector, quatenus inter utrumque ordinem comparationem illam instituat Hieronymus, et qua parte illos invicem exæquatos aliquando fuisse dicat; ac quid vicissim habere in æqualitate illa dissimile. Non enim sic eumdem esse cum episcopo presbyterum docuit ille, ut non interim, quam lato invicem intervallo distarent, isto ipso loco significarit.

XIII. Etenim episcopalis dignitatis patrocinium sumit; et mihi, quod eam imminuerim, irascitur Salmasius. Hoc illud nimirum est, quod in energumenis sæpe accidit, ut insessores illorum divinæ majestatis, et gloriæ ac catholicæ testes fidei, prædicatoresque repente fiant. Ecquod igitur meum est in episcopos acerbe dictum? Hoc ipsum quod Hieronymus duobus illis in locis diserte expresseque scripsit, quod nec de episcopis ipsis necesse est intelligi, et ut ad eos referatur, nihil habet injuriæ, aut offensionis. Dixi[3], primis Apostolorum temporibus « plures in eadem ecclesia, velut Ephesina, episcopos fuisse. Hoc tum simplices (addidi mox) recens ortæ mores ecclesiæ ferebant, nondum ambitione, et honorum cupiditate, malisque cæteris artibus, depravatis Christianorum animis. Posteaquam vero pristina illa charitas, et imitandi Christi, amplectendæque modestiæ, et humilitatis refrixit ardor, tum, quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et in schismatis remedium, unum aliquem e

a Can. xxxix Apost. Οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος.

b Ibid. can. xli. Προστάσσομεν τὸν ἐπισκόπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων

1 Lib. I cap. vi. — 2 Epist. lxxxv. — 3 Dissert. lib. I, cap. ii.

turba presbyterorum eligi placuit, qui præesset reliquis. » Ad hæc verba, quasi circulator quidam in triviis, conclamans, et omnes ad se convocans Salmasius, « Concurrite, inquit, omnes præsules, episcopi. Salmasius ipse de ὁμοτιμίᾳ episcoporum, et presbyterorum disserens, deque recentioris Ecclesiæ instituto, unum episcopum multis presbyteris imponentis, non meliora, nec veriora scripsit, nec tam injuriosa ordini episcoporum, ut nunc sunt. » Ergone quibus te *nec meliora*, *nec veriora scripsisse dicis*, quæ proinde *optimis, et verissimis* meliora, et veriora esse debent, quia te nonnisi *optima et verissima* scribere, quæ tua de te est opinio, judicas : illa, inquam, eadem *injuriosa ordini episcoporum* esse palam asseveras ? Obsecro te, quod tandem tuum judicium, aut quis in te communis est sensus ? Hic ubi gratificari te episcoporum ordini velle significas, ac me, quod *injuriosa* quædam in eos dixerim, reum apud illos facis ; postquam eos ad audiendum vocasti, tum et injuriosa te in illos scripsisse profiteris, et ea ipsa, quæ dixi, optima esse testaris, ac verissima. Atqui nec *injuriosa* sunt illa, quæ scripsi, nec tuorum similia ; et quid dixeris, ac scripseris, ne tu ipse quidem certo scis, aut potes dicere. Nam et omnia dicis, et nihil dicis : quia contraria, pugnantia, et ἀσύστατα dicis ; nec ex istis nugis, ac sordibus liquidi aliquid, ac defæcati potest exprimi.

Æquali dignitate.

XIV. Sed ut per singula tuam illam κόρυζαν abstergam, age quid aliud scriptum istic est a me, præterquam ab Hieronymo proditum est in epistola LXXXV et in commentariis ad eam, quæ est *ad Titum* ? Nonne, cum presbyteri in commune omnes Ecclesiam regerent, « postea unum electum esse scribit in epistola, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet ? » In commentario vero, « Antequam diaboli instinctu, ait, studia in religione fierent, et diceretur in populis, *Ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego autem Cephæ* [1] ; communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Ac paulo post, « Apud veteres eosdem fuisse dicit presbyteros, quos et episcopos. Paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. » Numquid his consentanea sunt nostra illa, quæ tu allatras ?

Coryzam.

Hoc enim, quod stulte criminaris in me, istud est, « quod ab ambitione, honorum cupiditate, cæterisque malis artibus, quibus depravati sunt Christianorum animi, originem traxisse dixi discrimen episcopos inter et presbyteros. » Tum ita colligis : « Inde ergo cœpit vestræ auctoritatis, et potestatis supra reliquos presbyteros ab immodestia, a superbia, charitatis frigore, et ab omnibus vitiis, humilitatis, modestiæ, simplicitatis Christianæ contrariis, Si hæ causæ fecerunt, ut unus e multis electus cæteris præponeretur, qui episcopus dictus est, quam longe ab dispositione divina abest hæc institutio ! »

XV. Tua hæc jejuna, et enecta, ac velut ex puerili declamatiuncula excerpta querimonia, captum te oculis istis arguit ; quibus quod congruens, ac decorum est, videtur. Quam enim multa ibi pecces, si tamen capere hoc potes accipe. Primum quidquid illud est, quod accusas, non meum est, sed Hieronymi. Scribit hic in commentario in epistolam *ad Titum*, « eumdem hactenus fuisse presbyterum, et episcopum, antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis : *Ego sum Pauli, ego Apollo*, etc. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi ; tum in toto orbe decretum esse, ut unus de presbyteris electus superponeretur. » Diaboli, ait, instinctu in Ecclesiam irrepsisse mala tanta, quorum ad remedium introducta est illa consuetudo, ut ad unum potestas redigeretur, quæ in multos dispertita fuerat. Dic, sodes, an non « instinctu illo diaboli, partium studiis istis, charitas, et imitandi Christi amplectendæque modestiæ, et humilitatis refrixit amor, » quas ad pestes curandas institutum unius esse magisterium affirmat Hieronymus ? Certe *schismata*, quod sciam, et factiones, ac studia partium, cum charitate, modestia, et humilitate non bene conveniunt. *Manifesta sunt enim opera carnis* [2], *quæ sunt*, *inter cætera*, *inimicitiæ*, *contentiones*, *æmulationes*, *iræ*, *rixæ*, *dissensiones*, *sectæ*, *invidiæ*. His *fructus Spiritus* opponitur ex adverso, *charitas gaudium*, *pax*, *patientia*, *benignitas*, *bonitas*, *longanimitas, mansuetudo*, *fides*, *modestia*. Propter superiora mala , quæ

1 I *Cor.* I. — 2 *Gal.* V, 19.

Christianorum animos pervaserant, decretum illud esse factum refert Hieronymus. Ais, an negas? Si negas, tum te mandacii, aut stuporis illius verba ipsa convincent. Dum enim, *antequam diaboli instinctu* illa studia partium, id est schismata fierent, penes multos presbyteros regimen Ecclesiæ fuisse dicit; jam illa facta schismata esse demonstrat, quando decretum de uno præside constituendo est editum. Sin fateris, profecto in eadem mecum causa est Hieronymus; nec habes, cur mihi potissimum succenseas.

XVI. Quibus porro tu oculis locum illum Hieronymi legisti, cum eum dixeris « ab Ecclesiæ consuetudine, et humani juris regula hunc primatum, et hanc prærogativam episcoporum ortum duxisse » scribere; idque mihi dicere satis esse debuisse, quasi hanc ille causam unicam attulerit, non etiam alteram, quam dixi, cur unus sit Ecclesiæ præpositus ubique terrarum? Qua te rapiditate, et incuria prætervolasse totam illam Hieronymi sententiam oportet, qui hoc non adverteris, dici ab eo, « priusquam unusquisque suos putabat esse, non Christi, quos baptizaverat, tum in toto orbe decretum esse, ut unus de presbyteris electus superponeretur, » hoc est fieret episcopus? An tu illos existimas, qui suos esse, non Christi, putabant, quos baptizaverant, ab ambitione, et honorum cupiditate vacuos animos habuisse; vel in eis non refrixisse modestiæ, et humilitatis amorem? Ecquid autem injuriæ, aut dedecoris ex eo conflari episcopis censes ab Hieronymo, quod ideo singulares per Ecclesiam quamque præsides constitutos asserit, ut illis contentionibus, ac dissidiis modus adhiberetur? Sane, ut tua ratio est, et argumentandi forma, sic in animo videris habuisse; quidquid ejusmodi est, ut ejus instituendi causa, malo ex aliquo, atque vitio, morumque corruptela manaverit, id ejusdemmodi esse, hoc est malum, atque vitiosum. Nam nisi ita persuasum habuisses, nunquam id vitio verteres, quod ex disciplinæ corruptione decretum illud exstitisse de uno præficiendo narratum est ab Hieronymo; nec tam insulse paratragœdiares, cum hac δεινώσει, « A malis vero artibus, et corruptione animorum, et totius Ecclesiæ depravatione, vitiorumque in locum virtutum Christianarum subrogatione, initium ejus et institutum arcessere, hoc vero non ferendum episcopis, si majestatis suæ comiter ab omnibus conservandæ curam agere velint. » Ignoras scilicet, quanta bona quantis ex malis initium habuerunt; et illud docendus es, quod quotidie pueri in scholis audiebamus, ex malis moribus bonas leges oriri. Aut istud [1] : « Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent. » Quid execrabilius peccatis hominum, ac sceleribus? At hæc rei vel optimæ causam dederunt, Christi in terras adventui, et morti propter peccatores ab eo susceptæ *Propter scelus,* inquit [2], *populi mei percussi eum.* Et Apostolus, *Traditus est propter delicta nostra* [3].

Mali subitorum mores optimorum institutorum occasio.

Vehementia.

XVII. Poteras eodem argumentandi genere, quo in me, et Hieronymum usus es, Apostolum urgere et blasphemiæ reum arcessere, quod, cur traditus sit, ac passus, et ante Deus homo factus, causam esse dixerit improbitatem hominum, eoque dicto majestati divinæ injuriam fecerit. Dixine plus semel ratiocinandi te inscitia labi sæpius, et in pudendos errores incidere? Hoc te loco idipsum scito commisisse. Nam quod nescis, eum oriri aliquid ex alio dicimus, id bifariam sumitur. Aut enim tanquam ex causa sic proprie dicta, ac per se conferente quippiam in rem effectam, ut cum equus ex equo, homo ex homine gignitur; aut ex accidente duntaxat, nec tam causa, quam occasio unum est alterius. Priore modo qualitas originis ad effectæ rei æstimationem pertinet. Itaque Christus, *Omnis,* inquit [4], *arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Posteriore vero aliter usuvenit. Nam pessimis ex rebus sæpe existunt optimæ. Tale est, quod de episcopis scripsit Hieronymus. Non enim putavit corruptelam morum in Christianis, et ambitionem quorumdam per se proprieque singularem Ecclesiæ peperisse magistratum, sed occasionem ei præbuisse. Hæc, si cum alio mihi res esset homine saltem vulgariter docto, ne littera quidem attigissem. Nunc te illorum ignoratione video supra modum exarsisse; atque in frivolas, et ineptas conquestiones erupisse; quod necesse non fuit.

XVIII. Denique ut ne longius insanire, ac miscere omnia pergat Catharus, iterum admonendus nobis ejus est, quod passim antea suggessimus, sed non sæpius, quam necesse est, ut est illius captus quocum contendimus.

1 Liv. lib. IV dec. IV. — 2 *Esa.* LIII, 8. — 3 *Rom.* IV. 25. — 4 *Matth.* VII, 17.

Nostra est igitur ista ratio : Duos in Ecclesia gradus et ordines ex sese, ac natura sua distinctos instituisse Christum, et Apostolis tradidisse ; primum, secundumque sacerdotium, sed ita tamen, ut illorum usum, distributionemque moderarentur pro sua prudentia, et ut tempus tulisset ; hoc est ut vel ambos personis itidem, ut natura sunt, separatos conferrent, vel ambos in idem caput contraherent. Itaque principio iis de causis, quas in *Dissertationum* primo libro attuli, presbyteros eosdem et episcopos creasse, quibus Apostoli præerant, et eodem loco illis erant, quibus secundo ordini deinde primi ordinis antistites. Postea, cum in Ecclesia scindi populus in contraria studia cœpisset, et in hunc alii, in istum alii propensiores essent, quod jam Paulo ipso vidente, ac gemente contigisse testatur ipsemet initio prioris *ad Corinthios* ; tum vero suaviter hoc divina gubernante providentia, unum aliquem e pluribus electum, qui toti presbyterio, et Ecclesiæ adeo præesset omni. Ad eum modum conciliari posse illa judicavimus, quæ ab Hieronymo litteris prodita non nihil offensionis habere videbantur. Meminerit ergo, si potest, Salmasius, quatenus ordines illos vel diversos invicem, vel in unum collectos, ac conjunctos esse defendimus ; neque vel quod intelligit, calumniose dissimulet, vel quod nondum capit, priusquam noverit, imperite damnare audeat. Simul illum alterum Hieronymi interpretandi, conciliandique modum, quem superius hoc in capite proposui, præ oculis habeat ; atque utrum volet, non quisquiliis istis Grammaticarum observationum, sed robustis, ac solidis argumentis refellat.

CAPUT VI.

Aerii hæretici opinio declaratur : quæ Puritanorum prælusit hæresi. Salmasius pessime illam interpretatur. Ostenditur Aerium penes simplicem presbyterum existimasse ordinandi esse potestatem : tametsi injuste usu illius interdiceretur ab episcopis. De manuum impositione. Quid differant inter se χειροθεσία, *et* χειροτονία. *Variæ manuum impositiones. Salmasii error, quæ impositionem manuum in Confirmatione putavit e presbyteris usurpatam. De alia impositione manuum presbyterali in Occidentali ecclesia instituta.*

I. Nunc antecedentis doctrinæ, disputationisque fructum colligam, quem in ea præcipue mihi destinaveram, ut Hieronymi juxta, et Epiphanii qualemcumque sententiam procul abesse demonstrem ab nefandæ contagione hæresis, quam Aerius olim, postea Calvinus, ac deterrimi omnium Puritani, et horum unus Salmasius amplexi sunt. Habebit autem hujus argumenti tractatio potissimam quæstionis, et controversiæ, cui hoc opus dicavimus, explanationem, una cum admirabili veterum inter se, quod ad catholicum dogma pertinet, consensione, ac concordia ; tametsi aliis in capitibus, quæ incidentia dici possunt, invicem dissidere videantur. Sed prius Aerii quæ fuerit hæresis, fundamenti loco constituendum est *.

Epiphanius in hæresi LXXV late illius historiam, ac dogmata describit. E quibus, quod ad rem nostram attinet, de episcopo, ac presbytero ita eum sensisse narrat : « Nulla re hoc illum esse præstantiorem [a]. » « Et, erat, inquit, illius dogma præter hominis captum furiosum, et immane. Imprimis enim, quanam, inquit, in re presbytero episcopus antecellit ? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit episcopus ; Exponitur Aerii hæresis.

a Epiph. in Synopsi lib. III, tom. I et Anaceph. Φάσκει δὲ μηδὲν εἶναι διαφορώτερον Ἐπίσκοπον τοῦ Πρεσβυτέρου.

* De Aerio multa disputant Natalis Alexander *hist. Eccles.* sæc. IV, cap. III, art. 15, et Tillemontius *monum. Eccles.* t. IX. Z.

imponit etiam presbyter. Baptizat episcopus: idem facit et presbyter. Sacrificium celebrat episcopus; non minus hoc facit et presbyter. Episcopus in cathedra sedet; sedet et presbyter [a]. »

II. Tale ergo nebulonis istius dogma fuit, quod *supra hominis captum, furiosum et immane* vocat Epiphanius; cujusmodi nunc est Salmasii, ac Puritanorum omnium : non esse distinctum episcopatum a presbyteratu, sed unum et eumdem esse ordinem. Unde et

Essentiale. præcipuum, atque οὐσιῶδες discrimen utriusque tollebat, quod ex Epiphanio, et Hieronymo supra commemoravimus, in eo positum, quod manus ad ordinationem imponebat episcopus, non autem presbyter. Ambos enim χειροθετεῖν, id est *manus imponere* in ordinandis presbyteris, asserebat ille. Cujus patrocinium adversus Epiphanium sumpsit Salmasius in cap. V *Dissertationis* ; ubi de Aerio disputationem expromit, quam merito sentinam quamdam esse dixeris in quam omnes non solum inscitiæ, hallucinationumque suarum, sed etiam impietatis hæreticæ sordes, et in sanctos temulentæ proterviæ congessit*. Ibi quæcumque contra Puritanorum archetypam hæresim, et hujus auctorem pie et catholice, adeoque verissime scripsit Epiphanius, «nihil esse dicit, nisi debiles, et ineptas objectiones, quæ per se ruunt. » Item: « Que de amentia, inquit, et stoliditate Aerii Epiphanius imprudenter, et inscite effutiit, » etc. Pergit deinde furere, et ex sectæ suæ sacramento, in episcopos, et presbyteros, et cæteros ecclesiasticos ordines perbacchari. Quos omnes humano jure, atque arbitrio constare dicit. Sacerdotes cum sacrificio tollit e medio. Laicis consecrandi jus tribuit, episcopis jurisdictionem adimit; germanum se inscribit Aerianum, Waldensem, Wiclefistam, et quidvis denique.

« Omnia transformat sese in miracula rerum;
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squammosusque draco, et fulva cervice [leæna. »

Sed nos varium et multiforme monstrum hoc « correptum manibus, vinclisque tenebimus, et quanto magis formas se vertet in omnes, tanto magis tenacia vincla contendemus. »

III. Ut ergo singulatim illius peccata castigemus, primum hoc procedat in medium, quod Aerium negat presbyterum episcopo parem, æqualemque fecisse. Etenim in hoc incumbit Salmasius, ut hæreticum istum doceat in eadem fuisse causa cum Hieronymo; ac perinde, ut hic opinatus est, Apostolorum duntaxat ætate dixisse unum ambos ordinem fuisse, qui humano deinde jure, et arbitratu sit factus duplex. « Non dixit Aerius, inquit, episcopum ordinare, similiter et presbyterum. Ergo etiam sensit ille haud minus, quam Hieronymus, ab episcopis solis ordinationes fieri. Non enim his, ut dixi, tam imperitus rerum, morumque sui sæculi fuit, ut nescierit, suo tempore ordinationes a solis episcopis fieri solitas ; neque tam stulte nequam ut dissimularit, aut negarit. » Quare de solo hunc Apostolorum tempore pugnasse vult, quo unum tantummodo putavit ordinem fuisse, non eo, quo vivebat. Sed hoc falsissime Salmasius, et contra mentem Epiphanii, qui Aerii sic hæresim enarrat, et concipit, ut præsenti usus tempore dicat, μηδὲν εἶναι διαφορώτερον, *nulla re esse præstantiorem* episcopum presbytero. Quod expressius in libro *de Hæresibus* legitur, qui inter opera Damasceni exstat, et Epiphanii *Breviario hæresum*, quæ ἀνακεφαλαίωσις vocatur, descriptus est ab ipso, *Recapitulatio.*
ut credibile est, Damasceno, qui illius catalogum recentioribus auxit hæresibus. Ibi ergo sic de Aerio proditum est : « Affirmat, nihil discrepare presbyterum ab episcopo [b]. » Non presbyterum, qui olim fuerat, nec jam amplius erat; sed quem præ oculis habebat, et coram in Ecclesia versari sciebat, nihil ab episcopo differre credidit. Nec tam acerbe in eum invectus esset Epiphanius; neque furiosam, et fanaticam supra modum humani captus illius hæresim esse diceret, si, quod Aerii patronus falso asserit, de solis antiquis, nec jam ullibi

a EPIPH. hær. LXXV, num. 5. Ἦν δὲ αὐτοῦ ὁ λόγος μανιώδης μᾶλλον ἤπερ καταστάσεως ἀνθρωπίνης. καί φησι· τί ἐστιν Ἐπίσκοπος πρὸς Πρεσβύτερον; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία, φησὶ, τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα. χειροθετεῖ, φησὶν, Ἐπίσκοπος. ἀλλὰ καὶ ὁ Πρεσβύτερος. λουτρὸν δίδωσιν ὁ Ἐπίσκοπος· ὁμοίως καὶ ὁ Πρεσβύτερος. τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖ ὁ Ἐπίσκοπος· καὶ ὁ Πρεσβύτερος ὡσαύτως· καθέζεται ὁ Ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου· καθέζεται καὶ ὁ Πρεσβύτερος.

b DAM. *de Hæres.* Φάσκει δὲ οὐδὲν διαφέρειν Πρεσβύτερον Ἐπισκόπου.

* Quis tamen crederet? Salmasii nugas pro Aerio rursus objiciunt Joh. Franciscus Buddeus, et Joachimus Hildebrandus *in discussione hæresum Aerii, quas protestantibus pontificiis impingunt.* Z.

exstantibus presbyteris ita sentiret; qui autem ætate sua vivebant, eos inferiores episcopis agnosceret.

IV. Quocirca sic necesse est Aerii dogma Salmasius interpretetur : presbyterum olim sub Apostolis plane eumdem, atque episcopum fuisse, nullaque re discrepantem ; nec minus ordinandi jus, ac potestatem habuisse. Ideoque pristinam, et Apostolicam ad formam esse redeundum; ac discrimen inter illos omne tollendum, restituto usu potestatis illius. Hujusmodi fuisse opinionem Aerii ex Epiphanii sententia, dicat oportet Aerianus Salmasius, si ex humano sensu loquitur. Alioqui nec Epiphanii verba probabilem ullam interpretationem admittunt; neque causa satis idonea fuit, cur illius hæresim tantopere detestaretur Epiphanius, si de prisci tantummodo sæculi more loqueretur ; nec innovandum aliquid in recepto ab Ecclesia, et inveterato jam usu putasset. Atque hoc tandem vi veritatis, communisque rationis extortum sibi ægre ac titubanter fatetur Salmasius. « Hoc fortasse interfuit, ait, Aerii inter et Hieronymi sententiam, quod ille censebat, revocandum in Ecclesiam antiquum, et ab Apostolis institutum morem, qui unis, iisdemque episcopis, ac presbyteris, et numero pluribus, paribusque potestate ecclesias regendas committebant. Hieronymus autem non temere recedendum ab usu post Apostolorum tempora in Ecclesiam recepto putasset; cujus introducendi gravissimam, et maximam causam fuisse judicabat, schismatum nempe evitationem. » Fortasse, inquit, quod sine ulla cunctatione certum est, quodque diserte scriptum est ab Epiphanio, propositum Aerio fuisse hoc idem, quod hodie Puritanis magnis, ac minutis, et horum uni Salmasio, episcopos in ordinem redigere, ac dignitate sua, et ornamentis omnibus spoliare, quibus supra presbyteros eminent; eo quod ex sese, ac natura sua, institutoque Christi, nihil habent, quo presbyteris, sive secundi ordinis sacerdotibus antecellant. Hoc caput nefarii dogmatis cujus gratia vapulavit ab Epiphanio, et ab Ecclesiæ catholicæ communione proscriptus est, et inter hæreticos habitus Aerius.

V. Verum in episcopali ordinatione duo distinguenda sunt : alterum, jus, et potestas conferendi sacramenti, et ordinandi : alterum, juris illius ac potestatis usus et functio. Utrumque primis Ecclesiæ temporibus penes presbyteros perinde, atque episcopos fuisse censebat Aerius. Postea vero, per episcoporum tyrannidem usu detracto solam in presbyteris mansisse potestatem. Quippe nonnisi unum, et eumdem gradum, ordinemque esse ambos illos, episcopum, et presbyterum; nec sine hujus injuria, et grandi scelere, ac contra institutum Christi, et Apostolorum, episcopos ordinationem sibi usurpare solis, ac negare presbyteros potestatem illius habere. Sic illa Hæretici verba, quæ refert Epiphanius[1], accipienda sunt; quibus nihil differre ait ab episcopo presbyterum, et unum esse ordinem; ac proinde « si episcopus manus imponit, etiam imponere presbyterum. » Nam χειροθετεῖ ὁ Πρεσβύτερος id valet, *Jus habet imponendarum manuum.* Actio, inquam, ipsa χειροθεσίας pro *potestate*, et δυνάμει sumitur. Ita paulo post χειροθεσίαν vocat Epiphanius jus et potestatem exercendæ manuum impositionis, cum ait, Presbyterum non habere χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, hoc est *potestatem impositionis manuum ordinatricis.* Hoc modo Jurisconsulti solent dicere, *habere actionem*, vel *dare actionem* pro eo, quod est *habere*, vel, *dare jus agendi, et prosequendæ litis in judicio.* Respiciebat autem Aerius ad illum Apostoli locum[2], in quo Timotheum admonet, « non negligere gratiam, quæ data est ipsi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. » Ex quo argumentum ducebat, χειροθετεῖν, hoc est *ordinare* posse nihilo secius, atque episcopum.

VI. Neque vero dicebat hoc, quod falso illi Salmasius affingit, fuisse temporibus Apostolorum unum eumdemque ordinem episcopi, ac presbyteri; postea vero duos ex uno esse factos; nec ad probandam opinionem suam, dotem illam, et conditionem presbyteratus afferebat, quæ esse in eo desiisset, ac nonnisi priscis temporibus exstitisset. Sed eo potius nitebatur, quod in illo adhuc inerat commune cum episcopo; cujusmodi est ordinandi potestas, quæ illi detrahi non posset, quamvis usus esset ademptus. In quo illi ab Epiphanio, Hieronymo, Chrysostomo, et catholica omni Ecclesia reclamatum est; quæ non modo licere hoc, sed ne effectum quidem habere omnino posse judicavit, agente inferioris ordinis sacerdote; quod adversus Catharum postea demonstrabitur. Qui interim eo velut manu deducendus est, ut intelligat, Aerium, cum episcopo

1 Cit. supra § 1. — 2 I *Timoth*, IV, 14.

parem esse diceret presbyterum, non ad hujus pristina ornamenta respexisse, quæ jam usu obsoleverant; nec æqualem tantummodo fuisse quondam, sed etiamnum suo esse tempore voluisse; ac denique eadem penes ambos jura, paremque esse potestatem existimasse, etsi usu esset interdictus presbyter. Quod homini non prorsus hebeti, et quæ legit utcumque capienti facile persuadebitur. « Nihil, aiebat Aerius, differt ab episcopo presbyter : Nulla in re diversus est[a]. » Hæc sunt præsentis temporis, et quod significant, non in re fuise, sed esse adhuc ostendunt. Ergo episcopos et presbyteros, quales nosse poterat, æquales, et ejusdem ordinis constituebat. « Unus, inquiebat, est ordo; unus honor; una dignitas amborum[b].» Non dicit fuisse tempore Apostolorum unum ordinem, et honorem, ac dignitatem, sed esse. Quod cum ita se habere ex communi hominum æstimatione, ac judicio asseverare non potuerit; ne voluisse quidem inde perspicuum est, quod propterea catholicæ iratus Ecclesiæ, sese ab ejus communione disjunxerit, quod aliter, ac fieri oportebat, de utroque statueret, ac presbytero anteferret episcopum.

VII. Hunc igitur, ut falso putabat, errorem oppugnare volens Aerius, non ea proferebat insignia presbyteratus, quæ antiquitus huic inerant, sed oblitterata jam erant consuetudine; multo minus etiam ad illa provocabat, quæ in presbyteris cernebantur minora, quam in episcopis, longeque deterioris notæ. Non ita fatuus erat Aerius, ut hoc argumento causam probaret suam, quo eam potius labefactaret; nec tam obesæ naris, tamque plumbeus erat, quam est Catharus; qui vel hoc animo concepit, vel persuadere se aliis posse credidit : Aerium, qui demonstrare vellet, presbyterum in omnibus æqualem esse, nec ulla re inferiorem episcopo, iis ad fidem faciendam indiciis uti, ex quibus contrarium potius efficeret. Inter illa, quæ episcopatus maxime propria sunt, præcipuum Aerii tempore, hoc est Epiphanii, et Hieronymii, necnon Chrysostomi, (scribit enim Epiphanius, Aerium adhuc in vivis exstitisse, cum *Panarium* suum scriberet; quod quidem anno 375 auspicatus est) illorum igitur ætate primaria nota, et διακριτικὴ, qua episcopus a presbytero distabat, fuit jus imponendarum *Distinctiva.* manuum ad ordinandum; quod iidem illi tres affirmant. Quare si quis presbyterum ab episcopo nullo separari discrimine probare vellet, ac cætéra utrique paria commemoraret, illo prætermisso, in quo episcopalis ordinis natura potissimum sita est; non assensum ab eruditis, sed ludibrium colligeret. Hoc Aerium non fecisse, ex Epiphanii narratione liquet; fecisse, sola ex conjectura, et ingenio suo, quod magnum non habet, fingit Catharus. Sed excepta ordinandi potestate, non illud obtinebat, quod volebat Aerius, eumdem ordinem esse presbyteratum, et episcopatum. Quatuor episcopatus jura recensebat Aerius apud Epiphanium; quæ cum presbyteratu communia illi esse contendebat, impositionem manuum, baptizandi functionem, Sacrificii oblationem, sessionem in cathedra.

VIII. Salmasius χειροθεσίαν, id est *manuum impositionem*, quam competere presbytero Aerius asserebat, *non illam esse specialem* putat, *quæ ordinationi competit*, sed *in genere*. Cujusmodi plures erant maxime in danda pœnitentia, hoc est peccatoribus ad pœnitentiam admittendis, aut, ea jam obita, reconciliandis; quod utrumque per impositionem manuum fieri consueverat, ut alibi diximus, et suo loco pluribus exponetur. Sed ista manuum impositio non illa est, qua consecrantur, ordinanturque Clerici, quæque episcopo convenit, et cujus δύναμιν nisi presbytero inesse monstraret Aerius, non eumdem amborum ordinem esse suadere posset. *Potentiam.* Fuit et alia manuum impositio in ordinatione presbyterorum a presbyteris adhibita, de qua mox : sed non ordinatrix, hoc est presbyteros faciens, et consecrans, qualis sola episcopalis est habita. Hanc Græci χειροτονίαν proprie vocare solent. Ex quo Salmasius argumentatur, Aerium non putasse ordinatricem illam manuum impositionem penes presbyterum fuisse suo tempore, quamvis Apostolorum sæculo fuisset; quod χειροθετεῖν, non χειροτονεῖν dixerit Aerius. Verum cum tanquam episcopatus notam commemorarit illam hæreticus iste, ejus in societatem presbyterum vocabat; non est dubitandum, quin ordinatricem manuum impositionem intelligi voluerit, potestate duntaxat in isto residentem, ut dixi sæpe, non actu.

a Epiph. *in Anaceph.* Οὐδὲν διαφέρει. Et in hær. LXXV. Οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου.

b Ibidem. Μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα.

Nonnihil differunt χειροτονία et χειροθεσία

IX. Inter χειροτονίαν, et χειροθεσίαν nonnihil interest: χειροτονία proprie *manuum extensionem* significat; χειροθεσία *manuum impositionem*. Prior non semper *sacratam actionem* exprimit. Est enim interdum laicorum propria, eorumve, qui ordinandi jure, ac potestate carebant. Zonaras, et Balsamo in commentariis ad primum canonem Apostolorum, duplicem illam χειροτονίαν explicant: alteram, quam sic describit Zonaras, ut « sit absolutio precum, sanctique Spiritus invocatio, dum aliquis ad sacerdotium consecratur; quæ inde dicta est, quod Pontifex manu extenta benedicat ei, qui ordinatur[a]. » Subjicit aliam vocis potestatem, ut simplicem electionem significet, quæ olim etiam a populo fiebat. Vide et quæ iidem ambo ad canonem IV Nicænum adnotant, et ad V canonem Laodicenum.

Χειροθεσία vero nonnisi sacra est manuum impositio, ac pro χειροτονίᾳ prioris notionis, et episcopali sæpe sumitur. Zonaras ad canonem Nicænæ synodi quartum, observat in canone primo Apostolico, χειροτονίαν significare *consecrationem*, et χειροθεσίαν, *id est impositionem manuum;* in Nicæno vero quarto significare *suffragium, et electionem*[b]. Epiphanius in *Expositione fidei catholicæ,* quæ est in fine *Panarii*, vocat ἐπισκοπῆς χειροθεσίαν *consecrationem ad episcopatum*, *per impositionem manuum.* Et in *Aerianorum* hæresi, quæ est LXXV χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, hoc est *impositionem manuum*, *quæ jus tribuat creandorum episcoporum*. Sic enim Glossarium vetus, χειροτονητὴς *Creator*, χειροτονία *creatio.* Sed addit *procreatio*, *creatura :* quæ non puto satis congruere, nisi *creaturam* pro *creatione* sumas. Ea vero de magistratu potest accipi; et si de sacro et Christiano sermo sit, tam de *electione*, quam *consecratione.* Ad priorem spectavit Hesychius, cum χειροτονίαν interpretatur ἐκλογήν. Quare ex adjunctis, et orationis contextu facile discernitur, quo sensu χειροθεσία ponatur, et utrum *ordinatricem*, an *reconciliatricem*, aut aliam quampiam manuum impositionem significet. Sicut et χειροτονία ex consequentia sermonis intelligitur, utrum episcopalis sit, et *ordinatrix*, an ad electionem pertinens; ut ex Zonara, et Balsamone citatis in locis colligitur.

Electionem.

X. Jam Aerium, cum dixit presbyterum perinde χειροθετεῖν, atque episcopum, non aliam significasse χειροθεσίαν, quam quæ propria est episcopi, et ordinatricem, ex Epiphanio perspicuum est. Quis autem melius Aerii dogma percepit, quam qui ejusdem vixit ætate, et coram sciscitando, ac disputando, arcana sectæ illius, imo non arcana, sed professa, et palam ab illo habita decreta scire potuit? Ecquis fide dignior est de Aerii opinione testis; Epiphaniusne vir sanctissimus, et integerrimus, ac tum eruditissimus, tum ab omni suspicione mendacii alienissimus, et ea postremo narrans, quæ visu et auditu comperit; an Catharus unus audaculus grammatistes, et streperus, tantum ab illius pietate ac doctrina distans, ὅσον οὐρανὸς ἐστ' ἀπὸ γαίης : qui nullam pene litteram sine errore facit, ac denique non certa ejus, quod affirmat, scientia, sed temeraria, et incerta divinatione nititur?

Manus imponere.

Quantum cœlum distat a terra.

Nam de Aerio sententiam Epiphanii ejusmodi fuisse, quam dixi, nemo prudens dubitaverit. Primum qui ea, quæ supra memoravimus, expenderit, nullam alioqui causam satis justam Epiphanio fuisse, cur in Aerium adeo stomacharetur, ut ejus hæresim furiosam et insanam supra humanum captum esse clamitaret, ac stolidissimam vocaret, quod presbyteris impositionis manuum potestatem tribueret, non illam episcoporum propriam, sed quæ revera ipsis competeret. Deinde verba ipsa, quibus Aerii refellit hæresim, prorsus id evincunt « Et quomodo, inquit, fieri posset, ut presbyterum constitueret is, qui ad ordinandum manuum imponendarum potestatem non habet, aut dici posset, episcopo æqualem esse presbyterum[c]? »

XI. Hic Epiphanius recta occurrit ei, quod Aerius opponebat, tum æqualem fuisse Apostolorum tempore, et esse adhuc presbyterum episcopo; tum ob id æqualem esse, quod, nisi injuste prohiberetur, manus similiter, atque episcopus imponendo presbyterum ordinare posset. Nisi enim hoc Aerius dice-

a ZONAR. in can. I *Apost.* Νῦν μὲν χειροτονία καλεῖται ἡ τῆς καθιερώσεως τοῦ ἱερῶσθαι λαχόντος τελεσιουργία τῶν εὐχῶν, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπίκλησις, ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον.

b ZONAR. ad can. IV Nic. Ὁ μὲν γὰρ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, τὴν καθιέρωσιν, καὶ χειροθεσίαν ὀνομάζει. ὁ δὲ τῆς συνόδου ταύτης κανὼν κατάστασιν, καὶ χειροτονίαν τὸν ψῆφον καλεῖ.

c EPIPH. hær. LXXV, num. 4. Καὶ πῶς οἷόν τε ἦν τὸν Πρεσβύτερον καθιστᾷν μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, ἢ εἰπεῖν αὐτὸν ἴσον εἶναι τῷ ἐπισκόπῳ.

Manus imponit episcopus sed et presbyter.

ret, ac nisi verba illius ista, χειροθετεῖ ὁ Ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ Πρεσβύτερος, de ordinatrice manuum impositione dicta sentiret Epiphanius, frustra, et sine ratione talia subjecisset, quæ quod ex illius consequens est sententia, referrent, *quinam fieri posset, ut presbyter ordinaret presbyterum?* Hoc ergo prædicabat Aerius, quod ibi non posse fieri respondet Epiphanius. Itaque, quod dicit simpliciter Aerius χειροθετεῖν, hoc Epiphanius exponit, χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν. Ergo credidit Aerius, presbyterum ita posse χειροθετεῖν, ut hæc χειροθεσία esset χειροτονία, et *consecratio*, ordinatioque presbyteri. Hæc sunt invicta, et ἀναντίῤῥητα.

Manus imponit. Potestatem manus imponendi. Manus imponere. Manuum impositio. Irrefutabilia.

Illud vero prætera mihi diligens Lector observet in Epiphanii verbis istis : presbyterum non modo reipsa, et facto ipso, ut loquuntur, non ordinasse; sed ne potestatem quidem ordinandi unquam habuisse. De presbytero simplici loquor, vel secundi ordinis sacerdote, qui Episcopalem non habet impositionem manuum, hoc est χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν. Huic igitur potestatem etiam adimit ordinandi, cum non posse ordinare dicit : et quod expressius est, et ἐμφαντικώτερον, interrogando sic effert : « Et quomodo fieri posset, ut ordinaret presbyterum, qui ejus potestate caret? » Qua formula in rebus aperte falsis, et impossibilibus uti consuevimus; ut intelligant Cathari, presbyteros non ideo non presbyteros, aut alios clericos ordinare, quia hoc Ecclesiæ decreto prohibiti sunt facere; sed quia faciendi potestate carent, ut, etsi facere auderent, nihil omnino perficerent. Sed hac de re postea.

Ordinationem ordinandi. Significantius.

XII. Ad extremum, quod supra obiter injecimus, et alio in loco diligentiore studio tractabitur, hic iterum animadvertendum est ob ea, quæ dixi; varias causas fuisse quondam imponendarum manuum presbytero communes cum episcopo; cujusmodi sunt, quas Salmasius attigit. Ut « quæ fiebat in benedictionem, quæ pœnitentiæ agendæ venia dabatur; qua pœnitentes reconciliabantur exacto præscriptæ exhomologesis tempore. » Addit, « in Ægypto absente episcopo presbyter consignabat; quæ confirmatio etiam cum impositione manuum celebrabatur. » In quo valde illum fugit ratio. Nam consignasse presbyteros in Ægypto, absente episcopo, scripsit supposititius Ambrosius [1]. Impositionem vero manuum, quæ consignationi adjuncta sæpe fuit, ad dandum Spiritum sanctum ab alio, quam episcopo collatam esse, nec ille dicit, nec alius quisquam. Imo contrarium docet Hieronymus in dialogo *contra Luciferianos;* ubi sic Orthodoxum loquentem introducit. « Non quidem abnuo, hanc esse ecclesiarum consuetudinem [2], ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat. » Mox : « Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, » etc. Et tamen chrismate inunctos fuisse, paulo post significat : « Inde venit, inquit, ut sine chrismate, et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. » Delebis igitur ex locis tuis communibus hanc παρεκβολὴν de impositis a presbytero manibus in Confirmatione, antequam centonem illum nescio quem *de Ordine*, quem scripturum te minaris, ex illis consuas; nam falso illud adnotasti.

Laciniam.

XIII. Fuit et alia impositio manuum, qua utebantur etiam presbyteri in ordinandis presbyteris; et quæ in usu est hodieque in Occidentalibus ecclesiis, ex canone III concilii IV Carthaginensis : « Presbyter, inquit, cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant. » Cui consentaneum est, quod legitur in libro sacramentorum B. Gregorii, cum de ordinatione presbyteri agitur : « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput ejus teneant, » quæ totidem fere verbis in Ordine Romano scripta sunt [3]. Sic in Pontificali Romano præscribitur, ut « Pontifex stans cum mitra, et nulla oratione præmissa, imponat simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive nihil dicens. Idem faciunt post eum omnes sacerdotes ibidem præsentes. » Qui ritus in Orientali ecclesia hoc tempore non est receptus, nam in Græcorum Euchologio solus Pontifex in ordinando presbytero ei manum imponit. Utrum vero aliquando in usu fuerit, non temere dixerim. Apparet autem nonnisi cæremoniam esse impositionem illam, quæ fit a

Impositio manuum a presbyteris usurpata in ordinatione Presbyterorum.

1 In com. ad ep. *ad Eph.* — 2 Hier. col. 616. — 3 Ordo Roman. col. 103.

Potestatem manus imponendi.

presbyteris simplicibus; quos χειροθεσίαν εἰς χειροτονίαν non habere, nec unquam habuisse, antiqui omnes Patres asseverant. Videtur tamen ritus ille ex eo manasse, quod Apostolus indicat, *per impositionem manuum Presbyterii* Timotheum ordinationem accepisse[1], quando episcopus est factus, ut Chrysostomus, Theophylactus, et Œcumenius interpretantur. At Theodoretus presbyterium exponit de iis, *qui Apostolicam gratiam acceperant*, *quorum impositione manuum docendi gratia communicata est*[a]. Tanquam extraordinarium quiddam illud fuerit, non usitata, et sacramentalis tum impositio manuum ista, tum hujus efficientia. Cæterum qui impositionem illam ordinatricem esse volunt, presbyterium ibi consessum episcoporum intelligunt; adeo presbyteros simplices caruisse censent episcopali ista manuum impositione. Ex eo tamen, velut dicis causa, et imitandi antiqui facti, usurpatam illam Occidentalium ecclesiarum consuetudinem existimo, ut in ordinando presbytero adhiberentur alii presbyteri. Qui mos si Epiphanii, et Aerii sæculo in Oriente quoque servabatur, de eo libenter illam χειροθεσίαν acceperim, quam presbytero assignabat Aerius; et quamvis nuda tantum, ut jam dixi, cæremonia sit, tamen hanc ad episcopatus similitudinem impostor ille referebat. Vide, quæ supra de ista manuum impositione scripsi in fine libri primi.

Manuum impositionem.

CAPUT VII.

Ex iis, quæ de Aerii opinione disputata sunt, ostenditur, multum ab illo distare Hieronymi sententiam, nec obstare quod iisdem Scripturæ testimoniis utuntur : deque eo Salmasii præposterum judicium. Ejusdem stupenda calumnia. Epiphanii et Hieronymi mira consensio. Qua ratione in multis ecclesiis Apostolorum tempore, non unum episcopum præfuisse dicatur ab utroque : sed Presbyterorum simplicium collegium idque esse probabile. Salmasii stupida conflictio secum, ac repugnantia. Presbyteros simplices nunquam ordinandi jus habuisse. Epiphanius perperam a Salmasio reprehensus defenditur. Hujus etiam frivola de Timothei episcopatu conjectatio. De Theodoreti vero loco horrenda judicii, verborumque conflictio. Qui quidem locus nova interpretatione, et aliis Patribus consentanea declaratur.

Postquam Aerii, quem sectæ suæ antistitem Salmasius cum Puritanis omnibus agnoscit, quale dogma fuerit, exposuimus, liquet, immerito contagione illius afflari sanctissimum virum Hieronymum, compluresque alios; sed istum potissimum, qui præ cæteris in invidiam pestilentis illius hæresis solet adduci. Etenim Hieronymus, cum presbyterum eumdem facere cum episcopo videtur, solum in hoc spectavit usum gubernationis ecclesiasticæ, qui primis Ecclesiæ temporibus cum presbyteris communicabatur. Quod autem præcipuum est in episcopatu, ordinandi potestatem nunquam a presbytero, aut alio, qui episcopalem characterem non haberet, usurpatam credidit, neque cum effectu aliquo fuisse tractatam. Aerius utramque potestatem, tum imponendarum manuum ad ordinandum, tum administrandæ Ecclesiæ, reipsa, et *actu* in presbytero simplici inesse dicebat; itaque Christum, et Apostolos instituisse; atque ideo scelus facere sui temporis episcopos, qui sibi utrumque retinerent, et

a Theod. Χάρισμα τὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσε. πρεσβυτέριον δὲ ἐνταῦθα τοὺς τῆς Ἀποστολικῆς χάριτος ἠξιωμένους.

1 I *Timoth.* iv, 14.

ab usu potestatum illarum duarum presbyteros excluderent. Hæc duo decreta quam lato intervallo distent invicem, qui discernere non potest, ut Salmasius; non committes, ut in eo docendo operam amplius perdas, sed abire jubebis, aut *fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.*

Ab Aerii errore multum distat Hieronymus

II. Nec illud mirari quispiam debet, quod iisdem ambo Scripturæ testimoniis Hieronymus, et Aerius usi sunt ad opinionis suæ faciendam fidem; in quo jocalariter aberrat Salmasius. Cum enim duo, ut jam dixi, in episcopatu contineantur; totidem illa, quod ad potestatem attinet, sui temporis presbyteris vindicabat Aerius, et iis Scripturæ testimoniis asserebat, quæ supra commemoravimus. Hieronymus, qui alterum tantum e duobus, hoc est gubernandi functionem, et auctoritatem, olim presbyteris commune fuisse cum episcopo contendebat, iisdem illud argumentis, ac testimoniis adstruebat; de altero diserte professus, nunquam illud presbyteros habuisse. Ille unum eumdemque natura sua, et institutione Christi ordinem esse presbyteratum, et episcopatum, putavit. Hic mutuo distinctos prima illa, et præcipua parte, ac potestate semper fuisse voluit, in alterius usu, et functione aliquando conjunctos. Hoc vere discrimen ordinis utriusque, quod reipsa magnum est, et ab Epiphanio ita, ut est, magnum prædicatur, nonnulli veterum parvum esse dixerunt, ut Hieronymus, et Chrysostomus, non absolute, sed comparatione facta cum aliis longe potioribus et augustioribus titulis, et ornamentis, quæ ambobus communia sunt; velut est potestas utraque consecrandi, offerendique sacrificii Dominici corporis, ac sanguinis, et remittendi peccata. Et alioqui ille idem Hieronymus haud exiguo intervallo differre a simplici presbytero episcopum, ostendit; primum regula ista, quam in calce epistolæ LXXXV posuit : « Qui provehitur, inquit, de minori ad majus provehitur. » Unde et diaconum probat minorem esse presbytero; quia ex diacono ordinatur presbyter. At eodem modo episcopus ordinatur ex presbytero. Deinde similitudine illa, qua episcopum cum Aarone summo Pontifice confert, presbyteros cum Aaronis filiis, diaconos cum Levitis. Quod idem in epistola secunda *ad Nepotianum* presbyterum memorat. « Quod Aaron et filios ejus, ait, hoc episcopum, et presbyteros ejus esse noverimus. » Num igitur nullo, aut exiguo discrimine summus apud Judæos Pontifex ab sacerdotum plebe distabat? Ut μικρολογεῖν desinat ἀειλόγος ille, et ἀκάθαρτος Catharus, ac titivillitiis istis onerare libros suos, qui per sese satis morosi, et illepidi sunt, etsi hac molestia et ναυτία leventur.

Nænias effutire
Loquacissimus.
Impurus
Nausea.

Hieronymi et Epiphanii consensio.

III. Quocirca recte, ac catholice, et faventibus sanctissimis eruditissimisque Patribus Hieronymo, et Epiphanio, scripsi in *Dissertationibus Ecclesiasticis*[1]: Hieronymum sic impositionem manuum ad ordinandum abjudicare a presbytero, ut hunc non solum usu illius, sed etiam jure ac potestate carere censeat adeo, ut cum ita loquitur Hieronymus, « Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter? » verbum *faciat* δυνητικῶς accipi debeat : quasi dicat, quod non possit facere, et cujus faciendi jus et potestatem non habeat, Quod meum dictum, quia refellere non poterat Grammaticus Salmasius, unum in eo reprehendit vocabulum δυνητικῶς. quod esse Græcum minime credidit. « An δυνητικῶς, inquit, Græcum sit, viderit Grammaticus. » Viderit sane quisquis litteras Græcas novit [2], et quam ineptus juxta sis, et indoctus, ex eo colligat. Vere illud quoque iisdem in *Dissertationibus* adjeci, cujusmodi discrimen esset, quo episcopum a presbytero disjungeret Hieronymus; idemque esse dixi, quo et Epiphanius ambos invicem secerneret. Verba mea sunt hæc : « Quocirca sensit Hieronymus [3] ab solis episcopis ordinationes fieri, adeoque latum inter ambos ordines discrimen agnovit, nec aliud, quam quod Epiphanius hæresim illam, quæ istos confundebat, oppugnans, in medium attulit. » Est autem discrimen hoc *ordinatio*, sive *ordinandi potestas*, quam uterque penes solum episcopum esse, non esse autem in presbytero statuit.

Potestative.

IV. At Salmasius infando scelere verba mea falsavit, ut aliam, ac diversam ex illis sententiam exsculperet. Sic enim scripsisse me refert : « Nec aliud Hieronymus, quam quod Epiphanius. Hæresim illam, quæ istos confundebat ordines, in medium attulit. » Quæ sic accipit, tamquam asseram, « Hieronymum eadem in medium attulisse, quæ Epiphanius attulit, quibus hæresim Aerii oppugnaret. » Hinc velut Bellonæ sacerdos, et emotæ mentis exclamat, « Quid audio? Ut Hieronymus eadem in medium attulerit,

1 Lib. I, cap. III. — 2 Vide supra lib. I cap. III, § 8. — 3 Dissert. lib. I, cap. III,

quæ Epiphanius attulit, quibus hæresim Aerii oppugnaret, quæ utrumque illum ordinem confundebat? Sanus non eras, cum hæc scribebas, sed mente plane excideras. » Tu vero tua mente non excideras, cum ita verba mea depravares, sed prorsus in ea manebas. Nam alia nulla, quam tua mens

O stolide. monstra ista pareret. Non scripsi, ὦ παράφορε, *Nihil aliud Hieronymum, quam Epiphanium*, contra illam hæresim disputassse; neque post

Punctum. nomen *Epiphanius*, majorem στιγμὴν apposui, ut ibi sententia desineret. Sed dixi, « non aliud discrimen inter ambos illos ordines Hieronymum agnovisse, quam quod Epiphanius, hæresim illam oppugnans, in medium attulit. » Neque postremo significavi, Hieronymum Aerii hæresim oppugnare voluisse; sed solum id Epiphanium fecisse. Quanquam ex iis, quæ de illis ordinibus docet Hieronymus, argumentum duci potest, quo redarguatur Aerius. Nam id omnino, quod Epiphanius, affirmat Hieronymus: episcopum a presbytero discrepare, quod ordinandi potestatem habet ille, qua caret iste.

V. Itaque quamvis diversis de causis, et dispari proposito de utroque ordine scribentes ambo illi, non tamen mutuo sibi adversati sunt, sed in eadem convenerunt catholicæ fidei regula. Quod ita mirum videri debet, ut incredibile non habeatur, nisi iis, qui neutrum intelligunt, nec ad interiores illorum sensus penetrarunt, sed raptim, ac tumultuarie, et amore sui, atque odio Christianæ veritatis ebrii, ad eos legendos sese

Spurcamen. contulerunt. E quibus est Calvinianum κάθαρμα; qui ferociter insultat, et ea in me, ac catholicam Ecclesiam convicia, probraque

Quæ ipsi ad caput. jactat, ἅπερ αὐτῷ εἰς τὴν κεφαλήν. « Non sane magis nox, inquit, diei, lux tenebris contraria, quam Epiphanii sententia Hieronymianæ, » imo quam tua utrique contraria est interpretatio. « Primum, ait, non solum in diversa tendunt hic et ille, sed etiam diversam viam uterque insistunt, ut perveniant, quo volunt. Aerius, inquis, fuit hæreticus. Quare? Quia episcopum nihilo pluris esse, quam presbyterum asserebat. Si hæreticus ob hoc solum Aerius existimandus; vide, ut Hieronymum possis hac hæreseos labe purgare. » Purgatus ille vero est, et ab Aerii, tuaque contagione, et fermento Calviniano sincerus, alienusque demonstratus est non minus, quam Epiphanius. Distingue in epis-

Essentiale. copatu duo: unum intimum, οὐσιῶδες, et quod cum inferiori ordine communicari non potest, ut est character, et jus ac potestas ordinandi, sine quo episcopatus esse non potest: alterum, potestas, et jus administrandi, ac regendi, sive pascendi populi Christiani. Hoc posterius citra illa, quæ ab solo episcopo præstari possunt, derivari potest in presbyteros simplices; ut hodieque quos *Curatos* vocant, qui *in partem sollicitudinis assumpti sunt, sed non in plenitudinem potestatis.*

VI. Sic recente adhuc Christianismo, putavit Hieronymus, in multis civitatibus peculiarem episcopum non fuisse; sed Christiano populo gubernando, et pascendo plures in commune sacerdotes simplices, et presbyteros præfuisse. *Civitates episcopo carentes a presbyteris administratæ.* Nempe quod tum Apostoli, et quos illi episcopali præditos dignitate suo loco submitterent, quæ episcopum necessario flagitabant, identidem obirent. Hoc adeo in Orientalibus, et Occidentalibus ecclesiis, quæ ex infidelibus hac ætate coaluerunt, usuvenit, atque etiamnum cernere est in Canadensibus illis Antropophagis, et silvestribus, ac palantibus barbaris, quorum complures ad Christum adducti, ac per ecclesias haud sane paucas distributi, nullos alios, præter simplices presbyteros, pastores habent, ac rectores, qui tamen nec episcopi sunt, nec episcoporum proprias functiones usurpant. Sed his exceptis cætera omnia ministrant. Sensit hoc idem, viventibus Apostolis, hoc est veris episcopis, in ecclesiis plerisque factitatum Hieronymus; et qui ita præerant, presbyteros simplices episcopos esse dictos, communi iis omnibus appellatione, qui curatores erant, rectores Christianæ multitudinis. Nec propterea simplices presbyteros eumdem esse ordinem voluit cum episcopo; aut illis ordinandi potestatem attribuit, quæ tu falso de illo jactitas, neque probas hactenus.

VII. Ac vide, quam inepte ratiocineris: « Jam tibi, inquis, ostendam, quantopere dissentiant Epiphanius, et Hieronymus. Hieronymi sententia est, eumdem omnino fuisse Apostolorum temporibus episcopum, ac presbyterum, re ac nomine. Episcopus erat presbyter, et presbyter episcopus. Episcopus presbyteri nomine, presbyter episcopi vocabatur. » Sic tua procedit argumentatio, ut si ita colligas: Sirius, sive canicula cœleste sidus vocatur Canis, et terrestre ac quadrupes animal perinde canis dicitur. Ergo unum idemque sunt. Hoc vel unius diei tibi Dialecticus dissolvet. Dixi tibi sæpius, *Episcopi* vocabulum olim de utroque ordine usurpatum fuisse, ex Hieronymi, Chrysostomi,

Theodoreti, et plurium aliorum sententia; qui ambos illos ordines non solum κατ' οὐσίαν, quam in ordinandi potestate proprie censent consistere; sed etiam κατὰ τὸ ὑποκείμενον jam tunc fuisse discretos autumant. Quæ illorum ratio non minus probabilis est, quam quæ in *Dissertationibus* a me est allata; eosdem illos ordines in unam personam convenisse primis illis temporibus, ac certis in ecclesiis; ut iidem, qui presbyteri a Paulo vocantur, et episcopi, non vocabulo tantum, sed ordine, ac charactere essent episcopi. Qua constituta sententia, contra quam videlicet disputas, cum eadem sit et tua, ut supra monstravimus; tum multo ridicula magis, et frivola tua est conclusio. Quæ ut sensum aliquem habeat, necesse est, ambos et diversos a te invicem ordines gradusque conferri, episcopatum, et presbyteratum simplicem. Atqui cum dixi, presbyteros et episcopos eosdem apud Paulum censeri; non eos presbyteros intellexi, qui ab episcopis ordine distarent; sed unum, et eumdem dixi summum gradum, ordinemque duobus istis appellari nominibus.

Ratione essentiæ. *Ratione suppositi*

VIII. Græci quidem promiscuam amborum fuisse putant appellationem; aiunt enim, tam primi ordinis sacerdotes, quam secundi, vocatos esse presbyteros, et episcopos. Quibus et assentiris ipse, dum manente communi ambobus episcoporum nomine, quemdam tamen ex collegio presbyterorum prærogativa temporis, et ordinationis ad primatum evectum asseris, qui κατ' ἐξοχὴν *Episcopus* vocaretur; quemadmodum Athenis cum essent ἐννέα ἄρχοντες, id est *novem Prætores*, horum tamen unus insigniter ἄρχων nominabatur. Quamobrem tuo te, Salmasi, gladio conficis; et quod inclementer in eos jacis, qui idem dicunt, quod tu, in te ipsum recidit. Nam Apostolorum temporibus inter plures presbyteros, et episcopos unum fuisse primatem ais, et episcopum insignem majoremque cæteris, quem iis titulis ornas, vocasque πρωτοκάθεδρον, *primatem*, κατ' ἐξοχὴν *episcopum*, hoc est *excellenti jure*, et non eo, quo cæteri, Πρεσβύτερον, et nihilominus *primum Presbyterorum, et in priore et altiore gradu constitutum.* Volo igitur respondeas: presbyteri illi, qui presbyterium, et collegium presbyterorum constituebant Apostolorum tempore, fueruntne re, ac nomine episcopi, an non fuerunt? Fuisse non negabis, ut qui Dissertationem tuam ad id unum scripseris, ut illud probares. Jam si episcopi fuerunt et presbyteri, cum et presbyter, atque episcopus primas ille fuerit, ac πρωτοκάθεδρος; ergo omnes primates, omnes πρωτοκάθεδροι, omnes primi fuerunt, si quod argumentatio tua virium habet. Sic enim colligis: « Episcopus erat presbyter; et presbyter episcopus. Igitur idem fuit Apostolorum temporibus episcopus, et presbyter re, ac nomine. » Quare quidquid adversus priorem argumentationem excipies, quominus primates omnes habendi sint; idem contra tuam istam præscribent, qui etsi presbyteros eosdem re, ac nomine fatetur episcopos fuisse; unum tamen eminentem inter illos, et quod tu ipse dicis, primatem exstitisse contendent.

Per excellentiam *Archon.* *Presbyteros.*

IX. Nam quod ad Hieronymum spectat, demonstratum est tibi, presbyterum ab illo episcopum olim dici fuisse non καθόλου, nec absolute, cum præcipuam partem, et οὐσιώδη episcopatus excipiat, sed quatenus ἡ ἐπισκοπὴ præfectura est, et administratio quædam Christiani populi. Quod autem verba ejus ista « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » sic accipis, ut inde concludas, « Apostolorum ævo ne hanc quidem ordinationem exceptam, quam faceret episcopus, non faceret presbyter, » velim unam ex Hieronymo litteram proferas, quæ hoc significet, presbyteros simplices, et secundi ordinis sacerdotes Apostolorum temporibus ordinasse. Quod si ex illo probare non potes, stulta tua est ratio, quæ ex sola conjectura proficiscitur; nec ostendis, quod tam acriter elatras, Hieronymum in eadem esse causa cum Aerio, et Aerianis, hoc est te, ac Puritanis reliquis. Nam Aerius χειροθεσίαν τῆς χειροτονίας, hoc est *potestatem ordinandi* fuisse semper in presbyteris simplicibus, et esse pugnabat; Hieronymus utrumque negat. Longe ergo ab amentia vestra, et errore fanatico remotus est Hieronymus, ut et Epiphanius, qui hac sententia, tamquam impacta clava, Puritanos omnes elidit: « Et quomodo fieri posset, ut presbyterum ordinaret, qui ordinandi potestatem per impositionem manuum non haberet [a]? Quem tu quidem inverecunde et procaciter appellas, cum nihil adversus illum opponas, nisi futile, et ingenio tuo dignum.

Episcopatus

X. Ita enim in eum κενταυρικῶς insilis, *Centaureo modo.*

[a] EPIPH. hær. LXXV. Καὶ πῶς οἷόν τε τὸν πρεσβύτερον καθιστᾷν μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν;

Salmasii in traducendo Epiphanio stupor.

« Quasi vero presbyter ab institutione ipsorum Apostolorum non habuerit potestatem ordinandi presbyterum! » Qui sic Epiphanium traducis, et illudis, necesse est, quod illi abs te opponitur ex adverso, sic esse perspicuum, et evidens, ut ei refragari nemo possit. At illud qui probas? quo auctore? quo testimonio? quo argumento suadere potes, presbyterum simplicem (de hoc enim agitur) *potestatem habuisse ordinandi presbyterum*? Potes ex Apostolo, vel ex loco Scripturæ aliquo demonstrare, presbyterum eum, de quo loquitur Epiphanius, hoc est simplicem, et ab episcopo distinctum, inferioremque ipso, ordinasse similem sui presbyterum, aut tali fuisse potestate præditum? « Cur ergo passim in scriptis Apostolorum (objicis subinde) presbyteri vocantur ipsi episcopi, nec episcopi tantum, sed etiam Apostoli ipsi? Cur in sacra Scriptura indifferenter nomen presbyteri, et episcopi de iisdem usurpatur?» Responderet tibi Epiphanius id, quod nos ejus vice reponimus : non ab ipso universe negari, penes presbyteros jus ordinandi fuisse presbyteri; sed penes eos tantum, qui simul episcopi non essent. Nam si solum nomen agitur, episcopi omnes, quamvis et presbyteri nuncupentur ordinandi potestatem habent. At qui in Scripturis presbyteri simul, et episcopi vocantur, re et nomine fuerunt episcopi ex opinione tua pariter, ac mea, quam *in Dissertationibus* exposui. Ex Epiphanii vero sententia, nonnisi presbyteri simplices fuere; quam et probabilem esse docui, si ad eam adjungatur illud, quod Chrysostomus et Theodoretus, aliique sentiunt, eosdem vocatos episcopos fuisse; tum illud Hieronymi, episcopalem in gubernando duntaxat potestatem, et pascendi jus, ac regendi eosdem illos presbyteros obtinuisse, cum ex omnium consensu nunquam primariam dotem episcopatus, ac notam, et οὐσιώδη differentiam habuerint, quæ in ordinandi jure, ac potestate consistit.

Essentialem

XI. Epiphanium dixi presbyteros, qui apud Paulum occurrunt pro simplicibus, et secundi ordinis habuisse sacerdotibus; episcopos vero pro iis, qui sunt ordinis primi, ut hodieque sumuntur. Quibus positis, adversus Aerium probabat, non ejusdem ordinis esse ambos, et gradus; ad idque loca quædam afferebat Apostoli, quæ non omnia fatendum est id efficere, quod ille voluit. At Salmasius in eo ipso refellendo non leviter aberrat. Utebatur Epiphanius eo loco, qui est in epistola *ad Timotheum : Seniorem*, vel, ut in Græco est, πρεσβύτερον, *ne increpaveris*[a]. Ubi πρεσβύτερον *sacerdotem* esse credidit *secundi ordinis*; quam vere, nihil ad rem pertinet. Hoc quidem concesso, recte argumentatur ille, majorem presbytero episcopum esse. Siquidem majorem eum oportet esse qui objurgandi, castigandique potestatem habeat. Salmasius inter alia rationem hanc adversus epiphanium objicit, « quod Timotheus, ad quem ea scribit Paulus, et quem episcopum fuisse vult Epiphanius, non fuit specialis alicujus Ecclesiæ episcopus. » Primum gratis illud, et ἀναποδείκτως asserit, discipulos Apostolorum, quos secundi ordinis omnes Apostolos facit, vagos, et sine certa sede episcopos fuisse; quod in primo libro falsum esse convicimus. Quid enim obstat, quin et Ecclesiæ addici certæ potuerint, in qua sedem, tanquam in arce, ac metropoli collocarent, et omnium interim provinciæ alicujus ecclesiarum curam capesserent? Maxime vero, se ita res habuit, ut Græci plerique crediderunt, ut non ubique Apostoli, nec in omnibus a se conditis ecclesiis statim episcopos instituerint, sed solos initio presbyteros simplices, qui et episcopi vocarentur, et ecclesias regerent, iisque vel Apostoli, vel Apostolorum discipuli, qui veri essent episcopi, præficerentur, qui aut statariam ibi agerent, atque in una aliqua, et primaria urbe, tanquam in puppi, sedentes, reliquas provinciæ totius ecclesias per illos administrarent; sive identidem singulas obirent ac lustrarent, et episcoporum ibi propria munera præstarent. Quæ, qui volet, impune per Salmasios omnes, et hujus similes, affirmare poterit.

Absque demonstratione.

XII. Utcumque vero sese res habuerit, justa tamen Epiphanio argumentandi ita, ut fecit, causa suberat, qui episcopos apud Paulum veros esse arbitrabatur episcopos, et presbyteros, nonnisi secundi ordinis sacerdotes, ac simplices. Nam ex eo recte concludit, majores episcopos presbyteris fuisse, quod Paulus Timotheum episcopum hortatur, ut presbyterum ne increpet; hoc pacto significans, utique majorem his illum fuisse, qui increpandi potestatem haberet. Nisi enim haberet, non eum moneret, ut de eo jure, quo

a I *Tim.* v, 1. Πρεσβύτερον μὴ ἐπιπλήξῃς.

1 Epiph. Hær. LXXV. num. 6.

careret, aliquid remitteret. Ita ratiocinatur Epiphanius, suspicatus videlicet, illo in loco Πρεσβυτέρους minores vocari sacerdotes; cui neutiquam in hoc assentior, sed eo sumpto, tum illud consequens est, quod posuit, et contra hoc vana, et futilis est Salmasii præscriptio de vago, nec addicto ulli loco Apostolatu Timothei. Cujusquemodi enim fuerit, episcopus certe fuit; et qua episcopo, mandatum illi ab Apostolo datum interpretatus est Epiphanius, ut quod jus in presbyteros habebat, tanquam iis major, eo ne temere uti vellet.

Presbyteros.

Sic eadem ridenda Salmasii est exceptio, quam ad alterum ex Apostolo locum, et argumentum Epiphanii ibidem accommodat. Nam Timotheum Paulus admonet sic: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*[a]. Unde colligit Epiphanius majorem episcopum esse presbytero. Recte quidem, si, quod putat, presbyter illic simplex est sacerdos; quod et probabile esse dixi, tametsi potest etiam episcopus intelligi eo modo, quem in *Dissertationibus* explicamus. At Chrysostomus, Œcumenius, et Theophylactus πρεσβύτερον istic, ut et antecedente in loco, non dignitatis, sed ætatis vocabulum esse censent.

XIII. Ut igitur simplicem ibi presbyterum demus a Paulo significari, vera est Epiphanii ratio, majorem inde esse concludentis episcopum presbytero; Salmasii vero non insulsa tantum, sed petulans et improba sanctissimi viri ista reprehensio. « Hæc inepta sunt, inquit, et frivola. Quibus eludendis vel illud sufficit, quod ante attulimus, Timotheum, cui ista scribuntur, non fuisse episcopum; alioquin dicendum esset, plurium ecclesiarum, et omnium, ad quas missus a Paulo fuit, episcopatum gessisse, Corinthi, Thessalonices, Ephesi, et aliarum. » Imo vero *hæc inepta* magis et *frivola* sunt, quam illa Epiphanii, episcopum non fuisse Timotheum, quod hic absolute pronuntias, ne tu quidem verum esse dixeris. Quare hoc aliud agenti tibi excidit. Quod si episcopum non fuisse sic intelligis; nullius certæ sedis episcopum fuisse; non hoc tibi concedet Epiphanius, qui hoc scivit, sic unius loci ac civitatis episcopum posse fieri quempiam, ut et aliarum civitatum curam, administrationemque suscipiat, ubi nullus adhuc fuerit, vel mortuus sit episcopus. Quorum illud sub ipsa nascentis Ecclesiæ primordia facile contigit, ut in multis urbibus Christianus populus nullum adhuc proprium haberet episcopum, sed a solo presbyterio, hoc est simplicium, ut Græci opinati sunt, sacerdotum collegio proxime regeretur; episcopi vero interim vices expleret is, qui vicina in civitate constitutus jam esset. Hæc Epiphanii, Chrysostomi, ac Theodoreti mens, et eorum fere, qui presbyteros, et episcopos apud Paulum non episcopos, sed sacerdotes esse simplices arbitrati sunt. Quos contra nihil jejunum et otiosum tuum illud commentum promovet, de episcopis huc illucque cursitantibus; nec certo loco consistentibus; quam fabellam supra confutavimus.

XIV. Nam quod Theodoretum posteriore in illo Apostoli loco, presbyteros ais non simplices agnovisse, sed episcopos, etsi probabile est, ut supra docui; non tamen integrum tibi fecisti, hac uti illius interpretatione. Etenim pag. 49. « Nusquam, ais, ille prodidit, episcopos istos, qui et presbyteri vocantur apud Apostolum, summum gradum tenuisse. » In quo etiam ab Apostolo vis ipsum dissidere. Quod si vere dixisti; profecto non potes presbyteri vocabulum ab eodem Theodoreto positum affirmare pro summo et ordinis primi sacerdotio; quod his verbis asseris, quæ prioribus illis tuis ex diametro contradicunt: « Planum est ex his, presbyterum Theodoreto intelligi, qui Ecclesiæ præfectus est cum potestate, et auctoritate summa. » Atque hunc ipsum presbyterum scribis mox, «Episcopum nuncupari: Ubique etiam in epistolis Apostolicis idem Theodoretus episcopum, et presbyterum unius ejusdemque προστασίας, sono tantum differentia esse vocabula observat. » Quod ex Theodoreti loco probas illo, qui est in commentario ad caput tertium prioris *ad Timotheum;* ubi episcopum dicit ab Apostolo nominari presbyterum, idque se in commentariis epistolæ ad Philippenses docuisse. Non dubito, si duo illa libri tui loca inter se comparaveris, quorum unus est pag. 48 et 49 alter pag. 336 et 337, quin stupore ac rubore perfundaris, δὴν δ' ἄνεως εἴης, vix tuis oculis credens; quod et mihi, ut alia in tuis legendis scriptis evenit, cum tam abnormem, et incredibilem in pugnam sententiarum, et contradictionem

Præfecturæ.

Diu absque voce sis.

[a] 1 *Tim.* v, 19. Κατὰ πρεσβυτέρου μὴ ταχέως κατηγορίαν δέχου, εἰ μή τι ἐπὶ δύο, καὶ τριῶν μαρτύρων.

inciderem. Ut jam minime mirer, postremum illum tuum fetum febriculosæ Dissertationis, magno te redemptum velle, non abs te videri ita, ut est, editum fuisse, sed elapsum tibi e manibus, et extortum pene informem, ac semicaudum; quem tu per amicos tuos rumorem serere hac in urbe nuper instituisti, postquam meam hanc contra te lucubrationem odoratus es. Sed nihil agis, nisi errata tua illa omnia retractes, hoc est capitalem istum Messaliano-Salmasii librum, ut ad Lugdunensem aram mos fuit, delingendo exteras. Hac una lege tot peccatorum gratiam a nobis impetrare potes, alia non potes.

Theodoreti locus a Salmasio depravatus, illustratur.

XV. Atque, ut de Theodoreti loco illo paucis agam tecum, non *ita planum est*, *presbyterum* in eo vocari *Ecclesiæ præfectum cum potestate, et auctoritate summa*, ut tu putas; etsi est probabile, quod et supra monui. Sed potest, si quis malit, Epiphanii, Hieronymi, Chrysostomi, ac Theodoreti etiam ipsius aliis in locis, opinionem interpretationemque secutus, presbyterum intelligere simplicem, ac secundi ordinis sacerdotem eo modo, qui supra est expositus; uti videlicet in plerisque urbibus, quæ non ita pridem Christianam religionem susceperant, nondum episcopo uno, ac primi ordinis constituto sacerdote, gubernandæ fidelium multitudini presbyterorum simplicium collegium præpositum fuerit, a quo omnia Ecclesiæ regendæ necessaria ministrarentur, iis exceptis, quæ sine episcopali charactere ac potestate obiri nequeunt; cujusmodi imprimis est ordinatio clericorum, et impositio manuum ad dandum Spiritum sanctum. Ad quæ præstanda identidem excurrerent Apostoli, vel Apostolorum discipuli episcopali jure præditi. De iis nihil Theodoreti verba prohibet accipi, cum ita scribit: idcirco Apostolum præcipere Timotheo, ut, nonnisi duobus, vel tribus adhibitis testibus, presbyterum increpet; « quod plerumque accidit, ut cum ei sit præfectura credita, nonnullos ex iis, qui peccant, offendat, illique ex eo infesto in illum animo, calumniam in eum machinentur [a]. » Etenim

Præfectura. Episcopos.

προστασία illis etiam conveniebat, quos propterea ἐπισκόπους dici mos fuit, etsi in secundo tantummodo gradu censerentur, ut Hieronymo placuit; quod episcoporum propriam curam, et jurisdictionem, quoad fas erat, exercebant; quam pro modulo suo inferiores etiam clerici, velut diaconi administrabant adeo, ut apud quosdam de populo interdum offenderent. Sic Cæcilius diaconus Carthaginensis Lucillam fœminam pecuniosam, et impotentem, quod eam paulo liberius arguisset, alienavit ab sese; quæ postea, cum episcopatum ille esset adeptus, diro contra eum schismati Donatistarum faces subdidit, viresque subministravit, ut Optatus Milevitanus prodidit [1].

CAPUT VIII.

Quorumdam Catholicorum de Hieronymo et aliorum Patrum dictis, ac sententiis judicium: præsertim Michaelis Medinæ: qui perperam illos in invidiam Aerianæ hæresis adduxit a qua alienos esse illos ostenditur. Salmasii falsa criminatio diluitur. Exponitur iterum Hieronymus, quem externæ functionis ratione exæquasse presbyteros episcopis demonstratur.

I. Quod in enucleandis antiquorum Patrum sententiis operæ hactenus insumpsimus, non ad hæreticos tantummodo retundendos valet, qui ad scelerati dogmatis sui fidem inde argumenta sumpserunt; sed ad Catholicos etiam aliquos dedocendos, qui illos temere, ac parum prudenter in ejusdem hæresis invidiam vocarunt. Horum e numero unus præcipue notatus a nobis est in *Dissertationibus* Michael Medina, qui in primo libro *de sacrorum hominum origine, eorumque continentia*, capite V, veterum plerosque Aerianæ labis, et erroris suspectos facit. Displicuit nostra illius reprehensio homini gravi, et imprimis limati, atque incorrupti judicii Salmasio; qui pro sua in Aerium ac similes observantia, quorum sectam complectitur, veteres illos habere cuperet communis hæresis, ac sacrilegii participes. Sed qui attente superiora

De Hieronymo aliisque judicium Michaelis Medinæ reprehenditur

[a] THEOD. in cap. V, ep. I *ad Tim.* cap. V, 19. Συμβαίνει γὰρ ἐκκλησίας αὐτὸν προστασίαν πεπιστευμένον, καὶ λυπῆσαι τῶν ἁμαρτανόντων τινάς, εἶτα ἐντεῦθεν ἐκείνους δυσμενῶς διατεθέντας, συκοφαντίαν ὑφῆναι.

1 Lib. II.

hujus libri capita legerit, inconsiderate fecisse Medinam fatebitur, qui tam levibus de causis, imo nullis, tam acerbam viris sanctissimis calumniam irrogarit ; nec minus vanam Cathari fiduciam ridebit, qui deploratæ illius causæ propugnandæ, rudis, nec ad seipsum quidem tuendum idoneus patronus accesserit.

Sunt autem Aerianæ hæresis contagione respersi ab Medina potissimum isti, Hieronymus, Theodoretus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Primasius, Sedulius, Theophylactus ; « Quorum omnium sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo Joanne Wiclefo damnavit Ecclesia. »

II. Atqui falsissimum istud est, et indignum homine Catholico, ac theologo de tot tantisque Patribus judicium ; qui nihil cum pestilente ista hæresi commune unquam habuerunt. Aerius, ut jam probavi, duos istos ordines, episcopatum, et presbyteratum, unicum esse dicebat ex sese, ac natura sua,

Ratione suppositi.

non tantum κατὰ τὸ ὑποκείμενον : nec ampliorem in episcopo, quam in presbytero potestatem inesse. Idem et Wiclefus, et Puritani deinde hoc sæculo docuerunt[1], et horum institutis formatus Salmasius.

At antiqui illi constanter asserunt, inter utrumque ordinem interesse ; et hoc discrimen qualecumque esse pronuntient, sive magnum, sive pusillum, nihil ad rem pertinet, dum reipsa quale sit definiant, ac determinent, ut in ordinandi jure ac potestate consistat : quæ in solis episcopis insit, non in presbyteris. Ac solent plerumque non externi tantummodo, sed etiam Christiani scriptores, rem eamdem modo extenuare verbis, modo amplam exaggerando facere, dum instituto argumentoque serviunt ; quod innumeris exemplis illustrari potest. Inest enim in unaquaque multiplex, ac diversa ratio, quæ utriusvis ansam, et argumentum præbeat. Quod in *Rhetoricis* notavit Aristoteles[2]. Neque ab hoc usu loquendi sermo divinus abhorret. Velut cum hominis dignitatem alias extollit, ut eam Angelicæ supparem faciat : *Minuisti eum paulo minus*, inquit[3], *ab Angelis* ; imo divinæ, ut Hebræi hunc locum interpretantur ; alias in infinitum abjicit, ac deprimit : *Domine quid est homo, quia innotuisti ei*, etc. *Homo vanitati similis factus est*[4], etc. Hæc eo

Frigidam

commemoravi, ut ineptam Cathari ψυχρολογίαν, et μικρολογίαν suffunderem, qui idem illud

et debitem argumentationem.

discrimen amborum ordinum, quod in ordinandi jure est positum, modo latum, modo pusillum et angustum vocari ab antiquis Patribus eodem schemate orationis non videt. Atqui non verba illorum spectanda sunt, sed res ipsa, quæ diverse considerata potest, aut magna aut exigua videri. Quin ipsemet alibi « sat multum discriminis intercessisse scribit episcopos inter et presbyteros, et ordinationem præcipue eam differentiam constituisse. » Quid tu ergo tricaris, et negas postea, latum inter ambos ordines discrimen intercedere, quod in ordinatione constituitur ? Aut quid aliud est *sat magnum*, quam *latum* dicere? Sed ex eodem fonte capitis tui *lato discrimine* separata, id est contraria dogmata prodire, non est novum, ut *de eodem foramine emanes dulcem, et amaram aquam ;* quod merito Jacobus execratur[5].

III. Porro sancti omnes illi Patres, et Interpretes Pauli a Medina citati, nihil ejus opinionem adjuvant, ut ex superioribus abunde constare debet ; præsertim Hieronymus, Theodoretus, Chrysostomus, cui Theophylactus annectendus est. Ambrosius vero, quem iste nominat, non est Ambrosius, sed ignotus scriptor nomen illud ementiens, et quales in divinis libris *Apocryphi* consuevere dici, momenti nullius, et auctoritatis, præterquam apud Salmasios, et Catharos, qui auctoribus pretia ponunt, non ex merito ac dignitate, sed suo arbitratu, ac commodo. Nam quia Pseudo-Ambrosium istum nescio quem ratus est fautorem invenisse se impuræ fabulæ suæ, eum in oculis habuit, nec dubitavit anteponere cæteris omnibus.

Atqui nihil est in Ambrosio isto, quod aut Medinam, aut Salmasium beare possit ; neque quidquam illius ab nostra, et communi sententia dissidet oratio. Imo vero illo in loco[6], quem Medina nominat, ad quartum caput epistolæ *ad Timotheum*, episcopos manifeste superiores, ac majores facit presbyteris ; quos quidem « post episcopum plus esse scribit. Nam in episcopo omnes ordines sunt ; quia primus sacerdos est, hoc est princeps est sacerdotum. » Præterea docet ibidem, primis temporibus hanc in Ecclesia fuisse consuetudinem, ut, « cum presbyteri episcopi appellarentur, recedente uno, sequens ei succederet ; » postea constitutum esse, ut multorum

1 Thom. Wald. lib. II *Doct. fid.* art. 3 c. 60.— 2 Lib. III, cap. II sub fine.— 3 *Psalm.* VIII.— 4 *Psalm.* LXLIII.— 5 *Jac.* V 11. — 6 Pseudoambr. col. 504.

judicio potius eligeretur, qui ex merito, non ex ordine succederet. Ergo unum aliquem præfuisse putat, non plures pari potestate, ut partim Salmasius affirmat. Partim dixi; nam et eodem in libro contrarium scripsit, ut ante demonstravimus.

IV. Rursus idem ad caput tertium epistolæ *ad Timotheum*, quem locum indicat Medina, « Post episcopatum, inquit, diaconi ordinationem subjicit. Quare? nisi quia episcopi, et presbyteri una ordinatio est; uterque enim sacerdos est. » Quod sane verum est; nam et primi, et secundi ordinis sacerdos ab antiquis dicitur. Itaque subjicit: « Sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. » De Augustino scripsimus in primo *Dissertationum Ecclesiasticarum*[1], ac nimis oscitanter ab Medina in communionem vocatum illum Aeriani dogmatis ostendimus, cum nihil aliud, quam honorum vocabulis distinctos a presbyteris episcopos esse communi usu sentiat. Primasius[2], et Sedulius verba duntaxat Pseudo-Hieronymi describunt[3], qui propterea post episcopos, tacitis presbyteris, ad diaconos lapsum esse dicit Apostolum, « quia secundus, imo pene unus est gradus; sicut ad Philippenses episcopis ac diaconis scribit, cum una civitas plures episcopos habere non possit[4]. » Quæ verba Medinam juxta, atque Catharos conturbant. Nam apertum continent ordinis utriusque discrimen; quantocumque tandem, et qualicumque intervallo disjuncti sint ex illorum opinione; quod ad rei summam parum, aut nihil interest.

Contradictionum. V. Neque postremo (quod Salmasius opinatur pessimus τῶν ἐναντιολογιῶν arbiter ac censor, id est morborum curator, quibus totus ipse scatet) contra nos ipsi loquimur, dum asseveramus, « Presbyteros Apostolorum temporibus veros episcopos fuisse; » neque quod huic nostræ sententiæ venenum admiscet, ex illa sequitur: « Et si eumdem cum presbyteris gradum honoris, et dignitatis, et ordinis constituentes plures in eadem civitate exstitisse. » Homo non tam malitiosus, quam stupidus, et ingenio plumbeus, ad idem saxum semper offendit, dum quæ τῷ λόγῳ, et essentia distincta ponimus, tametsi τῷ ὑποκειμένῳ sint eadem, permiscet, ac confundit invicem. Discat igitur, et si potest, semel intelligat, ut iterato non sit opus, sic nos in *Dissertationibus* scripsisse, eosdem initio creatos episcopos, qui presbyterium constituebant, ut nihilominus diversos illos gradus in Ecclesia retineremus: alterum presbyterorum, qui episcopi non sunt; alterum episcoporum; hoc est unum secundi ordinis, qui primi non est: alterum primi, qui et secundum δυνάμει continet, ut a Pseudo-Ambrosio dictum esse paulo ante memini. Quemadmodum si rex idem fiat et sacerdos, Poeta sit idem et Geometra; aut ita denique, ut in homine, cum eadem sit rationalis, et sentiens, ac vegetans anima, tres sunt tamen et mutuo distinctæ per sese, quæ ita nominantur, animæ, eo quod secunda sine prima, tertia sine primis duabus in rerum natura cernitur. Qua similitudine nihil esse diximus aptius ad ecclesiasticorum ordinum differentiam explicandam; et idcirco sæpius illam, quam vellemus, repetere cogimur, ut se imperiti hominis ad captum disputatio nostra demittat.

Ratione. *Supposito.* *Virtute.*

Quo sensu episcopum eumdem cum presbytero dicit Hieronymus

VI. Sunt e Catholicis theologis[5], qui Hieronymum sic interpretari student, ut episcopum eumdem cum presbytero esse velit ordine, non gradu ordinis, ac dignitate. Quo illorum opinio pertinet, qui episcopatum characterem negant habere diversum ab eo, quem sacerdos habet simplex, sive presbyter; sed hunc duntaxat extendi, et quodammodo diffundi, virtute scilicet, et efficientia, non mole, ac quantitate. De qua controversia non est hujus loci disputare; erit tum, cum de sacramento Ordinis agemus. Quod autem præsentis negotii est, et susceptæ quæstionis, illud asseveramus: Cujusquemodi est character iste, non eumdem esse ordinem episcopatum, et presbyteratum, nec eamdem in ambobus ordinis potestatem, sed divino jure distingui; neque huic adversari vel Hieronymum, vel quemcumque alium ex antiquis Patribus, qui episcopos æquo jure cum presbyteris censere nonnullis videntur. Ac præcipua quidem dos episcopatus, et præstantissima in eo posita est, quod commune illi est cum presbyteratu; hoc est in consecrandi Dominici corporis ac sacrificandi potestate, tum administrandi Pœnitentiæ sacramenti, condonandique peccata. Quam utramque facultatem totis eloquentiæ viribus ornat, et extollit Chrysostomus in libro III *de Sacerdotio*; eaque præditum ait sacerdotem

1 Cap. III. — 2 In I *Tim.* cap. III. — 3 Ibid. — 4 Pseudo-Hier. ibid. et Prim. in cap. I *ad Phil.* — 5 Wal. tom. I lib. II *Doct. fid.* ar. 3. c. 69.

novæ legis supra modum humanæ conditionis assurgere, imo vero ultra Angelorum dignitatem evectum, propius accedere ad summæ divinitatis imaginem, ac potentiam. Sed eadem illa potestas in episcopo perficitur, ac seipsa fit excellentior accessione novi juris, ac dignitatis, potestatisque propagandorum, ut loquitur Epiphanius, ac gignendorum patrum, hoc est ordinandorum presbyterorum, et episcoporum. Quæ quia necessario cum priore illa, et præstantissima conjungitur, huic insistit, nec ab ea divelli potest; idcirco simplici, absolutoque sermone pronuntiari debet, episcoporum ordinem presbyteratu longe esse potiorem.

VII. Crediderim tamen, veteres illos, qui presbytero plusculum indulgere visi sunt, ad priorem respexisse potestatem sacrificandi, ac remittendi peccata, ut *pene unum* ambos *esse gradum* auderent scribere, vel *unam ordinationem*. Sane qui de sacerdotio scripserunt, quo nomine plerumque summus, id est episcopus continetur, et illius dignitatem, excellentemque statum collaudant, ut Chrysostomus, et si qui alii; in illa potissimum utraque dote prædicanda commorantur; minus in altera, quæ unius episcopi propria est, insistunt ordinandi potestate.

Hieronymus vero, qui presbyterum sola consuetudine minorem esse ait episcopo, eique subjectum, cum alioqui ex prima institutione sit æqualis: non de ordinatione loquitur, ut putat Salmasius, sed de externa gubernandi potestate, ac jurisdictione, cujus usum presbyteri aliquando sic obtinuisse dicuntur, ut ecclesiam in commune regerent, et administrarent; quod supra demonstratum est, non ut ordinare possent, in quo episcopalis ordinis proprietas consistit. Non igitur ordine, vel ordinis potestate, qua episcopalis est, ambos illos æquales esse credidit.

Nec adversus hoc opponi debet, quod Hieronymus diaconos negat anteferendos presbyteris[1], eo quod *ad horum preces Christi corpus, sanguisque conficitur*, quod ad ordinis potestatem attinet. Etenim in componendo presbytero cum diacono commemorandum illud fuit, quo potissimum inter se discrepant, et hoc ille est præstantior, ut ex hac prærogativa ordinis, dignitatis, et προεδρίας inæqualitas monstretur, de qua potissimum agitur. *Primatus.* Non enim adeo desipiebant illi, quos in ea epistola castigat Hieronymus, ut ordinis potestatem, et functionem in diacono majorem ac digniorem, quam in presbytero esse contenderent. Sed de honore, externoque cultu, qui illis adhibebatur, ac loco, et antecessione sermo illis erat. Vide quæ supra de eodem argumento, ac sententia Hieronymi fuse disseruimus. Non erit necesse, loca illa supposititia, et a mala manu intrusa, et aliena ab Hieronymo suspicari; præsertim si Hieronymi morem in oppugnandis contrariis sententiis recordari volumus, et quam plerumque acer ac vehemens alteram feratur in partem, ut nonnulla jaciat interdum ὀξύμωρα et παρακεκινδυνευμένα, quæ benigna interpretatione mollita, facile trahas in catholicum sensum, a quo minime ipsum abhorrere, ex aliorum locorum comparatione constiterit. *Oxymora et periculosa.*

1 Epist. LXXXV.

CAPUT IX.

De presbyteris simplicibus rursus agitur: ac refellitur Salmasii opinio asseverantis olim eumdem ordinem fuisse cum episcopis: postea vero duos ex uno factos ordines; quod non posse fieri monstratur. Sacramenta divini juris, et institutionis esse: ideoque nec ab hominibus imminui, ac mutari posse. Ex quo probatur, nunquam presbyteratui simplici ordinationem esse permissam. Salmasii non una labes. Presbyteri vox explicata. Sacramenti ratio, ac definitio: ex qua Ordinis esse sacramentum probatur. Divini juris esse institutionem Sacramentorum.

I. Quoniam in ordinandi potestate potissimum sita est episcopi ac presbyteri differentia, ut bene multis hucusque declaravimus; multum in eo Catharus noster insudat, ut illam cum presbytero communicatam olim fuisse persuadet. Ac revera fatendum illud est, firmissimum ex eo duci genus argumenti ad catholicum dogma probandum, quod nullum in tota exstet Ecclesiæ antiquitate vestigium, exemplumque potestatis istius presbytero concessæ simplici, ut presbyterum, aut episcopum ordinarit, ut de cæteris ordinibus modo taceam; nulla de eo significatio Græ-

corum, Latinorumque Patrum, in tam crebra mentione rerum illarum, quæ ad clericos, et eorum institutiones attinet, atque in tanta luce historiarum et copia. Sed quid antiquos de tanti momenti re siluisse dico? quod ipsum per sese satis argumenti sit, nunquam illud in usu fuisse. Illi enim e contrario, nec licere istud unquam, nec fieri posse contendunt. Quid igitur amplius quærimus? Nonne si ex sese, institutoque Christi, et accepta per Apostolos ab illo traditione, unus tantummodo esset ordo, ac potestas una primi secundique ordinis sacerdotum; hoc ipsum fuisset in Ecclesia perpetuum, nec mutari, convellique humana lege, et auctoritate potuisset? Certe *hominis confirmatum testamentum nemo spernit*, *aut superordinat*[1]. Multo ergo minus *testamentum confirmatum a Deo irritum facere* quis potest, ut argumentatur Apostolus. Cyprianus quoque in epistola LXIII, probat, ea quæ a Deo, ac divino jure statuta sunt, mutari non posse. *Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis*, *et docuerit sic homines*, *minimus vocabitur in regno cœlorum*[2]. Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere; quanto magis tam magna, tam grandia ad ipsum Dominicæ passionis, et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare? » Quocirca, si divino jure, et ex natura ipsa presbyteratus, ac sacerdotii, ordinandi penes presbyterum sit potestas, non potuit ullo ecclesiastico decreto huic eripi.

II Etenim, si quis contentiose asserat, potuisse illam ab Ecclesia detrahi sacerdotibus secundis; quæram de eo, utris potius consentaneum sit ablatam eam fuisse, an iis, qui ab Ecclesiæ communione suo judicio, et illius sententia separati, damnatique sunt, an piis et catholicis, qui in fide, et unitate persliterunt? Nemo tam improbe fatuus sit, opinor, qui non priores illos æquius judicet potestate ista multari, et reipsa vero multatos fuisse, cum ii, qui excommunicati, et anathemate damnati sunt, una cum Ecclesiæ communione, honore omni, dignitate, functione, ac potestate ecclesiastica spoliari consueverint, nonnunquam etiam Christiano jure, ac nomine. Sic Misenum[3], et Vitalem legatos Romanæ sedis, Acaciana communione pollutos Romana synodus, Felice tertio Papa præside, « a sacerdotali collegio, et sacrosancta communione suspendit; Acacium vero inter episcopos sanctos, atque inter Christianos, judicavit, non haberi. » Felix ipse eumdem Acacium[4] « a sacerdotali honore, et communione catholica, nec non etiam a fidelium numero segregavit. » Sic Anthimum Constantinopolitanam in sedem intrusum Agapetus Papa « spoliavit omni nomine episcopali, et catholico, id est orthodoxo[a]. » Atqui talibus cum Ecclesia, quidquid potest, proscribendo, damnandoque adimat; neque baptizandi potestatem, neque ordinandi, consecrandique potest eripere. Itaque tum baptizatos ab hæreticis, et schismaticis, tum ab iisdem ordinatos, verum baptismum, ac verum ordinem habere catholica judicavit Ecclesia, et aliter sentientes tanquam hæreticos rejecit. Quod contra Luciferianos, Donatistas, Arianos, aliasque pestes, innumerabiles synodi, ac Patres orthodoxi auctoritate sua comprobarunt, Inter quos Augustinus eminet, qui in omnibus scriptis, quæ contra Donatistas bene multa lucubravit, luculenter hoc, et copiose docuit. Cujus ex infinitis locis unum protuli supra ad eam rem imprimis disertum[5], in quo, cum Ordinationem non minus sacramentum dixisset esse, quam Baptismum; addit mox, « Ideoque in Catholica utrumque non licet iterari[6]; » tum subjicit : Præpositos ipsos id est episcopos, nonnunquam redeuntes ad catholicam communionem in eodem gradu, et officio recipi.

Ecclesia episcopo potestatem ordinandi adimere nequit.

III. Quod si ne hæreticis quidem, hoc est mortuis, ac spirituali gladio detruncatis, tam clericis, quam laicis, Baptizandi; episcopis vero, ordinandi potestas extorqueri potuit; nec efficere hoc amplissimo jure suo, et auctoritate quivit Ecclesia, ut non hostes illi sui, a seque damnati, vera Baptismi et Ordinis sacramenta conferrent, sametsi nefarie hoc, impieque facerent; multo certe minus piis, et catholicis sacerdotibus, nec ipsius sententia ulla perstrictis auferre illam aut potuit, aut vero debuit.

Ergo nec presbytero si ex instituto Christi illam habuisset.

Quamobrem si cum presbyteratu copulata, et implicata esset ab origine sua, et ex institutione Christi, potestas ordinandi; nunquam illa carere possent presbyteri : potestate, in-

[a] Conc. sub Menna, Ἐγύμνωσε παντὸς ὀνόματος ἐπισκοπικοῦ τε, καὶ καθολικοῦ, τουτέστιν ὀρθοδόξου.

1 *Gal.* III, 15.— 2 *Math.* VII.— 3 Tom. III conc.— 4 Felix ep. VI.— 5 Lib. I cap. III.— 6 Aug. I *cont. epist. Parn.* c. XIII.

quam, ac jure. Nam usus alioqui interdici poterat; sed non ita, ut si contra interdictum potestate sua uti nefarie vellent, effectum illa non haberet; nec vere uti baptizati, sic ordinati forent, quos baptizare ausi essent, vel ordinare. Denique si quando necessarium hoc esse videretur, ut ordinarent presbyteri, quod nulli adessent episcopi; fecissent illi hoc interdum, quemadmodum ubi clerici nulli sunt, qui Baptismum administrent, laicis hoc licet facere. Quid igitur causæ est, cur nunquam ecclesiastico jure, vel more receptum est, nec ullo exemplo comprobatum, uti qui sacerdotes simplices erant, aut episcopos, aut sui ordinis presbyteros consecrarint, et ordinatrices his manus imposuerint, nisi quia ordinandi potestatem nullam acceperunt?

IV. Hic vela Catharus explicat inscitiæ, et ἀλογιστίας, quantæ alibi nusquam; et « Cum, inquit, episcopus, et presbyter idem esset, ordinatio ad utrumque pertinebat, quia non alius a presbytero episcopus. Episcopus ordinabat presbyterum, et presbyter episcopum; quia idem ordo, idem gradus utrinsque, et unus fuit. Ubi distingui ordines, et gradus cœpti sunt, atque episcopus major exstitit presbytero, tum ordinatio non potuit utrique esse communis. » Si unus et idem ordo tum fuit, non natura, et institutione Christi duplex, male loquitur, cum ad utrumque pertinuisse ait ordinationem. Non enim *uterque*, sed unus erat; nec cum uterque dici cœptus est, ad utrumque pertinuit ordinatio, sed ad amborum alterum. Cum autem presbyter cum episcopo comparatur, ut in quæstione nostra, non ea notione sumitur, qua unus est, idemque cum episcopo, sive qua est episcopus, sed quatenus ab episcopo differt, et diversum ab eo constituit ordinem.

Presbyteri. Dixi non semel, vocabulum τοῦ Πρεσβυτέρου duplicem habere notionem; unam generalem, alteram peculiarem, et restrictam. Priore modo, ætatis primum, deinde dignitatis, et antecessionis nomen est, eum significans, qui auctoritate, ac dignatione potior est. Posteriore vero certum in clericatu ordinem et gradum designat, qui est secundus ab episcopatu. Olim promiscue utrique ordini tribuebatur, et eum significabat, qui honore, ac functione antistabat fidelibus, et horum curam gerebat, ac pascebat tum verbo Dei, tum Sacramentis; sive unus emineret in turba, qui κατ' ἐξοχὴν nonnunquam πρεσβύτερος, et *Per excellentiam. Presbyter et* ἐπίσκοπος inter cognomines cæteros audiebat, ut vel ipsi Salmasio videtur, qui etiam singularis hujus præfecturæ initium ab Apostolorum tempore, et Ecclesiæ primordio ipsius arcessit; sive plures ordinis primi, aut, ut Græci, cum Hieronymo censent, secundi ordinis, regendis ecclesiis præpositi sint, antequam certus illis præficeretur antistes. *Episcopus.*

V. Quibus animadversis perspicuum est, cum de eo quærimus, ac disputamus, utrum presbyteratus ab episcopatu sit ordo diversus, atque adeo presbyter omnis episcopalem characterem, ordinem, jus ac potestatem habeat; aut, quod idem est, utrum presbyter aliquando potestate ordinandi præditus fuerit; in his et similibus controversiis, presbyteri, ac presbyteratus vocabula non primo modo accipi. Alioqui de solo nomine, ac vocis sono disputaretur, ut si quæratur, idemne sit λώπιον, et ἱμάτιον, ut est apud Aristotelem[1]. Oportet enim, inter ea, quæ invicem conferuntur, interesse aliquid. Quare presbyter ibi sumitur pro eo, qui in secundo ordine censetur, et a priore differt; nam de primo ordine nulla plane dubitatio est. *Lopium (vestimentum tenue) at pallium.*

Quamobrem præter omnem modum ridicula est, et obtusa Cathari ratio, qui *presbyteri* nomen prima illa significatione accipit, itaque decernit, *ordinationem ad utrumque pertinuisse*. Quasi tum duo fuerint episcopus, et presbyter, cum unus esset ordo; aut presbyter, qua est episcopus, nec ab eo ratione ulla distinctus, separari ab episcopo possit. Etenim, si *presbyterum* sic usurparet, ut genus esset aliquod sub se duas continens species, id est ordines, qui sunt, presbyteratus simplex, et episcopatus, et ad utrumque ordinationem pertinere contenderet: etsi in re ipsa vitium esset, quia falsum diceret, nullum tamen in locutione committeret. Nunc illud perabsurde, quod eo ipso tempore, quo episcopum, et presbyterum eumdem fuisse statuit, hoc est non diversum ordinem, sed unum, ad utrumque pertinuisse dicit ordinandi potestatem. Atqui *presbyteri* vox, ut Salmasius existimat, tunc temporis nonnisi episcopum significabat, non autem eum, qui episcopus non esset, erantque συνώνυμα duo illa vocabula. Quare idem est dicere, ordinationem ad utrumque pertinuisse, episcopum, et presbyterum, ac vel ad episcopum et episcopum, vel ad presbyterum, et presbyterum. Siquidem presbyteratus, ut in episcopatu οὐσιωδῶς continetur, *Synonyma. Essentialiter.*

1 *Physic.* cap. III, lex. 21.

a presbyteratu simplici reipsa diversus est, et idem prorsus est cum episcopatu. Sicut animal, et sensibile, qua inest homini, reipsa distinctum est ab animali, quod in brutis inest; illud enim rationale est, hoc rationis expers. Quare neutrum ab eo, qui convenit, separari potest, nisi utroque sublato. Neque enim animal illud, quod est, exempli gratia, in homine, separatum ab eo potest existere ita, ut dici possit, antea unum et idem ambo fuisse, postea vero duo esse facta. Ita neque presbyteratus, qui est in episcopo, et quem olim eumdem cum episcopatu et re, et appellatione fuisse, credit Salmasius, ab episcopatu disjungi salvo eo potuit, ac dici duos jam ordines ex uno esse factos.

VI. Dixisset sane : Unum ordinem ab Christo Apostolis traditum, qui presbyteri, et episcopi nominibus appellaretur, penes quem jus esset omnium Sacramentorum administrandorum, præsertim Ordinis. Postea vero novum ordinem institutum esse inferiorem illo, qui Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ minister esset, aut etiam aliorum, excepta ordinatione. Hoc modo a seipso non tam turpiter dissideret, tametsi non prorsus verum diceret, uti mox constabit. Nam quod scripsit modo, putidum est, et inextricabile : Cum unus esset ordo, utrumque ordinare potuisse ; postquam distincti ordines sunt, tum ordinationem desiisse utrique esse communem. Quamdiu enim prior ille fuit unus, id est solus, nondum erat posterior, qui ab eo postea divelleretur ; nec ita separatus est iste, ut non in eo remaneret, nulla hujus facta mutatione. Episcopus enim nihil minus fuit, aut habuit post illam divisionem, quam erat habebatque antea. Non est ergo divisus in duos prior ordo, sed ad hunc alter adjunctus, eique subjectus. Insulsa itaque, imperitaque de talibus Cathari est oratio.

Verum præter inscitiam sermonis, labem insuper continet hæretici sensus, errorisque, tum ab catholica damnati fide, tum veterum conciliorum, ac Patrum auctoritate convicti; quod in hunc modum ostenditur. Esse quoddam in Ecclesia Ordinis sacramentum ita, ut Baptismi, et Eucharistiæ, Christiana tenet, et catholica religio, omnium illorum testimoniis approbata, ut superius breviter attigi [1] ; quod alias fusius opponendum erit. Jam Sacramenti natura hæc est, et proprietas, ut adversarii ipsi fatentur, ut a Deo institutum sit, non humano jure, ac voluntate. Quippe Sacramentum Calvinus ita definit [2], « Externum esse symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, » etc. Addit [3], « nunquam sine præeunte promissione esse Sacramentum. » Et Theodoretus Beza in opusculo *de re Sacramentaria* « causam formalem Sacramentorum esse vult ordinationem Dei in ipsius verbo comprehensam [4]. »

Et ante hos Lutherus ad [5] « Sacramenti constitutionem, ante omnia requiri ait verbum divinæ promissionis, quo fides exerceatur. » Sic etiam Augustana confessio articulo 13. Et Philippus Melanchthon in *Corpore doctrinæ Christianæ*, « Sacramenta ritus vocat, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ. » Kemnitius quoque in Examine secundæ partis concilii Tridentini scribit, « auctoritatem, seu potestatem instituendi Sacramenta, ut sint efficacia signa gratiæ, non esse ullius creaturæ, sed solius Dei, qui gratiam illam operatur. » Cui et et Petrus Martyr assentitur [6] ; nec ullus, opinor, dissentiat, quin Sacramenta vera, et Christiana divinæ sint institutionis, nec humana voluntate, arbitrioque constituta.

VII. Cum ergo sacramentum ordinationis tam sacrosanctum ab Augustino censeatur, quam est Baptismus, ab Christo ipso, ac divino jure conditum sit oportet, ac proinde nec mutari ab hominibus, nec novum aliud excogitari, adjicique potuit. Atqui, ut est Salmasii opinio, utrumvis accidere debuit, ut vel in Christi institutione fieret aliqua mutatio, quæ sacramenti naturam innovaret ; vel novum quoddam genus adderetur. Etenim si ab Christo nonnisi unus Ordo traditus est, qui sacramenta omnia perficeret, et ministraret, ac nominatim ordinandi potestatem haberet; *cum distingui ordines et gradu cœpti sunt*, ut unus esset in Ecclesia, qui, hac ipsa ordinandi potestate detracta, jus haberet cæterorum administrandorum, ut putat Salmasius; profecto immutata est ratio illa sacramenti Ordinis, quam auctoritas divina præscripsit ; atque aut Sacramentum illud interpolatum est, et aliud ex alio factum, ideoque penitus extinctum, aut ad vetus additum est novum; quod utrumque nefas habetur.

Meminerit ille, quantis clamoribus ab Cal-

1 Lib. I, cap. III. — 2 Lib. IV *Instit.* cap. XIX, § 1. — 3 Ibid. § 3. — 4 In opus. tom. I. — 5 Luth. tom. I lib. *de Capt. Bab.* — 6 In *locis clas.* III, cap. VIII.

vinistis, Catharisque suis exagitatum illud sit Ecclesiæ decretum, quo certis, iisque necessariis de causis, usus calicis laicis hominibus interdictus est; ac quemadmodum uno hoc argumento ad illud impugnandum uti consueverint, innovari, mutarique non licere humana lege, quidquid divino jure institutum fuerit. Esse autem divini juris, ac sanctionis, ut in sumendo Eucharistiæ sacramento utraque species ab omnibus adhibeatur.

VIII. Discat igitur ex hac falsa suorum, et sua fortasse querela, quanto se piaculo perversæ opinionis implicarit, qui, cum ex divino jure, hoc est Christi institutione, ac Apostolica traditione, presbyteros omnes ordinandi potestate fuisse præditos velit, paulo post tamen jure isto spoliatos esse defendit, atque ita mutilam, et laceram dignitatem illam post Apostolos in Ecclesiam introductam, solo decreto humanæ auctoritatis accisam. Etenim divino jure institutos in Ecclesia presbyteros et episcopos fatetur; nec Apostolo contradicit, qui in *Actis*, sub illo duplici nomine, sic eos compellat: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*[1]. Ergo illi qualescumque presbyteri et episcopi potestatem acceperant a Deo, et Spiritu sancto, quam et Timotheus, et Titus, et alii episcopi similiter adepti sunt, et ejusdem fortassis interventu, et opera, hoc est Apostoli ipsius, qui Timotheum hortatus est[2], *ut resuscitaret gratiam Dei, quæ erat in ipso, per impositionem manuum suarum.* Illi, inquam, quos *Actorum* XX Paulus alloquitur, eamdem, ac Timotheus, et Titus potestatem divinitus sortiti fuerant ordinandi, constituendique presbyteros, et episcopos. Nam et hujus potestatis nominatim meminit, cum ambos istos admonet, illum, *ut manus cito nemini imponat*[3], istum vero, ut *constituat per civitates presbyteros*[4], hoc est episcopos *re, ac nomine*, ut Salmasio placet. Quanta igitur cæcitas, ac temeritas illa fuit? imo quam execrandum et inexpiabile scelus, quod universæ, post Apostolorum tempus, Ecclesiæ Salmasius adscribit, ut divinitus editum, constitutumque ordinem, ac suis finibus, sua potestate, functione sua determinatum, violare non dubitaret, ac dimidiatum, decurtatumque postmodum usurpare? Si ex instituto Christi, divinoque jure « Episcopus et presbyter idem erat; si ad utrumque ordinatio pertinebat, quia non alius a presbytero episcopus; si episcopus ordinabat presbyterum, et presbyter episcopum; quia idem ordo, idem gradus utriusque, et unus fuit; » potuitne mutari, ac perverti, quod Christus tradidit? potuerunt ex uno fieri ordines duo? potuit ita major alter altero fieri humana lege, ac voluntate, ut « ordinatio non posset utrique esse communis? » Potuit « sic episcopi ordinatio propria fieri, ut ad presbyterum desineret pertinere, quia presbyter destitit esse episcopus? » Quid est *destitit esse episcopus*, nisi id esse destitit, quod ut esset, a Christo mandatum, imperatumque fuerat, quod ex vi ordinationis suæ, ac per manuum impositionem acceperat?

IX. Respondeat ad ista, si potest, Salmasius; et ut ἀειλογίᾳ obligatus tenetur, dicti nobis sui rationem reddat, quinam « presbyteri simplices non habeant jus manus impositionis; » aut quo tandem modo divinum in illis violari præceptum, et a Christo latæ legi humana constitutione derogari, imo contraria lege obrogari potuerit? *Loquacitate.*

Hanc tantam labem, pravitatemque judicii non aliunde obortam esse Salmasio dixi supra, quam quod Catharorum ritibus ac dogmatibus assuefactus, horum esse similia vetera illa, quæ et hodieque nostra sunt, stulto errore credidit. Itaque cum nullam apud Calvinistas suos ecclesiasticorum graduum esse sanctitatem animadverteret; putavit idem et in antiqua Ecclesia factitatum esse, quod in sua videbat, ubi profana omnia qualiscumque sacrorum ministeria censentur adeo, ut cetarii, sartores, negotiatores, sellularii, et omnis generis opifices, diaconi, presbyteri, episcopi fiant; et ab uno gradu promiscue transeant ad alterum; atque eo munere functi, sic quasi sarcina, aut temporaria schema deposita, pristinum ad statum redeant. « Itaque alius hodie episcopus, ut recte Tertullianus ait[5], cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. »

Hinc illud est, quod tam facile versari, commutari, et quodam veluti mangonio interpolari, atque ex aliis alios fieri potuisse ecclesiasticos ordines arbitratus est, et ab ea forma transferri, in qua conditi erant a Christo, et ab Apostolis traditi, quasi totum hoc negotium arbitrarium, et in jure positum, ac

1 *Act.* XX, 28. — 2 II *Timoth.* II, 6. — 3 I *Timoth.* V, 22. — 4 *Tit.* I, 5. — Tert. lib. *de Præf.* cap. XLI.

voluntate esset hominum. Quæ mentis cæcitas ad inauditam amentiam propagata longius in infandas, et sacrilegas opiniones erupit; de quibus in sequentibus agetur.

CAPUT X.

Salmasii a seipso fœda dissensio idem asseverantis, ac negantis. Non omnia quæ re idem sunt, idem esse ratione. Episcopatus eminenter inferiores continet Ordines. Non esse proprium presbyteri, qua presbyter est, ordinare. Nullum exemplum exstare ordinationis a simplici factæ presbytero. Imo nullam et irritam prorsus habitam fuisse. Quod Ischyræ exemplo probatur. μυστικωτέρα χειροτονία *irrisa ab ridiculo Catharo, defenditur.*

I. Mea hæc in *Dissertationibus Ecclesiasticis* conjectura fuit [1]: Presbyteros illos, qui in epistolis Pauli, et in Actibus Apostolorum nominati leguntur, non simplices fuisse, sed episcopos eosdem, id est episcopali non tantum nomine, verumetiam ordinatione, ac potestate præditos. Quod idcirco tum factum esse verisimile putavimus, ut esset ad manum episcoporum copia, qui subinde conversis ad Christianam fidem populis, ac civitatibus præfici possent, et ea præstare, quæ episcopalem administrationem postulant. Non probavi hanc opinionem meam Catharo Salmasio, qui necessarium minime esse duxit, episcopos ad obeunda certa illa destinari munera, et officia, quæ presbyteri simplices gerere possunt; cujusmodi est ordinatio presbyterorum, ac cæterorum clericorum. Ut hæc illius sententia sit, presbyteros simplices ad presbyteros creandos jus habere manuum imponendarum; non tamen ad episcopos ordinandos, quia majorem minor ordinare non potest, sed æqualem, aut minorem. Quinetiam eo progreditur, ut manuum impositionem proprie ad presbyterum pertinere dicat; eam videlicet, quæ in ordinatione presbyterorum, et in Confirmatione locum habuit. Ἀλλ' αὐτὸ τὸ θηρίον audire satius fuerit. « Ipsa illa, inquit, manuum impositio, quæ in ordinatione presbyterorum, et in Confirmatione locum habuit, non proprie spectavit ad episcopum, tanquam episcopum, sed ad presbyterum. » Et paulo post : « Nihil igitur ad presbyterum, quatenus et episcopi nomen, ac munus habuit, pertinebat impositio manum in ordinationibus presbyterorum adhiberi solita; sed presbyterum ut presbyterum spectabat. » Hæc ille.

Sed ipsam belluam.

II. Difficile est omnino stomachum tenere in tanta non modo inscitia, verum etiam spurcitia dogmatis, et impietate. Verum moderabor orationi meæ, et sua ipsi tantummodo verba refundam, ac regeram. Enimvero. « Ignarum oportet, o Cathare, videri antiquitatis ecclesiasticæ, et moris illorum temporum, Apostolorumque instituti, qui tales nugas, et fabulas comminiscatur, contra rei veritatem, et usum veteris Ecclesiæ, misere confictas. » Quæ priusquam singillatim expendo, volo ipse mecum admiretur immanem, ac prorsus incredibilem dictorum sententiarumque repugnantiam, qua priora posterioribus evertit, ac diruit. Etenim quod in *Dissertationibus* posueram, « nunquam non fuisse in Ecclesia potestatum, graduumque discrimen, hoc est episcopatus et presbyteratus simplicis, sed in eadem capita passim ambo fuisse collata ; « quod hunc sensum habet, eosdem in clero quarumdam ecclesiarum una cum presbyteratu episcopatum simul adeptos esse; hoc ille *stuporis, inscitiæ ac stoliditatis* accusat, mihique propter istud ipsum maledictis ac probris ferociter insultat. Et, « Potestne fieri, inquit, ut aliquis nesciat, ex uno gradu, qui olim fuit, presbyteri, et episcopi, duos postea factos esse? At tu ducis, duos ordines in una persona, etiam tum cum unus esset, distinctos tamen, ac discretos fuisse. Quomodo? An ille unus, qui episcopus simul, et presbyter fiebat, Apostolorum ævo aliqua gerebat pro episcopo, aliqua vero pro presbytero? Ita sane oportet intelligi, si, quid tuus iste stupor velit, assequi possumus. Potestne pro sapientia tua nobis distincte explicare, quid ille presbyter, et episcopus Apostolicorum temporum, quid, inquam, eorum, quæ officium ejus spectabant, tanquam presbyter egerit, et quid tanquam episcopus? Si aliquis faber sit simul, et fullo; tanquam faber fabrilia tractabit, tanquam fullo pannos addensabit, et fullonicam exercebit. Dux et miles potest esse unus et idem.

Salmasii a seipso dissensio.

[1] Lib. I, cap. II.

Cum manu prælium capesset, militis officio fungetur; cum vero aciem ordinabit, et instructa acie in post-principiis sibi loco cavebit, et inde omnibus prælii incipiendi signum dabit, ducem præstabit. Possumusne in episcopo, qui et presbyter sit, distinguere officia presbyteri, atque episcopi, eaque separatim ? »

III. Hunc Salmasii locum, satis utique prolixum et fastidii plenum, integrum descripsi; ut qui libri illius, cujus audio jam exemplaria esse suppressa, copiam non habebunt, ex ejus verbis ea, quæ dixi, vera esse cognoscat, neminem alterum inimiciorem, et iniquiorem illi esse, quam ipsum sibi; ut qui dedita opera contradicere, adversarique velit iis, quæ ab illo posita, constitutaque sunt, non alia, quam ipsiusmet adhibenda sit oratio. Conferantur enim, quæ paulo ante citavi, illius verba cum posterioribus istis. Rem rei peræque nullam repugnare senties. In his ecce duos negat ordines Apostolorum fuisse tempore, presbyteratum, et episcopatum, quod iidem episcopi creabantur, et presbyteri, et in unam personam ambo convenirent; nec posset distingui, ac discerni, quid episcopus tanquam episcopus, quid presbyter tanquam presbyter ageret, administraretve; quemadmodum in eo, qui idem faber sit, et fullo, facile dignoscimus, quæ sint illius partes, qua fullo est, aut faber. His enim exemplis uti voluit vilibus ac sordidis, sed dignis eo ministerii, et ecclesiastici negotii genere, quod præ oculis habens, et in quod animo intentus ista scribebat. Respectabat enim, ut supra dixi, ad illos, quibus est assuetus, Puritani conventiculi gradus, et officia presbyteratus, episcopatus, diaconatus, et similia, quæ cerdonibus, veteramentariis, pistoribus, et id genus opificibus ex infima plebe mandari solent; ideo consentanea ad illa significanda munera partium suarum exempla delegit. Ergo quia non putavit itidem, ut in eodem homine ambæ discernuntur artes, pistoris, et cerdonis; sic in eodem, qui episcopus sit, ac presbyter, singulorum ordinum officia distingui potuisse; idcirco negavit, eumdem episcopum fuisse, ac presbyterum. At hoc, quod quærebat, reperit postea; et quod neque fieri putabat posse, et eos, qui posse censerent, *insciticæ*, *stuporis*, *stoliditatis* notis inusserat; approbavit, reque ipsa factum esse docuit, ac denique superiora illa, quæ sola esse vera, dixerat, ridicula, et falsa esse defendit. Nam cum idem homo presbyter esset, et episcopus hoc est duos gradus, ordinesque sustineret, unicuique suum munus, ac pensum attribuit. Quippe illius unius, qua presbyter erat, propriam fuisse dicit[1] « Clericorum ordinationem per manuum impositionem : Confirmationis item sacramentum, et alia quædam, quæ non proprie spectabant ad episcopum tanquam episcopum, sed ad presbyterum. » Porro ejusdem illius personæ, qua episcopatu erat prædita, proprium fuisse vult « gregi sibi commisso attendere, in his, quæ curam in administratione exigunt, et sollicitudinem requirunt, quæ proprie est ἐπισκοπή. » *Episcopatus*

IV. Habet itaque, quod paulo ante dari sibi postulabat, quid ille unus presbyter simul, et episcopus tanquam presbyter ageret, et quid tanquam episcopus; quemadmodum in eodem homine, qui simul *faber*, et *fullo* sit, quid pro fabro, et quid pro fullone agere debeat. Fuitne vero post homines natos tam futile, tanquam inconstans ingenium; quod in paucis paginis adeo turpiter aberraret ab institutis; cogitatisque suis, et disparibus, ac contrariis sententiis secum ipse discordaret? Ecce quantum mihi operæ, ac verborum insumendum in hoc fuit, ut illum docerem, non omnia, quæ subjecto idem sunt, idem esse ratione, *essentia*, et τῷ τί ἦν εἶναι; et ut verum id esse persuaderem, quod in tertio *Physicorum* scriptum est ab Aristotele : « Non eadem omnia iis inesse, quæ quolibet modo eadem sunt, sed solum quibus esse, id est ratio essentiæ est eadem[a]. » Atqui nihil in Dialecticorum, Philosophorumque scholis ea re pervagatius est. Quas quia nunquam detrivit, idcirco demittere hoc in animum suum nullo pacto potuit, qui tandem duo Ecclesiastici ordines τῷ λόγῳ, et τῷ τὶ ἦν εἶναι distincti, τῷ ὑποκειμένῳ convenirent. Dicebam, in episcopo duo spectari, et κατ' ἰσχνὴν ἐπίνοιαν, ut loquitur Cyrillus, hoc est *subtilis mentis acie* discerni : alterum quod episcopus est summusque sacerdos, ἱεροφάντης: alterum, quod est presbyter, et sacerdos, ut et diaconus; et omnes denique in sese ordi-

Non est presbyteri, qua presbyter, ordinare.

Ratione et essentia.
Supposito

Ierophantes.

[a] Arist. III *Physic.* cap. III, tex. 21. Οὐ γὰρ τὰ αὐτὰ πάντα ὑπάρχει τοῖς ὁπωσοῦν ταὐτοῖς, ἀλλὰ μόνοις οἷς τὸ εἶναι τὸ αὐτό.

1 *Tit.* I, 5 et 6.

nes, ac totam Hierarchiam in se unus complectitur. Ita enim Dionysius auctor est[1] in uno summo Antistite collecta, et conjuncta inesse omnia, quæ in inferioribus dispersa reperiuntur. Unum itaque dicebam, diversos habere ordines, non tamen reipsa, ut sunt in illo, separatos ac distinctos, sed τῷ λόγῳ tantum, et *ratione*, vel δυνάμει, id est *potestate*, quatenus inferiores ordines sine superioribus in quibusdam cernuntur, etsi superiores ab inferioribus minime disjuncti sint. Cum hæc, et hujus generis alia loquerer, neque capiebat Salmasius, et pro certo dejerabat, errare me, qui duo in una, et eadem re cohærentia, non eadem inter se esse crederem. Atqui erant illa verissima, et idoneis, atque ad ejus captum aptissimis exemplis, ac similitudinibus exprimebantur.

Hoc enim est, quod in scholis *eminentiæ* vocabulo significari solet. Sicut anima rationis particeps et humana, sensilem, et vegetantem *eminenter* continet, non cujusmodi insunt illa brutis in animantibus, hæc in stirpibus. Quæ enim in pecudibus est, rationis est expers; quæ plantas animat, caret et sensu. At humana nulla sui parte aliud est, quam rationalis; et hoc tota est, quia simplex est, et individua. Verum ambas illas, quæ in brutis, ac stirpibus inesse dicuntur, eminenter, excellentique ratione continet, exclusis propriis speciei cujusque differentiis. Sic episcopus presbyteratum, qui in secunda classe censetur, et est simplex, nonnisi *eminenter* habet in sese, hoc est dempta illa proprietate, quæ inferioris est sortis, qua *simplex* et *secundi ordinis* nominatur. Non enim presbyteratus, qua cum episcopatu complexus est, simplex, aut secundi ordinis habetur. At tunc, postquam utcumque ista percepit, deinceps obstrepere desinat Catharus, et tandem aliquando seipsum audiat; ac duos in uno homine distinguere ordines incipiat, et suas cuique partes describere, non eo quidem modo, quo eas constituit. Nam falsa est, et commentitia ratio illa, distributioque munerum, qua episcopum a presbytero sejunxit.

V. Manuum impositionem, qua ordinantur presbyteri, aliique clerici, aut quæ in Confirmatione locum habuit, non proprie spectare *ait*, ad episcopum, tanquam episcopum, sed presbyterum. » Etiamne manuum illa impositio, qua episcopi creabantur? Non illum puto sic desipere, ut hoc asseveret. Atqui ex illius disputatione, et argumenti genere id est consequens. Nam quod a me dictum refellere voluit, etiam illud amplectitur. Presbyteros eosdem esse factos episcopos primis illis temporibus, idcirco conjectabar, ut præsto essent, qui eo mitterentur, ubi episcopis opus erat ad ea præstanda, quæ sunt illius ordinis propria. Hoc iste reprehendit; quia presbyteri ad ea omnia facienda satis erant idonei. Ergo et manum imponere ad episcopatum poterant, quod utique inter necessaria numerandum est. Nam et Apostolus Titum hortatur, ut in Creta insula per civitates episcopos constituat. Hac igitur saltem ex parte necessaria potuit esse episcopi copia. Deinde cum episcopi ac presbyteri munera, et partes a se mutuo secernit, episcopo, qua episcopus est, injungit « gregis sibi commissi curam, et administrationem, quæ proprie est ἐπισκοπή; » presbytero vero, qua presbyter est, « manuum impositionem in ordinatione presbyterorum. » Cuinam ergo competit impositio manuum in ordinatione episcoporum? An et ista in ἐπισκοπῇ, id est *cura et administratione gregis* continetur? Qui potius quam presbyterorum ordinatio? Hæc enim propius ad curam gregis quam illa, pertinet. Nam ad gubernandum sibi commissum populum, episcopis aliis opus non habet, qui jam creatus est episcopus; imo plures in eadem ecclesia collocari, posteriorum temporum decreta vetuerunt. At sine presbyteris non potest commode munus exercere suum. Itaque presbyterorum creatio magis episcopalem ordinem, qua episcopus est, consequi debuit, quam episcoporum. Sed neutrum est verum; imo utrumvis tam ab episcopi abjudicare munere atque ordine, quam presbytero adjudicare non hæresim solum sapit, sed puerilem etiam, ac ridendam inscitiam.

VI. Etenim si, quod ille crocitat, presbyteratus proprium est manus imponere ad ordinandos clericos, non episcopatus; episcopatus vero proprium, regere populum, ac gubernare; quandiu quidem in unum ordines ambo illi convenere, ab eodem præstari utrumque potuit. Posteaquam vero divulsi, ac separatim positi sunt; tum id unumquodque sequi, quod proprium ejus erat, oportuit. Quare presbyteri deinceps simplices, qui episcopi esse desierant, jus habuere presby- *Episcopatus*

[1] Lib. *de Eccles. Hier.* cap. I

teros, cæterosque clericos ordinandi; uti faber ille idem ac fullo, si fullo amplius non sit, quod fabri proprium est, retinebit, ac fabrilia tractabit, non utique fulloniam attinget. Nam me lepida illa Cathari exempla delectant; itaque iis utamur. Quæro igitur, ac velim acutus homo mihi respondeat: Qui ex fabro et fullone nonnisi faber esse cœpit, num is polituram vestium et pannorum, ac denique fulloniam exercebit? At hoc est contra hypothesim. Ergo fabrilia tantum opera molietur; quia nihil, nisi faber esse ponitur. Redeamus jam ad bellam Salmasianæ similitudinis ἀπόδοσιν. Presbyter ille, qui idem et episcopus erat, qua presbyter, ordinabat presbyteros, non ut episcopus. Quamdiu ergo manebit presbyter, sive episcopatum habeat, sive eo careat, quæ presbyteri sunt, nihilominus exequetur. Itaque presbyteros ordinabit, et iis inferiores clericos. Hoc plane, ac directo concluditur ex Salmasii decreto, quo presbyteratui impositionem manuum ad ordinandos presbyteros affixam esse vult, non autem episcopatui. Id si esset verum, nemo mutare ausus esset, nec humana auctoritate, et arbitrio divina instituta sollicitare. Aut si contrarium paulatim usum ac morem obrepsisse dicat; certe primis illis, et adhuc incorruptis Ecclesiæ temporibus, hoc est secundo, ac tertio sæculo, vel etiam quarto, ut hæretici jactitant, adhuc ritus ille perseverasset. Exstarent igitur exempla non rara, non furtim, ac jejune argutulis quibusdam captionibus extorta, sed obvia passim, ac ferientia; quibus constaret, a presbyteris simplicibus celebratas esse presbyterorum ordinationes, clericorumque cæterorum; tum ab iisdem manus impositas esse ad dandum Spiritum sanctum; quod in Confirmatione fieri solebat.

Explicationem.

Nullum exstat exemplum ordinationis a simplici presbytero peractæ.

VII. Atqui nullum ejusmodi factum illorum in omni antiquitate Christiana liquidum occurrit, et ejusmodi, qualia episcoporum passim leguntur. Cum tam crebra veteribus in historiis, et conciliis, ac Patribus memoria ordinationum istarum, quibus episcopi, presbyteri, diaconi, reliquique clerici, maxime quos sacratos vocant, instituti, ac creati sunt; nusquam tamen aperte eas usurpasse presbyteros legimus, sed episcopos duntaxat. Unum, vel alterum tantummodo habent exemplum, neque hoc expressum, sed contorte, ac morose ab illis exscalptum: quod ne ipsum quidem consistit, ut sequenti capite docebitur. Quænam igitur illa stupiditas est, proprium id esse dicere sacerdotis, ac presbyteri simplicis, eique, qua presbyter est, debitum, quod quantum in illius est probationibus, nonnisi valde incertum ac dubium est, an quispiam unquam ordinis istius attigit; plerique autem antiquorum nisi ab episcopo administratum, ratum, effectumque esse, diserte negaverunt? Ubi Cathari et Grammatici istius, vel Christiano, vel litterato homine, vel homine postremo dignus est pudor; qui hoc fingere est ausus, cujus neque exemplum probabile, neque testem affert, vel afferre potest ullum ex omni antiquitatis memoria, nisi hæreticum, et eo nomine damnatum? Et quoniam, cum ego duos illos ecclesiasticos ordines, episcopi ac presbyteri, ab Christo institutos, et ab Apostolis traditos esse dixissem, me ad Scripturæ sacræ tribunal vadatus est, ac vel locum unum proferre jussit, in quo presbyter ab episcopo sit distinctus; ego vicissim in ea, qua de agitur, controversia, quo me provocavit, eo illum revoco. Ostendat, si potest, toto in novo Testamento vel litteram aliquam, cujus hoc testimonio adstruat, quod pro certo venditavit, presbyterum simplicem, qui episcopus non esset, manum imposuisse tum ad ordinandum presbyterum, tum ad dandum Spiritum sanctum. Quod si nusquam illud invenire potest, qua fronte vel affirmare istud audet, vel alios ad eamdem probandi formulam adstringere, in quo suapte in causa victus, et confusus tenetur?

VIII. Age vero, quoniam tam male paratus est ab Scripturæ præsidio, aliunde sibi curet advocationem; ac vel ab ecclesiastica historia, vel ab antiquis conciliis et canonibus, vel a Patribus argumenta repetat novæ, inusitatæque rei; quam a seipso comminisci, nec habere iis ex locis, unde probari talia necesse est, illius asseverandæ fidem, stolidi est hominis, et in eo, quod est, similes sui cæteros arbitrantis. Etenim si hoc solo contentus esset, interdum ab iis, qui presbyteri simplices erant, presbyteros, vel diaconos ordinatos fuisse; etsi verum id non est, neque aut unquam licuit, aut fieri potuit omnino; minus tamen absurde diceret, haberetque speciem aliquam dicti sui, ac colorem, de quo paulo post. Nunc illud asserit, quod aperte ac sine ulla excusatione falsum, ineptumque est: Presbyterorum jus illud esse proprium, qua sunt presbyteri, manus imponendi tum ad ordinandos inferiores omnes, ac pares etiam clericos, tum

ad confirmandum, dandumque Spiritum sanctum. Atqui nullum satis, ut dixi, compertum, et extra controversiam positum in omni ecclesiastica antiquitate, et historia vestigium apparet potestatis illius, ac consuetudinis rite, uti sane par fuit, ac legitime concessæ. Nam quæ ab hæreticis, ac desperatis hominibus facta sunt, in argumentum, exemplumque trahere non oportet. At ex adverso neminem nec episcopum, nec presbyterum, neque sacrati ordinis alium, nisi ab episcopo consecrari, ordinarique jus fuisse, usus antiquissimus totius retro Ecclesiæ, et apud eam per omnes ætates gestorum exempla confirmant. Certe antiqui canones ecclesiastici clericos omnes ab solo episcopo ordinari jubent. Qui primus inter Apostolicos ponitur, « Episcopum præcipit, a duobus, vel tribus episcopis ordinari[a]. » Secundus, « Presbyterum ab uno episcopo; nec non diaconum, et reliquos clericos[b]. » Clementis quoque Constitutiones, cui scriptori tantum Salmasius fidei, et auctoritatis tribuit, ut idoneum putet, quo sibi non parvis de rebus affirmanti teste, ac fidejussore credatur, tam episcopum, quam presbyterum[1], diaconum, et hypodiaconum ordinari ab episcopo significat ex Apostolorum mandato. Tum expresse presbyteris fas esse negat[c], presbyteros, ac cæteros ordinare. Idem judicium fieri debet de altera illa manuum impositione, quæ in Confirmatione adhiberi solebat[d]. Quam ab simplicibus presbyteris usurpatam esse in Ecclesia catholica dicit quidem Catharus; sed quod dicit, nullo probat argumento, et more suo, quæ nescit, temere, ac sine pudore pronuntiat.

IX. Quod si inferiorum temporum, hoc est quarti post Christum sæculi, ac deinceps succedentium, usum, et exempla respicimus, cum jam parta libertate, respirare a bellis, ac metu Ecclesia cœpit, ac velut lacertos explicare, hoc est, disciplinam, mores, et instituta sua liberius exequi; tum id manifestius apparebit, quod Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, aliique dixerunt, impositionem manuum ad ordinandos non solum episcopos; sed etiam presbyteros et diaconos, episcopalis esse gradus, et potestatis; ita ut a presbytero simplici usurpari nequeat, nec tantum ita, ut eo non possit, quia lege vetitum est, sed etiam quia, si tentet, nihil omnino facit.

Luculentum episcoporum testimonium in Alexandrina synodo congregatorum.

Cujus rei luculentum exstat, et ad comprimendam Cathari loquacitatem aptissimum testimonium episcoporum ex Ægypto, Thebaide, Lybia et Pentapoli, in Alexandrina synodo congregatorum in causa Anathasii, in epistola synodica, quam ad omnes Christiani orbis episcopos, et nominatim ad Julium Romanum Prontificem scripserunt. Cujus epistolæ tanto major est auctoritas, quod et eam probavit Athanasius, atque in *Apologetico* suo descripsit; et cum generatim ad omnes Ecclesiæ catholicæ præsules ab Catholicis missa sit, non unius loci et ecclesiæ, sed receptam ubique toto in orbe catholico fidem continere debeat. Quod nisi commune hoc esset dogma, ex quo illi argumentati sunt, inanis esset illorum, et inepta ratio.

X. Nam cum Athanasius ab æmulis in crimen adductus esset, quod Ischyram presbyterum sacra celebrantem Macarius ab illo missus male multasset, ac mysticum calicem confregisset; contra hanc accusationem episcopi præscribunt, neque rem ibi sacram fecisse Ischyram, neque mysticum habuisse poculum, ac ne presbyterum quidem omnino fuisse, sed laicum. Cujus rei causam hanc reddunt, quod a Collutho ordinatus erat, qui episcopus non esset, sed tantum presbyter. Quod si episcopus fuisset, Ischyram ab eo ordinatum non negarent fuisse presbyterum. Siquidem quos Meletius episcopus perditus homo, et schismatis auctor, atque ab Ecclesia proscriptus, sacris initiarat ordinibus, in iisdem illis ordinibus recepti sunt, cum ad communionem catholicam rediissent. Sed synodicæ illius epistolæ verba expendenda sunt. « Hic est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia electus presbyter, neque cum a Meletio constitutos presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit. Ita nec illinc quidem constitutus est. Unde igitur presbyter est Ischyras? aut a quonam ordi-

Exemplum Ischyræ.

a Can. I *Apost.* Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ Ἐπισκόπων δύο, ἢ τριῶν.

b Can. II. ibid. Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς Ἐπισκόπου χειροτονείσθω, καὶ Διάκονος, καὶ οἱ λοιποὶ Κληρικοί.

c Clem. III *Const.* cap. II. Οὐκ ἐπιτρέπομεν δὲ πρεσβυτέροις χειροτονεῖν διακόνους, etc.

d Clem. VIII *Const.* cap. XXVIII. Ἐπίσκοπος χειροθετεῖ, χειροτονεῖ, etc. Πρεσβύτερος χειροθετεῖ, οὐ χειροτονεῖ.

1 Clem. lib. VIII *Const.* cap. IV 16 17 21.

natus? Utrum a Collutho? Hoc enim restat. Atqui Colluthum in presbyteratu mortuum esse, et omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque, quos in schismate ordinaverat ille, ad laicorum gradum redactos, et inter laicos in Ecclesia congregari notum est, nec ulli omnino dubium. Quinam ergo privatus homo, et privatam domunculam incolens, mysticum credatur habere poculum [a]? » Et in litteris Clericorum Mareoticæ: « Ischyras nunquam clericus, et minister Ecclesiæ fuit. Verum se ipse primum jactabat Colluthi presbyterum [b]. » Tum iidem Clerici in Relatione ad Curiosum, et Philagrium Præfectum Egypti aiunt, « Ischyram, qui se presbyterum vulgaret, non esse presbyterum. Siquidem ordinatus est ab Collutho presbytero, qui sibi imaginarium vendicarat episcopatum: et postea in generali synodo ab Hosio, et cæteris cum eo collectis episcopis jussus erat pro presbytero se habere, qualis antea fuerat; et ex consequenti omnes, qui a Collutho erant ordinati, ad eumdem locum redacti sunt, in quo antea censebantur, quemadmodum et Ischyras ipse inter laicos relatus est [c].»

XI. Ex hac celeberrima, testatissimaque historia manifestum est, soli episcopatui jus ordinandi competere; nec a simplicibus presbyteris consecrari posse tam episcopos, quam presbyteros; ita ut, si manus imposuerint, nihil omnino illi perficiant, sed laici, ut erant ante, maneant, qui ab iis ordinati fuerint. Etenim Colluthus vere presbyter fuit, et ab Alexandrina synodo, Hosio præside, in eo gradu, atque ordine receptus. Idem porro Ischyram, et alios quosdam laicos manuum impositione constituerat presbyteros. Igitur vere presbyteri erant ab eo facti si ex divina institutione presbyter omnis, qua presbyter est, jus habet ordinandi presbyteri. Non enim humano ullo jure, ac præcepto adimi potest ecclesiastico gradui, et ordini, quod ei ex institutione Christi convenit. Quemadmodum Meletius, quantumvis exauctoratus, et ab Ecclesia ejectus, ac potestate quantum in ea situm fuit, privatus omni, nihilominus impositione manuum veros consecravit episcopos, ac presbyteros ita, ut qui, pace et concordia inita, ordinati ab illo fuerant, non pro laicis admissi, sed inter episcopos, et presbyteros recepti fuerint. Cur non idem de Colluthi ordinatione judicium est factum? Cur ab hoc facti presbyteri pro infectis, et non consecratis habiti sunt? Meletiani vero in illis, quos ab homine perdito, et execrando nacti fuerant, ordinibus communione reddita manserunt? Quisquamne suspicari aliter potest, nisi id, in quo catholicæ partis sita victoria est: Meletium, quod episcopus esset, idcirco veros episcopos ac presbyteros ordinasse: Colluthum, quia simplex erat presbyter, neutros omnino consecrasse.

XII. At profecto si quos ille baptizaverat, non denuo baptizari eos oportuit; neque pro non baptizatis judicati sunt. Quod si quis iterum baptizare eos auderet, pessime, ac contra legem et traditionem ecclesiasticam fecisse putaretur, ut in libris, quos contra Donatistas edidit, luculenter Augustinus ostendit, et ante hunc Epiphanius[1], Optatus, aliique permulti. Non est igitur eadem ratio Baptismi, et Ordinationis, neque, qui ab simplici sacerdote impositionem manuum accepit, is revera ordinatus est perinde, ac qui ab eodem baptizatus est, etiam contra interdictum Ecclesiæ, nihilominus Baptismum percipit. Undenam vero sacramentorum istorum duorum, Baptismi, et Ordinationis discrimen illud exortum est, ut Baptismus etiam a laicis, etiam prohibente Ecclesia collatus, in verum, ratumque cederet; Ordinatio vero ab eo facta qui non est episcopus, non solum

a Apud Athan. Οὗτος δέ ἐστιν ὁ πολυθρύλλητος Ἰσχύρας, ὁ μήτε ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας χειροτονηθεὶς, καὶ ὅτε τοὺς ὑπὸ Μελετίου κατασθέντας πρεσβυτέρους Ἀλέξανδρὸς ἐδέχετο, μηδὲ ἐκείνοις συναριθμηθείς. οὕτως οὐδὲ ἐκεῖθεν κατεστάθη. πόθεν οὖν πρεσβύτερος Ἰσχύρας, τίνος καταστήσαντος; ἆρα Κολλούθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε· καὶ πᾶσα χεὶρ αὐτοῦ γέγονεν ἄκυρος· καὶ πάντες οἱ παρ' αὐτοῦ κατασταθέντες ἐν τῷ σχίσματι λαϊκοὶ γεγόνασι, καὶ οὕτω συνάγονται, δῆλον, καὶ οὐδενὶ καθέστηκεν ἀμφίβολον. πῶς οὖν ἰδιώτης ἄνθρωπος, καὶ οἰκίσκον οἰκῶν ἰδιωτικὸν, ποτήριον ἔχειν μυστικὸν πιστευθείη;

b Ibid. Ἰσχύρας οὐδέποτε λειτουργὸς τῆς ἐκκλησίας γέγονεν. ἀλλ' ἑαυτὸν μὲν πρὸ τούτου ἐφήμισε Κολλούθου πρεσβύτερον.

c Ibid. Ἰσχύρα λεγόντος ἑαυτὸν εἶναι Πρεσβύτερον, ὃς οὐκ ἔστι Πρεσβύτερος. ὑπὸ γὰρ Καλλούθου Πρεσβυτέρου φαντασθέντος ἐπισκοπὴν, καὶ ὕστερον ὑπὸ κοινῆς συνόδου Ὁσίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἐπισκόπων κελευσθέντος Πρεσβυτέρου εἶναι, καθὸ καὶ πρότερον ἦν, κατεστάθη, καὶ κατὰ ἀκολουθίαν πάντες οἱ ὑπὸ Κολλούθου κατασταθέντες, ἀνέδραμον εἰς τὸν αὐτὸν τόπον, εἰς ὃν καὶ πρότερον ἦσαν· ὡς καὶ αὐτὸς Ἰσχύρας λαϊκὸς ὤφθη.

1 In *Expos. fidei* n. 13.

illicita, sed etiam nulla censeretur? Quæ est alia causa, nisi quod baptizandi potestas non tantum sacerdotibus, sed etiam laicis a Christo concessa est; ordinandi vero, id est χροτονίας, facultas solis attributa est episcopis? Huic alia novaque manuum impositione, et ab ea, qua presbyteri fiunt diversa, ordinantur episcopi. At presbyter quidem ab uno tantum episcopo consecratur, episcopus a tribus episcopis, uti antiqui canones præscribunt, ac perpetua Ecclesiæ consuetudo tenuit.

Asininum.

XIII. At Salmasius nescio quid ὀνικὸν obstrepens, de illa duplici ordinatione tumultuatur. Cum enim scripsissem in *Dissertationibus*, probabile esse, quod Ambrosio attributus commentarius refert in priorem *ad Timotheum*, ex collegio presbyterorum olim, *recedente uno, sequentem successisse*, qui assumptus sit in episcopum, non sine μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ, hanc ille χειροτονίαν μυστικωτέραν homo urbanus irrisit; ignarus, presbyteros, etsi jam impositione manuum ab episcopo consecrati sunt, cum ad episcopalem gradum provehuntur, novam ordinationem accipere, priore augustiorem, ac magis mysticam. Sic Augustinus, ut in ejus vita Possidius narrat[1], cum jam ordinatus esset presbyter, quando episcopus creatus est, *majoris loci ordinationem suscepit*. Quod innumeris aliorum exemplis adstrui potest.

Augustiore consecratione.

Quin illo ipso in loco, ubi calces ob hoc ipsum illidit mihi, in semet incurrit, secumque digladiatur, dum ex Pseudoambrosii loco, qui est in commentario ad caput quintum epistolæ *ad Ephesios* probat, « Presbyteros, sive episcopos, plures olim unam ecclesiam rexisse, sine ullo superposito episcopo. » Quod ei contrarium est, quod multis in locis Dissertationis suæ posuit, a primo Christianismi tempore, unum e collegio presbyterorum assumptum, qui Ecclesiæ præesset episcopi nomine, ac primatum teneret. De quo supra fusius egimus.

1 Cap. x.

CAPUT XI.

Diluuntur ea, quæ passim objici solent, ut probetur simplices sacerdotes aliquando impositione manuum ordinasse. De Ancyrani concilii canone 12. Salmasii in hoc opponendo ἀλογιστία. *Non potuisse provincialem synodum in re tanta aliquid innovare. Quod in rebaptizandi negotio demonstratur. Declaratur canon ille, et variæ de eo sententiæ. De Chorepiscopis. Solis episcopali præditis charactere tribui ab illo canone ordinationem Clericorum. Nova et probabilis ejusdem canonis interpretatio ex canone 18, ipsius synodi. Episcopi interdum in ordinem coacti presbyterorum simplicium. Alter locus ex Leone M. objectus exponitur. Non licuisse ordinare clericum sine certa sede.*

I. Adversus illa, quæ de jure ordinationis, non ex mea tantum, sed ex communi Catholicorum sententia dixi, quædam objici hactenus solent, quæ ita suadere videntur, etiam ab simplicibus presbyteris ordinatos aliquando presbyteros fuisse. Ex quibus illud est, quod ab suis Puritanis acceptum intentavit Salmasius. Nihil enim nisi tritum, decantatumque sæpius, ac nihil denique proprium contulit in hanc disputationis farraginem, præter os, et inscitiam; Ancyrani ergo concilii decretum profert in medium Catharus; de quo sic statuit. « Multo tempore in Ecclesia hunc morem obtinuisse, etiam post introductam utriusque ordinis presbyteralis, et episcopalis distinctionem, ut quemadmodum episcopi ordinabant presbyteros, ita presbyteri quoque ordinarent tam presbyteros, quam diaconos, et cæteros minorum ordinum clericos. Id cum ante Ancyrani concilii decretum passim usurparetur, ne in posterum talis ordinatio presbyterorum, et reliquorum clericorum a presbyteris fieret, Canone 12 ejusdem synodi sancitum esse. »

Antequam de hoc canone contendo, primum illud expendat Lector eruditus, cujusmodi sit, quod ait, ante Ancyranum concilium passim usurpari solitum, ut a presbyteris

Expenditur auctoritas Ancyranæ synodi.

ordinarentur presbyteri et diaconi. Id si esset, exstarent exempla superiorum temporum vel rara saltem, quibus simplices presbyteros ordinandi jus, et usum habuisse constaret. Ubi autem hoc legit? aut quo canone constitutum reperit, presbyterum ordinari a presbytero, vel diacono? Age vero cujus est judicii, tantum auctoritatis credere in unius exiguæ synodi, certe minime generalis, decreto fuisse, ut quod hactenus usurpari passim solebat; quod a Christo mandatum; quod ab Apostolis traditum fuerat; quod ordinationis sacramento insitum, et
Essentiale οὐσιῶδες erat, id repente mutaret, aboleret, extingueret? Ut post hanc diem, qua die in angulo provinciæ unius pauci episcopi conventu habito statuissent, presbyteratum deinceps ordinandi jure, ac potestate sibi a Christo data carere, nemo eorum amplius non rite solum, ac *licite*, sed ut loquuntur, etiam *valide*, et cum effectu, manus ad ordinandos clericos imponeret? Prorsus Œcumenicæ, et ex toto orbe Christiano congregatæ synodi proprium fuit, tanta de re generalem pronuntiare sententiam, cujus ad omnes ecclesias vis, et forma pertineret.

II. Quemadmodum in altera illa quæstione factum esse scimus, quæ tandiu Catholicos exercuit, inter seque commisit, de illis iterum baptizandis, qui extra Ecclesiam baptizati fuissent. Ad eam enim dissolvendam *universalis*, ac *plenarii concilii* auctoritas fuit adhibenda, ut in libris contra Donatistas crebro meminit Augustinus. Qui et eo nomine Cyprianum excusat, quod adversus antiquam consuetudinem Ecclesiæ rebaptizandos illos esse censuerit, « quia plenarium de hac re concilium nondum habebat Ecclesia[1]; » quod post illius mortem de hac quæstione celebratum est, quodcumque tandem concilium illud fuerit, quod *cunctarum gentium sanctum concilium* idem appellat[2], ac sive Nicænum œcumenicum primum intelligat, ut plerique censent, me quidem non probante. Non enim liquido de hac quæstione synodus illa statuit, sed tantum quinam ex hæreticis rebaptizandi essent, edixit. Sive Arelatensis prima significetur, quæ in canone octavo plene rem decidit; quod et probabilius videtur*. Ac videmus, etiam post utriusque concilii decreta, ac generalem Ecclesiæ totius sententiam, non sic tamen everti, abolerique potuisse funditus usum illum rebaptizandi, ut non aliqui postea superfuerint viri sanctissimi, qui contra interdictum baptizatos ab hæreticis, quoad fieri posset, novo baptismo initiari voluerint, quod baptismum illorum nullum esse sentirent, ut Basilius, aliique, de quibus alibi dicam. Quod si plenarii et universalis concilii tanta esse auctoritas non potuit ad retinendam, conservandamque veterem Ecclesiæ consuetudinem contra novam, præposteramque doctrinam, ut hanc penitus oblitterare posset; quis sanus, et doctus, hoc est Salmasii dissimilis, non facile videat, quam sit ineptum, absurdumque dicere, in unius Provincialis synodi sanctione tantum momenti, ac roboris fuisse, ut quod statueret, velut ex condicto, repente per totum terrarum orbem aboleretur sic, ut nullum uspiam restaret illius in Ecclesia catholica vestigium? Præsertim cum, non ut illi plenariæ contra rebaptizantes synodo causæ isti bonitas suffragaretur, sed antiquum, et ab Christo ipso institutum, atque ab Apostolis transmissum Ecclesiæ morem, ac dogma, uti quidem cum suis ἀκαθάρτοις Puritanis Salmasius opinatur, opprimere contrario usu, ac decreto studerent. Hæc, nisi quis prorsus obbrutuit, satis ad eum curandum esse possunt, qui ex impura dissertatione Messaliani pus illud, ac venenum hauserit. Spurcis.

Postremo, ut huic de Ancyrano concilio remittamus, quæ imperite, ac sine judicio contendit; ac demus, post illum canonem, presbyteris ordinandi facultatem per totam Ecclesiam fuisse detractam; eo tamen res demum recidet, ut quamvis post illud interdictum Ecclesiæ graviter delinquerent presbyteri, si ordinare amplius auderent, ac pœnis ecclesiasticis plecterentur; nihilominus ratum illud haberetur, utcumque fecissent; neque manus iterum ordinatis imponere, atque ordinare fas esset; ut in iis accidisse scimus, qui ab hæreticis, schismaticis, et ab communione rejectis Ecclesiæ baptizati, ab iisque, qui poterant, ordinati fuerant.

III. Nunc de Ancyrano isto canone dispu-

* De hac quæstione consule Natalem Alexandrum, Tournelium, Bollandianos t. VI septembris in vita S. Cypriani, aliosque. Z.

1 Aug. lib. I *de Bapt. cont. Donat.* cap. vi et ix. — 2 Lib. V, cap. xvii *de Bapt.*

Expenditur sensus Ancyrani decreti, et de chorepiscopis agitur.

temus. Varie hic quidem ab Latinis conceptus est, cum in Græco sit uniusmodi, et hunc in modum se habeat, ex Dionysii Exigui interpretatione : « Chorepiscopis non licere presbyteros, aut diaconos ordinare ; sed neque urbis presbyteros, nisi cum litteris ab episcopo permissum fuerit, in aliena parochia[a]. » At in editione *Canonum Ecclesiasticorum* Dyonisii Exigui a Justello vulgata ante annos quindecim ita ille Canon legitur : « Chorepiscopis non licere presbyteros, aut diaconos ordinare; sed neque presbyteris civitatis, sine præcepto episcopi, vel litteris, in unaquaque parochia. » Ex quo videtur in codice Græco suo Dionysius habuisse ; primum χορεπισκόποις et πρεσβυτέροις. Quanquam communis lectio eumdem sensum capit. Sed præterea pro ἑτέρᾳ, idem Dyonysius ἑκάστῃ legit. At Isidorus Mercator, et novæ versionis auctor Hervetus, nonnulla suppleverunt. Nam ille sic reddit : « Sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi præcepto, amplius aliquid imperare ; vel sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere. » Cui fere consentaneus est Hervetus.

Chorepiscopis et presbyteris.

Aliena.

Unaquaque.

De hujus canonis sensu itum est varias in sententias. Zonaras, et Balsamo solis Chorepiscopis modum præscribi, et eorum licentiam refrenari putant, uti nec presbyteros, aut diaconos, nec presbyteros civitatenses ordinent, nisi ejus rei ab episcopo facultatem litteris expressam impetraverint. Cum autem presbyteros et diaconos universe primum vetat ordinari ; deinde presbyteros urbicos ; ita Zonaras interpretatur. Chorespicopi in agris, et rusticanis parœciis erant episcopi : unde et nomen adepti sunt. Habebant autem administros presbyteros simplices, , et diaconos, tanquam peculiarem clerum. Hos igitur primo loco ordinari ab illo prohibet synodus, injussu episcopi civitatis , et sine litteris ipsius ; tum addit, etiam urbicos presbyteros absque eadem licentia ab episcopo facta consecrare prohiberi, tanquam ita scriptum esset: *Multos minus presbyteros urbicos ordinari ab eo licere.* Ita Zonaras.

IV. Nos de Chorepiscopis, et Ancyrano isto canone plura scripsimus ante annos viginti, in *Animadversionibus ad Epiphanium*[1]. Ubi mendosum esse Græcum canonem suspicabamur ; non tamen certo, ac definite quid in eo vitiosum esset, exposuimus; sed hoc unum diximus, si abessent ab illo verba ista, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, *sensum aptissimum fore.* Quod qui dicit, non statim expungere illa putandus est, quæ si abessent, nullam in verbis offensionem fore asserit. Nam et alias, iis relictis vocibus, uti vitiosus haberi, sic emendari poterat, si conjecturas de illo omnes explicare vellem. Ut si adderem ea potius, quæ in Latinis quibusdam editionibus apparent ; atque ita conformarem, ἀλλὰ μηδὲ Πρεσβυτέροις πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου, πλέον τι ἐπιτάττειν, ἢ καὶ μὴ μετὰ γραμμάτων αὐτοῦ, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ τί ποιεῖν ; aut alio quopiam modo. Verum nihil ex opinione mea liquidi, ac determinati asseverare volui ; atque hoc duntaxat indicavi, quemadmodum probabilis illius canonis sententia constaret, si sic liceret corrigere, ut illæ voces inducerentur. Sane non est absurda, neque ratione carens ista suspicio, nonnihil aut demendum de illo canone, aut ad eum addendum, si quis Græcorum, Latinorumque varietatem codicum aspiciat. Ac nominatim, quod optaveram, potius abesse voces illas, quam deesse pronuntiabam , non absque causa factum prudens quisque indicabit.

Sed neque urbis presbyteros.

Neque presbyteris urbis absque licentia episcopi, aliquid amplius ordinare, aut, nisi cum ejusdem litteris, in aliena parœcia aliquid facere.

V. Imprimis, quod de solis Chorepiscopis decretum illum editum fuisse complures antiquorum significant, qui illius mentionem faciunt itidem, ut Antiocheni concilii canon decimus habuit postea, in quo nonnisi Chorepiscopi memorantur. Itaque Ferrandus diaconus, qui Dionysii Exigui sæculo vixit, et fortassis ætate hunc antecessit, in *Breviatione canonum* [2], summam utriusque his verbis complexus est : « Ut Chorepiscopi, id est vicarii episcoporum, nec presbyteros, nec diaconos ordinent, nisi tantum subdiaconos. Concilium Anquiritanum tit. XIII Conc. Antioch. tit. X. » Sic etiam Cresconius in collectione sua solius chorepiscopi mentionem notat fieri in ambabus synodis , numero 96. « De Chorepiscopo, id est vicario episcopi, quæ ad ejus officium pertineant, Conc. Ancyr. Tit. XIV. Conc. Carth. tit. X. » Ubi pro *Carthaginensi* forte *Antiochenum* rescribendum est ; quod et Ferrandus, et numerus ipse Tituli persuadent. Et in Capitulari Aquisgra-

a Ancyr. can. xiii. Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ.

1 Hær. lxix. — 2 Nu. lxxix.

nensi Caroli M. ambo isti canones inter se comparantur [1], et *Ancyronense*, (sic enim vocatur) ita concipitur, « Vicariis episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere presbyteros, vel diaconos ordinare. Sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi præcepto, amplius aliquid jubere, vel sine auctoritate litterarum ejus, in unaquaque parochia aliquid agere. » Sed ut appendix ista perperam intrusa obelo juguletur, certe nemo illorum, qui canone isto usi sunt, quod de presbyteris civitatis injectum est, sic accepit, ut eamdem ac chorepiscopis, potestatem ordinandi presbyteros et diaconos, penes illos fuisse significetur. Sed quidquid de urbicis istis presbyteris in Ancyrano isto canone continetur, nonnisi σχετικῶς ad chorepiscopos, et, ut ita dicam, *passive*, non *active*, de illis antiqui omnes interpretati sunt; hoc est, ut quid circa eos facere vetitum sit chorepiscopis, non quid facere ipsi prohibeantur, synodus illa comprehenderit. Nimirum ut vel imperare illis aliquid, vel eos ordinare Chorepiscopis interdictum sit, non istis, quod antea faciebant, deinceps facere. Ac Græci quidem posterius illud, ut supra dictum est, amplexi sunt; quod et Græcæ lectioni congruit; uti neque presbyteros proprios ordinare sibi, neque alienos, et urbicos chorepiscopis licuerit, nisi utriusque ab episcopo urbis illius potestate concessa. De quo sensu canonis nonnulla sunt ab [2] erudito viro probabiliter dicta *.

VI. Sed de altera porro ejusdem lectione canonis inquirendum est, ad quam Dionysius Exiguus in Justelli editione præit. Quæ quidem non Chorepiscopis tantum, sed etiam presbyteris civitatis, episcopo concedente, permittit ordinare presbyteros, et diaconos. Ex quo Cathari contendunt, presbyteros simplices potestatem habuisse manus imponendi, saltem extraordinariam; adeoque sic illos ordinare, quomodo et baptizare potuisse; ut etsi contra vetitum id agerent, rata nihilominus esset, nec iteranda consecratio. Ita Salmasius Puritanorum suorum assectatus vestigia.

Contra quos id omnino præscribimus, quod ne ipsi quidem inficiari possunt, quibuscumque tandem canone illo potestas ordinandi facta sit, non aliis eam esse concessam, quam qui episcopalem consecrationem haberent. Sic enim Antiochenus canon decimus hanc causam exprimit, cur chorepiscopi alioquin ordinare possent, nisi Ecclesiastica lege prohiberentur. « Qui in vicis, ait, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint [a], » etc. Ita Dionysius Exiguus. Quicumque ergo *ut episcopi consecrati non sunt*, hoc est episcopali ordine et consecratione carent, ii ordinare, ac manus imponere nequeunt. Ut, exempli causa, in agris et villis, præter Chorepiscopos erant presbyteri simplices, ut ex Neocæsariensi concilio constat; in quo separatim de utrisque canones editi sunt, decimus-tertius, et decimus-quartus. Illi ergo simplices presbyteri, quos Ἐπιχωρίους πρεσβυτέρους canon prior nominat, quia episcopalem ordinem non habebant, eoque diversi erant a chorepiscopis, ordinare non poterant. Igitur neque presbyteri urbici, nisi iidem essent episcopi, cujusquam permissu presbyteros, aut diaconos consecrare possent. *Rusticanos presbyteros*

VII. Quamobrem ut Salmasii procedat ratio, fateri eum oportet, ante Ancyranum concilium, hoc est totis ab Christo sæculis tribus, omnes civitatum presbyteros episcopos fuisse, ac Clerum universum ex primi ordinis sacerdotibus constitisse ita, ut nullus ibi simplex esset presbyter. Ita enim Salmasius ipse ratiocinatur, ex eo, quod Apostolus Timotheum ait *gratiam accepisse cum impositione manuum presbyterii*, non eos fuisse presbyteros simplices. Nam « Presbyteri simplices non habuere jus manus impositionis. » Igitur omnes civitatum presbyteri, qui « passim, ut idem ait, ordinationem presbyterorum, et diaconorum usurpabant » ante synodi Ancy-

a Antioch. can. x. Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους Χωρεπισκόπους εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες.

* Chorepiscopos et hic et in animadversionibus Epiphanianis adcenset Petavius episcopis. Id ignorasse videtur auctor cætera eruditissimus Diarii Florentini doctorum hominum. Nam P. Sbaraleæ opinionem quæ Petavii fuit, referens t. VI, part. II, artic. 8, ait, sibi notos non esse magni nominis scriptores, qui illam propugnarint. Confer tomum III *Hist. Litter. Ital.* ubi varias eruditorum hominum hac de re sententias collegimus. Z.

1 Num. 9. tom. II conc. Gal. — 2 Hall. lib. *de sacris Ordin. Patr.* II, sect. V, cap. I, art. 2, § 1.

ranæ decretum, episcopalis omnes ordinis exstiterunt. Atqui contrarium istud est ei, quod in dissertatione Messaliana toties inculcat; primo tantum sæculo, aut, si forte etiam medio secundo, episcopatum cum presbyteratu fuisse conjunctum; postea vero duos ex uno esse factos, ac separatos. Nam cap. v. « Sed nec Salmasius, inquit, perpetuum esse, voluit, ut presbyteri plures, qui et episcopi dicebantur, ecclesias cujusque civitatis communi consilio rexerint. Mutatam regiminis Apostolici formam post Apostolorum Petri, et Pauli obitum, non invitus etiam concesserim, ita tamen, ut verissimum sit, haud statim ab eorum obitu novum hunce morem cœpisse. » Postea vero tempus illud *mutati regiminis* designat « circa initium, aut medium secundi sæculi; quo tempore primus singularis episcopatus supra presbyteratum introductus fuit. » Jam vero simul atque presbyteratus ab episcopatu distinctus esse cœpit, presbyteros simplices omni jure ordinationis caruisse, ac non solum episcopi, sed etiam presbyteri consecrandi, affirmat idem Salmasius, dum, quod Hieronymus dicit, « excepta ordinatione, nihil facere episcopum, quod non faciat presbyter, » verum id esse ait, si ad tempus illud referatur, quo hæc officia distincta sunt. « Recte hoc ille quidem ait, ubi hæc officia distincta sunt, et gradus discreti. » Hieronymus, ut et Epiphanius, necnon Chrysostomus, cum χειροτονίας, id est *ordinationis* jus presbytero detrahunt, solique vindicant episcopo, de omni ordinatione necessario debent intelligi. Quippe post Ancyranam synodum tres illi floruerunt, post cujus canonem potestas ordinandi funditus erepta presbyteris a Salmasio creditur. Cum igitur quam ordinationem non habere presbyteros asserunt illi, ea statim atque secerni ordines illi ambo cœperunt, penes eos esse desierit; consequens est, sub initium, vel medium secundi sæculi, presbyteros non amplius ordinasse, ac fœdissime adeo in seipsum impegisse Salmasium, qui usque ad Ancyranam synodum passim hoc illos fecisse dicit.

Rursus autem, si verum est, quod in plerisque locis ejusdem stramentitiæ Dissertationis oggerit [1], ab initio Christianismi unum aliquem in quaque ecclesia singularem episcopum præfuisse, qui κατ' ἐξοχὴν episcopus vocatus est, hoc vero non aliter fieri potuisse, *Per excellentiam.* quam ut ambo invicem distincti essent ordines; profecto jam tum Apostolorum ætate, et in ipsis Ecclesiæ primordiis, presbyteri ordinandi jus ac potestatem habuere nullam. Vides in illa fæce scriptionis Cathari litteratoris ἀκαθαρσίαν, ac balbutiem, quæ nec secum, *Spurcitiam.* neque cum sana doctrina cohæret, sed ῥιψαύχενι σὺν κλόνῳ huc et illuc inconditis sese motibus versat. *Alta cervice cum fragore.* Nos ut errantem, ac palabundum, velut injecta compede, retineamus, sumemus id, quod inter contradicentia sibi mutuo illius dicta probabilius occurrit: presbyteros simplices, qui jam episcopi esse desierant, neminem ordinasse presbyterum, aut diaconum, sed eo solum tempore, quo iidem erant episcopi; quod pluribus in locis, ac paululum compos sui, et intervallo sanæ mentis aliquo scripsit.

VIII. Quamobrem non omnes presbyteri civitatis, qui sub uno præside, atque episcopo censebantur, ordinandi potestatem habebant; quia simplices erant, et episcopali ordinatione carebant, longe ante Ancyrani concilii tempus. Ergo soli ordinare poterant inter illos, si ordinasse revera Canon ille Ancyranus eos indicat; qui χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες, ut Antiochena synodus loquitur [2], hoc est, interpretante Dionysio, qui *manus impositionem episcoporum perceperant, et ut episcopi consecrati fuerant;* vel, ut Epiphanius dicit [3], οἱ ἔχοντες χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, *qui imponendarum manuum ad ordinandum jus haberent.* Revocemus modo in memoriam, si quod in usu antiquitatis, et historia reperiri potest exemplum episcoporum, qui inter civitatis presbyteros aliqua de causa locum habuerunt, ut presbyterii partem facerent. Non longius eundum nobis erit illud inquirentibus. Siquidem illis ipsis Ancyranæ synodi canonibus unus invenitur, qui hoc, quod volumus, statim exhibet; et ad canonis alterius, de quo est controversia, sententiam explicandam multum lucis affert. Hic est can. xviii Græcis, Latinis quibusdam xvii, qui ejusmodi est ex interpretatione Dionysii Exigui: « Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, et vim præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando; hos abjici placuit. Quod si voluerint in presbyteri ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate. Si autem sedi-

1 Salm. Vide cap. xi, lib. I hujus operis. — 2 Can. x. — 3 Hæres. lxxv, num. 14.

tiones commovent ibidem constitutis episcopis, presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles[a]. »

Modus olim in usu redigendi episcopos ad gradum presbyteri.

IX. Offert itaque nobis canon iste presbyteros civitatis episcopali ordinatione, ac charactere præditos; qui ad urbes aliquas regendas ordinati episcopi, nulla sua culpa, ab iis, quibus destinati erant, non sunt admissi, et idcirco pristinum in locum denuo erant recepti, inter presbyteros habiti sunt. Cujusmodi non infrequentia in ecclesiasticis historiis incidunt exempla. Nec paucos legimus viros sanctos eorum, quibus præerant, populorum offensos moribus, et intractabili ferocia, cum de emendatione desperassent, ultro cessisse, ac se sponte in ordinem redegisse. Ut ille quondam Antiochensis episcopus Martyrius, qui Leone imperante Marciani successore, cum hæresi corruptam civitatem frustra revocare conatus esset, et infestis seditiosorum tumultibus agitaretur, convocata multitudine, palam se abdicavit, his utens vocibus: « Clero immorigero, et populo rebelli, et ecclesiæ contaminatæ renuntio, sacerdotii mihi honorem reservans[b], » ut Theophanes, Cedrenus, et Nicephorus narrant. Hujusmodi ergo quacumque tandem ex causa episcopali sede vel pulsi, vel sponte cedentes, cum ad presbyterium rediissent, adhiberi ab episcopo civitatis, cujus in clero versabantur, ad ordinandum poterant. Quemadmodum hodieque fit, cum episcopi, quos *suffraganeos* vocant, titulo tenus episcopalem aliquam sedem obtinentes, episcoporum permissu, et auctoritate, quorum in diœcesi sunt, episcopos, et presbyteros, ac cæteros clericos manuum impositione consecrant. Sic Antiochena synod. can. XVIII. « Qui episcopus ordinatus ad parochiam minime, cui est ordinatus, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam, eum jubet esse et honoris, et ministerii participem, dummodo nihil molestus ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur[c]. » Quem ad canonem Zonaras et Balsamo adnotant, non licere tali episcopo in ea urbe, in qua domicilium collocavit, ullam sacerdotalis officii partem attingere; maxime autem ordinare, nisi urbis illius episcopus concesserit *.

Alius modus redigendorum ad presbyteri gradum episcoporum in Ecclesia vetere usitatus.

X. Est et alius modus redigendorum ad presbyterii gradum episcoporum, vetere usitatus in Ecclesia, cum ab hæresi, aut schismate redeuntes ad communionem catholicam episcopi clero urbi accenserentur. Ita enim Nicænum concilium eodem, quo Ancyranum, sæculo celebratum canone VIII sancivit, ut ab Catharorum, id est Novatianorum hæresi, ac schismate reversi ad Ecclesiam, in eodem, quem habebant, gradu reciperentur, ac si quidem nullus in urbe esset episcopus, illi ipsi locum occuparent; sin jam aliquis sedem illam teneret, qui ab Catharorum parte rediret episcopus, presbyteri dignitatem haberet, nisi episcopatus ei titulum communicare vellet catholicus episcopus; « Ubicumque vero. (ait synodus ex interpretatione Dionysii) sive in municipiis, seu in civitatibus, ipsi soli reperti fuerint ordinati : qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent. Ubi autem catholicæ Ecclesiæ episcopo, vel presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt, certum est, quod episcopus ecclesiæ habebit episcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos (qui Cathari dicuntur) episcopus, honorem presbyterii possidebit; nisi forte placuerit episcopo nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur, ne in una civitate duo episcopi probentur existere[d]. » Qui canon valde est animadvertendus; nihil enim ad negotium nostrum

a Ancyr. can. XVIII. Εἴ τινες Ἐπίσκοποι κατασταθέντες, καὶ μὴ δεχθέντες ὑπὸ τῆς παροικίας ἐκείνης, εἰς ἣν ὠνομάσθησαν, ἑτέραις βούλοιντο παροικίαις ἐπιέναι, καὶ βιάζεσθαι τοὺς καθεστῶτας, καὶ στάσεις κινεῖν κατ' αὐτῶν, τούτους ἀφορίζεσθαι. Ἐὰν μέν τοι βούλοιντο εἰς τὸ πρεσβυτέριον καθέζεσθαι, ἔνθα ἦσαν πρότερον πρεσβύτεροι, μὴ ἀποβάλλεσθαι αὐτοὺς τῆς τιμῆς. Ἐὰν δὲ διαστασιάζωσι πρὸς τοὺς καθεστῶτας ἐκεῖ Ἐπισκόπους, ἀφαιρεῖσθαι αὐτοὺς καὶ τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, καὶ γίνεσθαι αὐτοὺς ἐκκηρύκτους.

b Theoph. Cedr. Niceph. lib. XV, cap. XXVIII.

c Antioch. can. XVIII. Εἴ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν μὴ ἀπέλθῃ, εἰς ἣν ἐχειροτονήθη, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ αἰτίαν· ἀλλ' ἤτοι διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, ἢ δι' ἑτέραν αἰτίαν οὐκ ἐξ αὐτοῦ γενομένην· τοῦτον μετέχειν τῆς τιμῆς, καὶ λειτουργίας μόνον, μηδὲν παρενοχλοῦντα τοῖς πράγμασι τῆς ἐκκλησίας, ἔνθα ἂν συνάγοιτο.

d Nic. can. VIII. Ἔνθα μὲν οὖν πάντες εἴτε ἐν Κλήρῳ ἀνυποτάκτῳ, καὶ λαῷ ἀπειθεῖ, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐῤῥυπωμένῃ ἀποτάττομαι, φυλάττων ἐμαυτῷ τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα.

* De Ancyrano hoc canone confer Mamachium t. IV. Z.

fingi potest accommodatius. Nam ex eo cognoscimus, quam multi in presbyteriis civitatum censiti sint episcopi, qui episcopatus nomine, ac munere privati, presbyterorum contenti erant ordine; quorum tamen opera interdum ad ordinandos clericos uti poterant episcopi.

XI. Præter Ancyranum illum canonem XIII, ex quo Salmasius a Puritanis suis argumentari est edoctus, presbyteros simplices ordinare potuisse presbyteros, aut diaconos, episcopo permittente; viri quidam eruditi Leonis M. undecimam epistolam proferunt, in qua Rustici Narbonensis inquisitionibus respondet, quarum prima est, « de presbytero, vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt, et de iis, quos ipsi clericos ordinarunt. » Huic vero ita Leo respondet : Illos quidem episcopos non esse, nec « inter episcopos habendos qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat; nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis Pseudo-episcopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum cum consensu, et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi ita, ut in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita. » Quo ex canone concludunt, ordinationes etiam a falsis episcopis factas auctore illo, cujus in diœcesi celebratæ sunt, ratas haberi.

XII. Verum duo in clericatu, velut presbyteratu, ac cæteris consideranda sunt : alterum est Ordinis sacramentum : alterum locus, cui attributi; vel, ut Joannes diaconus in Vita Gregorii Magni loquitur[1], *incardinati* erant, qui ad Ordines provehebantur. Etenim vetitum erat, ne quis ἀπολύτως, id est nisi certæ

Absolute.

sedi addictus ordinaretur presbyter, aut diaconus. De quo memorabilis est Chalcedonensis concilii sextus canon, atque instituto nostro multum utilis. « Nullum, inquit, absolute ordinari debere presbyterum, aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiæ civitatis, aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta synodus, irritam haberi hujuscemodi ordinati manus impositionem, et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam[a]. » Vide Zonaram, et Balsamonem tum ad hunc canonem, tum ad decimum-quintum Apostolorum. Eumdemque canonem in *Capitularia* sua retulit Carolus Magnus[2].

Dupliciter itaque rata, vel e contrario irrita intelligenda est clericorum ordinatio. Uno quidem rata erit, si revera ordinatus est, etiamsi non recte. Ut si ab hæretico, vel schismatico, vel usu potestatis interdicto episcopo consecratus sit; quemadmodum de baptismo Donatistarum sæpe testatur Augustinus[3], verum quidem, sed non recte illic accipi. Altero rata esse potest, si vere ordinatus non fuerit, quia potestas ordinatori defuit; verum quoniam errore factum est, ut is episcopus putaretur, qui non erat, potest eatenus recipi, qui ab illo initiatus est ut eumdem, ad quem est destinatus, in clero locum obtineat, sed ita, ut de integro vero ab episcopo ei manus imponatur. Totidem ex adverso modis irrita esse potest ordinatio. Nam aut nulla est, et idcirco repetenda; aut vera est, sed vitiose tradita, vel accepta; ideoque loco et gradu multatur in clero, qui ad ejus spem initiatus fuerat. Hunc posteriorem ordinationis irritæ modum Chalcedonensis ille canon significat. Qui enim absolute, ac *sine titulo*, ut vulgo loquuntur, ordinatus est presbyter, aut diaconus, nemo tamen eum vere esse presbyterum, aut diaconum negaverit.

XIII. Quid igitur sibi volunt Patres illi,

κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι. εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας Ἐπισκόπου, ἢ Πρεσβυτέρου ὄντος, προσέχονταί τινες· πρόδηλον ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἕξει τὸ ἀξίωμα τοῦ Ἐπισκόπου. ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς Ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ Πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει. πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ Ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ Χωρεπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο Ἐπίσκοποι ὦσιν.

a Concil. Chalced. can. VI. Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροτονίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος.

1 Lib. cap. XV. — 2 Lib. I, cap. XXV. — 3 Vide lib. I *de Baptis.* cap. III.

dum ἄκυρον χειροτονίαν, hoc est *irritam ordinationem* istam pronuntiant? Nempe id quod in canone decimo sic exprimunt, ἐκπίπτειν τοῦ ἰδίου βαθμοῦ, id est, *a proprio gradu excidere*, quod loco illo, dignitate, fructu, ac stipendio careant, quæ in civitate, ac clero, ad quem ordinati erant, alioquin habuissent.

Hoc sensu Leo Papa ratam illorum ordinationem esse jussit, qui a presbytero, et diacono pro episcopis se gerentibus ordinati erant, *cum consensu, et judicio præsidentium.* Ut in illis scilicet ecclesiis eumdem, cujus ordinationem accepisse visi sunt, gradum adispicantur. Ubi, etsi expresse non dicitur, tacite tamen intelligitur, prius vera ordinatione promovendos esse, ut idonei sint, qui locum illum teneant. Quod vel inviti fatebuntur, qui Leonis testimonio illo contra nos utuntur. Non enim sic eos absurde sentire arbitror, ut a diacono simplici ordinari posse presbyterum asserant, ut non dicam diaconum. Atqui hoc ipsum concedi ab iis oportet, si quid ex Leonis decreto colligunt. Etenim presbyteros, et diaconos a Pseudo-Episcopis illis, quorum unus presbyter erat, alter diaconus, ordinatos esse, asserunt cum in lemmate inquisitionis, et responso Leonis, nonnisi *clerici* nominentur, non presbyteri, aut diaconi. Demus id, quod gratis assumunt, nec probare possunt, presbyteros ab illis creatos esse; certe clericos istos, inter quos presbyteros fuisse, volunt, non unus amborum, sed duo illi Pseudo-Episcopi ordinasse dicuntur. Ergo et unus istorum diaconus ordinavit presbyteros; et hanc illius ordinationem ratam esse jussit Leo Pontifex. Quod si, ut est revera, sic illic absurdum et intolerandum videtur, eos pro veris presbyteris a Leone recipi jussos, qui a diacono erant ordinati; desinent ex illo loco Leonis argumentari, veros a presbytero consecrari posse presbyteros, aut diaconos; ne, quod exhorrescunt, indidem fateri cogantur, etiam ab diacono, eodem probante Leone, veros ordinatos esse presbyteros.

XIV. Sane ex antiquis conciliorum decretis, ac Patrum testimoniis, præsertim vero Leonis ipsius, constat, hoc quod dicitur, ratas vel irritas esse clericorum ordinationes, sæpe ad solum ordinis gradum, et locum in Clero, et Ecclesia referri, non ad ipsum Sacramentum, et characterem sacerdotii, vel ordinis alterius. Ita in epistola prima decretali capite secundo, « viduarum maritos, aut numerosis implicatos conjugiis, quicumque tales admissi sunt ad Ordines, ab ecclesiasticis officiis, et a sacerdotali nomine jubet arceri Leo Papa. Nec hoc enim sibi poterunt pro arbitrio vindicare, cujus capaces, per hoc, quod illis obstiterat, non fuerunt. » Nemo dixerit, utcumque ordinatos istos non veros fuisse sacerdotes. Itaque de loco, et jure clericatus, non de ordine ipso interpretandus est Leo. Sic in epistola LXXXIX, capite VI, jubet sacerdotes Sabbato tantum ordinari, vel Dominico die : « Nec sibi constare status sui noverint firmitatem, qui non die Sabbati, vespere, quod lucescit im primam Sabbati vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. » Ubi perinde, ut in priori, status firmitatem, non ordinationem ipsam vocat, sed ordinis prærogativam, externamque dignitatis speciem, usum atque commodum. Quo minus admirandum est, in illa ad Rusticum epistola nos eodem modo *ratam ordinationem* interpretari.

Postremo suspicari etiam ita possumus, duos illos ab Leone nominatos Pseudo-episcopos episcopalem ordinationem accepisse ab alienis episcopis, non ab Metropolitano, et provincialibus episcopis; itaque quod etsi vere, non tamen legitime consecrati essent, episcopatus honore, ac nomine indignos habitos esse, retractosque pristinorum ad graduum vocabula presbyteratus, et diaconatus. Hoc mihi Leo indicasse videtur, cum illos idcirco non esse ait episcopos, quia ab Metropolitano, et provincialibus episcopis, et ex præscripto canonum ordinati non fuerunt; alioqui diceret absolute, ab nullo istos episcopo creatos fuisse. Horum alterutrum, sed prius maxime; tum probabile est, tum adversariis vim omnem ex Leone sumptæ auctoritatis extorquet.

CAPUT XII.

De Chorespiscopis rursum agitur. Parœciarum origo quomodo ab rusticanis ecclesiis ad urbanas transitum fecit. Explicatur quid sit παροικία, *sive parochia. Duplex ejus notio : una qua totam diœcesim significat : altera qua partem illius.* Χώρα *quid sit. In magnis urbibus plures erant parœciæ : in aliis una tantum. Insignis Innocentii primi locus illustratus. Salmasii repugnantia secum dicta.* Περιοδευταὶ, *deque iis Laodicenus canon expositus* περιοδεύειν *mederi. Ridicula Salmasii opinio* Curatos *dici* περιοδευτὰς, *id est medicos.*

Rursus de chorepiscopis agitur.

I. Redeo ad chorepiscopos, de quibus nonnulla Wallo Messalinus magnus nebulo mandata sibi ab Salmasio scripsit, indigna docto ac sano capite, rudi et imperito Trapezita, ac feneratore digna. Horum primum illud esto, in quo teneri me credidit [1], quod Parœciarum originem a rusticanis ecclesiis transiisse dixi ad urbanas [2], et « Χωρεπίσκοπον dictum fuisse ἀπὸ τῆς χώρας, quæ olim proprie παροικία dicebatur; *cum sit* παροικία *proprie* universa regio, vel territorium, sive ἐνορία, quæ circa urbem est aliquam, urbico magistratui parens, intra cujus fines jurisdictionem habet. » Verum si quis totam de parœciis, et chorepiscopis disputationem illic institutam legerit, non hujus vitio, sed illius tarditate factum esse discet, ut ea, quæ non caperet, criminari more suo præter meritum auderet. Dictum ibi est a me, parœcias, quæ sunt ecclesiæ, et contributæ singulis Christianorum familiæ, quibus sub uno et eodem episcopo curandis, et administrandis suus cuique est assignatus presbyter, prius in agris, et extra urbem, quam intra hanc institutas videri fuisse. Non dixi, παροικίας vocabulum per se, et universe sumptum, id solum significare, quod χώραν appellarunt ejusmodi, a qua χωρεπίσκοπος vocari cœpit.

Quid parœciæ nomine veniat.

II. Nec enim id me latebat, παροικίαν olim pro tota diœcesi, vel territorio unius episcopatus accipi; ut in Ancyrano illo canone XIII sumitur, quem supra commemoravimus, et in canone Apostolorum XIV. « Episcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere, licet cogatur a plurimis [a]. » Sic in canone XXXV, ubi παροικίαν diserte pro episcopatu sumit, ab eaque τὰς χώρας, id est subjectas ipsi *villas* distinguit. Nam præcipit episcopis, suis esse contentos finibus, nec agere quidquam præter Metropolitati conscientiam, « quam illa sola singulos, quæ parochiæ, et villis, quæ sub ea sunt, competunt [b]. » Ita Dionysius, qui legisse videtur ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις, non αὐτόν. Sic canone sequenti, *subjectas episcopo civitates et villas* nominat [c]; quemadmodum et Antiochenus canon IX « unumquemque jubet episcopum habere suæ parochiæ potestatem [d]. » Et canone XXV. « Episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam [e]. » Quinetiam Hieronymus in epistola *ad Pammachium*, contra Joannem Hierosolymitanum, pro diœcesi *parochiam* usurpat. « Ostende nos, inquit, in parochia tua habere episcopum. » Ubi notandum venit *parochiæ* nomen, quod ex Græco παροικίας usu deflexum est, quo, ut vidimus, passim Dionysius Exiguus utitur. Sic et χώρα sæpe pro ea parte diœcesis accipitur, quæ extra urbem est in agris ac villis, ut mox dicam.

Parœciæ.

III. Sed præter hanc nominis παροικίας notionem, altera est, qua non totam diœcesim, sed diœcesis particulam significat; adeo ut plures sint in tota parœcia, sive diœcesi minores, vel, ut Tertullianeo vocabulo utar, *portionales parœciæ*; atque ita plurali numero, τὰς παροικίας, Latine *parochias* dicimus. Ut in majoribus oppidis, et civitatibus plures sunt ecclesiæ, quarum singulis certæ domus ac familiæ contributæ sunt, quas hodieque *parœcias*, et qui iis præsunt, *Curatos* nominamus, quod penes eos *cura* sit; quos Latine magis *Curatores* appellare liceat. Hujusmodi ergo parœciarum institutum, vel, ut vulgo

a Apost. can. XIV. Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν· ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾷν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται.

b Can. XXXV Apost. vel. XXXIV. Ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, οἷα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις.

c Can. XXXV vel XXXVI. Τὰς ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις, καὶ χώρας.

d Antioch. can. IX. Ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας.

e Id. can. XXI. Ἐπίσκοπον ἀπὸ παροικίας ἑτέρας εἰς ἑτέραν μὴ μεθίστασθαι.

1 Salm. cap. v. — 2 In *anim. ad Epiph.* hæres. LXIX, initio.

loquuntur, *parochiarum*, dixi in *Animadversionibus ad Epiphanium*, prius in agris, et extra urbes, quam in urbibus, usurpatum videri. Quippe primis Ecclesiæ temporibus, antequam adeo numerosa seges exstaret sementis Evangelicæ, primi illi conditores ecclesiarum bifariam operam suam, et operæ administros partiti videntur, in urbem, et urbi adjunctum territorium. Atque intra muros quidem una sufficiebat ecclesia, vel oratorium, aut Dominicum ad synaxes, et sacros conventus habendos. Extra urbem autem, et in agro urbi illi contributo, quod propter longinquitatem una congregandis omnibus non satis esset ecclesia, complures factæ sunt, in quas paulatim territorium omne distributum est; et ita plures ortæ sunt *parœciæ*, quas Græci χώρας, et παροικίας, Latini *regiones*, et *villas*, et *parochias* nuncuparunt.

IV. In Antiochena synodo, τῇ παροικίᾳ, id est toti diœcesi subjectæ esse χῶραι dicuntur canone IX in quo decernitur, episcopum nihil per se, ac sine Metropolitani auctoritate agere, « præter illa, quæ ad uniuscujusque parœciam, et subjectas ei χώρας pertinent[a]; quas Dionysius *possessiones* vocat, hoc est *villas*. Hinc Χωρεπισκόπους nomen accepisse, in sequenti canone eadem synodus ostendit : « Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur[b]. » Ita Dionysius. Alii interpretes. *Ii qui sunt in vicis, vel pagis*. In superiori vero canone χώρας vertunt *regiones*. Est ergo χώρα ager urbi contributus, sive villa, et regio. Glossarium vetus, χώρα, *arvum*, *regio*. Et Glossæ Cyrilli χωρίον, πεδίον, id est *campus*, vel *ager*. Idipsum significat et *possessio*, nempe *fundum*, sive *prædium rusticanum*, et Græca vox κτῆμα exprimit. Ita *Proverbiorum* XXXI, 16. « *Plantavit vineam*, κατεφύτευσε κτῆμα, apud Augustinum ita redditur[1], *Plantavit possessionem*. Et hodieque *vineam* appellant quidam prædium rusticanum, sive possessionem. Quod alibi latius exposuimus[2].

Epiphanius in *Arianorum* hæresi, dum hujus originem, et historiam Arii describit, quiddam de urbe Alexandrina refert, tanquam ei peculiare, aut certe propter raritatem memoria dignum, fuisse plures in ea ecclesias, quibus regendis presbyteri præponebantur, qui ecclesiastica munera præstarent iis, qui circa unamquamque domicilium haberent[c]. Eas urbis partes Alexandrini proprie ἄμφοδα, et λαύρας appellabant. Quamobrem *Anphoda et lauras.*
justa suspicio est, in magnis urbibus, propter populi multitudinem, plures ecclesias fuisse. et singulis certum vicorum, et domorum numerum attributum; in aliis vero unam tantummodo, in quam oppidani convenirent, ecclesiam, hoc est *parœciam*, vel *parochiam* fuisse; at extra urbem in agris plures itidem collocatas ecclesias opportunis in locis, quibus vicina prædia villæque, et rusticanæ habitationes assignabantur; quas quidem parœcias nominabant.

V. Insignis hac de re Innocentii Papæ locus est in epistola prima *ad Decentium*, capite V, in quo rusticanas illas ecclesias proprie *Parochias* vocat; urbanas vero *Titulos;* ac morem hunc Romæ fuisse indicat, ut Dominicis diebus ad titulares omnes ecclesias fermentum per Acolythos mitteretur. Credibile est autem, synaxes ejusmodi, in quibus sacrificium Dominici corporis, et sanguinis celebrabatur, in præcipua tantum, quam *Cathedralem* vocant, ecclesia tum fuisse peractas, e qua per Titulos Sacramenta mittebantur, ut ait Innocentius, quam tam presbyteri ipsi, quam commissi sibi populi sumebant, et eo ritu intelligibant se cum episcopo suo, ac matrice ecclesia communione conjunctos esse. « Quod per parochias fieri debere non puto, (ait idem Innocentius) quia nec longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, et presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam. » Ergo *parochiæ* proprie ibi sunt rurales ecclesiæ, cum urbanæ *tituli* nominentur. Illis propter longinquitatem presbyteri *Sacramenta conficiebant*, nec ad eos ab Cathedrali ecclesia jam

a ANTIOCH. can. IX. Μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις.

b Eadem syn. can. X. Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους.

c EPIPH. hær. LXIX, num. 1. Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι. καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίων ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων. ἤτοι λαυρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν.

1 Serm. XLV *de Diversis* cap. VIII, — 2 In *notis ad Julian.*

confecta, et participanda mittebantur, quod urbanis propter vicinitatem fiebat. Hæc mens fuit nostra; quam, ut solet, per tumultum, et festinationem scribendi, Catharus non ante percipiens, temere, ac sine judicio redarguit.

VI. At idem, quod pudendum magis ipsi est, in eodem tractando loco de chorepiscopis, secum ipse dissidet; et qui aliena errata castigare studet, in eo ipso immane quantum exerrat! Etenim illo ipso in capite quinto, et pagina eadem, ubi hallucinari me dicit, ac sequenti, chorepiscopos, ac presbyteros rusticanos jam tum Apostolorum temporibus exstitisse pro certo ponit, nempe cum Ecclesiæ nondum ab uno et singulari gubernabantur episcopo, sed a collegio presbyterorum pari omnes jure, ac potestate præditorum. Verba Salmasii : « Priusquam autem singulos episcopos singulis civitatibus præesse debere judicatum esset, cum unicuique urbi suum presbyterium præsideret, cujus consilio in commune, et ex æquo regebatur Ecclesia, ut presbyteri plures, iique pares inter se unam administrabant ecclesiam in civitate ea constitutam, ita et æquali auctoritate in singulis vicis positi singuli presbyteri, sive episcopi, vicum illius, sive villam, quæ χώρα dicebatur, dispensabant. Tum nec isti rurales episcopi, sive presbyteri subditi erant urbanis presbyteris, sed suo jure ecclesiam ruranam, cui præerant, regebant, » etc. Ergo antequam unus per civitates episcopus crearetur, cum plures episcopi potestate præessent singulis presbyteris, quod ab ortu ipso Christianismi, ac toto primo sæculo usitatum in Ecclesia fuisse putat Salmasius; erant in pagis, et agris illarum civitatum Chorepiscopi, et rurales presbyteri.

Audi jam Salmasio contradicentem Salmasium, et Apostolorum ætate negantem ullos ruris fuisse presbyteros, aut episcopos, ac ne ecclesias quidem ibi tum aliquas fuisse docentem. In capite secundo nugacissimæ dissertationis scribit sic : « *Ad pagos quod attinet, et* κώμας, *Apostolorum sæculo vix putem in his ecclesias aliquas esse fundatas, cum vix tanta esset fidelium copia, ut per pagos quiret propagari*. Quinimo etiam postquam totus orbis factus est Christianus sub Constantino, et urbes fere omnes fidem recepissent, diu tamen gentilis religio hæsit, ac permansit in pagis. Unde paganorum nomen pro gentilibus, quia reliquiæ idololatriæ longo tempore conservatæ sunt in agris, cum jam ex urbibus abolitæ prorsus essent. » Mox addit; « *tempore itaque Apostolorum per civitates solas religio Christiana pangebatur*, quia qui eam prædicabant, et insinuabant Apostoli, loca populis frequentia quærebant, quo plures Christo acquirerent. » Si Apostolorum tempore *per civitates solas religio Christiana propagata est;* si *in pagis*, et κώμαις *vix putat ecclesias aliquas esse fundatas*, quomodo eodem tempore, *in singulis vicis positi sunt singuli presbyteri, sive episcopi, qui vicum illum, sive villam dispensabant?* Sed nimium morose facimus, qui λόγον, id est *rationem* ab eo requirimus, qui nullam prorsus habet, et cujus animum ac stylum ἀλογία et πολυλογία totum occupavit. *Rationis absentia et multiloquium.*

VII. Est item imperite ab illo scriptum ibidem de chorepiscopis in Laodiceno canone LVII sancitum esse , ut non amplius Chorepiscopi vocarentur, sed περιοδευταὶ, quasi de solo nomine decretum illud Laodicenum intelligendum sit. *Visitatores.* Atqui non appellari, sed esse omnino vetuit Chorepiscopos. Verba Canonis : « Quod non oportet in villulis, aut in agris episcopos constitui, sed visitatores. Verumtamen jampridem constituti nihil faciant, præter conscientiam episcopi civitatis; similiter et presbyteri præter consilium episcopi nihil agant[a]. » Hinc Salmasii evidens est hallucinatio. Nam καθίστασθαι ἐπισκόπους, quod vetat Canon, non est *appellare Episcopos,* sed *constituere*, et *collocare*.

Itaque decretum est in illa synodo, ut ne amplius episcopali præditi potestate curatores ecclesiarum rusticanarum, sed sacerdotes simplices adhiberentur. Quod etiam Sardicensis synodus in sexto canone præcepit, ut observant Zonaras, et Balsamo : « Licentia vero danda non est, ait, ordinandi episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter, quia non est necesse ibi episcopum fieri, ne vilescat nomen episcopi, et auctoritas[b]. »

a Laod. can. LVII. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς. τοὺς μέν τοι ἤδη προκατασταθέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει. ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου.

b Can. VI Sardic. Μὴ ἐξεῖναι δὲ ἁπλῶς καθιστᾶν ἐπίσκοπον κώμῃ τινὶ, ἢ βραχείᾳ πόλει, ᾗ τινὶ καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ. οὐκ ἀναγκαῖον γὰρ ἐπίσκοπον ἐκεῖσε καθίστασθαι, ἵνα μὴ κατευτελίζηται τὸ τοῦ Ἐπισκόπου ὄνομα, καὶ ἡ αὐθεντία.

Rurales presbyteri.

Hinc etiam alterum convincitur erratum ejusdem Salmasii, qui *Chorepiscopos omnino eosdem esse* dicit cum iis, qui ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι nominantur in concilio Neocæsariensi, errore, quod nemo diffitebitur, tam manifesto, quam stupido. Etenim in canone XIII primum constituit, ut « Presbyteri ruris in ecclesia civitatis, episcopo præsente, vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possint, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, et ad dandam orationem vocentur soli, dare debebunt[a]» Tum de Chorepiscopis vel sequenti, ut Græci codices habent, vel eodem, ut est apud Dionysium, canone decernit ita : « Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem, et formam Septuaginta videntur esse ; ut comministri autem, propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur. [b] » Apparet hinc, sive duos illos canones cum Græcis separes, sive cum Dionysio in unum eumdemque conjicias, multo autem magis hoc posteriore modo, non posse pro eodem accipi presbyterum ruris, et Chorepiscopum. Alioqui non tam inepta

Tautologia quam contradictio

ταὐτολογία quam ἐναντιολογία synodi illius esset ut eosdem primum vetaret, episcopo præsente, aut presbyteris urbicis, offerre sacrificium in Dominico, id est ecclesia civitatis; deinde sacrificare concederet. Quo quid absurdius, et indignius, non tantum gravissimis illis Patribus, sed vel quolibet sanæ mentis homine dici possit, equidem non video.

VIII. Non minus ridenda est originatio vocabuli τοῦ περιοδευτοῦ quod est in canone LVII Laodicenæ synodi. *Visitatorem* Latine vertit Dionysius; alii *circumcursatorem*, Glossarium vetus, Περιοδευτής, *Circitor*, *lustrator*. Quos Zonaras ita definit ; « Periodeutæ vocantur ex eo, quod circumeunt, et fideles in officio continent, non habentes propriam sedem [c] » Balsamo ait, nominatos ætate sua ἐξάρχους quorum officium erat « animarum observare delicta, et fideles perficere[d].» Hujusmodi sunt quos *Visitatores* hodieque nuncupant, qui ab episcopis ad inspiciendam, et ordinandam diœcesim cum potestate mittuntur.

Præter hanc vero tritam, et notam omnibus significationem verbi περιοδεύειν, reconditior est alia, et minus usitata, quæ est *curare* et *sanare* ; cujus aliquot exempla inter legendum adnotavimus. Primum Epiphanius in libro de *Mensuris et ponderibus*, cum agit de Judæis, qui ad glandem cuticulam attrahebant, ait scalpellis, quos σπαθιστῆρας vocant, cutem illis diduci, et extendi supra glandem deinde consui, et emplastris glutinatoriis curari, « Arte inquit, quadam medica ex circumcisione præputiati fiunt, cum scalpello, quem spatisterem vocant, cutis illis diducitur, eaque deinde consuta emplastris glutinatoriis curantur. Ita præputium denuo sibi faciunt[e].» Suspicabar pro περιοδευθέντες legendum περιδεθέντες, itaque verteram, *glutino circum adstringunt*; hoc est *glutinatorio emplastro*. Quomodo et Celsus de eadem curatione agens[1], « deligari ait, a pube usque ad circulum ; super glandem autem adverso emplastro imposito induci. Sic enim si, ut inferior pars glutinetur, » etc. Ita *glutinum* pro *glutinatorio emplastro* positum erat ; quemadmodum Augustinus gluten *bituminis*[2]. Ceterum tolerari alteram vocem περιοδευθέντες posse adjeceram.

IX. Quam mihi sententiam obfirmavit usus aliorum scriptorum, qui inter legendum occurrerunt postea. Basilius Seleuciensis scriptor politus, et elegans in oratione VI *de Davide*, ait illum adulterium suum homicidio celare, et quasi mederi illi voluisse. « Mala, inquit, affectione malum curavit [f]. » Et in oratione prima *de Noe*, « Morbo inveterato diuturna pœnitentia medeatur [g]. » Gregorius Thaumaturgus (ita enim inscribitur) in oratione *in Epiphania*, « Ægrotus a medico cu-

a Neocæs. cap. XIII. Ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται παρόντος Ἐπισκόπου, ἢ Πρεσβυτέρων πόλεως· οὔτε μὴν ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον. ἐὰν δὲ ἀπῶσι, καὶ εἰς εὐχὴν κληθῇ μόνος, δίδωσιν.

b Ibid. can. XIV. Οἱ δὲ Χωρεπίσκοποι, εἰσὶ μὲν εἰς πύπον τῶν ἑβδομήκοντα. ὡς δὲ συλλειτουργοὶ, διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς, προσφέρουσι τιμώμενοι.

c Zonar. ad can. LVII Laod. Περιοδευταὶ δὲ λέγονται, διὰ τὸ περιέρχεσθαι, καὶ καταρτίζειν τοὺς πιστοὺς, μὴ ἔχοντες καθέδραν οἰκείαν.

d Bals. Οὗτοι γὰρ περιοδεύουσι, καὶ ἐπιτηροῦσι τὰ ψυχικὰ σπάλματα, καὶ καταρτίζουσι τοὺς πιστούς.

e Epiphan. *de Mens.* num. 16. Ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκρόβυστοι γίνονται, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ, διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστηρος, τὴν τῶν μελῶν ὑποδερμάτιδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες τε, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες, ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτὴν ἀποτελοῦσι.

f Basis. Seleuc. edit. Com. Πάθει γὰρ κακῷ τὸ κακὸν περιώδευσεν.

g Idem. Νόσημα πολυχρόνιον πολυχρόνιος περιοδευέτω μετάνοια. Male ibi legitur περιωδεύετο.

1 Lib. VII, cap. XXV. — 2 Lib. XXV *de Civit. Dei*, cap. XXVII.

ratur, non medico medetur ægrotus [a]. » Sic in disputatione Gregentii, Judæorum natio vocatur *exlex et insanabilis*, ἔθνος ἄνομον, καὶ ἀπεριόδευτον, Interpres vertit *inaccessam*.

Dioscorides quoque περιοδευτικὸν τοπὸν vocat *medicinæ partem illam, quæ de curationibus* [1], *ac remediis agit*. In *Pandectis* titulo *de Excusationibus*, lege VI, §. *Grammatici*, fit mentio τῶν περιοδευτῶν. « Grammatici, sophistæ, rhethores, medici, qui περιοδευταὶ, id est *circuitores* vocantur, (ita legendum cum veteri interprete censet Cujacius) quemadmodum a reliquis muneribus, ita et tutela, et cura requiem habent. » Quem ad locum Cujacius adnotat [2], « περιοδευτὰς medicos dici, qui circumeunt urbem, sanitatis hominibus reddendæ causa, quibus immunitas datur, non etiam eis qui domestico et umbratili studio deditisunt. Ut ergo intelligeretur, iis tantum immunitatem dari, qui medendi artem exercent, adjecit, qui περιοδευταὶ vocantur. Sedentarii, et in umbra, ut ita dixerim, studia medicinæ educantes, immunitatem non habent. » Perperam itaque ibidem περιοδευτὰς in illa lege, *circulatores*, vel *circumforaneos* interpretari quosdam animadvertit Cujacius. Quos et Salmasius secutus est, in Soliniana illa farragine [3], quam revera *Cloacinæ sacrarium* appellare possis; adeo ex fæce, ac colluvie errorum omnium coaluit! Ibi enim περιοδευτὰς *circumlatores*, et *circumforaneos* fuisse *medicos* ait, quos *charlatanos*, et *saltimbancos* vulgus nominat, eleganti conjectura, quis neget? Nempe sordidos istos homines, ac ne in infima quidem plebe numerandos, immunitate, et privilegiis honestandos esse jura censuerunt. En Criticum jecur.

X. Sed ut quod institui, et cujus ista disserui causa, persequar, prorsum inepta, et circumforaneo grammatico digna est interpretatio vocis ejusdem τοῦ περιοδευτοῦ, quatenus usurpatur in Laodiceno canone LVII, quam Salmasius commentus est, περιοδευτὴν cum esse, quem nos vulgo *Curatum*, id est *curatorem* nominamus, tanquam medicum : « Æque enim, inquit, est medici περιοδεύειν, id est ægrum curare, ut ἐπισκοπεῖν. Nam quilibet morbus quacumque ratione curatus, περιοδευθῆναι eo sæculo dicebatur. Curati, id est curatores hodie vocantur, qui eamdem habent functionem in Ecclesia cum antiquis chorepiscopis. » Quis sanum credat hominem, et non animo potius ægrum, quam corpore, qui sic vigilans delirat? Plane qui ita est affectus

Ἁλσὶ διασμηχθεὶς ὄναιτ' ἄν οὑτοσί. *Salibus abstergi opus esset utique isti.*

Quis ab eo, quod est *curare*, id est mederi, *curatum*, pro *curatore* appellari sentiat? Nonne *curatus* hac ratione dicit debuit æger ipse, qui sanatus est, potius quam qui curavit, sanavitque medicus? Περιοδοευτὴς in Laodiceno canone hoc ipsum est, quod interpretes omnes antiqui docuerunt, *visitator*, et *circitor*; qui rusticanas ecclesias obit, et obeundo ac lustrando disciplinam constituit, et ordinat. Deinde falsum est, *Curatos* hodie hoc esse, quod antiquos chorepiscopos. Chorepiscopi, ut ait synodus Antiochena canone X. « Episcopalem manuum impositionem acceperant, et ut episcopi consecrati erant ; lectores, subdiaconos, exorcistas ordinabant; » presbyteros etiam, et diaconos episcopo permittente. Horum nihil in hodiernis est *Parochis*, sive *Curatis*. Ad hæc, si propterea chorepiscopos in vicis ordinari vetuit Laodicenum concilium, ne episcopi dignitas vilior fieret; si in pagis, et modicis ecclesiis constituerentur episcopi, consequens est, chorepiscopos episcopos fuisse, id est episcopali jure, et auctoritate præditos. Ergo a parochis hodiernis plurimum distant. Ut inscitiæ, ac stupiditatis piget!

a GREG. THAUM. tom. VII oper. Chrys. Ὁ ἄῤῥωστος ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ θεραπεύεται, οὐχ ὁ ἰατρὸς ὑπὸ τοῦ ἀῤῥώστου περιοδεύεται.

1 Diosc. lib. I, cap. XXXV. — 2 Ad Pand. *de Excus.* lib. VI, par. *Grammatici.* — 3 Tom. II.

INDEX

LIBRORUM AC CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

IN QUO DE SANCTISSIMA DEI MATRE, DEQUE EJUS INTEGRITATE; AC TAM DE HOMINIS CHRISTI, QUAM ILLIUS, ET SANCTORUM CULTU AGITUR.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

IN QUO DE ADORATIONE CHRISTI HOMINIS, AC SANCTORUM, TUM CRUCIS, ATQUE IMAGINUM DISSERITUR.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

IN QUO ADVERSUS SAMOSATENOS RECENTIORES, SIVE SOCINIANOS, NEC NON JUDÆOS CHRISTI INCARNATI VERBI, AC DEI HOMINISQUE DOGMA DEFENDITUR.

APPENDIX

—

R. P. TURNEMINII

e Societate Jesu

EPISTOLARIS DISSERTATIO AD NN.

DE JACOBÆO VATICINIO

—

APPENDIX

DIONYSII PETAVII

AD LIBRUM TERTIUMDECIMUM

DE INCARNATIONE VERBI

In qua catholica doctrina in eo libro tradita

AB HETERODOXI CUJUSDAM OPPUGNATIONE DEFENDITUR.

—

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO

PETRO SEGUIERIO

DIONYSII PETAVII

e Societate Jesu

DE POTESTATE CONSECRANDI ET SACRIFICANDI SACERDOTIBUS A DEO CONCESSA DEQUE COMMUNIONE USURPANDA

DIATRIBA

ADVERSUS NOVAM DISSERTATIONEM ANONYMI CUJUSDAM QUI CHRISTIANI SACRIFICII CONSECRANDI OFFERENDIQUE POTESTATEM ETIAM LAICIS ATTRIBUIT.

—

EMINENTISSIMO S. R. E. PRINCIPI

ARM.-JOANN. DE RICHELIEU

—

AD CATHOLICUM

ET ERUDITUM LECTOREM

DIONYSII PETAVII

e Societate Jesu

DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBRI DUO

IN QUIBUS DE EPISCOPORUM DIGNITATE, AC POTESTATE; DEQUE ALIIS ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS DISPUTATUR.

LIBER PRIMUS.

QUI EST DE EPISCOPIS, ET EORUM JURISDICTIONE, AC DIGNITATE.

LIBER SECUNDUS.

IN QUO CERTÆ FIDEI VEL RERUM ECCLESIASTICARUM QUÆSTIONES DISPUTANTUR.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

LIBRI QUINQUE.

IN QUIBUS POTISSIMUM DE EPISCOPIS, AC PRESBYTERIS, DEQUE EORUM DIFFERENTIA DISPUTATUR.

LIBER PRIMUS.

IN QUO DE EPISCOPIS, QUI SUB APOSTOLORUM TEMPUS EXSTITERUNT, ET EORUM SUCCESSIONIBUS AGITUR.

P. F. A. ZACHARIÆ

DISSERTATIO

IN QUA CLARISSIMORUM VIRORUM FLORENTINII, HENSCHENII, ATQUE COMBEFISII SENTENTIA DE TRIBUS JACOBIS A PETAVII, NATALIS ALEXANDRI, TILLEMONTII, GARDEBOSCII, ALIORUMQUE OBJECTIONIBUS VINDICATUR.

LIBER SECUNDUS.

IN QUO THEODORETI, CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, ET ALIORUM PATRUM SENTENTIÆ AC TESTIMONIA DE EPISCOPO, ET PRESBYTERO DECLARANTUR, ILLUSTRANTUR ET AB CATHARORUM CALUMNIA VINDICANTUR.

FINIS TOMI SEPTIMI.

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE JULES MOUREAU, GRAND'PLACE, 7.

81482

DATE DUE

DEC 0 4 2005

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

BOSTON COLLEGE
3 9031 01402378 2

81482

BT
70
.P4
v.7

PETAU, Denis.

Bapst Library
Boston College
Chestnut Hill, Mass. 02167